

ABRAHAMI GULICHII

מבוא הנביאים

Sive

LIBRORUM

PROPHETICORUM

Veteris & Novi Teſtamenti

COMPENDIUM

ET

ANALYSIS.

OPUS POSTHUMUM.





AMSTELODAMI,

Apud Viduam JOANNIS à SOMEREN.

CIↃ IↃ C LXXXIII.






SERENISSIMO. CELSISSIMO. QUE

PRINCIPI. AC. DOMINO

HENRICO. CASIMIRO

PER. DEI. GRATIAM

PRINCIPI. NASSAVIO
COMITI. CATTIMELIBOCORUM
VIANDÆ. DIETZIÆ. SPIEGELBERGÆ
DOMINO. BEILSTEINII
BARONI. LIESVELDIÆ. ETC.
HEREDITARIO. FRISIORUM. CIVITATIS
TUM. GRONINGÆ. OMLANDIÆ
DRENTHIÆ. QUE

GUBERNATORI

MILITIÆ. IMPERATORI. AC. DUCI
SUPREMO
REI. PUBLICÆ. STATORI
TRANQUILLITATIS. AUCTORI
AC. SERVATORI
LEGUM. VINDICI
MUSARUM. PATRONO. ETC.



Ix auderem, PRINCEPS SERENISSIME, ad Te nunc maximis distentum Imperii curis, & pro salute excubantem publica viam affectare, nisi eæ mihi starent orationis causæ, quæ à temeritatis me crimine absolvere, & patronam sibi ab Humanitate Tua & Clementia singulari vocem polliceri queant. Obsequor voluntati illorum, quorum mihi auctoritas tantum non pro lege est. Testor pietatem in Præceptoris quondam fidelissimi, amici postea benevolentissimi manes, nomen, pupillos. Adhibeo Orbem litteratum testem atque conscium meæ erga *Serenitatem Tuam* reverentiæ & gratitudinis. Denique Opus ipsum, quod sub Serenissimi Nominis Tui auspiciis ac patrocinio in publicam gestit prodire lucem, Principum quoque adspectu omnino dignum est. Atque, ut à postremo quod
„ præcipuum est, verbis ipsius Auctoris ordiar, magnificum
„ proculdubio quid est, *Serenissime Princeps*, & ample sonans,
„ res futuras intelligere, & antequam gerantur in longin-
„ quum diem pronunciare ac prædicere posse: ad excitandum
„ vero & fovendum Numinis reverentiam, & præsentem Dei
„ curam, & summum arbitrium rerum humanarum demon-
„ strandum, nihil efficacius. Præsentissimum ubique Deum experitur, qui humo se tollens, & animum, cogitationes, studiaque omnia ad rerum cognitionem divinarum appellens, in Mose, & reliquo Prophetarum choro, Orbis & Ecclesiæ fata vivis coloribus deformata, & concinno ordine prædescripta contuetur. Præscire enim illa ac prædicere, nisi is, nequit, qui ea & animo secum ante peragere, &, ut viam fata inveniant faciantque, vi jubere omnipotente potest, summus rerum omnium Moderator ac Arbiter. *Judicare à principio extremum, & antea, quæ non sunt facta, solius*, inquam, *Dei est*. Adeo ut ex prophetiis, quæ rerum pure contingentium, nulla ex nexu causarum perspicacitate cognoscibilium,

à solo

à ſolo Numinis hominiſque arbitrio pendentium, ordinem, comitatum, faciemque omnem delineant, vel pertinaciſſimo, & ad tot expreſſa ubique in rerum univerſitate, in ipſa mente divinitatis veſtigia, oculos claudenti, patere poſſit, *Mundum divino Numine verti:* præeſſe univerſis providentiam & intereſſe nobis Deum, certis legibus μετὰ λόγου καὶ σὺν λόγῳ καὶ νῷ τὰ πάντα διακοσμοῦντα, *ſecundum rationem & cum ratione ac mente cuncta adornantem*, ut Platonis verbis utar. Neque adeo hoc univerſum eſſe expers conſilii, aut ferri temeritate quadam aut Natura neſciente quid faciat, ſed omnia divinæ legis imperio moveri, atque eſſe λόγον καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται, καθ' ὃν τὰ μὲν γεγονότα γέγονε, τὰ μὲν γινόμενα γίνεται, τὰ δὲ γενησόμενα γενήσεται, *Rationem, ſecundum quam mundus gubernatur; facta ſunt præterita, fiunt præſentia, fient futura*, ut de εἱμαρμένῃ ſeu *fato* ſuo loquuntur in tenebris nati atque educati Stoicorum filii: neſcii ſapientiæ illius inſcrutabilis, à qua eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo, menſura, numerus, pondus, à qua eſt, quicquid naturaliter eſt, cujuſcunque generis eſt, cujuſcunque æſtimationis eſt, ut ſubtiliſſimi illius Hipponenſium Præſulis verba mea faciam. *Prophetia* ſane certum adeo divinitatis ſignum ipſis viſa fuit gentilibus, ut vel tenuem & vanam quoque ejus umbram adoraverint. Quis neſcit celebrata illa priſci ævi ſcriptoribus *Oracula*, pro Numinis effatis habita, & divinis honoribus, templis, ſacrificiis, donariis culta fuiſſe? Cui non dictum, ut innumera alia taceam, *Dodonæum* in Epiro, antiquiſſimum omnium poſt hominum memoriam; nuperâ Celeberrimorum Virorum operâ nobile: *Jovis Hammonis* in extimo ſinu Libyæ: *Pythium* Delphis, famâ præ ceteris atque opibus celebre: *Dindymæi Apollinis* in Jonia: *Antiochenum* in Syria, exilii quondam Chriſtianis cauſa: *Sebennitꝭicum*, præter multa alia, in Ægypto? Quis templa illorum magnifica atque admiranda, quis Sacerdotes, quis cultum

 neſcit?

nescit? Cui, vel leviter elegantioribus litteris tincto, latet, quid sit *oracula edere*, ex *tripode*, ex *Apollinis oraculo loqui?* Quis, quantâ animi veneratione, quantâ curâ coluerint oracula ac consuluerint summi atque infimi ordinis homines, nescit? *In dubiis scitatum oracula Phœbi mittebant, atque hinc responsa petebant.* Sciebant quippe ex ipsius Naturæ, quamvis maligno, lumine, Numinis omnia arbitrio geri, idque solum futuri temporis exitum, vel caliginosa nocte premere, vel promere ex tenebris posse. Itaque si quis incideret dignus vindice nodus, si quid magnum ac memorabile gerendum esset, sollicite Deos in consilium vocandos, atque eo fine vel oracula adeunda, vel auguria captanda, vel sortes denique ducendas esse opinabantur. ne quid scilicet aggrederentur invito Deo, & malis avibus. Neque facile quidquam bello vel pace, domi militiæve, suscipiebant gerebantque, nisi auspicatò. *Ad legum confirmationem, ad Magistratuum creationem adhibebantur augures; augurio rerum gerendarum auctoritas continebatur.* Eo hæc pertinent, *Princeps Serenissime*, ut ad liquidum perducatur, ad id non doctos, sed factos, non institutos, sed natos esse homines, ut credant: *esse profecto Deum, qui quæ nos gerimus, non solum audiatque & videat*, sed omnia nutu quoque temperet suo, & solus futura atque ab hominum usu, sensu & cognitione longissime remota, præscire ac prædicere possit. Ut ita minutis conferentes grandia, humanis & Diabolicis Divina, incertis certa, falsis vera, bona nostra noscamus & officia. Nobis datur, non Pythones & augures, pro vivis scilicet mortuos, *non cum Italis gentibus fatidici oracula Tauri adire, lucosque sub alta consulere Albunea, & cæsarum ovium, sub nocte silenti, pellibus incumbendo stratis, somnosque petendo, simulachra videre multa modis volitantia miris, & varias audire voces, imisque Acheronta affari Avernis, ad petenda in dubiis responsa:* sed ipsum adire cœlum, admitti in divinorum partem veluti consiliorum, & præsaga mente futuri temporis arcana præcipere

quo-

quodammodo ac comprehendere. Hæc maxima omnium, si res ad verum exigatur, dignatio est, omnibus potior honoribus, qua animus noster, quantum ejus patitur imbecillitas, ad divinitatem accedit proxime. Quid enim divinius, quid excellentius, quam ea non tantum, quæ multis postea seculis contigerunt, ita longè ante designata, atque oculis subjecta videre, ut nullus ea melius Apelles in tabula expingere potuisset; sed & in futurum divinam emittere mentem posse? Reliquæ omnes, quibus vel necessitas hujus vitæ, vel hominum stultitia pretium fecit, si in unum conferantur scientiæ, cum hac, quâ illa tam divina, tam admirabilia traduntur, ne comparandæ quidem sunt. Hæc omni omnium, Regum ac Principum quoque, cura, studio, meditatione dignissima. Hanc occultare Dei, scrutari Regum gloria est. Quanto enim hi ad divinam Majestatem potestate accedunt propius, tanto quoque ad divinæ imaginem sapientiæ effingi accuratius, æquum omnino est. Ne honoribus tantum, sed virtute etiam, sed pietate, sed rerum scientia divinarum reliquis antistent. Certe Romanis tanti quondam futurorum cognitio visa fuit, ut non Augures tantum, velut internuncios & interpretes Deorum, in Senatum adscriberent & inter Patres legerent; non sex solum Optimatum filios Senatus consulto in disciplinam traderent Hetruscis, augurandi ut artem addiscerent: sed & à primis Urbis incunabulis iidem fuerint & Reges & Augures; *Rex idem hominum Phœbique Sacerdos.* Aruspicinam fecisse ipsum *Romulum*; auguriorum ut suffragatione decreta fierent rata, sancivisse eundem, memoriæ proditum est. Quanto magis fas piumque erit, *Princeps Serenissime*, Reges & Principes Christianos divina in deliciis habere oracula, & eorum interpretes, inde ut, quod ex usu fiet, sibi, suisque, omni studio discant? Hæc eos erudire ac meliores facere, hæc innatam omnium animis summi Numinis notionem excolere, hæc vitam informare, hæc pectus contra

omnes casus adversos, velut ære triplici munire, hæc divini in maximis rerum discriminibus auxilii fiducia haut fallaci implere, hæc eos denique Deo quam simillimos reddere apta nata sunt. Ἐκ Διὸς βασιλῆας esse, & ejus solius arbitrio ad unum omnes stare ac cadere, attenuari insignes, obscuros promi, sciverunt suo modo gentiles. Decere igitur eos πειρᾶσθαι σὺν Θεῷ παντὸς ἔργου, *anniti ut cum Deo omne opus ordiantur*, & rerum agendarum initium à precationibus capiant, quod nihil ritè, nihilque providenter, cum reliqui homines, tum præsertim Principes, sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicentur, eosdem in tanta caligine natura docuit. Scilicet, si præest Deus mundo, si subsunt homines Deo, illi debetur honor imperii, his unica obsequii gloria, gentilium quoque calculo, relicta est. Illis vero, qui propiori gaudent propitii Numinis affatu, majus quidpiam ingeminat ipse Regum Rex, & Dominantium Dominus, æternus Dei Filius. *Meum*, infit, *est consilium & res, prudentia & victoria; per me Reges regnant, & Proceres justitiam scribunt; per me Principes imperium exercent & Magnates, omnes Judices Terræ: Ego diligentes me diligo, & vestigantes me invenient me.* Illud, illud est, *Princeps Serenissime*, ad quod tota cœcutivit gentilitas, quod Christianos ignorare Magistratus omnino turpissimum est: totum nempe muneris hoc Christi esse, quod non obstante peccato certis mundus legibus decurrit; quod homines, luce indignissimi, nascuntur; quod spirant & sperant; quod præstant ceteris animalibus, quæ Natura prona & ventri obedientia finxit, mentis capaciores altæ; quod salutaribus in societates legibus ad egregium coeuntes publicum, amoris colligantur vinculis, & homo homini non est lupus; quod fas & nefas finibus quibusdam suis discernunt, humani & divini quoque juris quodammodo scientes; quod non desint, quos ficta de meliori luto præcordia, & generoso incoctum pectus honesto vulgo fecernit; quos virtus colit, & raro fi-

des velata panno; quos boni ſtudium publici, quos amor multorum ad præclara & maxima quæque, cum vitæ etiam diſpendio, pro patria & communi utilitate audendum, ſtimulat; quibus legum vindicta publicarum, quibus faſces deferuntur populorum conſenſu; denique quod fractus non illabitur orbis, & ſuis convulſa ſedibus redeunt in chaos omnia priſcum. Equidem clara divinæ longanimitatis pariter ac potentiæ ſigna cernere in rerum hoc orbe poteſt, quiſquis non eſt bonæ mentis exul. Longanimitatem illam certum gratiæ ſalutaris teſtimonium; gratiæ fundum unicum Chriſtum eſſe; & cauſam pendere ex cauſa, longoque hoc rerum ordine publica & privata trahi, illud vero iis ſolum cognoſcere datur, *Princeps Sereniſſime*, qui fato nati meliore, Deique fruuntur colloquio. Illi demum norunt, conditum eſſe mundum, & ſtare immotum, non ut impiam alat & ruentem per vetitum nefas humanam gentem, ſitque magnum turpitudinum omnium theatrum; verum ut Chriſto ex omnibus undique terrarum angulis colligatur populus peculii, ſententiis, ſtudiis, moribus, ſpe denique, fine tam longo à reliquo hominum grege diſcretus, quam diſtat Deus creaturis, cœlum terrâ, ſpiritualia corporeis, ſolida atque æterna bona inanibus & caducis. Hi ſunt flos humani ſanguinis, Dei delicium ac decus; hujus cura peculî mundi baſis. Ille enim, cui nota operis ſui ſeries, omnium cui rerum per manus ſuas iturarum ſcientia in aperto ſemper fuit, jam ante jacta mundi fundamina, æternum de iis cum Filio ſuo agitavit pacis conſilium. Atque hoc unicum illorum, quos æquus amavit, κειμήλιον, hoc vere יסוד היסודות ועמוד החכמות *fundamentum fundamentorum & columna ſapientiæ*: hoc demum *fatum* illud eſt, *quod certa regit orbem atque omnia lege, longaque per certos ſignavit tempora curſus.* Quos vero, *Princeps Sereniſſime*, magis decere putabimus, in arcani hujus intimos ſe penetrare receſſus, quam illos, quibus tradita eſt rerum ſum-

ma humanarum? Unde hi melius cui acceptam referre muneris sui dignitatem, cujus obtemperare legibus, ad quem cuncta finem dirigere, cui tandem reddere factorum rationem debeant, intelligent, quam si primam longi rerum ordinis causam, finemque ab origine norint? Unde autem divini hujus rationem fati certius addiscent, quam si nobiliora posteriorum temporum gesta per Prophetas tot seculis ante effatum esse Deum, perspexerint? Ita enim in serena luce videbunt, non forte casuque, sed ab ipso Numine Rectores terris imponi, & divinitus constitui. Quod si alta mente reponant, id sibi credent negotii solum dari, summo ut rerum arbitro placeant, & venerentur, composità ad humile obsequium mente, ἀπροσωπολήπτην omnium Judicem Christum, ne quid temere, ne quid imprudenter aut ignoranter, quod cum regni ejus rationibus minus conveniat, aggrediantur. Hoc vero facile accidere potest illis, qui futurorum securi, in tenebris magnaque caligine rerum degunt hoc ævi; & vel aversantur sacrarum majestatem litterarum, indecora sectantes Principibus viris studia; vel eas saltem neglectius habent, in alia omnia intenti. Ii namque nescientes sæpe θεομαχοῦσι. Vidimus damnatam non semel, secundum claras prophetias, Christi & Christianorum coram Regum & Principum tribunalibus, causam. Vidimus decem uno tempore Reges, junctis cum Bestia phalangibus, oppugnantes Agnum. Vidimus ipsos Judaici populi Præsides, velut agmine cum Dracone facto, infausto prorsus omine, belligerantes cum Michaële. Vidimus omni à primis Christianismi initiis ævo, plurimos, qui se debitis operari sacris rati sunt, quando in innocentissima omnium capita ferro sævierunt flammisque. Videmus hodièque feræ victimam libidinis fieri, integros vitæ & doctrinæ, scelerisque puros. Hæc tanta mala vix alio derivata fonte ad nos usque manarunt, quam quod vanis homines districti curis, non adverterunt mentem oculosque ad

verbi

verbi lucem divini, positaque in illustrissimis rerum monumentis temporum signa. Potuissent enim alias sua illic præscripta legere scelera. Felices vero Principes, quos faciunt aliena pericula cautos, ne in eadem laborent Charybdi. Omnes certe, queis vel mica salit Christiani sanguinis circa præcordia, tanto nunc majori cura ad animum ea revocare par est, quanto nostra tempora cruentis sunt consiliis prægnantiora. Nubes orbem premunt, nebulæque, magnam, ni vanum capio augurium, daturæ tempestatem. Ecclesiæ navim referunt in mare novi fluctus. Quis non videt, ut nudum remigio latus, & malus celeri saucius turbine, antennæque gemant, ac sine funibus vix durare carinæ possint imperiosius æquor? Ut desint, quorum auxilium pressa vocet malo? Confringitur ac dissipatur manus populi sancti. Bellum illi bestia facit, tantùm non epinicia canens. Reges ac Principes quos sociare Ecclesiæ cura deberet, scindunt studia in contraria carnis consilia. Odium atque invidia committit ipsos sacrorum nostrorum Antistites. Pax, optima rerum, quas homini novisse datum, non ridet. *Bella geri placet nullos habitura triumphos.* Tanta vecordia innata hominibus est, ut malis gaudeant. Ita cœlum ipsum petimus stultitia, neque per nostrum patimur scelus, iracunda Deum ponere fulmina, qui, quod lege nequit, pœna solet edomare maculosum nefas. Aut planè fallor, aut maxima capitibus nostris imminent mala: ad quorum vel cogitationem mihi frigidus horror membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis. Sensu careat oportet divinarum pariter ac humanarum rerum, Lethæo sepultus somno, qui nunc non expergiscitur, & quid volvenda dies vehat, quantum id nos scire Deus voluit, sollicitè speculatur. Quis non aveat cognoscere, *Princeps Serenissime*, quid de rebus hisce, earumque exitu, prædixerint certa Prophetarum oracula? quando superba fiet Babylon spolianda tropæis? quibus passibus properet ad fasti-

gium suum regnum Christi, quibus ad interitum Antichristi? quod decus nutricios Ecclesiæ Principes, quæ ignominia oppressores maneat? Quem non juvet, eo fine, & præteriti temporis spatia, quam fieri potest longissime, recolere, ultimamque sistere animo rerum Christianarum memoriam? & præsentia pia mente contemplari? & de futuris quoque Deum consulere, & quæ natura negavit visibus humanis, oculis ea pectoris haurire? Quem non delectet, Christum, unicum præsidium & dulce decus nostrum, ejusque divinam nostra sub imagine majestatem, regale genus & patriam, matrem virginem, dicta factaque præsentem testantia Deum, passiones, mortem, sepulturam, resurrectionem, adscensionem; Spiritus in Apostolos effusionem; Judæorum tristem rebellionem atque excidium; lætam gentium, per verbum Euangelii, conversionem; Ecclesiæ funesta cum Israëlitarum degenere prosapia, cum gentilium, sub decem Imperatoribus, furiis certamina; triumphos & halcyonia sub Constantino; corruptos depravatosque, temporibus, ut fieri solet, lætioribus mores, adulteratam doctrinam; hinc Antichristi ortus, incrementa, doctrinam, mores, vim, fraudes; Ecclesiæ, post diuturnas & Cimmerias plane tenebras, salutarem ex Babele, quanquam difficilem, obnitente Diabolo, exitum, & nunquam sine gaudii quodam sensu memorandam Reformationem; denique quicquid hucusque, sive Imperiorum vices, sive Ecclesiæ conversiones tulerunt memorabile, ad vivum in Prophetarum libris expressum, & eo quo gestum est ordine signatum legere? Cui non sit volupe, hac via sensim in nostrorum temporum arcana introduci, sine velo illa intueri, fausta eorum infaustaque omina, lætos tristesve exitus dignoscere & prænoscere, hacque ratione *divinum*, ut veteri verbo utar, fieri. Quantum hac in re divinæ providentiæ argumentum! quantum ad probandam Religionis nostræ divinitatem, quantum

tum ad fidei πληροφορίαν momentum! quam acres ad veram pietatem, ad dignam homine Christiano sapientiam & prudentiam stimuli! Hoc nostri nos officii monet; hoc spes acuit, metus temperat, preces incendit; hoc æquam rebus in arduis servare mentem, hoc ad omnes commoditatis articulos animo vigilare, hoc scopulos, ad quos allisi alii infelici naufragio perierunt, vitare docet, hoc clara luce, hoc voluptate animum non vulgari perfundit. Ego equidem primoribus tantum sacra hæc delibavi labris: spondere tamen ausim, hæc tanta emolumenta ex prophetico studio reditura ad omnes, quotquot bene præparato, à præjudiciis vacuo, & veritatis capaci animo, illi se dedent. Sique tanta ejus sit cum dignitas, tum utilitas, *Princeps Serenissime*, arbitrari vel me tacente facile poteris, quomodo illi cum Principali fastigio apprime conveniat, quamque sit animis magnis dignum. Miraberis vero mecum, atque indignaberis illorum ex Theologis nostris, audaciam dicam an temeritatem, quibus unum opus est, naso suspendere ac deridendos propinare viros omni laude dignos, qui, diviniori mentis impulsu, perscrutandis atque explicandis Prophetarum ænigmatibus insudant, & unice id agunt, ut in aprico sit, *testimonium Jesu esse Spiritum Prophetiæ*, *Spiritum*, inquam, *quo acti locuti sunt sancti Dei homines*, *significasse, quo & quali tempore contingere debuerint Christi passiones*, *& post eas gloriæ*, certamina & triumphi. Hi tantum non pro cerritis circumferendi, & multo purgandi helleboro, ad sanam ut mentem redeant: hi de gradu dignitatis deturbandi, & velut Ecclesiæ & Reipublicæ pestes ad Indos ultra Gangem relegandi sunt. Ac si crimen esset morte piandum, quærere pio studio in Mose & Prophetis Christi atque Antichristi, veræ falsæque Ecclesiæ εἰκονισμὸν, temporumque N. T. signa ac periodos. Mihi certe non contigit esse tam oculato, ut quis venenatus in salutari hac herba lateat anguis videre possim. Illud, si Apostolis assurgimus,

gimus, extra omnem poſitum eſſe debet dubitationis aleam, ceciniſſe Prophetas uno ore omnes ſuave de Chriſto carmen: vaticinatos de Judæorum ſtupenda perfidia & triſti exilio: de gratioſa gentium vocatione, denique de utrorumque in fine ſeculorum fatis. Ergone credibile eſt, illuſtriſſima illos tacuiſſe intermediorum temporum geſta, quoque finis ab origine pendeat ordine? Ne id credere animum inducam, prohibeor ab illis, quorum laudabilis cura in hiſce inveſtigandis atque demonſtrandis ſtetit. quibus, præter ſcommata ab urbanis ſcurris, deliciis pôpli, præter dubitationes à viris modeſtioribus, objectari vix quicquam, quantum mihi cernere datum, potuit. Ego equidem tantum mihi non ſumo, ut dictaturam ſine ſuffragio gerere, vel pro Oedipo haberi in hiſce velim: non poſſum tamen ita judicio quoque meo diffidere, ut metuam de inconditis hominum iſtorum clamoribus, & malis, quibus ſtudio tam nobili tamque utili intercedunt artibus arbitria facere. In id namque incumbo, ut non ignorem, quid diſtent æra lupinis, inane abſcindere ſoldo ſtudens. Neque etiam homines illi ita belle arcana & fraudes contegunt ſuas, ut non pelluceant paulo oculatiori. Hominum errores & nævos cauſæ applicari; quædam à reliquo corpore avulſa, & nervis ſuis ac rationum momentis deſtituta invidiosè proponi; conjecturas, privatis amici auribus depoſitas, publicè tanquam ſententias ſugillari; verba in alium plane, & ab auctoris mente alienum, ſenſum torqueri, quis æquus rerum judex non improbet? Cui vel paulo cordatiori non diſpliceat, certare Theologos, non argumentis ſed convitiis, non verbi præſidio divini, ſed hominum opinionibus, non veritatis vi, ſed præſcriptionis lege & poſſeſſionis jure, non ut de erroribus triumphent & vitiis, ſed de hominibus? Ita *Iliacos intra muros peccatur & extra*, illorum tamen præcipue culpa, qui prius lædunt. Hæc Chriſtianis, hæc Theologis, ſi quid aliud, indigna. Illud vero horreſco referens, *Princeps*

Sere-

Sereniſſime, eo malitiæ furiatæ mentis æſtu quoſdam provehi, ut non erubeſcant apud Magnates in prophetiarum ſtudioſos, tanquam ſeditionum & conjurationum capita, tranquillitatis turbatores publicæ, & Majeſtatis tantum non reos, nigri ut fiant, debacchari. Scilicet, quoniam prophetias, quaſdam particularibus rerum eventis, ſive præteritis, ſive præſentibus aptant. Ac ſi implendæ eſſent in Utopia, & à perſonis quibuſdam fictis, quales in Comœdia ludos dant. An extra hominum cenſum quærent, promiſſos Eccleſiæ nutricios? Nunquamne in Apocalypſi depicta viderunt decem immanis illius beſtiæ cornua, diadematis inſignia decem? Hinc Reges dicuntur, inebriati vino ſcortationis ejus, potentiam & poteſtatem illi ſuam tradentes, habitantes terram. Mirum, ni Apologias ſcribant pro Eccleſiæ hoſtibus, eam vel palam, vel clam peſſundantibus, quos in prophetiis notatos putare, tam dolenter ferunt. Quo hæc animo fiant, Deus καρδιογνώστης novit. Quantum videre poſſum, ſcenæ ſerviunt, & eo aurigantur, ut Magnatum iram in innocentes concitent. Non temere de omnibus judico, de quibuſdam loquor. Id ſcio, *dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* non unius Chorœbi: *flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo*, non unius Junonis vocem eſſe. Pythium quondam oraculum Nero, mactatis ad oſtium voraginis, unde reſponſa dabantur, hominibus, deſtruxit ac diripuit. Eandem divinorum, præteritis temporibus, ſortem fuiſſe oraculorum, non ſine horrore recordamur. Ut poſthac tales prohibere minas, talemque avertere caſum, & placidus ſervare pios Deus velit, votis precibuſque expoſcimus merito. Utinam vero Reges & Principes Prophetarum filii eſſent omnes, & miſſis rerum inanibus æternis celſos animos conſecrarent conſiliis! Ita enim, quid per ipſos fieri Deus velit, non ignorarent, ipſiſque obſtetricantibus omnia facile regna Chriſti fierent, ferrea deſineret, toto gens aurea mundo ſurgeret. Et de hiſce nunc Tecum,

Prin-

Princeps Serenissime, colloquor paulo liberius, quoniam & Operis, quod Illustrissimo Nomini tuo sacrum volo, argumentum id suadet, & maleferiatorum quorundam hominum importunitas eo vel invitum trahit. Ausi illi fuerunt, malo quodam sidere afflati, involare in os maximis quibusque viris; ausi Martia contra eos classica canere, & quicquid est ubique seditiosorum hominum, velut ad prælium de summa Religionis ac Reipublicæ, vocare; ausi scriptis credulas vulgi aures conscelerare, ausi tandem, quæ fuit, non fiducia causæ, sed impudentiæ ὑπερβολῇ, pro Tribunalibus quoque innocentes incomitiare, & Ecclesiarum quietem miserè turbare. Illud est, *Princeps Serenissime*, quod vel mitissimo bilem movere queat. Quis enim æquo animo ferat, istiusmodi, quales illi sunt, quos noto, pusiones tam grandes sibi cothurnos aptare, &, velut Herculis irâ concitos, aggredi primæ inter litteratos nobilitatis viros. Homunculos, parum certè ab eruditione, quantum à virtute alii dicant, instructos, censorio supercilio de rebus, ad quarum interiora nunquam admissi, quasque hoc demum contradicendi studio lævo videntur inspexisse oculo, sententiam pronunciare; hos pro orthodoxiæ se vindicibus gerere; hos per fidei commissa quædam effutire sine penu & pecunia verba; hos tanquam è curribus Bacchanalibus impudenter πομπεύειν; hos cilicia insolentia tantum suasisse malorum? Non his auxiliis, nec defensoribus istis tempus eget, sua ut constet Orthodoxiæ integritas. Sed jam aliis persolverunt temeritatis & stultitiæ suæ pœnas, ita ad quintam usque costam scripturæ armis percussi, ut iterato ictu non sit opus. Nosti, *Serenissime Princeps*, me eum non esse, qui alieno se foro immiscere, vel aliis insultare cupiat. non possum tamen non publice dolorem quoque meum testari, ingemiscere Ecclesiæ malis, & deplorare detestata piis bella, quæ istis auctoribus ardent. Qui tragici causas stre-

pitus intuentur propius, & evolvunt latentes, invidiæ eum potius, quam Orthodoxiæ indocto cuidam zelo, imputant. Is viros aliàs optimos & pientissimos, abripit quandoque transversos, & condonari humanitati debet. Suos quisque patimur manes, nemo sine crimine vivit. Fieri etiam nequit, quin sententiarum sint inter doctos divortia. Iniquus sit rerum æstimator oportet, qui velit unius omnes jurare in verba magistri. Tribuendum aliquid judicio aliorum, reservandum aliquid & nostro. Soli Deo sacramentum dicendum & veritati. Pro hac omnia, contra eam nihil neque velle neque posse debemus. Modestiam interim, æquitatem, rationem, humanitatem, conscientiam requiro. Aversor nugarum institores; aversor amariores bile lites, insanaque jurgia: Draconis leges sanguine scriptas aversor. Dissentire duos de rebus iisdem, incolumi orthodoxià, incolumi licuit semper amicitia. notare, corrigere fratrum errores, licet. Hanc veniam petimusque, damusque vicissim. non licet fraternitatis & humanitatis jura violare. Mihi quidem nondum contigit esse tam felici, ut ad maturi judicii lancem appendere possim omnes doctorum de rebus propheticis controversias: longioris id anhelitus & altioris subsellii est, quam ut probanda sit illorum temeritas, qui illotis sacra hæc attrectant manibus. *Nunquam nos decet esse verecundiores, quam cum de Deo & rebus divinis agitur.* Ad edita doctrinæ & sapientum templa serena certo, & hinc lento sæpe, gradu procedendum est. Sunt quæ stantibus in limine, sunt quæ nonnisi adyta rimantibus patent. Sunt de quibus pronunciare in proclivi est cuivis analogiæ fidei gnaro, sunt quædam nonum premenda in annum, & nonnisi post multam lucernam, & demorsos sæpe ungues vulganda. Imitanda gentilium hic religio esset; qui oracula sciscitaturi, solennibus se variisque, pro locorum diversitate, ritibus ad id præparabant. Vel enim divinum ali-

quid somniaturi, cibo aliquamdiu abstinebant vinoque. vel fatidicos terræ hiatus ingressuri, in eorum vestibulis aliquot ante diebus caste modesteque versantes, lavacris expurgabantur, faciebantque suis rem sacram Numinibus. vel Lethæo poculo delebant ex animo memoriam præteritorum, capaciores ut essent futurorum; ut taceam cætera de genere hoc multa. Nos, æquum est, adferre humilem, docilem, castam puramque ad sacra hæc mentem. Non tamen de aliorum profectibus tam sentio sinistrè, ut, quæ multa mihi nocte involuta videntur, omnibus obscura esse putem; vel, quæ ipse non capio, carpam, & theonino dente arrodam in aliis: neque etiam animi tam sum abjecti, ut hoc divinarum litterarum sacrarium inaccessum statuam, & hanc mihi ipse legem dicam, nunquam urgere altum, semper iniquum premere littus; neque de sapientia & bonitate Dei tam exiliter atque angustè judico, ut nullo scribi prophetias bono jusserit; vel legi & non intelligi, neque pandere secreta sua timentibus ipsum velit: neque etiam arbiter adeo sum severus, ut erroribus aliorum ignoscere nesciam. Concedam ergo vitilitigatoribus istis, in errores lapsos fuisse, quos reprehendunt Scripturarum Interpretes. Homines sunt, humani nihil ab iis alienum. Dabo esse ænigmata, ad quæ solvenda Elia interprete opus sit. habet hoc omnis fere prophetia, ut ante eventum ænigma sit. Dabunt & hoc mihi non illubentes credo, eventum luculentam in multis facem alluxisse, & Phari instar navigantibus in hoc pelago, ad cognoscenda temporum signa esse posse. Concedam, & hic facilem esse in errorem lapsum, ut generalior prophetia, ex ignorantia vel verborum vel rerum, specialibus eventis male applicetur. Emissitiis, ad observanda minutissima quæque, oculis, exercitis longiori rerum usu sensibus, capacissima mente opus esse, non ignoro. neque mirum, si quis in hoc lubrico fallente vestigio aberret à

vero

vero prophetiæ alicujus ſubjecto. Hoc illos unum ſaltem rogo atque exobſecro, ut ſerio tandem, & ſine nugâmentis dicant, prudentiſſimi omnium ſcilicet viri, quo in receſſu execrabile illud & exitiale, quod hinc reipublicæ atque Eccleſiæ metuunt, & ſtentorea voce minantur malum lateat. neque enim ad id pervidendum lynceis indigent oculis, cum pro cynoſura ſit fidei analogia. Sique hæc illos cura coquit, & ſub pectore fixa verſat, ſi hinc tantæ animis cæleſtibus iræ, quid illud ſit, quod vel analogiam fidei luxet, vel reipublicæ fundamenta convellat, doceant, non calumniis ſed rationibus. Salvis vero illis, non admodum periculoſus eſt error, & errans amicis potius verbis, quam verberibus corrigendus eſt. Quantum ipſis illis κατηγόροις monentibus cognoſcere potui, vel amor Chriſti, vel odium Antichriſti, bonis illis viris, quibus tam grandem dicam ſcribunt, præjudicium facit, & hunc errorem errant, quod δουλεύουσι ταύτῃ τῇ ὑποθέσει, in theſi nihil fere affirmantes, quod non utrinque ſit ἐξαγώνιον. An hæc res tanta ira, tanta animorum contentione, tot convitiorum plauſtris digna ſit, per Deum eos obteſtor? Obteſtor Proceres omnium locorum atque ordinum, ut cauſam hanc juſta libra ponderent, quo malam turbonum mentem, malum animum agnoſcant, neque ferant Gracchos de ſeditione querentes. Æquum eſt, ut ſuo judicio, ſuis oculis, non famæ & rumoribus, aut calumniis credant, qui ad gubernacula ſedent, ut clavum rectum teneant, neque id incauti damnent, quod in Dei judicio laudabitur. *Nulla eſſe poteſt, neque in dictis neque in factis innocentia, ſi accuſaſſe ſufficiat.* Non toleranda in „ Eccleſia licentia illorum, qui, uti loquitur Illuſtris Ve- „ rulamius, cogitationum vertigine delectantur, ac pro ſer- „ vitute habent, fide fixa ac axiomatis conſtantibus con- „ ſtringi, liberi arbitrii uſum in cogitando non minus & „ loquendo, quam in agendo affectantes. Par enim eſt,

„ cum Religio sit præcipuum humanæ societatis vinculum, „ ut & ipsa debitis veræ unitatis & charitatis vinculis astringatur. Sed neque deneganda quantam ipse Deus indulsit libertas, vel meditandi Scripturarum secretiora sobriè ac castè, vel loquendi de iis modestè; ne consensus vel ignorantiâ nitatur, fideque implicita, coloribus uti omnibus in tenebris bene convenit; vel auctoritate humana magis quam divina stabiliatur unitas. Si effrenis concedatur quidlibet loquendi licentia, opinionum monstra, schismata, hæreses, profanæque magno numero lites pullulascent, exosa religio fiet infidelibus, ridicula atheis & pseudopoliticis, flebilis piis. Si vera adimatur libertas, Scripturæ dogmata degenerabunt in Senatusconsulta, Magistratuum pro Ecclesia cura in tyrannidem, doctorum voces in gemitus. Compescenda ergo licentia, sed sine dispendio libertatis. conservanda unitas, sed non per vincula iniquitatis. Utrique peccant, & qui soli semper incedere amant per vias invias, nihilque rectum putant nisi quod singulare; & qui pecudum more non qua eundum, sed qua itur fere, eunt, verita-
„ temque malunt quam plausum perdere. Uterque excessus vitandus est. Quod fiet, inquit idem judiciosissimus Verulamius, si fœdus inter Christianos ab ipso Servatore „ nostro descriptum, in clausulis illis, quæ primo intuitu „ inter se opponi videntur, perspicuam & planam interpretationem sortiatur. *Qui non nobiscum est, contra nos est*; „ & rursus, *qui contra nos non est, nobiscum est.* Hoc est, si „ capita religionis plane essentialia & fundamentalia ritè discernantur, & distinguantur à capitibus quæ non sunt ex „ fide, sed ex opinione probabili, & intentione sancta, „ propter ordinem & Ecclesiæ politiam sancita. *Tunica* enim *Christi*, uti acutè atque eleganter notatum est ab uno „ ex Patribus, *inconsutilis fuit, at vestis Ecclesiæ versicolor. In* „ *veste* ergo, præcipiente eodem, *varietas sit, scissura non sit.*

„ dif-

„ differunt enim haut parum inter se *unitas* & *uniformitas*. Hæc demum sola, hæc recta pacis via est, *Princeps Serenissime*, calcanda Religionis omne genus Antistitibus. Cavere utrumque sedulò debent, & ne dissentiendi licentia orthodoxiæ nervos incidat; & ne Muhametana severitate, omnis in universum discrepandi libertas tollatur, visque inferatur „ conscientiis. Ut verum dicamus, inquit idem Magnus „ Verulamius, optime & prudentissime observatum est ab „ uno ex Patribus, profundæ sapientiæ viro, nec minus in- „ genuè & sincerè ab eodem prolatum & evulgatum; *Eos* „ *qui conscientias premi iisque vim inferri suadent, sub illo dogmate* „ *cupiditates suas subtexere, illamque rem sua interesse putare.* Ita sæpe infando scelere, regnum & doctrina Christi ad humana traducitur, & ipse Deus inter instrumenta servitutis habetur. Exosculor itaque Tuam, *Princeps Serenissime*, atque *Illustrissimorum Frisiæ Ordinum* prudentiam ac moderationem, quod illud in componendis dissidiis temperamentum servatis, ut veritati non minus & libertati, quam paci atque Ecclesiarum unitati, suum maneat apud vos decus, suus rectoribus atque erectioribus animis honos; & liberalia ingenia, artesque ingenuas liberali asseritis causâ manu. Quomodo sperandum est, fore, ut vestrâ curâ, non solum illibata maneat orthodoxia, atque intemerata tradita semel sanctis fides, sed & vestro sub præsidio spiritum & sanguinem porro recipiant generosiora studia, cum divina, tum humana; & singularis vester in ea vel amor, vel honor dimanet ad exteros, in laudem vestram, in aliorum exemplum. Illic enim patriam demum inveniunt, ubi favore & judicio Procerum florent, neque benefactis tantum ex conscientia merces est. Merito ergo vel solo hoc nomine, *Princeps Serenissime*, orbus hic parente suo liber ad sinum confugit Tuum, ut sub *Serenissimi Nominis Tui* tutela, securius in publicum prodeat, atque ætatem ferat. Neque enim facile, quæ tem-

porum noſtrorum eſt iniquitas, deerunt, qui vel aquâ illi & igne interdicendum ſciſcant, vel famam ſaltem ejus, ex nativa quadam calumniandi libidine, depeculentur. Eſt enim iis natus parentibus, qui, quamvis de Eccleſia & Republica litteraria meriti ſint omnium optimè, non tamen effugere potuerunt petulantis verbera linguæ, & malevolorum morſus: ea indole, quæ placere iis non poterit, qui alio ſub ſidere nati, aliis ſunt moribus atque inſtitutis. Excolendo ſtudio prophetico, quod aliquo jam tempore μῆλον ἔριδος fuit, natus & educatus eſt. Mirum ni eadem ipſius futura ſit ſors, quæ aliorum ejuſdem familiæ fuit. Habebit pro captu lectoris ſua quoque fata. laudabitur ab his, culpabitur ab illis. Sed Stoicus eſt, & ἀπαθής. repulſæ neſcius ſordidæ, non ſumet aut ponet ſecures arbitrio popularis auræ. Satis illi bene mereri de publico, prodeſſe, probari bonis, & parentis nomen piæ poſteritati commendare. Nemo erit, opinor, niſi plane litterarum harum rudis, quin judicii in eo ἀκρίβειαν, & δύναμιν ἑρμηνευτικὴν ſit agniturus. Si quis cultum, ſi quis ornatum majorem deſideret, poſthumum eſſe cogitet velim; nunquam publico, in tali habitu, ab ipſo parente deſtinatum. Si quid tamen judicare poſſum, multum conferet ad publicum Eccleſiæ egregium, & faciliorem reddet Prophetarum intelligentiam. Dignus fuit viſus Viris rerum harum gnariſſimis, qui tolleretur atque educeretur; dignus *Princeps Sereniſſime*, qui *Illuſtriſſimo Nomini Tuo* dedicaretur. Tu *Gulichium* ſingulari, quo ſoles bonos omnes, publicæ præſertim rei utiles, complexus eras favore, ob teſtatam ſatis excellentem doctrinam. Tu virtutibus ejus, ſi fata ſiviſſent, januam famæ patefeceras ampliorem. Non licuit illi ipſi, per immaturam, eheu! mortem, perennaturo in ævum ſcripto teſtari, quantas Serenitati Tuæ pro tanto munere, pro ea honoris ſui acceſſione, gratias, quod obſequium, quam pietatem, quod ſtu-

dium

dium deberet. Æquum videbatur, ut id faceret posthumus hic, meo ore, liber. Maluissem equidem intra privatos parietes tutus latere, mihi ac Ecclesiæ meæ vivens, quam cum periculo publicâ viâ incedere. Passus tamen sum, postquam ita lata erat sententia, verecundiam meam expugnari. non quod negotium hoc humeris bene meis sessurum putarem, sed, quod & amicitiæ, quam mihi cum defuncto conciliaverat studiorum, si licet magnis componere parva, ratio; & familiaritati, quam attulerat consuetudo; & necessitudini, quam fecerunt ejus in me officia, in publicum merita, debebatur. Amor amici fortunas intuetur quodammodo ut suas, & collata in eum beneficia sibi præstita existimat. Quod in commune confertur, ad omnes attinet. Quæ ergo quondam maximæ mihi lætitiæ causa fuit, gratæ nunc quoque prædicationis materia esse debuit, Tua, *Princeps Serenissime*, in defunctum Benevolentia. Hoc in vulgus prodire, hoc posteris prodi, hoc omnes quibus publica cordi est salus, grati agnoscere debent, Te illum esse *Principem*, à quo meritis offertur inemptis pura mente favor, cujusque judicio ac favore excellentes istiusmodi viri florent. Ingens ea Principis gloria est, si bonos esse sub eo prodest, & optimi quique non periculis & delationibus, sed honoribus & beneficiis in lucem & diem proferuntur, & quasi specimen & exemplar, quæ secta vitæ, quod hominum genus placeat, provehuntur & ostentantur. Hac namque ratione vividi rectique animi non deprimuntur & contunduntur, sed foventur & attolluntur, acuunturque integritatis & industriæ pretio; & plurimi, vel boni fiunt, vel videri saltem volunt. Pauci enim adeo ingenio valent, ut non turpe honestumque, prout bene ac secus cesserit, expetant fugiantve. *Præmia bonorum malorumque bonos ac malos faciunt.* Tu vero ille

es,

es, *Princeps Serenissime*, cui & alii multi in Republica & Ecclesia eximii viri, debent hærentem capiti magna cum laude coronam; & *Gulichius* quoque noster melioris vitæ & fortunæ in Frisia auspicia referebat accepta. Utinam vero longior vitæ usura permisisset ipsi, experimentis docere, quem, quantumque Academiæ Virum favore tuo conciliaveras! Agnovisset Frisia, agnovisset totum grato animo Belgium, tantum beneficium, tuæque providentiæ hæc laus fuisset. Erat enim illi ingenium excelsum, subtile, eruditum; erat animus candidus & sincerus; erant mores modesti & graves, nec minus suaves. Quam peritus ille erat rerum quarumcunque scitu dignissimarum! quantum tenebat scientiarum! quam lactea illi eloquentia! quam disputabat acutè! quam acri magnoque judicio, ubi dubitabat, rationum diversitates ab origine causisque primis repetebat, discernebat, expendebat! Sed ostensus tantum Vir iste eximius terris vestris fuit; venit, vidit Franekeram, abiit cito, & flebilis bonis omnibus, flebilis mihi, diem suum obiit: atque in uno viro ipsæ litteræ, bonæque artes damnum passæ sunt maximum. Non tamen omnis mortuus est, multaque pars ejus vitabit Libitinam. Vivet in libris, ac posteritati intererit, & usque postera crescet laude recens. Vivet, si Deus & Mæcenates velint, in Filio, quem post se reliquit paterno destitutum præsidio. Si tam fuisset dives opum, dives positis in fœnere nummis, quam fuit ingenii atque eruditionis dotibus, tantum non *Regum æquasset opes*, & liberis manaret copia bonorum opulenta benigno ad plenum cornu. Sed vero non fuit illi tam dives auri, quam benigna ingenii vena. Parcâ ei, quod satis erat, manu, Deus obtulerat. vivebat parvo bene, carens obsoleti sordibus tecti, carens invidenda sobrius aula. Ne quid vero filii virtutibus obstet, quo minus emergat; paternæ æmulus eruditionis, Tuam, *Princeps*

ceps Sereniſſime, Benevolentiam, Tuam opem obnixe imploro. Rem facies Virtute & Bonitate Tua ſingulari digniſſimam, ſi benigno eum ſinu excipias, & in ſpem Friſiæ foveas. Et vero hereditario quodam jure exſpectat, ut, quo parentem, eodem ipſum Friſiæ conſecres affectu. Si quod eſſe debeat ingenuarum artium apud cultiores gentes præmium, ſi quis bene merentium de publico honos, æquum certe eſt, ut ad illorum liberos, qui rei immoriuntur communi; redeat, & parentum in iis virtus par hoſtimentum accipiat. Non potuit quidem *Gulichius* multis Friſiam ſibi demereri operis, & ingens Academiæ illuſtri allaborare decus, morte præreptus acerba: *ſatis eſſe debet, voluiſſe.* Volebat autem, ſi quis alius, ſerio pro ſe „ facere omnia, ut ipſius verbis utar, ad publicam utilitatem, „ ad quam ſunt omnia noſtra referenda. Compos ergo jam „ factus votorum ſuorum, nihil habebat aliud Deum im„ mortalem precari, quam ut Tuum, *Princeps Sereniſſime*, & „ *Illuſtrium ac Magnificorum Academiæ Procerum* in ipſo exornan„ do conſenſum, in perpetuum digne ſuſtinere ac perfer„ re ſibi liceret. Ingens illi cura & ſollicitudo injecta erat, „ ut memorem ejus animum induſtriâ ac vigilantiâ omni, „ in provincia ſibi demandata quam digniſſime exornanda, „ Vobis approbaret. Quicquid ipſius ars efficere poterat, „ id totum militabat ſtudioſæ juventuti. Nolebat ſibi ab ea „ parci. Pro modulo acceſſus, hauſturum quemque non „ modiis ſolum & trimodiis, ſed ipſo etiam horreo, ſincere „ promittebat. Promptitudinem, quam illorum & Reipublicæ cauſa attulerat, probari omnibus cupiebat. Liberaſſet ſane fidem, & tuliſſet tantis digna promiſſis, niſi manum mors præmatura injeciſſet. Nullius mihi major in docendo diligentia, nullius promptior erga doctrinæ cupidos & capaces voluntas, ſpectata unquam fuit. Gratus recordor illius temporis, quod ſub illius fideli ductu, & velut

in amoris, quo me singulariter dignabatur, amplexibus, studiis olim philosophicis tribui. Talem ergo cum in Frisiam intulerit animum, tales mores, tale propositum, tótus illi devotus, *longissimi temporis spatium voluntate quodammodo anticipasse, & sibi Frisiam, suisque devinxisse censendus est.* Me pietas, quâ colo defuncti manes, me amor, quo complector ejus orphanos, vi quadam sua compulerunt, ut Filii præcipue causam apud Te nunc, *Princeps Serenissime*, agerem, Teque illi Mœcenatem supplex exorarem. Est enim ingenui vultus puer, qui patrem quodammodo, ut Plinius loquitur, exscripsit. Ni meum me judicium fallit, naturâ illi inest multa ingenii vis, atque erectior indoles; quæ ritè & faustis nutrita sub penetralibus ad maxima quæque assurgere queat. Fortes creantur fortibus & bonis, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Doctrina sed vim promovet insitam, rectique cultus pectora roborant. Ne quid hac in parte desit, Tuo fieri potest, *Princeps Serenissime*, patrocinio. Te unum intuetur, ut suarum grande decus columenque rerum, satis beatus Te unico Patrono. Ut eum pro ingenio Tuo, pro fortuna exornes, in spem Frisiæ publicam, iterum iterumque, qua possum animi veneratione, rogo atque oro. Ea demum respublica florere optimè potest, in qua sublimiora ingenia foventur & evehuntur, ne deficiant, qui vel forum, vel Ecclesiam, vel Academias doctrina & sapientia illustrent. Extenderem pro ipso preces, *Princeps Serenissime*, nisi & Tu, qua es Benevolentia, rogari diu nolles; & quâ es Æquitate, *rogare eum efficacissime putares, qui reddit rogandi causas*; & qua es Bonitate, benefacias libenter quamplurimis. Facit ergo, cum causæ fiducia, tum Tua, *Princeps Serenissime*, Clementia, ut non dubitem, quin tributurus sis aliquid meis precibus, Tuis moribus, & futurus sis *optimi parentis optimæ spei filio* propitius, & velut aliquis tutelaris Deus. Neque igitur meam nunc de-

deprecari habeo audaciam, qui dum fidelis amici & grati discipuli munus obeo, Benevolentissimi Principis Benignitati materiam campumque præsterno; & dum erga præceptorem, erga Principem quoque justam testor pietatem. Ejus enim plures habeo, easque singulares omnino rationes, quæ mihi nisi ingratissimus omnium esse velim, imis semper defixæ debent manere medullis. *Celsissima Mater Tua* fuit, *Princeps Serenissime*, quæ me (postquam rarum illud & toto orbe celebratissimum femineæ virtutis & doctrinæ decus, atque exemplar, *Elisabetha, Princeps Palatina*, sub qua prima posui sacræ militiæ tyrocinia, superas evaserat ad auras) sibi, *altera Heroina*, depoposcit verbi divini præconem atque interpretem, & prima in Belgium, orbis illum ocellum, qui mihi terrarum præter angulos omnes ridet, ex Germania revocavit. Non poteram non venerari *Tantæ Principis* voluntatem, quam maxima erga Ecclesiam merita, & singularis, tam in exequendis fortissimè, quam in pervidendis sagacissimè iis omnibus, quæ ad Frisiæ libertatem & felicitatem salvandam tuendamque pertinerent, prudentia & constantia, æquat priscis Deboris & Batsebis, & quicquid unquam ferè fuit inter Principes, non tantum feminas, sed & viros, excellens. Subductis itaque rationibus, obsequendum erat. Atque ita non *Celsissimam* tantum *Matrem*, sed Te quoque, *Princeps Serenissime*, Humanitate ac Benevolentia plenum expertus sum. Cujus illud maximum habeo argumentum, quod mei quoque, licet nec ingenio nec eruditione præpollentis, memorem tum fuisse novi, quando successores destinandi erant iis stationibus, ad quas vix adspirare, si meo me pede metior, audeo. Facilius mihi est, *Princeps Serenissime*, debitas pro tanta Benevolentia gratias animo habere, quam digno sermone dicere. Sed & olim mola tantum salsa litabant Diis, qui thura non

habebant, nec ulli erat vitio Deos colere, quoquomodo posset: gratiorque existimabatur, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen inferret. Committere ergo non debui, nec sine ingratitudinis nota potui, *Princeps Serenissime*, ut non publice Benevolentiam istam erga me Tuam deprædicarem. Etenim ingratus supra modum, & Tanti Principis gratiâ indignus meritò videri possem, si non cum summâ observantiâ primam quamque captarem occasionem testificandi, gratias animus meus quam multas habeat, quam plures debeat. Et si vel nullo mihi cognitus esses privo beneficio, *Princeps Serenissime*, ob publica tamen in rem communem merita, cum hereditaria illa, cum ea quibus cottidie inclarescis ipsemet, suspiciendus mihi & colendus esses. Si quæ alia, *Nassaviorum* certe atque *Arausionensium Principum Illustrissima Nomina*, venerari orbis Christianus, celebrare læto in omne ævum præconio Belgium præcipuè debet. Tu vero, *Princeps Serenissime*, non contentus avitâ & paternâ gloriâ, hoc demum Principale putas, famam extendere factis, & imaginum splendorem virtutis honore tueri. Quod nulla re constare potest melius, quam unanimi illorum judicio, quorum lætitiæ & felicitati præsides. Ita Te certatim amant, ut si ex omnibus eligere Principem deberent, Te proculdubio eligerent, quem omnes, non tam supra se esse, quam pro se sciunt. Eo enim temperamento potestatem Tuam fortunamque moderaris, ita rempublicam geris, ut cogites *rem populi, non Tuam esse:* & eadem sede morentur, *eodemque foro utantur, Principatus & Libertas.* Manet honor legum, nihilque ex publica utilitate convulsum, *leges omnibus, nemo legibus imperat.* Proceres eandem auctoritatem præsente Te, quam absente retinent. Quin & plerisque ex eo reverentia accedit, quod Tu quoque illos reverere. Sacro-

crorum Antiſtites gaudent intemeratis Eccleſiarum in his terris juribus; modo ne involent ſuperbo in Majeſtatem Imperii auſu; vel orthodoxiæ, unionis, charitatiſque leges protervè violent. Noſti enim, *Princeps Sereniſſime*, ab Eccleſiæ finibus longiſſime arcendam eſſe inhumanam illam vocem, *Stet pro ratione voluntas.* Chriſti unius legibus ſtandum hic & cadendum omnibus ex æquo; hocque ſolum negotii datum Magiſtratibus, ne earûm reverentia vileſcat. Cùm civibus denique, ut cum liberis parens, vivis; & quam *Marco Imperatori* Herodianus laudem tribuit, quod παρεῖχε τοῖς ἐρχομένοις ἑαυτὸν ἐπιεικῆ καὶ μέτριον βασιλέα, τούς τε προσιόντας δεξιούμενος, κωλύων τε τοὺς περὶ αὐτὸν δορυφόρους ἀποσοβεῖν τοὺς ἐντυγχάνοντας, *præſtiterit ſe ſubditis civilem & commodum Principem, & quoſvis accedentes exceperit, neminemque à ſuis ſtipatoribus prohiberi aditu paſſus fuerit*., eam quoque Tuam facis. Itaque perinde ſummis atque infimis carus es, inque Tui unius ſalutem collata ſunt omnium ſecunda omina, & certantia vota: cum ſibi ſe, ac liberis ſuis intelligant precari, quæ pro Te precantur. Hac ratione Te *civium pietas atque amor, Te libertas ſuper ipſos Principes vehunt*, & caritate ita ſeptus es, ut alio munimento non indigeas. Quod ſupereſt, *Princeps Sereniſſime*, calidis Deum precibus poſco, ut Tibi in Chriſto propitius ſit, ut Spiritu Te ſuo ducat, ut magis magiſque ſanctificet, ut ſalutaria ſemper conſilia, ut optatos exitus elargiatur: ut ſis porro Friſiæ decus, Libertatis ac Religionis præſidium, nihilque putes magis curâ & cognitione Tua dignum, quam ſcire, quomodo Dei gloriæ ſua conſtet in terris incolumitas, ſua Dei veritati, ſua regno Chriſti inter ſubditos Tuos dignitas: ut ſemper Te in regni adminiſtratione Dei miniſtrum præſtes: ut ſis vir dexteræ ipſius, &, in ſummam ut vota mea contraham, *Te perpetuo Deus, Tu Deum, Tu populum vere & conſtanter ames*, poſtque lon-

gissimam ætatem, Te *tandem ardens ad æthera virtus evehat.* Vale ita longum, *Princeps Serenissime*, Ecclesiæ & Reipublicæ bono: *Fave, cujus nunc mihi causa agenda præcipue est, Gulielmi filio:* Fave mihi

SERENISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ

Dabam Daventriæ ex Museo meo tertio Nonarum Februarii, Anno cIↃ IↃC LXXXIII.

Devoto ad humillima & pia quæque obsequia

HERMANNO ALEXANDRO RÖELL.

PRAE-

PRAEFATIO

Ad Benevolum & Prophetiarum Studiosum Lectorem.

ANimus erat, Benevole Lector, *longiori tempora Tua praeloquio morari. Neque enim ingratum Tibi lectuve injucundum accidere posse videbatur, si, antequam de hocce ingenii industriaeque* Gulichianae *monumento quidquam diceremus, ipsum prius* Gulichium, *vitam ejus laboriosam, moresque sanctissimos ceu in brevi tabella heic repraesentaremus. At vero nec per operas, nimis, ob instantes Nundinas, urgentes id jam licet, neque a rebus quoque nostris tantum nobis nunc est otii. Servamus id alii occasioni & tempori. Tantum verbo monebimus, quae hoc maxime, quod prae manibus est, Opus spectant. Cl.* Gulichius *noster, cum ante hos duodeviginti annos Lugduni in Batavis per otium versaretur, intelligeretque, viam & rationem interpretandi Prophetias, quam insistebat Vir Maximus* Johannes Coccejus, *multis, etiam fama & meritis illustribus Viris probari ac laudari, horum ille exemplo, tum rei ipsius praestantia atque dignitate incitatus, instituit his, quae summus iste Scripturarum Interpres ad libros utriusque Testamenti Propheticos commentatus erat, penitius cognoscendis peculiares aliquas horas dare. Ea occasione animum induxit Cl.* Gulichius, *quae Magnus* Coccejus, *ut fieri oportet in analysi, prout in textu sacro singularia occurrebant, inter se segregata occupaverat, ea omnia conjunctim, divisa temporibus, & una rerum serie digesta, componere, atque ex his omnibus in unum tandem conflatis totius Ecclesiae res gradibus suis processibusque distinctas, inde a prima mundi origine ad consummationem usque seculi continuo filo deductas atque demonstratas dare. Huic Cl.* Auctoris *instituto convenientissimum videbatur, quae Cl.* Coccejus, *cujus in his omnibus mentem fideliter tantum referre atque illustrare volebat* Noster, *in Commentariis Propheticis fusius pertractaverat & deduxerat latius, ea contrahere, verbisque, quam fieri posset, paucissimis complecti, suo quaeque loco ut brevia quaedam scholia inserenda. Atque hinc quod vides,* Amice Lector; *natum est Opus; privatis illud destinatum usibus, & ad perficiendam commodius, quam animo jam deformaverat,* Theologiam Propheticam *unice comparatum. Opus quod hac forma atque habitu nunquam extra scrinia sua prodire sivisset beatae memoriae* Gulichius. *Et sane, si votis Ejus obsecundatum fuisset, neglectum aetatem abjectumque reliquas inter schedas Ejus remansisset, blattis tineisque pabulum. At intercesserunt Viri rerum harum intelligentes, quorum judicio atque auctoritati* Noster, *dum in vivis erat, plurimum tribuebat. Hi tollendum jure hunc ingenii foetum, & ad publicum Ecclesiae ac rei literariae, studiique inprimis Prophetici egregium omnino educandum rati. Exhibet enim hic, ut ut mole*

mole sic satis exiguus, liber omnium utriusque Testamenti librorum Propheticorum Compendium *partim, partim vero etiam* Analysin, *ita ut merito* מבוא הנביאים *sive* Introductionis Propheticae *nomen ferat. Tum item Medullam continet eorum, quae Cl.* Coccejus *ad intellectum Prophetarum voluminibus aliquot diffusa posteris reliquit; ut ita, qui jam Prophetias hoc tanto Duce didicerunt, habeant quo admoneantur, & qui non didicerunt quo instruantur. Quanquam & non pauca inter legendum observabit quivis, quae suo sibi jure ὁ μακαρίτης noster vendicat. Patebit item alius Operis hujus usus insignis, ubi publicae luci dabitur* Indiculus *omnium locorum, quae Cl.* Gulichius *e scriptis Propheticis collegit inservitura demonstrationi eorum, quae implenda restabant ab excidio Urbis Hierosolymae & Templi, ad id usque beatissimum seculum, quo omnia regna erunt Dei & Christi ejus. Duplices in Psalmis heic offendes numeros,* Candide Lector; *illorum quosdam scias velim Analysi, quosdam vero Ordini rerum denotando inservire. Qui ad Analysin pertinent, hos omnes in contextu ipso locavimus, caeteris, quibus Ordinem rerum indicare voluit Cl.* Auctor, *ad marginem rejectis: quorum usum docebit is maxime, quem diximus,* Indiculus *alter* Theologiae Propheticae *parti subjungendus. Caetera religiosissime secuti sumus* αὐτόγραφον, *& ne hilum ab eo recessimus, nisi gravissimis rationibus moti, & collata prius re cum Viris Doctissimis, inque iis Magni Cocceji Magno Genero D.* Guilielmo Anslario, *Ecclesiae Amstelodamensis Pastore dignissimo, qui plurimum ad Operis hujus atque Editionis elegantiam contulit. Et licet id quoque omni cura egerimus, ut quam emendatissimum prodiret, abesse tamen haud potuit, quin, ob innumera quae occurrebant in* αὐτογράφῳ *scriptionis compendia sive abbreviaturas, etiam non pauca in typis digerendis committerentur* σφάλματα, *quae quamvis a nobis emendata, typothetae incuria aliquando neglexit. Ea omnia accurate congerere hoc tempore non licuit; pauca haec, quae chartas has denuo percurrentes deprehendimus, enotasse contenti; de caeteris, quae properantes oculos nostros effugerunt, si graviora, Te alias monituri. Quod si denique coeptis nostris Te favere intellexerimus,* Benevole Lector, *proxime dabimus, praeter alteram* Theologiae Propheticae *partem,* binas *Auctoris nostri* temporum Oeconomias: *priorem e Cantico Mosis, Salomonis, Daniele & Apocalypsi Johannis; alteram e duodenis Prophetis assertam, &c. atque omnia etiam Ejus* Philosophica. *Vale.*

ORDO

ORDO RERUM FUTURARUM
EX ULTIMIS
M O S I S.

DEUTER. CAP. XXIX.

1. 
OSIS verba etiam àd conversionem gentium prædicanda. c. 29: 14. 15. 30: 8.

2. Abductio x Tribuum in Iberiam, Colchos & Mediæ civitates: quibus gentibus ita coaluerunt, ut nusquam compareant eorum reliquiæ.

Punita in ipsis est defectio à fœdere, manifestata per recessionem à symbolis fœderis, quæ dederat Deus Hierosolymis.
Ita verificata est comminatio, quæ est Deut. 29: 18. 19. 20.

3. Separatio inobedientium ac defectorum ab omnibus Tribubus Israëlis, dum Christum confitentes declarati sunt ἀποσυνάγωγοι. Joh. 9: 22. & tandem Apostoli, post diuturnam vocationem Judæorum, discipulos vocatos ex Judæis & gentibus separarunt à Judæis.

Punitus in ipsis est cultus Deorum gentium & radix illa fructificans venenum & absinthium, quum sibi in duritie cordis sui ambulantibus, & ea facientibus, quæ caro sapit & studet, opera legis ceremonialis, appropriarent pacem, & satiatam promissionis exhibitione redigerent in ordinem sitientis. ℣. 18—21. 25. 26.

4. Consecuta mala, plagæ & morbi terræ: Sulfur, sal & incendium, futura Divinæ iræ signa tanquam à fulmine cœlesti: ac desolatio tanta, ut non seminetur, & non germinet, & non crescat, ut olim, ulla herba in eâ, vel corporalis, vel spiritualis: secundum eversionem Sodomæ & Gomorrhæ, &c. ℣. 21. 22. 23. Pœnæ spirituales his subintelliguntur. Notatur etiam ejectio & exilium Judæorum extra terram. ℣. 28.

5. Conversio gentium occasione rejectionis Judæorum. ℣. 22. in satietate ℣. 19. & revelatione eorum, quæ veteribus erant abscondita, vers. 29.

6. Publicatio judicii Judæorum apud omnes gentes, cujuscunque religionis sint, ut certò statuant, Judæos tanquam fœdifragos puniri. ℣. 24. 25.

7. Posterorum ex Judæis animadversio & conversio ad Deum. ℣. 22.

CAP. XXX.

Antecedentia signa adventus Christi.

1. B*enedictio*, id est, victoriæ de Cananæis, regnum tribus Judæ cum multiplici abundantia, cum datione quietis & templi; item מחקק legislator, id est, Senatus urgens observationem legis. ℣. 1.

2. *Maledictio*: quâ totus populus cum templis suis & cultu suo ad tempus rejectus fuit. *Primò* in abductione X Tribuum. *Secundò* in captivitate Babylonicâ, quâ ablatum est Sceptrum à Juda. ℣. 1.

3. Illuminatio exulum ad animadvertendum, hanc maledictionem sibi secundum verbum Dei evenire, & pœnitentia. ℣. 1. 2. Exemplum est in Daniele c. 9. & sociis ejus, item in Sorobabele, Esra, Nehemia, & iis, qui cum illis consenserunt.

4. Exulum restitutio in terram, & recollectio in locum & sensum unum, ut unum altare ac templum frequentent, & sub uno Senatu sint. ℣. 5. 3.

Signaculum hujus recollectionis facit Spiritus recollectionem ultimam Judæorum & gentium à Deo per hæreses & impietatem Antichristi abductarum, ad Deum sub regno Christi. ℣. 4.

5. Beneficia in populum recollectum. ℣. 5. Talia sunt: reædificatio templi, civitatis & murorum ejus cum institutione Senatus. Neh. 11 : 1. Tum ablatio servitutis & dominii gentium: denique & fœdus cum Romanis, cujus effectus erat regnum Herodis & Herodiadarum, & bona, quibus sub ipsis respublica fuit aucta: unde vulgo insedit opinio, Romanis se omnia debere. Hos. 2 : 7.

6. Amplificatio populi recollecti præ patribus ipsorum. ℣. 5. Intellige eum tum *respectu numerositatis* insulitatæ, tum *ratione subjugationis* gentium vicinarum, nunquam à majoribus subactarum, aut saltem non ad fœderis communionem adductarum; tum ratione *regni Sacerdotum* ac libertatis, quæ erant cum majore gloria, quia in totam terram, & in populum ita auctum, & vicinis populis per colonias mistum, & partem reipublicæ in iis habentem. Tum *respectu libertatis intestinæ*, quia major erat, quam olim, Synedrii auctoritas; nullum enim erat inter populum schisma, & innumerabiles erant proselyti. Denique & *ratione venerationis*, amicitiæ ac protectionis *gentium* major erat gloria hujus, quam prioris.

7. Adventus Christi in carne, & connexum beneficium, circumcisio cordis, ad amandum Deum ex toto corde & ex totâ animâ. ℣. 6.

Consequentia adventum Christi.

1. Passiones & persecutiones fidelium. ℣. 7. mentio enim ibi est *hostium* & *osorum* Israëlis, circumcisi corde, qui persecuturi sint eum. Intellige *primò* Judæos. *Secundo* Romanos gentiles. *Tertiò* hæreticos.

2. Animadversio Dei in hostes Ecclesiæ, & immissio omnium exsecrationum in eos. ibid. Hujus generis sunt
   - (a.) Destructio Politiæ Judaicæ populique induratio.
   - (b.) Imperii Romani gentilis destructio.
   - (c.) Traditio hypocritarum ad credendum mendacio, in admittendis tum aliis hæresibus, tum jugo Antichristi, cujus multæ plagæ descriptæ sunt.

3. Piorum, sæpenumero communibus erroribus & judiciis hostium implicatorum, excitatio ad pœnitentiam per ea. ℣. 8.

4. Pœnitentiæ remuneratio per beneficia non tantum spiritualia, sed & corporalia. ℣. 9. Ea benedictio Ecclesiæ admittit hanc partitionem, ut sit
   - (a.) Benedictio in ædificatione proximi, & in laboribus honestæ occupationis ad hanc vitam tolerandam comparatis. Id *opus manuum* est.

(b) Fer-

(b.) Fertilitas uteri & animalium & terræ. Subintellige verò copiam liberorum ad cognoscendum nomen Domini, & amplificatio Ecclesiæ: & laborantium in Ecclesia, eamque sustentantium procerum ac regum: denique & cum abundantia necessariorum pacem ab hostibus.

CAP. XXXI.

1. INtroductio populi in terram per Josuam, filium Nun. ℣. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 20.
2. Populi impinguatio in terrâ. ℣. 20.
3. Defectio & Idololatria populi. ℣. 16. 18. 20. 21. 27. 29.
4. Punitio populi in desolatione Templi primi. ℣. 17. 18. 21. 29.

Notatur hic, Canticum Mosis ipsis fore in testem in ore ipsorum, quod propter defectionem à Deo sint puniti. ℣. 21. Cæterum Ordinem hujus Prophetiæ vide apud Cl. COCCEJUM Consid. ad h. l. §. 657.

CAP. XXXII.

1. ADauctio posteritatis Israëlis in tantum numerum, ut æquarent tot gentes, quot erant numero filii Israëlis. ℣. 8.

2. Electio Jacobi in tantum numerum adaucti in populum. ℣. 9. Ejusdemque visitatio in deserto, eoque vastissimo & tristissimo, & circumvallatio, institutio & conservatio accuratissima, excubatio pro eo ad locum quiescendi & tempus ac modum itineris indicandum, protectio adversus incommoda, supportatio. ℣. 10. 11.

3. *Impinguatio* populi. ℣. 15. Convenit benedictio in fructibus terræ opimis, qui enumerantur ℣. 13. 14. Convenit id in tempus Judicum.

4. *Recalcitratio* populi. ℣. 15. Ea facta, quando contra interdictum Dei altaria & imagines instituerunt, quod sub Judicibus fieri cœpit, & à Jeroboamo & privatis, ut & in Judæâ continuatum est.

5. *Incrassatio populi.* ℣. 15. Convenit, quando fecit eum Deus insidere arcibus terræ, id est, regnum ei dedit. ℣. 13.

6. *Omissio Dei factoris sui.* ℣. 15. Hujus criminis maxime reus fuit Achab, qui Baälem coluit.

7. *Coopertio ejus adipe.* ℣. 15. Convenit id in tempus illud, quod captivitatem Babylonicam secutum est, quando populus *major factus est patribus suis.* c 30: vers. 5. Tunc maxime factum est, quod est ℣. 14. f. ubi directe in tempore præsenti compellatur generatio istius ætatis.

8. *Ignominiosa tractatio rupis salutis.* ℣. 15. Id commissum in Christo. Hujus causa in superioribus hujus Cantici est defensa.

9. Electio labis populi in filios. ℣. 5. Discipuli Christi vilissimæ sortis homines, ex Galilæâ fuerunt.

Consequentia adventum Christi.

1. *ÆGritudo filiorum & filiarum Dei*, quam passi sunt à Judæorum tum persecutionibus, tum florenti statu, quatenus is videbatur præjudicium facere Christianorum causæ apud infirmos.

2. Tolerantia Dei erga Judæos, ad experiundam ac demonstrandam ipsorum contumaciam, per tempus aliquod continuata. ℣. 19.

3. Abruptio tolerantiæ Dei, & ablatio beneficiorum illorum, quæ Israëli, ut populo peculiari concedebantur. ℣. 19. Includitur his 1. *Occultatio faciei divinæ ab ipsis*, ut Deum etiam legentes Scripturas non cognoscant. ℣. 20. & c. 31: 17. 18. Diuturnitas hujus derelictionis ostenditur istis, *videbo quis sit finis ipsorum*, donec sc. Deus & homines experimentaliter cognoscant, ipsorum vias tendere ad exitium. 2. *Provocatio ad zelum per non populum.* ℣. 21. ut discant zelare pro gloriâ Dei per gentes. 3. *Vexatio & conculcatio per gentem stultam*, Dei & sapientiæ ipsius ignaram, quales Romani.

4. *Destructio terræ & montium cum fructibus & fundamentis eorum.* v. 22. ut destructa Hierosolyma in montibus sita, & concremato templo. Amplificatur ea destructio per pœnas concomitantes, *tela* Dei universa ipsis immittenda. ℣. 23. quæ numerantur, *fames*, *mortalitas*, *pestis dirissima*, *bestiæ*, & *serpentes* ℣. 24. *gladius* nulli parcens vel sexui vel ætati, terrore domestico etiam in gladios propellente. ℣. 25.

5. Conservatio gentis & sectæ Judaïcæ, quantum ejus extra terram licet. ℣. 26.

6. *Ægritudo*, id est, persecutiones Christianis à gentibus, incitante *inimico*, id est, Diabolo, inferendæ. ℣. 27.

7. *Abalienatio* ejus, quod soli Deo adscribendum erat, tanquam judicii in Judæos, alii, ut Jovi Capitolino, facta ab *hostibus* sive *oppugnatoribus* Judæorum Romanis: qui eandem ob causam aptum judicabant, servare Religionem majorum, & nomen Christi opprimere. ℣. 27.

8. *Justificatio* causæ Christi & Ecclesiæ per fugam idololatrarum, & quidem mirabilem, *uno mille persequente, & duobus myriadem fugantibus*, id est, per paucorum discipulorum Christi verbum & sanguinem totum propemodum orbem in Christianum nomen adduci. Ita *inimici* Christi & Ecclesiæ *facti sunt ejus judices* & patroni, quamvis revera manerent id, quod erant, nim. *inimici*. ℣. 30. 31.

9. Hæreticorum jactantia, quasi ipsi sint ille populus, cui Deus regnum decreverit, quando per ipsorum manum deleta sint idola. ℣. 27.

10. Arrianorum de Christo, & pseudo-Prophetarum de suo Papâ iniqua Deoque indigna opinio: illorum quidem Christo, non Deo summo; horum verò Papæ, mero homini, opera Divina, tanquam Judæorum abolitionem, Ecclesiæ inter gentes propagationem, persecutionis sublationem, &c. adscribentium. ℣. 27.

11. Revelatio *vitis*, id est, Ecclesiæ alicujus, sive societatis hominum confœderatorum sub certo capite, qui ab eo ceu palmites dependeant. Ea vitis *ex vite Sodomæ, & agris Gomorrhæ* dicitur esse, quia non ex cœlo, sed ex terrâ, & studio earum rerum, quibus Sodoma & Gomorrha olim operam dederunt, suam habet originem. *Uvæ ejus felleæ*, id est, homines istius societatis, quamvis vitam aliquam & fructum ostentent, tamen cum suis factis jacent in felle, neque satiare appetitum fidelium possunt. *Vinum eorum*, id est, doctrina, quæ debebat lætificare & vivificare, *venenum draconum & aspidum* contristans & enecans est. ℣. 32. 33. In his est Papæ subvectio in Monarcham & caput Ecclesiæ.

12. Certamen Ecclesiæ cum vite peregrina, per redargutionem ejus, quæ vers. 32. & 37. repræsentatur.

Diuturnum id certamen fore, ordo rerum, à fuga Idololatrarum, usque dum pœ-

pœnitudine afficiatur Deus super servis suis, id est, à ℣. 30. usque ad 36. ostendit. Imo usque ad *effusionem sanguinis & profusionem bonorum* id certamen perventurum, docetur à Mose vers. 37. & 43.

13. *Nutatio pedis hostium*, vers. 35. cum, spretâ auctoritate Papali, Euangelium æternum prædicatum est, cum eo eventu, ut multi à communione Papæ secederent, & tandem Ecclesiæ, extra cœtum Pontificiorum constitutæ, pacem acciperent, desperantibus de victoriâ hostibus. Quæ Ecclesiæ separatæ à communione Antichristi constitutio in *populum* est. vers. 36.

14. Ecclesiæ sic separatæ ingratitudo & depravatio. Eam enim infert *judicium* vers. 36.

15. Ecclesiæ castigatio vers. 36. *per judicium* significata. Cujus modus hic est, ut *manus abeat*: Item ut sit quidem aliquid tantum *coarctatum*, hoc tamen coarctatum, quia *relictum* ab omni manu & auxilio sit, *nihil* sit, id est, sit in summo discrimine, & tantum non perierit.

16. Effectus hujus castigationis in hostibus Ecclesiæ, ut judicent Ecclesiæ causam malam fuisse, passiones illius non fuisse sacrificia Deo grata, sanguinem illum fuisse Diabolo profusum, non Deo: revera Dei socium ac vicarium agnoscendum esse, & quod vitis Sodomæ sit plantatio Dei. vers. 37. 38.

17. Auxilium Ecclesiæ datum. vers. 39. Hujus auxilii Ecclesiæ ferendi causa est *pœnitudo Dei super servis suis.* vers. 36. id est, voluntas reddendi mercedem iis, qui ab initio Deo servierunt.

18. Plenaria vindicta sanguinis martyrum ab hostibus, quam cito vers. 35. & cum castigatione Ecclesiæ peragendam ostendit vers. 41.

Modus vindictæ est etiam in effusione sanguinis hostium, vers. 42. 43. Distinctè autem Moses nominat *sanguinem exanimati* in bello, & *sanguinem captivitatis*, id est, eorum, qui in potestatem hostium venerint.

Hostis, à quo vindictam Deus sumet, vocatur *caput pilosum inimici.* Ita Antichristus rectè vocatur, & nomen & responsum *capitis* in Ecclesia sibi arrogans: quique multos populos ceu *pilos* & *cæsariem* à se habet dependentes. Idque *inimici* caput est, quia oppositum Christo.

19. Prædicatio Euangelii apud plurimas *gentes*, cum eo effectu, *ut eæ fiant populus Dei.* vers. 43. Hujus autem rei hic ordo ex verbis Mosis demonstrari potest, ut

(a.) Judæi excitati sanatione ac tranquillatione Ecclesiæ, etiam sibi petant salutem dari, & terræ suæ, expurgatis scandalis & peccatis, etiam inhabitationem gloriæ, & ut ei terræ restituantur, orent. vid. *Ps.* 85. 2. 3. 4. 9.

(b.) Ut per Judæos ad Deum conversos reliquæ gentes ad cantum vocentur, ut agnoscant, Deum ipsorum terræ esse propitiatum.

20. *Vivificatio mortuorum* in prævia vivificatione ex erroribus & tristitiâ, vers. 39. & consummatio sæculi, vers. 22. *in prævia inflammatione montium*, ceu certis rerum futurarum signaculis, indicata.

C A P. XXXIII.

1. Visitatio populi in deserto cum myriadibus sanctitatis & igne legis, ut acciperet Moses legem, quam præciperet filiis Israël. vers. 2. 3. 4.

2. Sponsio & intercessio Christi pro populis, & conservatio sanctorum suorum, & loquelæ, id est, postulatio hæreditatis à Patre, cum oblatione sui corporis in consilio æterno pacis. vers. 3.

3. Visitatio secunda populi in carne. vers. 3. Jesum Christum manifestatum in carne vers. 8. describit Propheta à duplici natura; *Una*, secundum quam *integritas* exacta amoris Dei & fratrum secundum legem Dei ei tribui possit; secundum quam etiam *vir*, id est, homo, *studiosus Dei*, qui, quod rectum est in oculis Jehovæ, intensissime vult & facit, dici possit; *Alterâ*, secundum quam *Luces*, id est, omnimoda lux, id est, veritas & sanctitas & majestas Divina ipsi verè tribui possit.

4. *Manifestatio regni* Christi prima, *in congregatione capitum populi*, eorum sc. per quos populus redemptus crediturus erat, per effusionem Spiritus S. in eos. vers. 5.

Circumstantia proxima manifestati regni Christi notatur, *congregatis una tribubus Israëlis*. vers. 5.

5. Conservatio reliquiarum ex populo, mortis & excidii reo, qui viderat filium, vers. 6.

6. Reassumptorum ex populo deductio ad populum suum, cohæredes gratiæ ex gentibus. vers. 7.

7. Accusationes & oppugnationes veritatis in gentibus. vers. 7.

8. Petitio pro Christianis, ut Deus eorum causam ad conscientiam cujusque justificare, & ipsis auxilium ab oppugnatoribus ferre velit. vers. 7.

9. Succedit ætas Ecclesiæ laudata ab eo, quod patrem, matrem, fratres ac filios propter nomen Christi abnegarent, quia verba Dei, & fœdus ipsius retinere studebant. Pro iis orat, ut Deus ipsis prophetiam, sacerdotium ac regnum confirmare, & nominatim, ut patientiam & laborem ipsorum *acceptare*, & largâ mercede remunerari velit. vers. 9. 10. 11.

10. Protectio Ecclesiæ, & tandem cum terrore hostium, & fugâ eorum habitatio ac demonstratio gloriæ Divinæ super eâ. vers. 12.

Pro eâ orat, ut porro cum tali majestate securè super ipsam habitare velit, ne scilicet regnum Diaboli manifestum restituatur in locis illis, unde id expulsum erat.

11. Ubertas & pax Ecclesiæ in Imperio Romano: quando sane optimas & fertilissimas habuit mundi regiones, Asiæ partem magnam, Syriam, Palæstinam, Mesopotamiam, Asiam minorem, Ægyptum, Græciam, Italiam, Hispaniam, Galliam. Et ipsum *caput montium* Romam, habentem principatum mundi, obtinuit. vers. 13—16.

Primogenito tauri ejus, primo principum onus populi portantium, Constantino Magno *majestatem* regiam, & *cornua monocerotis*, potentiam bellicam, contundentem ubique adversarios, attribuit. vers. 17.

Hic acceptatio operis, pro quâ oraverat vers. 11. prædicatur impetrata, quando dicit. *Et gratia habitantis rubum*. Sic terra Josephi. vers. 16. colo 2.

12. Divisio Ecclesiæ, mundi Dominæ, in duas familias, *Ephrajimum*, Occidentem, posteriorem quidem, sed numerosiorem & potentiorem; & *Manassen*, vetustiorem quidem, sed minus abundantem, aut certe diminutum. vers. 17.

13. *Præconium populorum jubentium venire ad montem*, id est, ad regnum aliquod hominum & [illegible], & ad cathedram, cujus locus sit Roma in montibus sedens. vers. 19. add. vers. 11. f. & vers. 21.

14. Egres-

14. Egressus seminis sancti ab iis, qui montem prædicant, & ad eum vocant, vers. 18. & congregatio in tentoriis.

15. Persecutio, & sacrificatio sacrificiorum justitiæ, seu manifesta abnegatio omnium carorum, atque adeo ipsius vitæ. vers. 19. Competit hoc in Waldenses, item Wiclefi & Hussi discipulos, qui aperte semper Antichristi dominationi contradixerunt.

16. *Portio legislatoris incrustata* ab ipso occupata, postquam egredi ab ejus communione cœpisset Ecclesia. vers. 21.

17. Certamen Ecclesiæ egressæ cum regno legislatoris incrustati.

Difficultatem hujus certaminis vide, quod 1. in angustiâ & parvo numero: 2. cum parvâ communione. 3. cum Imperatoribus, regibus & magistratibus ipsi res fuerit. vers. 20. 21.

Modum, quod *adierit capita populi* in tribunalibus, comitiis, &c. quodque *justitias Jehovæ fecerit*, veritatis rationem reddiderit, falsitatem confutaverit, & cum illâ confessione animas suas in manus Dei deposuerit. vers. 21.

18. Felicitas certaminis, in *dilatatione* in numerum, & liberatione ex angustiâ; in *laniatione* tum *brachii* potentiæ mundanæ, tum *verticis* sive capitis ipsius, quando ei auctoritas sua adempta est; denique & propagatione *Judiciorum Dei ad Israëlem*, id est, impletione terræ â cognitione Jehovæ.

19. Castigatio & disceptatio Dei cum populo suo. vers. 22. Fuga & exilium fidelium è locis suis hic indicatur.

20. Ablatio castigationis Divinæ ab Ecclesiâ, ut *satietur gratiâ*, condonatis ipsi peccatis. vers. 23.

21. Ejusdem multiplex benedictio & largitio bonorum tum spiritualium, tum temporalium. ibid. Est sane jam in mundo populus, qui id teneatur agnoscere.

22. Amplificatio Ecclesiæ versus occasum, vel à mari, & in meridie. ibid.

23. Ecclesiæ ultimi temporis benedictio præ omnibus filiis Israëlis anterioribus vers. 24. De eâ speciatim prædicat Spiritus.

(a.) Abolitionem dissidii fratrum. vers. 25.

(b.) Abundantiam fructuum terrenorum, vel etiam charismatum Spiritus S. ib. & omnium bonorum. vers. 28.

(c.) Insuperabilitatem, ibid.

(d.) Perpetuitatem loquelæ. ibid.

(e.) Auxiliationem, potentem conservationem Ecclesiæ, & subactionem hostium. vers. 26. 27. 29. hactenus saltem, *ut inimici ejus mentiantur ipsi*, id est, abnegato odio, se ejus amicos profiteantur, & ipsa *calcet arces terræ*, id est, ad minimum Euangelium ubivis in terrâ hostium liberè prædicetur. vers. 29.

(f.) Hæreditationem seminis Jacobi carnalis. vers. 28.

ORDO

ORDO RERUM
FUTURARUM
EX
PSALMIS DAVIDIS:
Plerorumque verò ANALYSIS.

PSALMUS I.

PSalmus Primus diſtinctè hæc continet:
1. In ſcenam introducit *Improbos*, id eſt, juſtitiam Dei non habentes, adeoque nec cognoſcentes, inſipientes, cœcos; quibus tribuit *Conſilium* de viâ ſalutis, verſ. 1. Cum iis *primò* fidelibus res fuit in Judæâ.
2. *Peccatores*, ἁμαρτωλοὺς, qui cum Deum & Chriſtum ejus non cognoſcant, figmentum ſui cerebri colunt, tenduntque omnibus ſuis actionibus ad id, quod non eſt Deus. Ii Philoſophi gentiles, cum quibus *ſecundò* Chriſtianis res fuit, poſtquam Improbitatis doctores in Judæâ ceſſerunt. ibid.

3. *Irriſores*, qui ſeſe convertunt ad id, quod ipſis placet & pulchrum eſt, adeoque propriæ ſapientiæ opinione alios præ ſe contemnunt, & veritatem habent pro ludibrio. Iis tribuit *cathedram*, in quâ *ſedeant* ad docendum & judicandum. Cum iis *tertiò* Chriſtianis fuit negotium, poſtquam Romani idololatræ fugerunt. ibid.

4. Sunt interim, quorum in lege Jehovæ, quæ eſt de fide in Salvatorem explicata in Scripturis, voluptas eſt, quique illam legem Dei cordi habent ac meditantur in omnibus ſuis actionibus, verſ. 2.

5. Fiunt, ut *arbor faciens fructus* ὁλοκλήρους, pulchros, venuſtos, ſuique ſimiles, & quidem *feliciter*, utpote bono ſemine, verbo Dei, & vi vitali Spiritus Sancti, auctos, verſ. 3.

6. *Non ſtant Improbi in judicio*, dum judicantur in ſuâ & aliorum conſcientiâ ex verbo Dei: Tandemque etiam ſingulari Dei providentia ſeparantur juſti ab illorum cœtu, ut habeant עדה πανήγυριν & ἐκκλησίαν propriam, in quâ habeant communionem inter ſe per Spiritum charitatis, verſ. 5

7. *Non ſtant Improbi* vel *peccatores*, qui judicati non ſteterunt in judicio, *in Concilio juſtorum*, ſed exturbantur in tenebras exteriores, ubi eſt ploratus ex cruciatu, & frendor dentium ex fruſtratione conſiliorum & invidiâ; *Et via Improborum peribit*, verſ. 5. 6.

PSALMUS II.

PSalmus Secundus docet Chriſtum unctum in regem ſuper monte Sancto Dei, tum & ejus oppugnationem, & gloriam ſedentis in throno, & judicium in hoſtes commemorat.

1. *In*

1. *In unum ſeſe colligunt gentes*, Judæi gentili animo præditi cum Gentilibus, & *nationes*, Idumæi & Judæi omnium tribuum, *cogitant vanum*; *ſiſtuntque ſe reges terræ*, illi, qui in illâ republicâ, quæ habet regnum Dei, quaſi loco Dei regimen exercent, &, qui ab illis proximi ſunt, *principes*, ut Herodes & alii, *concilium agunt* inter ſe conſilia communicaturi *unà*, *contra Jehovam & contra unctum ejus*, ad eum necandum. verſ. 1. 2. confer *Act.* 4: 27.

Conſilium ipſorum explicatur verſ. 3. *Rumpamus vincula illorum*, timorem & reverentiam Domini & Chriſti ejus excutiamus, *& abjiciamus à nobis funes illorum*, non modo præceptis illorum non pareamus, ſed & amoliamur è medio noſtri, qui obedientiam illorum præceptorum exigunt, Chriſtum nempe ipſum, & poſtea Apoſtolos ejus.

2. Chriſtus unctus ab æterno, ſive deſignatus decreto Divino rex ſalvandorum, etiam in tempore factus homo filius Davidis, *ungitur*, id eſt, virtutum Divinarum in nomine ipſius patratione, & Spiritus Sancti per ipſum effuſione, publice demonſtratur revixiſſe à morte potentiâ ſua, & *aſcendiſſe in cælum*, ℣. 4. cui homines ut *Regi* ſuo in fide ſe ſubjicere debeant, & quidem ut *Regi Dei*, per quem ſcilicet ut imaginem & effigiem Dei in ipſum credant; itemque ut Regi in *Sione* manifeſtato, *monte ſancto Dei*, quem Deus præcipue ad hoc elegerat, ut in illo pacem & ſalutem repræſentaret, ut ibi *verba ſua* audirentur, ut ibi ipſum viderent Iſraëlitæ in filio ſuo, & ibi Spiritum S. effunderet, & inde egrederetur verbum ſuum in totum mundum. ℣. 6.

3. Per Apoſtolos ſuos proponit *narrationem*, quæ ſit *in legem*, vel *ſecundum præſcriptum* in Moſe & Prophetis. *Jehova dixit ad me*: *Filius meus es tu*, id eſt, compellavit me in lege & Prophetis, item per Angelum cum naſcerer, & per prodromum cum baptiſarer, quum opera Dei facerem, cum reſurgerem ex mortuis, quum effunderem Spiritum meum in Apoſtolos. Iſtis omnibus, inquam, rebus me inter omnes filios nominavit ac demonſtravit filium, primogenitum & principem omnium, *quem hodie*, id eſt, ab æterno *genuerit*. ℣. 7.

Proponit etiam in narratione, Jehovam dixiſſe ad ſe: *Poſtula à me*, jure meriti tui, *& dabo tibi* tanquam Filio meo & *hæredi omnium gentes*, quas voces & ad fidem in te adducas, *& totam terram*, omnes tribus Iſraëlis, quam tibi, relictis & abrogatis prioribus œconomis, ceu *proprietatem tuam* aſſeras, regas & cures. verſ. 8.

Sibi autem dictum eſſe, quoad modum regnandi, *quaſſaturum ſe* dura corda, eaque emolliturum *virgâ ferreâ*, vi verbi & Spiritus S. Eos verò qui ſe indurant, ſe faciliime, *ut vas figlinum diffracturum*, ut ſoli ſibi dati ſubſiſtant & regnent. verſ. 9.

Reges igitur illi, qui regunt populum Dei, *animadvertant*, huic regi cor ſuum apponant, & cum attentione diſcant; *& judices terræ*, qui juſtos vel injuſtos, puros vel impuros pronunciando terram in ordine continebant, *ſe ſubmittant caſtigationi Divinæ*. ℣. 10.

Soli ſc. *Jehovæ*, Deo vivo, & Chriſto, depoſitis coronis ſuis, *ſerviant*, ſeque à ſervitute elementorum mundi & exſecrationis abſolvant, ut tanquam mancipati juſtitiæ agant in fiduciâ filiali, *cum timore*, ſe ſubmittentes infra Deum, auctorem veri boni, & judicem ἀπροσωπόληπτον, ad faciendum ei grata & vitandum contraria: *Et gaudeant* coram Domino *in tremore*, propriam juſtitiam pro ſtercoribus ducentes, de ſuâ ac proximorum ſalute ſolliciti. ℣. 11.

Exosculentur Filium, ut auctorem justitiæ & salutis; *ne irascatur*, & *pereant quoad viam*, permissi suis consiliis & ratiocinationibus, in quibus corruant, frangantur, illaqueentur & capiantur. *Brevi enim exarsuram iram ejus*, & secuturum supplicium in rejectione & induratione, excisâ republica, urbe & templo. *Beatos* verò *omnes*, *qui se recipiunt ad ipsum*, ut sufficientem Salvatorem, abnegatâ justitiâ propriâ, sive Judæos, sive gentes. ℣. 12.

4. Pergunt reges & proceres *rumpere vincula* Dei & Christi & *abjicere funes illorum*. ℣. 3.

5. Christus *sedens*, ut judex, *in cælis*, *ridet*, id est, frustr atur consilia ipsorum; & *Dominus* declaratus annunciatione gloriæ suæ per prædicationem Euangelii, *subsannat ipsos*, efficitque in illis indignationem, dolorem & murmur. ℣. 4.

6. *Tunc*, id est, postea, *loquitur ad illos in irâ suâ*, gravi illos sermone increpat, atque etiam opere ipso punit, quomodo peccato illorum dignum est, & *in ardore suo percellit ipsos*, subito terrore ac malo ipsos afficit, illis nec consilium, nec spem, nec solatium relinquens, ℣. 5. *Brevi* id futurum pronuntiat. ℣. 12.

PSALMUS III.

Psalmus Tertius aptissime Christi passiones, mortem & resurrectionem, saltem in ænigmate, refert.

1. Christus multos habet hostes infestos, Diabolum inprimis, gentes, reges &, principes terræ, mundum & hypocritas, & æmulos, qui se regno suo spoliare conantur, ut ipsi regnent, Reges & principes terræ, & postea Reges gentium idolis servientium; deinde hæreticos; tum Antichristum & cohortem ejus. ℣. 2.

Nec tantùm hostes & æmulos, sed & multitudinem ita judicantem, sibi Deum esse iratum, Ecclesiamque suam à Judæis & gentibus desertam nullum in Deo habere præsidium. ℣. 3.

2. Christus fiduciâ Jehovæ *clypei sui*, qui ipsum protegebat à vi Diaboli & inferni, Ecclesiamque suam erat defensurus à furore Judæorum & gentilium, tum inprimis adversus accusationem legis peccati, deinde & potentiam adversarii, & apud quem habebat *gloriam* illam, quod esset Filius ipsius, à quo unctus etiam in regem salvandorum, *erigit caput suum*, pulcherrimam edendo confessionem sub Pilato, & cum Diabolo humani generis hoste fortiter congrediendo; tum etiam Ecclesiam suam in nullo certamine, quamvis destitutam omnium præsidiis, relinquendo, ℣. 4. & tandem etiam *exaudiendo*, ut, prostratis hostibus, acciperet pacem. ℣. 5.

Provocat etiam Christus ad *exauditionem* Patris Joh. 11: 41. 42.

3. Mortem & resurrectionem suam; tum etiam testium suorum, diu sub Antichristo oppressorum, vivificationem, avorum nostrorum memoriâ factam, commemorat. ℣. 6.

4. *Sese* versantem in terris, nedum sublatum in cœlos, *non timere à myriadibus populi* qui dicitur Dei, sive Judaici, sive Christiani, illorum nempe, qui fidelibus sese admiscentes Ecclesia nuncupantur; quamvis *undiquaque metarentur contra se*, omniaque opprimendi momenta observarent. ℣. 7.

5. Christus & Ecclesia *inimicos suos alapis inflictis* identidem cum pudore & confusione à Deo *retusos*, & *dentes improborum confractos* vident, ne amplius nocere

cere poſſint. ℣. 8. Itaque *Domini* facta eſt gloria *ſalutis*, ℣. 9. Et Eccleſia penè *exaudita* fuit. vid. ſupra.

6. In poſterum orat Chriſtus & Eccleſia, ut *ſuper ipſam ſit benedictio* omnis promiſſa Patribus. ℣. 9.

PSALMUS IV.

IN hoc Pſalmo Chriſtus cauſam ſui & regni ſui contra adverſarios juſtitiæ ſuæ & fidelium agit.

1. Se convertit ad *Deum juſtitiæ ſuum*, id eſt, cum quo, tanquam ſponſor & mediator Teſtamenti, æternum fœdus de juſtitia habeat, quique in *arcto ipſi dilataverat*, ſolutis doloribus mortis, argumento, quod ipſum pro fideli ſervo ſuo haberet. Orat autem *gratioſus ſibi ſit*; eam enim gratiam Dei ceu unicam cauſam redemptionis ſuæ & fidelium commemorare potuit, quatenus cauſam & perſonam noſtram ſuſtinuit. *Quum* ſerio & ardenter ipſum ceu מִפְלָל juris & æqui arbitrum *invocaret*, *reſponderet & audiret*, faceret ac daret petitionem ſuam. ℣. 2.

Deinde alloquitur *filios viri*, id eſt, illos, qui ſapientiam ac juſtitiam, itemque poteſtatem in alios habebant, ceu hæreditatis quodam jure ad ſe devolutam, tanquam Sacerdotes & ſeniores & principes iſtius ſeculi, ipſumque adeo populum; ac poſtea Antichriſtum & miniſtros ejus: *quouſque* (tempus enim longum ipſis indultum eſſe) *gloriam ſuam*, tanquam ſibi ut Filio Dei ac Regi ſuper monte Sion ſubjici, crucem ſuam, populum ſuum, in quo Spiritus ſui efficacia cernitur, *pro ignominiâ* ac dedecore *haberent? amarent inane*, id, quo frui ac ſatiari nemo poteſt? *quærerent mendacium*, doctrinam ad obſcurandam juſtitiam Dei comparatam? Nolint putare, hoc ſic ipſis abiturum.

Recognoſcant potiùs, vel inviti cernant, Deum *inſignes feciſſe pios ſibi* coram toto mundo, ut quando-etiam tum, cum hypocritæ ſimilia voluerunt facere, ac pii, cupientes haberi pro piis, Eccleſiam ſuam conſervavit inter atrociſſima martyria:

2. *Exaudiviſſe* denique *orationem ſuam*, cum Eccleſiæ ſuæ ceſſerunt hoſtes, & pacem ei dederunt, & ad ipſam, relictis idolis, tranſiverunt, vel etiam martyriis ipſorum plurimi Chriſto lucrifacti ſunt. ℣. 4.

3. *Iraſcantur*, dum in hæreticos fulminant, & *ne peccent*, blaſphemam in Chriſtum ſententiam, quamvis *in corde ſuo dicant*, tamen ne auſint proferre. ℣. 5.

4. Ne putarent ſe Deo ſacrificium offerre, quando perſequuntur & occidunt pios, neque meritum ſuum, quod nullum haberent, *ſed ſacrificarent ſacrificia juſtitiæ*, id eſt, fidem & confeſſionem gratam juſtitiæ, quæ eſt in Chriſto, & charitatem erga Deum, & dilectionem, cùm fratrum, tum omnium hominum. ℣. 6.

Neque *conſiderent* in carne ſua, ſed *in favore* ac potentiâ *Domini*. ℣. 6.

5. In tenebris dominationis Papalis Deus excitat in *multis* ſcrupulos & gemitus, & ſollicitudinem votumque ac deſiderium agnoſcendæ veræ ac ſalutaris doctrinæ, verbis: *Quis faciet nos videre bonum? Attolle ſuper nos lucem vultus tui, Jehova*, nobis eſto propitius, demonſtrando bonum iis, qui id quærunt, eoſdemque liberando à filiis viri. Eſt oratio Chriſti pro corpore ſuo myſtico. ℣. 7.

6. *Frumentum eorum & muſtum eorum*, veræ ſcilicet Eccleſiæ cibus & potus, do-

doctrina veræ fidei ac pietatis, ***abundant***: Unde Chriſtus ſe vehementiſſime lætari dicit, ℣. 8. Exemplum hujus gratiæ evidens avorum noſtrorum memoriâ, quando ii, qui ſub tenebris Papatus bonum videre deſideraverant, ampliſſimam ſegetem fidelium, & florentiſſimas vineas Euangelii ſemine natas conſpexerunt. ℣. 8.

7. Chriſtus animo bono, tum etiam ſine noxa vel detrimento ullo tolerat & connivet ad conatus hoſtiles inſurgentes adverſus illum ob gloriam ejus aliquo ſigno gratiæ aſſertam, adeo ut licet Eccleſia ipſius opprimatur, & tantum non ad extremam debilitatem redigatur, ipſe tamen videatur aliquo modo *indormiviſſe*. ℣. 9.

8. At *Deus ipſum ſolus*, per ſe ac ſine auxilio humano, *facit ſedere* in throno ſuo. ℣. 9. Chriſtus poſt mundi tumultus & oppreſſionem Eccleſiæ iterum in ſolio collocatus, & deinceps nunquam à quoquam regnum ejus divelletur amplius.

PSALMUS V.

IN hoc Pſalmo continetur precatio ſive 1. Davidis, ſive 2. cujuſcunque fidelis, prout in varias conditiones incidit, ſive 3. Chriſti, ſive 4. totius Eccleſiæ; pro regni Satanæ deſtructione ad lætitiam fidelium & gloriam Dei. Partes commode dici poſſunt tres. Precationis

I. Propoſitio. ℣. 2 3. 4. II. Confirmatio. ℣. 5—10. III. Concluſio. ℣. 11. 12. 13.

1. Prima petitio, ℣. 2. colo 1. accommoda eſt Eccleſiæ primi temporis, quæ *libere* & cum παῤῥησίᾳ filiali cum Apoſtolis *locuta eſt* ad Deum, & præſentem habuit Divinam ***exauditionem*** ad amplificationem Regni Dei & curſum verbi, ut nihil ſupra.

2. Secunda petitio, ℣. 2. colo 2. eſt curæ votorum ſuorum in neceſſitate & indigentiâ. Ea accommodata eſt, tum tempori primo, quo à multis ex Judæis & gentibus ſchiſma oriebatur in Eccleſia, illis ceremonias exigentibus, his libertate abutentibus cum ſcandalo; tum ſeculo martyrum. *Animadverte*, inquit, *gemitus meos.*

3. Tertia petitio, *Attendat Deus ad vocem quiritationis ſuæ*, convenit Eccleſiæ Chriſtianæ, quando primò fuit oppugnata ab hæreticis, deinde etiam ab Epiſcopis ſibi dominationem adſtruentibus. Tunc opportunum fuit *implorare Dei & Chriſti regis ſui* opem, ut in præſentiſſimo ſalutis periculo. ℣. 3.

4. At poſtea non modo confirmata eſt Epiſcoporum tyrannis, ſed magis magiſque Eccleſiam perverſis doctrinis infecerunt, atque interim ipſi cum ſuis Eccleſiæ nomen vendicârunt, neque ſiverunt quenquam corruptelis contradicere & veritatem aſſerere. Ibi neceſſe fuit *judicio & diſceptatione uti adverſus eos coram Deo*, quod dicitur ℣. 4. f. אֵלֶיךָ אֶתְפַּלָּל Innuitur ſpes recuperandi ſuum per opem judicis.

5. Quoties verò aliqua lux veritatis, tanquam *matutinum lumen*, ex tenebris errorum emerſit, ſtatim hoſtes veritatis in ſanctos impetum faciunt, & ad *voce ſuâ ſollicitandum Jehovam* adigunt. verſ. 4.

6. Quoties denique animadvertunt pii aliquod ſignum divini favoris in Eccleſia, *diſponunt ſe ad Deum*, & *ſpeculantur*, quando tandem futurum ſit, ut Deus deſtruat eos, qui deſtruunt terram. verſ. 4.

II. Confirmatio harum petitionum eodem ordine, quo petitiones ſunt poſitæ, rationes, ſingulis petitionibus reſpondentes, explicat. Ea ſumitur

Primò, à naturâ Dei malis adverſante. verſ. 5. 6. 7. Ubi hi ſunt articuli:

1. אֲמָרִים *dicta* Sanctorum, quæ liberè loquebantur, quæque *percipit* Deus, ſup.

ſup. §. 1. ſunt iſta *Non*, *Deus* potens cum ſis, & omnia opereris in omnibus, & per Spiritum tuum omnem ſanctimoniam opereris, *volens improbitatem es*. Non delectaris juſtitiâ propriâ, quâ homo ceu merito glorietur coram te. verſ. 5.

2. Secundæ petitioni quadrat ratio ſecunda, *non cohabitabit tibi malus*, id eſt, falſi Chriſtiani, ſive ex Judæis, ſive ex gentibus, qui ſcandalis ſuis corpus Eccleſiæ ſcindunt, & tamen volunt *habitare in domo Domini*, id eſt, accenſeri regno & civitati ipſius, *non habitabunt apud te*, id eſt, alios Deus excitatâ perſecutione à gentilibus, alios deſtructo templo & urbe compeſcet, ipſumque illum populum carnalem, deletâ politiâ ejus, abjiciet ex terra viventium. v. 5. Ita Deus teſtatus eſt, ſe ſuſpiria ſanctorum conſideraſſe. §. 2.

3. Tertiæ petitioni reſpondet tertia ratio, quod *non ſtabunt furioſi coram oculis Dei*. Negat eos ad Deum acceſſuros, veluti Sacerdotes & *μισίτας*, qui inſano amore proſequuntur mundum, potentiam, divitias, voluptates, quique per ſummam dementiam verbum hominis loco verbi Dei obtrudunt Eccleſiæ. verſ. 6.

4. Quartæ petitioni reſpondet quarta ratio. *Odiſti omnes tractantes vanitatem*. Ex *inſanis* fiunt *tractantes vanitatem*, id eſt, deditâ operâ, omni ſtudio, arte, ingenio concinnantes tractanteſque hoc, quod nihilum eſt, & verum bonum non eſt. v. 6. Contra hos *oro*; certum igitur eſt, te exauditurum orationem meam, quam ad te, ut æquum arbitrum, fundo. vide §. 4. ſup.

5. Quinta petitio habet quintam rationem. verſ. 7. *Perdes loquentes mendacium*. Quis ille mendax ſit, quem Scriptura traducit, vide 1 Joh. 2: 22. is nim. qui potiſſimam illam veritatem, quod Jeſus ſit Chriſtus, abnegat. Quum ergo hoc *matutino* veritas patefacta opprimatur à mendacii aſſertoribus, & velis eos *perdere*, ſine dubio *audies vocem meam*.

6. Proficit impietas à doctrina mendacii ad crudelitatem; & ab apertis odiis ad *fraudem*, quâ, qui opprimi aperto bello non poterant, capiantur & opprimantur. *Vinum* autem *ſanguinarium & doloſum abominatur Jehova*, illos ne tolerare quidem poteſt: Id enim verum eſſe, ipſa pœna & fruſtratio illorum (quod inſtar *matutinæ lucis* eſt) demonſtrat. Convenit ergo, ut jam attollam caput, & in ſingula momenta expectem, donec iis coërcitis, Dominus manifeſtet gloriam ſuam. In deſignatione *Viri* duplex eſt emphaſis, 1. Eminentiæ. 2. Univerſalitatis.

Secunda confirmatio petitionum Eccleſiæ deſumitur à rectitudine ipſius Eccleſiæ. verſ. 8. 9.

1. *Gratiam* Dei dum *multam* ſive abundantem confitetur, innuit gratiam Euangelicam, ſive ſtudium ſalvandi eos, qui Filio dati ſunt, abundans in omnes familias terræ, cum dono libertatis: Eaque oppoſita eſt Improbitati, & illis, qui ſuam juſtitiam quærunt. Ac primæ petitioni reſpondet, hâc collectione: Ego agnoſco gratiæ tuæ amplitudinem. Ergo percipies dicta mea. verſ. 8.

2. Dum ſe dicit *intrare in domum Dei*, id eſt, communicare cum Sanctis, *in multitudine gratiæ Divinæ*, id eſt, mediante profeſſione iſtius gratiæ, ib. v. 8. opponit ſe illis, de quibus dictum eſt proxime §. 2. *Non cohabitabit tibi malus*, verſ. 5. Et colligit: Ego accedo domum tuam &c. Ergo conſiderabis ſuſpiria mea, ſup. petit. 2.

3. Cultu veri Mediatoris & Chriſti, (dum dicit ibid. *Adoro verſus templum ſanctum tuum*) opponit ſe *furioſis*, ac ſimul oſtendit, ſe ipſum pro Deo & rege ſuo habere. Unde confirmat petitionem ſuam tertiam, quod Deus attendet ad vocem implorationis ſuæ.

4. Fabricationi Nihili, de quâ §. præced. 4. opponit ibid. *timorem Dei*, & obſervationem præceptorum ejus: Unde rurſus concluditur, æquam eſſe orationem eorum, qui opprimuntur à fabricantibus vanitatem, ac Deum attenturum ad eam; quæ fuit petitio quarta.

5. Petit Eccleſia adorans ad templum Sanctum Dei, *à Iehova*, *Ducat ipſam in juſtitiâ ſuâ*, id eſt, cuſtodiat ipſam ab erroribus & regat, ut vivat ſecundum Euangelium gratiæ & veritatis Dominicæ in fide. Hæc enim eſt vera & unica *juſtitia* noſtra *à Deo*. Addit autem cauſam impulſivam: *Propter inſidiatores meos*, qui ſc. loquuntur mendacia, & aucupantur omnem anſam reprehendendi doctrinam & vitam meam. verſ. 9. Quia verò hoc eſt votum meum, hoc veritatis manifeſtatæ *diluculo*, audies vocem meam. ſup. verſ. 4.

6. Orat Eccleſia: *Rectifica* vel *complana coram me viam tuam*. ℣. 9. id eſt, tolle impedimenta & obſtacula, nominatim iſtos *ſanguinarios & fraudulentos* (vid. ſup. §. 6.) ut tandem nobis uti liceat expeditâ viâ, & oſtio aperto, per quod nobis aditus pateat ad omnes homines cum verbo veritatis tuæ. Ideoque *ſpeculor* in omnem horam, ſi quando tempus regni tui amplificandi per totum mundum veniat. petit. 6.

Tertia confirmatio petitionum Eccleſiæ ſumitur à merito & dignitate adverſariorum. verſ. 10. Hic jam in ſimili diſtinctione, ut ſupra, adverſariorum actus graviſſimos deſcribit gradatim. *Nam*

1. *Non eſt in ore illius rectum.* Opponit ſua *dicta dictis adverſarii*, quem διακτικῶς per pronomen *illius* demonſtrat. Quid ſit illud rectum, vide prox. antec. §. 1.

2. *Medium* ſive intimæ cogitationes *illorum*, *malorum* ſc. ex verſ. 5. *ſunt calamitates*, deſtructiones & clades Eccleſiæ.

3. *Sepulchrum apertum eſt guttur eorum*, *inſanientium* ſcilicet (de quibus ſupra §. 3.) dum vel hæreſes mortiferas docent, vel ad ſe auctoritatem Chriſti revocant, & totas Eccleſias anathemate feriunt. *Guttur* & *vociferatio*, petit. 3. reſpondent invicem.

4. *Linguis ſuis blandiuntur.* Jactant pietatem, & comminiſcendis ἐθελοθρησκείαις ſpeciem religionis affectant, ac docent doctrinas plauſibiles rationi cœcæ & carni. Id eſt *tractantium vanitatem.*

5. Sunt defectores. Id dicit verſ. 11. *In multitudine defectionum ſuarum.* Notatur excuſſio legis Domini. Competit hoc *loquentibus mendacium*, qui tam ſunt impudentes, ut ſecundum mendacium ſuum & traditiones ſuas vivendum cenſeant.

6. *Rebelles ſunt.* verſ. 11. מרה conjunctum cum perſona notat repugnationem. Hoc jam rectè convenit in *ſanguinarios & fraudulentos*, qui viam Domini intercipiunt & impeditam faciunt piis.

III. Pars Pſalmi continet Concluſionem, quâ denique ex præmiſſis infert ac diſtinctiùs explicat petitum, ratione tùm Impiorum, verſ. 11. tùm Piorum, verſ. 12. 13.

Primò impiorum reſpectu petit verſ. 11.

1. Condemnationem illorum: *Perage illos reos, ô Deus.* Reatum illorum fac ipſi & omnes agnoſcant. Hic eſt ſcopus *dictorum & gemitus* adverſus *improbos & malos*, ſup. §. 1. & 2.

2. *Cadant à conſiliis ſuis.* Videtur hoc ad *furioſos* & *vanum tractantes* pertinere. ſup. §. 3. & 4.

3. Depulsionem. *Trude illos*, verſ. 11. ut profligentur & corruant. Proſterne illos ſubter pedes tuos & noſtros. Quos? niſi *loquentes mendacium*, *crudeles & fraudulentos*, ſup.§. 5. 6.

Secundò Piorum reſpectu, verſ. 12. & 13. *Et* vel *Sed*

1. *Lætentur omnes*, *qui ſe recipiunt ad te*, id eſt, qui gratiam tuam agnoſcunt, & ab improbitate longiſſime abſunt, ſive illi ſint ex Judæis, ſive ex gentibus.

2. *In ſeculum canant*, ne intercidatur illorum jubilatio (id eſt, profeſſio gratiæ abundantiſſimæ & lætitiæ in Deo) ullâ cruce, afflictione & perſecutione, quod non poterat fieri, ſi *malus* ſtabularetur in Eccleſia. Vel enim per ſcandala conſcientia contriſtabitur & imminuetur lætitia, vel per ceremonias legales crux fiet odioſa.

3. *Et protegas ipſos* contra *inſanos* illos ſcilicet, quorumg uttur eſt ſepulchrum apertum. Tu enim es *Dominus* & *Rex* illorum.

4. *Et exultent in te diligentes nomen tuum*, qui ſcilicet *timent te*, opponunturque *tractantibus vanitatem*. Optat iis *exultationem in Domino*, ut poſſint geſtire contra hoſtes ſuos, & omnibus ſignis lætitiam ſuam demonſtrare ob agnitam juſtitiam Dei, & præſentem ejus opem.

5. *Benedicas juſto*. *Iuſtus* ex præcedentibus appoſitis & oppoſitis definiendus eſt. *Benedictio* ſignificat inprimis amplificationem, & opponitur *perditioni*, verſ. 7.

6. *Iehova*, *velut ſcuto*, *benevolentiâ corones illum*. Hoc ſcilicet eſt, quod præſtolor, &, tanquam è ſpecula, exſpecto, ut quaſi ſcuto, ita benevolentia tuâ ipſum undiquaque operias. Id jam opponitur ſanguinariorum & fraudulentorum conatibus, quos modo *trudi* petiverat.

PSALMUS VI.

Subjectum hujus Pſalmi ſunt

1. Sancti Veteris Teſtamenti, eò magis, quod Spiritum ſervitutis & timoris ſortiti ſunt. Quippe longævitas & pacata poſſeſſio bonorum hujus ſeculi illis pignus erant gratiæ Dei & hæreditatis cœleſtis.

2. Chriſto quoque optime convenit argumentum hujus Pſalmi. Luctatus eſt enim cum ira Dei, ſi quis alius; & de ſe teſtatur, quod anima ſua ſit περίλυπος uſque ad mortem. Idem in manum hoſtium generis humani traditus eſt ad tempus, & mox, exaudiente Patre preces ipſius, victor exiit ac de Satana triumphavit.

3. Eccleſiæ N. T. 1. ſub cruce & afflictione omnis generis convenit oratio hujus Pſalmi, in qua ſemper neceſſe eſt primo terreri & humiliari ob conſcientiam peccatorum, donec re ipſa ſentiant fideles, eam immiſſam ad corrigendum & purgandum Eccleſiam, ad probandam ipſorum fidem & ſpem in Deum; atque ita ſibi conſolationem Euangelicam in lætitia applicent. 2. Deinde cernunt etiam ſub N. T.

(a.) Corruptionem Eccleſiæ per ingreſſum hypocritarum, qui tum moribus, tum doctrinâ peſtilenti & mortiferâ eam ferè peſſundant. Ii *mortis* fœcundæ, id eſt, ſeductionis & indurationis auctores, habentes ſibi ſuccenturiantem *Infernum*, id eſt, *poteſtatem* retinentem in morte, & non permittentem reſipiſcere ad vitam verſ. 6. Quumque totum mundum iſto malo vident involvi, cohorreſcunt ſerio, & contremiſcunt,

miſcunt, & in humiliatione perſiſtunt, & quidem longo tempore, quod per formulam admirationis denotatur verſ. 4. fine. *Et tu, Iehova, quouſque?* differes ſcilicet me ſanare.

(b.) Donec Deus lucem rurſus producat mirabiliter è tenebris, & regnum ſuum ab injuriis hoſtium vindicet, verſ. 9. 10. 11. Ubi notanda

1. *Receſſio* ſive ejectio hypocritarum ex regno cœlorum, ſive Eccleſia, cum *pudore*, ob fruſtrationem conſilii. verſ. 9. 10. Id non aliter fieri poteſt, quam ſi ſecedat ab illis prior doctrinâ, vitâ & teſtimonio, denique & loco, ne apud illos agens ab illis diſcat, & cum illis plectatur.
2. Quod *redeunt* hypocritæ, & ſe recolligunt à pudore & conſternatione, & iram majorem priori concipiunt. verſ. 10.
3. Tùm *rurſus pudefiunt*, & quidem *momento*, ſubitò, ut eo vehementius pudor percellat, & ut non diu differatur. ibid. verſ. 10.

PSALMUS VII.

IN hoc Pſalmo David perpetuas exilii ſui curas exponit. Tametſi ſic exponat curas ſuas, ut verba non tantum ipſi, ſed & aliis ſubjectis, inprimis Chriſto & Eccleſiæ ejus, quorum typus fuit, poſſint accommodari.

Itaque quod dicitur ℣. 8. לַמָּרוֹם שׁוּבָה *in altum redi*, habet quidem hunc ſenſum, ut Deus oſtendendo, quod velit Davidem ſedere in ſolio ſuo, ſolium ſuum occupet, tamen longe expreſſius ſignificantiuſque eſt, quam ut illo ſenſu exhauriatur. Convenit autem cum eo, quod eſt Pſ. 68: 19. *Aſcendiſti* לַמָּרוֹם *in altum*, id eſt, aſcendiſti in cœlum. Deus inter homines habitaverat, quamdiu habuit tabernaculum in terra. Quando verò non ampliùs voluit domum habere in terris, & templum corporis Chriſti ex terra ſublatum eſt in cœlum, tùm Deus reverſus eſt in cœlum.

Quod dicitur verſ. 11. *Clypeus meus eſt apud Deum*, convenit cum eo, quod eſt Hoſ. 9: 8. *Speculator Ephraimi eſt apud Deum meum.* Intelligitur autem Salvator noſter, qui eſt Deus, & apud Deum, Joh. 1: 1.

Nomen Altiſſimi tum cum lætitia agnoſcitur & celebratur, quando ii, qui oculos attollunt contra Divinam Majeſtatem, ut Saul, humiliantur & proſternuntur. verſ. 18. Ita Chriſtus, deſtructo Antichriſto, vindicabit nomen ſuum, qui eſt Dominus dominantium & rex regum, Apoc. 19: 16.

PSALMUS VIII.

1. IN hoc Pſalmo Deus multipliciter & glorioſiſſimo modo virtutem ſuam immenſam, dum fit peccatori in Deum, demonſtrat in mundo, atque etiam teſtatur: unde fit, ut plurimi non tantum in Judæis, ſed etiam in gentibus, atque ita *in totâ terrâ*, eum appellantes *Iehovam*, qui fit quod eſt, & *Dominum ſuum*, cujus ſunt peculium emptum, virtutem iſtam infinitam à Deo demonſtratam & explicatam agnoſcant & unanimiter celebrent verbis, quæ Spiritus prævivit, *Iehova, Domine noſter, quàm ingens eſt nomen tuum in totâ terrâ!* verſ. 2.

2. *Ejus rei cauſâ*, ut ſcilicet illa nominis Divini Majeſtas clarius innoteſcat, eſt

est ponere, sive *ponit Deus majestatem suam supra cœlos*, ibid. Factum id est, Filio in cœlum assumto, & rege ac capite Ecclesiæ declarato; ut non amplius thronus regis Ecclesiæ in terra, sed in cœlo quærendus sit. Et sane per eum Regem, & per donum Spiritûs Sancti nomen Domini reapse & plenè innotuit, & celebre factum est per totam terram. Subindicat autem, Deum antea posuisse solium gloriæ in terra, nimirum 1. habitasse inter Cherubim, in propitiatorio, super arca, deinde & totam Hierosolymam fecisse solium suum, atque ita tandem ascendisse in altum.

3. Ob eandem causam, & simul *ut aboleret* vim ejus, qui imperium mortis habet, *Inimici* & se *Vindicantis*, *fundat robur*, id est, Euangelium, organum, per quod Deus potenter efficax est ad fidem & salutem, curat prædicari in tota terra, idque verbum contra omnes omnium exceptiones *fundat* ex Mose, & Prophetis, vers. 3. Id versu 4. illustratur comparatione alterius instrumenti sive medii notificandæ gloriæ Dei, sed minus efficacis, sive proprie, sive figurate id intelligas.

Instrumentum hujus prædicationis ac fundationis dicuntur *infantes & lactentes*, id est, homines præ cæteris rudes, imperiti & simplices, idque *propter hostes Dei*, ut eorum sapientiam & ferociam eò admirabilius confunderet.

4. Ex hoc puerili verbo consecutum hoc quoque est, ut homines Diabolico ingenio præditi, osores veritatis, qui, quòd se contemni viderent, quasi injuriam abrogatæ sapientiæ ulciscentes, Apostolos persequebantur, Judæi scilicet, paulatìm *abolerentur*, ac tandem, deletâ urbe & republicâ, jam ferè nulli sint amplius.

Ad §. 3. Subjungatur res de Deo prædicata ex ℣. 5—9. Est autem

1. *recordatio hominis miseri* ac pereuntis, & *filii hominis visitatio*, dum eum creat, conservat, multisque afficit beneficiis, quamvis immeritum, denique etiam humanam naturam dignatur inhabitatione, & hominis formam induit, vers. 5. Inde tam sæpe *Filius hominis* in Euangelio dicitur.

2. quòd homo visitatus à Deo, sive Deus, in forma humana apparens, *sit factus inferior infra Deum*, qui erat, nec tantùm, sed etiam infra πάντα λεγόμενον θεὸν, ut Angelos, quia factus est sub legem, latam non modo circumstantibus Angelis, ut testibus, sed & Angelorum ministerio; denique & infra homines, qui dicti sunt Dii, quia paruit illis, & ab iis se judicari passus est. Hujus humiliationis consors est Ecclesia, in & cum capite suo. In ipso enim omnes sumus mortui. ℣. 6.

3. quòd post humiliationem sit exaltatus: *Et gloriâ coronas eum. Gloriâ*, per resurrectionem ex mortuis, vid. 1 Pet. 1:21. per quam demonstratus est esse Filius Dei ἐν δυνάμει, Rom. 1:4. atque ita *præstantia*, quod proprie כָּבוֹד, ejus ipsi reddita est. In Christo fideles fiunt filii Dei, sicque gloriâ coronantur. ℣. 6.

4. quòd *honore coronaverit eum Deus*, id est, per ascensionem in cœlos ei dederit *honorem*, ut sit Rex, & Sacerdos Ecclesiæ, & omnes ad eum respiciant (quod est הָדָר) caput & regem suum. In Christo quoque acceperunt honorem, quia facti reges & sacerdotes Deo, (Apoc. 5:10.) ℣. 6.

5. quòd *faciat ipsum dominari in omnia opera manuum suarum*, nempe, ut ex versu 4. liquet, Solem, Lunam, sidera & omnes denique res creatas, ut ipsi & Ecclesiæ suæ servirent; unde sequitur, ut omnia amantibus ipsum coöperentur in bonum. ℣. 6.

6. quòd *omnia posuerit sub pedes ejus*. ℣. 6. 7. *ita ut nihil sit, quod ei non subjecerit*, Heb. 2:8. Manifestum est, & *Angelos ei subjectos* esse, ut est 1 Pet. 3:22. ut populus ejus cum ipso regnet ac triumphet super omnia. Præterea 1 Cor. 15: 26. 27.

26. 27. Apostolus ex his verbis concludit, omnes principatus & hostes esse abolendos. Cùm verò excipit à subjectione tantùm eum, qui subjecit, ostendit hujus subjectionis finem, nimirum *ut Deus sit omnia in omnibus*, id est, ut Deus tandem in omnibus subjectis, æquè ac in Christo, omnem beatitudinem consummet.

7. Specificat quædam, illustrandi gratiâ, quæ subjecerit, nimirum *oves & boves, universa ista; atque etiam bestias agri: Volucres cœli, & pisces maris* &c. ℣. 8. 9. Quibus significatur 1. omnium rerum dominium per regnum Christi restitui, usumque earum sanctificari, ut ad gloriam Dei tendat; cùm in Veteri Testamento etiam sanctificatis ex Israële non liceret omnibus vesci cibis. Quo significabatur omnium rerum usus impurus factus per peccatum: quo expiato, omnia sunt pura puris. 2. suo tempore bona mundi fore subdita Christo, gentium regnis servientibus Ecclesiæ.

Clausula, quæ nullo verbo discrepat à principio, significat, notitiam Dei, quanquam initio regni Christi statim diffundatur per totam terram, ita ut terminis Judææ non contineatur; tamen paulatim extendi ita ad omnem terram, ut nulla tandem restet, in qua per prædicationem Euangelii illa non sit manifestata. vers. 10.

PSALMUS IX.

Titulus Psalmi est, *super morte Filii illius*, hoc est, ejus, qui se loco Filii ponit in Ecclesia. Hic Psalmus præcipue destinatus est illi tempori, quo Ecclesia, jam aliquot experta victorias, ultimam & peremtoriam expetit. Itaque celebratur victoria Dei de hostibus

A. per contestationem proprii affectûs, usque ad vers. 12. Hic vide

I. Affectum Ecclesiæ.

1. Fidem. *Confiteor Iehovam toto corde meo*, id est, agnosco ipsius virtutes, quas jam reipsa præstitit, & promissiones verificatas.

2. Commemorationem operum Dei. *Recenseo* vel *recensebo mirabilia tua* opera & attributa, ut te Deum, qualis & quantus es, quantum pote, comprehendam & confitear. vers. 2.

3. *Lætitiam in Deo*, vers. 3. Ea est ab effusione charitatis Dei in cordibus nostris, quæ in cruce non minuitur.

4. Propositum prædicandi nominis Dei. *Psallam* vel *Psallo nomen tuum summum*, quod in victoria tua de hostibus ostendisti esse summum virtute, potestate, dignitate, summo amore dignum.

II. Occasionem istius affectûs. *Quum inimici mei retrocedunt, corruunt, & pereunt à facie tua*. vers. 4. In fuga hostium agnoscit Deum Ecclesia, quem antea oblita videbatur.

III. Ipsam rationem affectûs, latentem in opere divino; quæ est

1. Demonstratio amoris Dei. *Quia fecisti judicium & jus meum*, non tantùm me conservando ab hostium injuriis per *judicium*, sed etiam retaliando inimicis injuriam, quasi cupias mihi pro injuriis satisfactum, vers. 5.

2. Demonstratio justitiæ Dei. *Consedisti in solium judex justus*, vers. 5. sive tanquam judex justus; sive, tale judicium exercuisti, quo judex justus demonstrareris. *Iustitia* significat hîc omnem veritatem & congruentiam. Et *judex* non est accipiendus strictè. Judicium hoc explicatur in partibus, sive varia ratione, pro varietate subjecti; nimirum

(a.) In gentibus & improbis. *Increpuisti gentes, abolevisti improbum; nomen illorum delevisti in seculum & sempiternum. Gentes* in oppositione ℣ populi

puli, sunt homines omnes alieni à civitate Dei, vel ipsâ professione apertâ, vel saltem moribus & impietate fidem abnegante. *Improbi* dicuntur, qui & in medio populi Dei scandala edunt, & alioqui absunt à justitia Dei. *Increpuisti gentes*, ostendisti te ipsis iratum, & renitentes tibi multis plagis perterrefecisti, *abolevisti*, totaliter perdidisti, *improbos. Nomen* tam gentium, quam improborum, quod habebant, *delevisti*, & quidem *in seculum & sempiternum*.

Gentes idololatras Deus multis plagis perterruit. *Nat. Artic.* 3
Judæorum populum & remp. de medio sustulit. Utrorum- 2
que nomen delevit. Nam post Constantini tempora abolitus est dæmonum cultus, & gentes paulatim, susceptâ fidei professione, dictæ sunt Christiani. Neque Judæi se ampliùs venditare possunt pro populo Dei.

(b) In eis, qui sunt in Ecclesia. Nempe cum conaretur *Inimicus*, hoc est, 1
Diabolus, *consummare vastitates etiam atque etiam*, ut nihil esset Ecclesiæ non vastatum, & *urbium*, sive Ecclesiarum particularium, *quas destruxerat*, *nulla esset memoria*, vers. 7. *Jehova*, qui *in æternum sedebit*, mundi & Ecclesiæ rector, *disposuit thronum suum ad judicium*. ℣. 8. id est, constituit nutu & providentiâ suâ regere, moderari, frenare vel laxare impetus ejus, prout ei videretur consentaneum suæ gloriæ, & Ecclesiæ saluti conveniens. *Et ille judicat orbem habitabilem*, id est, Ecclesiam suam, ne exorbitet in præcipitia, solet per hostes suos & ipsius castigare & in ordinem redigere; sed *in justitia*, ne comminuat aut corrumpat, nedum ut justificatos suos sinat perire. vers. 9.

Ita in primitiva Ecclesia per odia & persecutiones gentilium punitus est abusus libertatis in Ecclesia.

Nationes verò, sive eos, qui, civitatis gentisque ac successionis jure, putant ad se pertinere regnum Dei, in eo similes Judæis, *judicabit* 4
ידין, causam ipsorum accurate agitabit, examinabit, redarguet ipsos, coget respondere, convincet, damnabit reos, & tractabit convenienter juri scripto, *in rectitudine*, nempe ut omne decus suum sartum tectum habeat, illudque non patiatur ullâ ratione violari, sed ut omnes Ecclesiæ videant, quòd ipse sit scrutator renum & cordium, Apoc. 2:23. vers. 9.

Tandem etiam *fiet Iehova sublimatio contrito*, tum corde, tum statu, *sublimatio in opportunitatibus*, *in angustia*, præbendo ipsis victoriam & salutem, vers. 10. 8

5. Ergo & Ecclesia ad דכא tenuitatem, comminutionem, & postea ad צרה θλῖψιν, angustiam, erat redigenda. Conf. Apoc. 3:10. 7:14.

Ideo verò sic cum ipsis aget Deus, ut, quum viderint alii, *contritum sublimari*, ipsi quoque in Domino *confidant*, in posterum nihil metuentes, vers. 11. ii jam *agnoscentes nomen Dei*, & *quærentes ipsum*. 9

B. Per excitationem aliorum ad laudes Dei, ad vers. 18. Hic

I. Gratitudo imperatur vers. 12. *Canite Iehovæ, qui habitat Sione: Indicate in gentibus facinora ejus*, nimirum opera providentiæ ejus, maxime in quibus spectatur severitas Dei, ut sunt: conversiones regnorum, de- 6

letiones hostium, solutio Diaboli in pœnam reproborum, &c. Jam confer Apoc. 14 : 1.

II. Suadetur gratitudo ab affectu Dei erga suos, nimirum

8 1. *recordatione sanguinis ipsorum*, per opus insigne in præsens, nempe indutionem sanctorum mactatorum ob testimonium Dei, *candidis stolis*, (Apoc. 6:9. 10. 11.) vers. 13.

2. *recordatione clamoris mansuetorum*, ibid. Mansuetorum oratio ὑποτυ-
7 πῶται vers. 14. 15. *Gratiam fac mihi, ô Iehova: Vide afflictionem meam ab osoribus meis*, qui mihi aquam & ignem, imò animam ipsam eripiunt, meque ab omni societate excludunt, nihil volentes mecum habere commune. Conf. Apoc. 6 : 10. *qui* in me jam hoc beneficium contulisti, quòd
6 *extuleris caput meum à portis*, id est, à potestate, *mortis*, secundæ scilicet. Nam ad portas olim erant fora, in quibus præsidebant proceres, in quorum potestate erat populus. Ex *porta inferni*, Matth. 16 : 18. Nunc igitur, quando non negasti, quod majus est, da etiam, quod minus est, *ut enarrem omnem laudem tuam*; *in portis filiæ Sion gaudeam in salute tua.* Petit sc. ut Ecclesiam, liberatam à portis mortis, faciat habere faciem civitatis sub Christo rege.

Probatur divinus affectus ex iis, quæ per providentiam Dei gesta, & à se animadversa narrat Ecclesia, vers. 16. 17. Ea sunt quatuor.

ad (a.) *Gentes mersæ sunt in foveam, quam fecerant*, vers. 16.
§.8 Vi & aperto Marte aggressus est Papa & ejus asseclæ Ecclesiam, id est, eos, qui piè voluerunt vivere, secundum verbum Dei, quod pro fundamento habebant, ut Waldenses, Hussitas, & deinceps. At judicio Dei vel iis ipsis bellis contusi sunt hostes, vel in alia graviora bella inciderunt intestina aut externa; qualia Guelforum & Gibellinorum, Turcarum, & similia. Confer Apoc. 16 : 4. 5. 6. Quandoque turbarunt Ecclesias exiliis, sed, ubicunque exules essent, ibi extiterunt novi cœtus.

(b.) *Gentium pes captus est reti, quod absconderant.* vers. 16.
Aliquando fallaciis voluerunt impedire cursum Euangelii; ut Concilii Basileënsis tempore; quum Bohemis obtulerunt communionem Romanæ Ecclesiæ, cum licentia dissentiendi in quatuor articulis; quâ re voluerunt vel totam Ecclesiam captivam facere, vel dissensione scindere. Sed effectum est, ut ipsi propterea scinderentur, & malitia eorum innotesceret, & sinceriores fidelium à cæteris segregarentur, & doctrinâ, vitâ ac patientiâ plurimos lucrifacerent. Similia hisce alia reperientur in Historia Ecclesiastica.

9 (c.) *Iehova agnitus est*, vel apparuit, id est, gratia & veritas ipsius ex verbo Dei est animadversa, errores cum ea pugnantes deprehensi, natura regni Christi intellecta est paulatim magis ac magis. *Fecit judicium*, per testes resuscitatos judicavit, coarguit, convicit, condemnavit doctrinam Papalem.

10 (d.) *Improbus*, ipse Antichristus cum suo populo, *in molitione manuum suarum illaqueatus est.* Is, quum moliretur defensionem sui regni, partim auctoritate docendi, partim turbis in mundo excitatis, ipse in suis actionibus ita implicatus est, ut, non habente illo, quò se verteret, ab invitis hostibus Ecclesia pacem & libertatem adepta sit.

Notoria res est, acta avorum nostrorum memoriâ, maximè in hoc Belgio.

Hisce

Hisce addatur *quintum* opus Dei, *Meditatio* sive studium verbi divini & sacræ 11
eruditionis. vers. 17. f.

Redeunt improbi, qui in ipsa Ecclesia, jam separata à communione Antichristi, 12
edunt scandala, & propterea damnabiles sunt, *ad infernum*, *omnes gentes oblitæ*
Dei, non quærentes aut curantes Deum, sed Diaboli & Antichristi suæque libidinis ductum sequentes, vers. 18. Hæc est apostasia multorum. Quâ factum videtur, ut Ecclesia *egenorum*, ac *mansuetorum* habeat speciem *oblivioni traditæ*; &, cujus *exspectatio*, quam habebat de regno Christi propediem frorituro, *perierit*, vers. 19.

Attamen gloriatur Ecclesia in certa spe, *non in perpetuum sese oblivioni fore*, &c. 13
vers. 19. postulatque in fiducia, *Surgat Iehova*, *ne invalescat miser homo*. Pertinere videtur hæc petitio ad ipsam illam ἀκμὴν successus improborum, quando homo tantùm non adeptus regnum videtur; *Iudicentur gentes coram facie Dei*, in conscientia sua, ut intelligant, se improbè egisse, vers. 20.

Denique *ponat Iehova timorem ipsis*, ut timeant, ac dent gloriam ipsi. Idque 14
eo fine, ut *cognoscant gentes*, homines à regno Dei alieni, *quòd sint homines miseri*, ærumnosi, moribundi, qui cum potentiore ipsis disceptare non possint.

Jam subjungantur ea, quæ in principio habuimus.

PSALMUS X.

Argumentum hujus Psalmi hoc est. Ecclesiæ emersio ex tentatione ingenti & diuturna, sub dominatu Improborum. Hi sunt articuli:

1. Lucta piorum in diuturna tentatione. Ea proponitur vers. 1. & 2. his verbis: *Quare*, *Iehova*, pios non defendis, sed impios sinis dominari, atque ita videris *stare in longinquo? Cur dissimulas*, ita agis, ac si nihil videres aut audires, *in opportunitatibus*, ubi vel necessitas extrema consolationem & opem exigit, vel insignis fructus jactura timetur, *in angustia? In elatione Improbi*, auctoris scandalorum & peccati, sese elevantis supra omne id, quod altum est, (ea elatio depingitur Es. 14: 13. 14.) *ardet Afflictus* dolore, cruciatu & quasi febri animi in scandalorum multiplicatione? *Capiuntur in cogitationibus*, *quas cogitarunt*, hæsitant, impingunt, stupent, exitum non reperiunt in cogitationibus suis, cùm vident Elationem Improbi.

Exaggeratur hæc lucta, per explicationem causarum ejus, ℣. 3. 11.

Nam gloriatur Improbus, id est, corpus, multitudo Improborum, *super concupiscentia animæ suæ*, id est, super eo, quod carnaliter cognoscit; *Et avarum benedicit*, id est, honorem, laudem & gratiarum actionem tribuit Homini, qui non quærit oves, sed mercedem suam, etiam cum damno ovium, quasi per illum habeat remissionem peccatorum, & justitiam, & per illum stet, ut bonis suis fruatur: *Spernit Iehovam*, quasi is non sit auctor omnis boni. ℣. 3.

Improbus non curat, verbum & voluntatem Dei, *pro altitudine nasi sui* vel *iræ suæ*. Superborum est, oculos altos tollere; & Irridentium, nasum fricare & corrugare. Irascuntur porro Improbi iis, qui eorum libidini se opponunt. *Sine Deo sunt omnes cogitationes* ejus, nihil cogitat auctore Deo, per verbum & Spiritum. ℣. 4.

Secundi successus.

Terrent viæ ejus omni tempore, quicquid agat vel inceptet, homines formidant eum: *Sublimè judicia tua* & plagæ, *ne contra ipsum* procedant. Hæc est tolerantia & lenitas Dei. *Omnes hostes ejus* quod attinet, quos Deus Im-

probo excitat adverſarios, qui humilient ipſum; *in eos flat*, id eſt, cum poteſtate & efficacia iram ſuam evomit, & damnationis ſententiam in eos profert. Ita tria cornua coram ipſo effracta ſunt, Dan. 7: 8. ℣. 5.

Inde naſcitur præſumptio: *Dixit in corde ſuo; non nutabo: Is, qui non eſt in malo, durabit in ſæculum.* Eam eſſe veram Eccleſiam, contra quam non ſint prævalituræ portæ inferni, quæ eſt expers mali, neque vincitur, ſed vincit hoſtes ſuos, ℣. 6.

Tecta immanitas: *Exſecratione eſt plenum os ejus*, plenis buccis jactat verbum & fœdus Dei, ei jurat, omnibus ei non parentibus exſecrationem denunciat. Nec tantùm, ſed & *ἀναθέματα* temerè pronunciat, tanquam poteſtatem habens leges ferendi & judicandi: *Et fraudibus*, doctrinis, quæ habent ſpeciem *θρησκείας*, cultûs, & cortice verborum Dei teguntur, ad circumveniendos ſimplices; *ac aſtu*, quo ingenioſe quæſtum facit, & opes parat. (ex Prov. 29: 13. ubi eſt אִישׁ תְּכָכִים) *Sub lingua ejus eſt ærumna ac vanitas*, in corde habet cogitationem omnis mali, verſ. 7.

Sedet in inſidiabulo villarum, ſedet in villis, tanquam in latibulo, ex domo Dei facit ſpeluncam latronum. *Villæ* enim ſunt in agris, in quibus habitant coloni, & ex iis fructus comportant. Id hieroglyphicum eſt Eccleſiarum particularium in N. T. *In latebris interficit innocentes*, pios tollit è medio, ſub colore juris: *oculi ipſius in pauperem* & *honeſtum* vel *lugentem* ob publica mala *ſe occultant*. Improbis omnes honeſti ſuſpecti ſunt, nullam aliam ob cauſam, quam quòd meliores ſint. ℣. 8.

Inſidiatur in abdito ſicut Leo in ſpecu. Non tantùm per iram fundit ſanguinem, ſed minime laceſſitus, etiam cum pacem nuntiat, inſidiatur, bellum ſtruit quietis ac peſtem: *Inſidiatur ad rapiendum inopem*, qui nemini nocere poſſit: *Rapit inopem, quando attrahit rete ſuum*, quoties commovet inſtrumenta crudelitatis ſuæ, qualia ſunt reges cum ipſo fornicantes.

Denique ex caſu bonorum, dum *conteritur*, ſive *enervatur*, *deprimitur*, & *cadit per numeroſos ipſius honeſtus quiſque*, ℣. 10. induratur, ac *dicit in corde ſuo*: *Oblitus eſt Deus omnipotens* omnem ſcelerum memoriam, *abſcondit faciem ſuam*, à piis, tanquam malis, *non videt etiam atque etiam*, non reſpicit regnum ſuum, ℣. 11.

2. Oratio Eccleſiæ adverſus Improbum, eaque efficax. Ea eſt

(a.) de aſſertione gloriæ & regni Dei: *Surge, Iehova, Deus* omnipotens, *tolle manum tuam*, vim Spiritus & doctrinam Euangelii, tum etiam inſtrumenta iræ tuæ: *Ne obliviſcaris manſuetorum*, ℣. 12. *Cur contemſit Improbus Deum*, regem & judicem Orbis? *dixit in corde ſuo, Non requires?* Exuit timorem tui, & regnum tuum abnegavit. ℣. 13 *Vidiſti. Nam tu ærumnam & ægritudinem cernis*, vides ubique, ſi quis, neglectà veritate, ſequatur nihilum, & ſe atque alios inutili labore fatiget, & piis procaciter inſultet; adeo autem cernis, *ut ponas in manu tua*, ut accuratiſſime examines, & recondas in manu tua, donec in caput Improbi effundas: *In te rejicit honeſtus*, tibi vindictam commendans: *Pupillum extitiſti adjuvans*, olim Eccleſiæ deſertæ ac deſtitutæ viribus, ut ſub tyrannis Ethnicis, opitulatus es. Nunc etiam Eccleſia orphana eſt. Et promiſiſti: *Non relinquam vos orphanos*, Joh. 14: 18.

(b.) de repreſſione hoſtium. Ubi deinceps notanda

3. *Fractio brachii Improbi*, id eſt, potentiæ ejus; nempe Regum & Principum, qui, in gratiam Improbi, pios perſequuntur, verſ. 15.

Jam vide mihi luculentum exemplum. Carolus V. nonne fractus eſt, à Turcis,

cis, à Gallo, à Principibus Germaniæ? Philippus II. nonne fractus est per defectionem Belgii, & bellum consequens? Henricus II. Galliarum Rex, Franciscus II. Carolus IX. Henricus III. domus integra Valesiorum nonne fracta est? Aliorum regum defectione ab Antichristo nonne brachium ejus fractum est?

Fructus repressionis hostium, sublatio scandalorum ex Ecclesia: *Et malum* (*vindicaveris improbitatem ejus*) *non invenies*, vers. 15. Ubi vis adempta, seductio & fraus non est metuenda.

4. Demonstratur Antichristus, atque eo ipso agnoscitur *Christus rex*, cujus ille solium occupaverat, vers. 16. Dicitur autem *rex sæculi & æternitatis*: quomodo *Evangelium æternum* dicitur.

5. *Pereunt gentes ex terra Christi* regis, per separationem, quæ extitit, vel secessione piorum, vel anathemate improborum, atque etiam inprimis pace politicâ, sancitâ ac publicatâ in mundo.

Agnoscitur id Dei beneficium in Ecclesia, vers. 17. *Desiderium mansuetorum audivisti, Iehova.*

6. Cum autem nova corruptio, scandala, schismata, torpor ac frigus in Ecclesiam Reformatam inveherentur, orant ii, qui hæc considerant, *Confirmet Deus cor illorum*, ad ambulandum in viis suis, ad charitatem, ad compositionem & continuationem corporis Christi, vers. 17.

7. Cumque deinde Ecclesia per apostasiam, dispersionem & oppressionem plurium, pateretur desertionem ac imminutionem, orat: *Advertas aurem tuam ad judicandum orphanum & tenuem*, vers. 18.

8. Tandem plenè triumphat. *Non addet amplius terribilis esse homo miser ex terra*, vel, *Non addet amplius* quisquam *formidare hominem miserum ex terra.* Id fiet, homine illo peccati vel sublato, vel ad contemptum & vilitatem redacto.

PSALMUS XI.

Hic Psalmus exhibet consolationem, quâ Ecclesia se munit adversus mundi irrisionem.

A. Irrisio mundi est in his verbis: *Dicitis animæ meæ*; *Fuge monte vestro, avicula*, vers. 1. *Mons avicularum* est regnum Christi, quod prædicabant fideles, quodque dicebant occupaturum totam terram. Mundus illud regnum subsannat, ut in quo pii non possint esse tuti & securi, sed perpetua dispersio, exagitatio, jactatio sit.

B. Confutat irrisionem

1. ab eo, quòd *confugerint ad Iehovam*, cujus regnum non est de hoc mundo, ut in hoc seculo pios faciat dominari in corpora & opes hominum, vers. 1.

2. ab eo, quòd satis sibi præsidii sit in Deo, ad quem se recepit, ut apparet ex eo, quòd, cùm mundi imperia & abunde ad nocendum instructa erant, & omnes nervos suos, vim ac fallaciam intenderunt, nihilominus *stamina destructa sunt*, id est, ipse textus, ordo & connexus rerumpublicarum, quæ infestæ imminebant Ecclesiæ, eamque ceu indagine inclusam tenebant, ut non esset, quâ evaderet, convulsus & disturbatus est, *justo nihil agente*, id est, Ecclesiâ se non commovente, nullâ arte aut vi utente, ℣. 2. 3.

Jam

Jam respublica Judæorum deleta est. Ita gentilium Imperium, Ita Imperium Romanum dissoluta sunt.

3. à Dei inhabitatione in Ecclesia. *Iehova* est *in templo sancto suo*, vers. 4. Fluit hoc ex præcedenti. Sed & novum hîc argumentum est adversus irrisionem hostium. Si enim Deus Ecclesiæ suæ membra unit secum & inter se, per Spiritum suum, de nihilo est, quòd Mundus ei objicit *palationem* & disjectionem: Non enim illam Ecclesiæ unionem effici locorum contiguitate, aut ejus distantiis impediri.

4. à qualitate regni Dei. *Iehova, in cœlo est thronus ejus.* vers. 4. Non habet cathedram electam in mundo, neque sceptro armisve carnalibus utitur. Ubicunque ergo sunt pii, ibi regnum illud est, quemadmodum cœlum non uni loco magis, quàm alii propinquum est. Neque habet Ecclesia civitatem in terra, sed in cœlo, ubi thronus regni est.

5. à regis præsenti in omni loco regni sui notitia. *Oculi ejus vident, palpebræ ejus probant filios hominum*, vers. 4. q.d. Etiamsi Improbi non pertineant ad illud regnum Dei, tanquam cives, tamen non effugiunt Dei regimen. Ab omnibus hominibus Deus exigit obedientiam, timorem & fidem; quibus sufficere debet, quòd Dominus nôrit suos; fides autem, quæ in corde, à nullo homine videatur.

6. à regis sapienti gubernatione circa pios; quæ opponitur scandalo crucis illorum, & felicitatis cæterorum. *Iehova Justum probat: & improbum atque amatorem violentiæ odit anima ejus*, vers. 5. *Justos* scilicet *probat*, id est, exercet, ut fides ipsorum firmetur, & ipsis ad consolationem innotescat; *Improbos* verò, etiamsi florere & bene agere videantur, *odit*, permittit ipsos sibi, donec, impletâ mensurâ peccatorum, exemplum fiant iræ.

7. à judicio (a.) iræ in improbos, vers. 6. *Pluet in improbos laqueos*, quibus implicentur; *ignem & sulfur*, quo consumantur, imò in æternum crucientur; & *ventum procellarum*, quo dissipentur, *ferculum calicis ipsorum*, quem totum ebibant. (b.) gratiæ, vers. 7. *Quia* enim *justus Iehova*, proponens Christum ἱλαστήριον ad justificandum improbum; *justitias amat*, abominatur scandala, amat fidem, pœnitentiam, charitatem, ædificationem Ecclesiæ in communione sanctorum, & similes fructus justitiæ. *Iustitias* intellige recta dicta & facta, congruentia cum nomine & imagine Dei, & justitiam donatam testantia; ideo scilicet *Rectos visuros faciem suam* vel *ipsorum*. Quod quidem in illa πανηγύρει sanctorum universali in cœlo fiet perfectissimè, fiet tamen & in hoc seculo ad ædificationem corporis Domini.

PSALMUS XII.

HIc Psalmus exhibet conflictationem Ecclesiæ cum profanitate & falsa doctrina multitudinis hypocritarum. Ea conflictatio spectatur

A. In quiritatione, vers. 2. 3. *Serva, Iehova.* Id in generali totius Ecclesiæ corruptione pro se unusquisque pius ingemiscit ad Deum, tanquam constitutus in præsentissimo periculo, ne faucibus inferni absorbeatur. *Nam defecit pius: Nam imminuti sunt*, & tanquam ad pugilli paucitatem redacti, *veraces ex filiis hominum*: fidos & sinceros significat propemodum interiisse. Id autem probat: Quia *temerarium loquuntur quisque cum proximo suo.* Nam si *quisque temerarium loquitur*, ac docet suas opiniones, ac nemo mala reprehendit, quum hi fructus sint, qualis erit radix? *Labium blanditiarum cum corde & corde loquuntur.* Loquuntur blanditias cum

cum Eccleſia, id eſt, profitentur fidem, recipiunt verbum Dei, Chriſtiani volunt dici & haberi, pietatem laudant: Sed hæc omnia faciunt cum duplici corde; volunt ſervire Chriſto, nec interim temperare cupiditati mundanæ. Ubi ergò *fidus*, cui rectè poſſit credi?

B. In dimicatione fidelium adverſus Eccleſiam malignantium, verſ. 4—7. Gladio Spiritus utitur. Eſt hîc

Increpatio per vindictæ interminationem: *Exſcindet Iehova*, confundet, compeſcet, imò abolebit, *omnia labia blanda*, omnes ſcilicet, qui per externam ſpeciem filiorum Dei falſa loquuntur, *linguam loquentem grandia*. 1

Inter *grandia* iſta ſunt effata Paparum, qui ſe vicarios Chriſti, Prophetas & infallibiles interpretes verbi Dei, judices omnium, qui à nemine poſſint judicari, caput Eccleſiæ; ſua dictata eſſe verbum Dei; ſibi ſubeſſe reges & monarchas, venditant. Confer dictatus Gregorii VII. editos A. C. 1076. apud Mornæum p. 536. 537.

Cauſa judicii: *Eò quòd dixerunt*, decreverunt, concluſerunt; *Pro lingua noſtra dominatum conſtituamus*, ſive *prævalere* ac *dominari faciamus* unum aliquem hominem, in quo ſit ſumma auctoritas & poteſtas Divina, cujus dicta habeant vim legis, utque per illum Dominum & præſidem viciſſim dicta ipſorum majorem apud homines habeant fidem & efficaciam. Adhæc *labia noſtra nobiſcum ſunt*. Eſt μυκτηρισμὸς: nobis non deſunt ſubſidia, inſtrumenta & adjutoria, quibus decretum efficiamus. Jactant, penes ſe eſſe Spiritum Sanctum, qui eos ducat in omnem veritatem, ita ut errare non poſſint; ideoque fidenter ſe decernere poſſe.

Nic. Clemanges fiduciam illam taxavit hâc mimeſi: *Generale concilium ſumus, fidenter agamus, errare non poſſumus*. Vid. Morn. p. 1171.

Sed quia vana eſt illa jactantia, nullum adjutorium illis relinquitur, niſi *ſua labia*, id eſt, eorum eloquentia & ad perſuadendum ac ſeducendum hominum cupiditatibus accommodata oratio. Præterea neceſſariò indigemus capite Eccleſiæ & corporis noſtri, neque ſubeſſe poſſumus Principi Politico. *Quem habemus Dominum?* Confer Hoſ. 10: 3.

Vid. Morn. p. 993. *Non videretur Dominus diſcretus, (ut cum reverentia ipſius loquar) niſi unicum poſt ſe talem vicarium reliquiſſet.* Petr. Bertrand. ad extr. Bonif. VIII.

Gloriatio de propinquo auxilio Dei, verſ. 6. Cauſa impulſiva: *Ob vaſtationem inopum, ob gemitum egenorum*, qui certè gemitus non eſt vulgaris, ſed qualis eſt eorum, qui vulnere aut morbo exanimantur, & ultimo halitu ſingultiunt; 2

Surgit Deus, tolerantiam & exſpectationem abrumpendo, & *ponit in ſalute eum, in quem flat*, compeſcit furorem hoſtium, facit, ut inviti & frendentes eum videant in pace florere, contra quem flant, atque ut ipſi potius formident ac trepident. verſ. 6. 3

Verbi ſui, quod eſt ſceptrum regni ſui, auctoritatem aſtruit contra *dominatum hominum* & *linguam loquentem grandia*. Commendatur autem à puritate: *Dicta Iehovæ ſunt dicta pura*, ſancta in præceptis, æqua in ſanctionibus, benigna in promiſſionibus, aptiſſima inſtitutionibus, veriſſima narrationibus, infallibilia prædictionibus: nec tantùm, ſed & conformia ſunt ſibi invicem undiquaque, omnibus partibus ὁμολογούμενα & congruentia. Eſt ſinceræ puritatis, *Argentum*: ita nitidum, ut nihil ſpurium admiſceri poſſit, quin ſtatim appareat 4

conſcientiæ ejus, qui Chriſtum didicit. *Argentum conflatum*, id eſt, puriſſimum. Quam maxime igitur aptum eſt hominum dicta ſordida manifeſtare, *conflatum in fornace terrea*. Oſtendit hoc probationis demonſtrationiſque evidentiam ad nos, q. d. curavit ea dicta nobis exactiſſime repræſentari in dictis, factis & ſtatu Chriſti inter homines verſantis, quod eſt fuſorium commodum noſtris ſenſibus. *Fuſum ſepties*. Scripturæ prædicentis veritas, currentibus Eccleſiæ temporibus ac periodis, toties eſt probata, verſ. 7.

C. in oratione, quâ ſe Eccleſia ad Dei opem & judicium convertit. Nota hic:

5 Eccleſia videns, multos homines veritati dare manus, eoſque, invitis hoſtibus, tutos eſſe, & conſideratâ hoſtium potentiâ & fidelium ἀδυναμίᾳ ad ſubſiſtendum, opem ſolius Dei, & quidem ſollicitè, rogat, ut *eos conſervet*, id eſt, confirmet in agnita veritate, in fide radicet, in charitate compingat, in ſpe fundet, in tentationibus roboret, à vi & malo hoſtium protegat.

Quàm potenter Deus Eccleſiam Euangelicam ſuperioribus annis protexerit, & quàm opus fuerit, Eccleſiam orare Deum de ejus confirmatione, clarum eſt.

6 Cum autem cerneret, ingruente cruce, frequentari apoſtaſiam; orat ſinceræ Eccleſiæ ſegregationem & conſervationem à mundo: ita ſcilicet futurum, ut regnum Dei clarius innoteſcat, utque tam turpis contaminationis ac defectionis, qualis Eccleſiæ Reformatæ accidit, nullum deinceps ſit periculum, & in ſæculum perſeveret populus, qui in veritate de nomine Dei appelletur. Verba hæc ſunt: *Serves*, arctè cuſtodias *eum à ſæculo hoc*, *qui in ſæculum erit*, verſ. 8.

7 *Improbi*, videntes, cœtus ſuos imminui, *circumquaque ambulant*, ſi fortè requiem & ſubſidium inveniant, & ſe colligere queant, ℣. 9.

8 *Secundùm ſuperelevationem vilitas* eſt *filiis hominum*, ibid. Ii, ut ſe extulerant ſupra omnem modum, ita infra omnia humiliantur, qui ſe pro filiis Dei ac Diis geſſerant.

PSALMUS XIII.

HIc Pſalmus deſcribit Eccleſiæ tentatæ triſtitiam, & in exitu lætitiam.

A. Triſtitia Eccleſiæ oſtenditur

I. in ἐπιφωνίᾳ Θεοῦ, quæ eſt inſtar querelæ. Ibi exprimit ſuas tentationes gradatim:

1. Queritur, *Deum oblitum eſſe ſui*, id eſt, ſeſe eſſe traditam in manum hominum, ad exercendum in ipſa omnem libidinem & crudelitatem. Hoc experta eſt Eccleſia ipſis primordiis, quàm primùm in mundo ſub dominatu idololatrarum eſt plantata. ℣. 2.

Eam oblivionem queritur 1. omnimodam, quaſi omnem ſui curam abjecerit. 2. diuturnam. *Quouſque?*

2. Queritur, Deum *occultaſſe faciem ſuam à ſe*, benedictione ſpirituali viſâ ſubtrahi, & hominibus nec fidem, nec charitatem, nec timorem Dei oſtendentibus. ibid.

3. Illuminatione Spiritûs Sancti per verbum obſcuratâ, caro invaleſcit ac de ſuo conſilia ſuggerit, quod dicitur verſ. 3. *Quouſque ponam conſilia in anima mea?* Hæc eſt tentatio interna: quæ ὑποτυποῦται Pſ. 73.

4. Poſt denſiſſimam rerum noctem, ubi omnis cognitio veritatis propemodum eſt

est extincta, profertur rursus *dies*, hoc est, lux veritatis, & tenebræ humanorum commentorum demonstrantur, vers. 9.

5. Nihilominus *mœror* residuus est, cùm ob mala externa, tum, etiamsi persecutio externa cesset, ob interna, hoc est, schismata & scandala in ipsa Ecclesia regnantia. vers. 3.

Hoc tempore profanitas plerorumque, solutio disciplinæ, novatio errorum, apostasia plurimorum, disjectio Ecclesiarum, oppressio piorum, vis omnia evertens, jus & veritas pessumdata, fœdera convulsa cogunt exclamare ex ℣. 3 *Quousque inimicus meus* (is est Satanas.) *superior erit me?*

II. In *λύσει*, querelæ partibus opposita, vers. 4. 5. Petit ergo

Curam. *Aspice*, ostende aliquo opere, reformatione hostium scilicet, Ecclesiam tuam tibi curæ esse, non tantùm ad cœlestia bona, sed & custodiam in hoc sæculo. Id oppositum *oblivioni*, de qua sup. §. 1. 1

Insinuationem, sive notificationem gratiæ. *Responde mihi*, desiderium meum optimum exple, fac ut augeatur regnum cœlorum civibus, iisque sanis, quà doctrinam, quà vitam, ad gloriam Dei & mutuum sanctorum gaudium. Id oppositum *occultationi faciei*, de qua sup. §. 2. 2

Illuminationem. *Illumina oculos meos* verbo & Spiritu tuo; ut intelligam, quanta nobis donaveris in Filio tuo. Sic fiet, ut non amplius ponam consilia in anima mea, sed veritatem certus teneam & sector. Convenit hoc §. 3. & 4. sup. 3

Rationem hujus petitionis affert à periculo animæ, *ne dormiam mortem*, ne absorbear à nimia ac carnali tristitia, & vita spiritualis extinguatur. Confer Apoc. 3: 1. 2. Convenit §. 5 sup.

Exaggeratur id à consequenti: *Ne dicat Inimicus meus; Prævalui ipsi.* Ne regnum Diaboli redintegretur, *hostes mei gaudeant*, *quòd dimotus sim*, ne sit in regno Diaboli gaudium & triumphus de electis, in pristinam captivitatem reductis. Convenit, quod sup. §. 5. dictum: *Quousque inimicus meus superior me erit?*

B. Lætitia Ecclesiæ ostenditur vers. 6.

I. in perceptione spei; *Sed ego gratiâ tuâ fretus sum*; & fructus ejus; *Gaudebo in salute tua.* Certus sum, me visurum salutem tuam & in ea gavisurum.

II. in rei perceptione, sive recognitione: *Cantabo Iehova, quia fecit omnia mecum*, id est, quia omnes divitias suæ gratiæ in me effudit, nihilque à me desiderari vel optari amplius potest, quod non à Deo & in Deo habeam. 4

PSALMUS XIV.

IN hoc Psalmo totus mundus damnatur peccati, vers. 1—5. ut salus & justitia sit eorum, qui se recipiunt ad Deum, vers. 6. 7. Docetur ergo

A. corruptio humanæ naturæ

1. denominatione subjecti ab illa, ut cùm dicitur *stultus*, sive potius *flagitiosus* vertas. נבל enim denotat eum, qui non per Spiritum Dei ad veram sapientiam & vitam Dei est regenitus. Connotat etiam *moribundum*, sive eum, qui legi mortis obnoxius est. Hæcque ex etymo vocabuli.

2. enumeratione operum

(a.) mentis, in *ἀθεότητι*. *Dixit stultus in corde suo, Non est Deus.* Hæc est abnegatio Dei vel 1. quoad existentiam, ut si quis negat, esse Ens aliquod immensum. Non omnes asserunt hoc, aut, si asserunt, persuadent sibi. 2. quoad

officium; qui datâ operâ nesciunt, Deum veritatem patefacere ad fidem, & cuique redditurum secundùm opera sua. Officium id negant, vel non quærendo veritatem, vel non timendo judicium, vel cultus à se excogitatos obtrudendo. 3. quoad naturam, qui omnia ejus attributa vel ignorant, vel obscurant, denique eum, quem sanctificavit Pater, & Spiritum ejus blasphemant. Denique hoc est eorum, qui non amant Deum, adeoque eum vellent non esse, & sine reverentia Dei vitam agunt. ℣. 1.

(b.) exteriorum facultatum. *Perdite egerunt*, *abominanda facinora commiserunt.* הִשְׁחִית cùm in genere est perditè agere, tum in specie de idololatria dicitur, Deut. 4: 25. Abominanda commiserunt, non tantùm fingendis sibi numinibus, sed & in se & inter se faciendo τὰ μὴ καθήκοντα.

Corruptio hæc extenditur ad omnes homines & actus. *Non erat*, *qui faceret bonum*, aut si faceret, id benè faceret. ℣. 1.

Exaggeratur autem à pertinacia malitiæ & insanabilitate naturæ, ℣. 2. 3. *Jehova ex cœlis prospectavit super filios hominis.* Significatur, hoc vitium homines possidere ut filios & sic hæredes Adami, & in eo omnes peccâsse. *Prospectavit*; Non est hoc simpliciter accipiendum de observatione Dei, quâ omnia etiam intima videt: Phrasis ipsa significat faciei exertationem, quâ uti solemus, cùm volumus, quæ extra conclave fiunt, liberiùs contemplari. Ita significatur admirabilis illa Divinæ Majestatis manifestatio in monte Sinai, cùm Deus, is, qui se יהוה nominaverat, cum myriadibus Angelorum è cœlo procedens & effulgens allocutus est populum suum, ut crederent in ipsum, *ut videret, an quis esset animadvertens & quærens Deum*, an scilicet caro, semel alienata à Deo, si Deus iterum se illi ad fidem & fiduciam revelaret, haberet vires animadvertendi, nempe animadvertenda, resipiscendi & Deum quærendi ad unionem cum eo. Vid. Exod. 20: 19. Sed frustra fuit homo, cui manifestatio debebat prodesse. *Quicquid est*, *recessit*, à me scilicet & via vitæ. *Pariter sorduerunt* etiam illi, quibus manifestatio erat facta, pari putore peccatorum enormissimorum se corruperunt. Certè Israëlitæ statim post acceptam legem idololatriam orsi sunt, deinde murmure suo & inobedientia effecerunt, ut universi delerentur in deserto. Ita ætatibus secutis. *Non erat faciens bonum*, quod peccatori utile est. *Non erat vel unus.* ℣. 3.

Convincuntur itaque omnes de inexcusabilitate, ℣. 4. 5. *An non cognoverunt omnes tractantes vanitatem?* Minimè potest ullus vanitatis tractator causari ignorantiam suam. Nam hoc ipsum *tractare vanitatem*, id est, vanam religionem, tale est, ut à conscientia damnetur. *Comedentes populum meum comederunt panem. Jehovam non invocarunt.* Eò provecta est irregenitorum malitia, ut fideles meos, ob id ipsum, quòd *populus meus* essent, odisse, persequi, & interficere non sint veriti. An hosce dices ignorasse? Minimè verò. Quare ergò ausi sunt? Imò persuaserunt sibi, se cultum Deo præstare? *Comederunt panem.* Deus non statim ipsos punivit, sed beneficiis affecit, Inde factum, ut *Dominum non invocarent*, quasi inutile esset ipsi servire, cùm ipsis persecutoribus benè esset, piis malè. ℣. 4.

Demonstratur vis conscientiæ in ipsis etiam induratis. *Ibi paverunt pavorem*; *quod* (vel *quum*) *Deus esset in generatione justi*, Christi & omnium filiorum ejus. Notum est exemplum in Herode & Sacerdotibus, quum rumor allatus esset de Christi nativitate.

B. Rege-

B. Regenerationis forma & fructus explicatur. ℣. 6. 7.

1. Forma sive natura (a.) in humiliatione. Inde dicitur regenitus עני *inops*, nullas habens vires, vel omnes vires carnis abnegans, & petens auxilium à potente Deo. (b.) in *consilio inopis*, quod ostenditur rationi irregenitæ refragari. *Consilium inopis pudori datis.* Putatis horum consilium pudorem afferre. Id consilium exponitur: *Quòd Deus est perfugium ejus.* (c.) in desiderio: *Utinam veniat ex Sione Salus Israëlis*, sive liberatio omnium filiorum Dei, dispersorum in mundo, ex potestate Satanæ. *Ex Sione* autem, ut congregentur ex omnibus populis ad Ecclesiam regenitorum, sive beatorum, qui post servitutem hujus vitæ, in Sione terrestri exantlatam, in cœlum translati sunt.

2. Fructus est (a.) in mutatione miseriæ populi Dei, ℣. 7. *Quum vertet Jehova captivitatem populi sui*, & ablata restituet. (b.) in lætitia electorum & vocatorum Dei: Tum verò non pudebit eos consilii sui; sed *gaudebit Jacob*, id est, omnes, qui per generationem spiritualem ex Jacobo & patribus nati videntur; *lætabitur Israël*, sentient intimè charitatem Dei in cordibus suis effusam, & suavissimè exhilarabuntur, omnesque lachrymæ ab oculis eorum abstergentur.

Possunt in hoc Psalmo tempora mundi distingui. Vid. Cl. COCCEJUM *ad hunc Psalmum*, fine.

PSALMUS XV.

QUia in Ps. XIV. declaratum est, omnes homines stultos & reos iræ & maledictionis esse, ansa datur quærendi, quinam igitur pertineant ad regnum Dei? Id docet hic Psalmus. In quo est διαλογισμός, constans Quæstione & Responsione.

A. Quæstio est ℣. 1. Magister, qui interrogatur, est *Jehova*. Ita enim homo excœcatus est, ut non nisi à Deo ipsi indicari possit vera virtus ac ratio salutis. Res, de quâ consulitur: *Quis commorabitur* (vel *hospitabitur*) *in tabernaculo tuo? Quis habitabit in monte sancto tuo?* Bipertita quæstio proponitur, quia de duplici hominum genere agitur: quorum alii sunt hospites & peregrini, sine Deo in mundo, quibus convenit παροικεῖν, *cohabitare*; alii sunt υἱοὶ τῆς βασιλείας, quibus convenit *habitare* in perpetuum. Item unio Dei & communio Sanctorum duplici figura significatur; *Tabernaculi* & *montis*. Duplex enim modus ejus est. Sub Veteri OEconomia restrictior, instar familiæ alicujus; in Nova latior, instar *montis* sive regni, *sancti*, ob Dei inhabitationem in omnibus ejus membris. Allusio est ad gubernationem Veterum: sub quâ primò in tabernaculo Mosis, deinde in monte Sion, in tentorio Davidis, habitavit arca.

B. Responsio. Ea habet

I. ὁρισμὸν, hoc est, definitionem virtutis regenitorum & justificatorum, quæ scilicet necessaria sit ad tranquillationem conscientiæ & spei non confundentis argumentum. Cæteroquin enim longè majora pertinent ad legis virtutem perfectam, quorum exemplar factus est Christus. Id in singulis clarum est. Definitio virtutis regenitorum spectat

1. Qualitatem communem omni speciei virtutis. Ubi est

(a.) Sinceritas propositi. *Incedens integrè.* Sincerum propositum quærendi regnum Dei hic notatur.

(b.) Studium ferendi fructus justitiæ. *Et operans justitiam*, id faciens, quod

 justo

justo post peccatum convenit, id est, credens in Christum, & fidei ac justitiæ obsignationem quærens in fructibus renovationis.

(c.) Probatio veritatis in animo. *Loquens veritatem in corde suo*, id est, ratiocinans secundùm claram & certam veritatem verbi Dei, non secundùm propriam concupiscentiam & opinionem, vel persuasionem aliorum. Hoc dicitur, legem Dei scriptam habere in corde suo.

2. Speciales ejus formas. Hic officia specialia quædam recensentur, pertinentia

(a.) ad charitatem proximi. *Non obtrectat linguâ suâ*. Inest ἀλλοτριοεπισκοπία, alienarum rerum inspectio & exploratio; tùm famæ atque existimationis alienæ nundinatio. *Non facit malum socio suo*, vel læsione boni ejus, vel offensione animi ejus, aut scandalo, provocante ad peccatum. *Et convicium non tulit in proximum suum*. Hic judicium infame ut in alios, ita in οἰκείους τῆς πίστεως maximè interdicitur.

(b.) ad honorem Dei apud homines testificandum: quod fit (1.) in judicio Dei de hominibus approbando, sine respectu personarum. *Spretus est in oculis ejus rejectaneus*. Regenitis ii, qui non sunt Christi, tanti non sunt, ut, quamvis divites & potentes sint, quicquam velint in gratiam eorum facere. *At timentes Iehovam honorat*, magni facit, amat, sibi præponit, iis obedit in Domino, quamvis sint pauperes & impotentes. Psalmus stylum præformat Euangelii. (2.) in religione *jurisjurandi etiam cum damno* & molestia *servandi*. Quo quis manifestè ostendit, potiorem sibi esse Deum commodo suo. Intelligitur autem juramentum, quod non est contra bonos mores, ut de pace servandâ, &c. (3.) in testificatione spei cælestis præmii pro benefactis: *Argentum suum non dat pro usura*. Intelligitur ex Prov. 28. 8. eum, qui opes congerit ex fœnore, non esse largum in tenues, sed avarum, immitem, non habere rationem afflictorum, quærere lucrum per ignaviam, & ex alterius damno. Mens igitur Psalmi est, fidelem & filium Dei beneficentiam potiùs quærere, quàm lucrum, magis bonum proximi, quàm propriam utilitatem, & in beneficentia exercenda non aspicere personas. E contrario ita olim Deus gentes abjecerat, ut à populo suo ne beneficium quidem mutui gratuiti exspectare aut postulare possent, quin liceret impunè Israëlitis à peregrino usuram petere, sive locuples esset, sive non. Hic tollitur discrimen gentium & personarum. Dat argentum suum, prout exigit necessitas petentis, vel dono, vel mutuo, sine fœnore. Inprimis autem verbum Dei & spiritualia χαρίσματα non habet quæstûs causâ. Atque hoc quidem obtinet tam in Veteri, quàm in Novo Testamento. (4.) in testificatione timoris Dei: *Et munus contra innocentem non accipit*. Competit hoc & in judicem & in testem. Testamur autem vel dicendo, vel non dicendo. Exigitur hic à Christianis confessio Christi & regni ejus, quoties à potentibus mundi oppugnatur.

II. Applicationem boni ad subjectum, præmissâ definitione descriptum. *Faciens ista non movebitur in seculum*, sive unquam, ℣. 6. Id scilicet est argumentum renovationis & radicationis in Christo.

PSALMUS XVI.

Argumentum hujus Psalmi est, Christi, agonem cum morte adeuntis, actio apud Patrem. Partes ejus sunt

I. Imploratio Christi: *Serva me, Deus omnipotens!* ℣. 1. Ita orat, ut in limine portarum mortis constitutus, infr. ℣. 10. Oravit autem in eo statu aliquoties. Vide Joh. 12: 27. 28. Joh. 17. Matth. 26: 39. 42. 44. Luc. 23: 24. Matth. 27: 46. In his omnibus perspicitur animi anxietas & ingens quidam affectus, & *εὐλάβεια*, sive *pius metus*, non tam ex formidine mortis, quam ex carentia lucis lætitiæque in facie Dei. Cohorruit etiam meritò, quoties cogitavit, se per scelus suorum prodendum & trucidandum, & iram Dei in plerisque illorum mansuram. Et cùm vidit peccata sibi datorum, ut Petri & Apostolorum, pro illis oravit. Quem invocat, denominat à *potentia*. Vide Marc. 14: 36. Hebr. 5: 7. *Nam ad te confugio*, quamvis terrores tui me circumstent; æquum igitur est, ut me serves, ne quâ Hostis meus mihi prævaleat, ℣. 1. 1

II. Responsio Patris: Ubi est 2

(a.) approbatio obedientiæ Filii: *Dixisti ad Iehovam, Dominus es tu.* Tu me agnovisti, quòd sim Dominus, mihique obedientiam, ut servus, addixisti; tum etiam revera obediendo usque ad mortem, ad quam te offers, Dominum me declarasti, & perfectâ obedientiâ me honorasti. Igitur *bonum meum*, id est, gratia mea, *non est super te*, ut eam hominibus promerearis ampliùs. Tu enim perfectus es Salvator. ℣. 2.

(b.) appropriatio fructûs ad electos: *Pro sanctis* (scilicet gratia mea est: vel, Bonum meum non est super te pro sanctis &c.) *qui sunt in terra*, electi ex mundo, justificati propter te, & sanctificandi porro, Apostolis tuis; iisdemque *ducibus eorum* in toto mundo, *in quibus est omnis voluptas mea*, quibus verbo & vitâ prælucebunt, quosque ad me adducent. ℣. 3. 3

(c.) promissio glorificandi Salvatoris per vindicationem contemtûs ejus. Peccatum vindicandum: *Alium dotârunt.* Noluerunt te Regem admittere, sed scortantur cum *Alio*, hoc est, 1. cum Cæsare & populo Romano. Vid. Joh. 11: 48. Joh. 19: 15. 2. cum falso Deo, quem comminiscuntur habitare in templo manu facto. 3. cum Diis λιχμένοις. Illos *dotârunt*, illorum amori impenderunt omnia, illorum gratiâ sese fatigant omnibus modis. Nihil contra ab illis accipiunt. 4

Ipsa vindicatio in tribus gradibus consistit.

(a.) in plagis multis. *Amplificabuntur dolores illorum*, qui *Alium dotârunt.* Hoc impletum esse, statim post Christi ascensionem, in Judæis, testatur historia sub Caligula & deinceps.

(b.) in abolitione rituum, & in rejectione justitiæ illorum. *Non faciam libari libamina illorum propter sanguinem* Testamenti jam fusum. Quo fuso, non jam ampliùs cerimoniis istis opus est.

(c.) rejectione & induratione. *Et non assumam nomen eorum in labia mea*: Non nominabo eos, ut meos, sed abnegabo, non vocando eos ampliùs, auferendo sanctuarium ab ipsis, indurando ipsos, ut non resipiscant à peccatis suis, omnibus malis persequendo, & cæteris modis, quibus eos ut non suos declarat. ℣. 4.

III. Ad dictum Patris, 1. gratias agit Christus pro sorte sua. *Iehova ferculum partis meæ & calicis mei.* Is solus mihi sufficit ad vitam & lætitiam. Haud abludit, quòd opus sibi traditum à Patre cibum suum vocat, Joh. 4 : 34. *Tu tenuisti sortem meam*, ac manu tuâ direxisti, id est, ab æterno de iis statuisti, qui mihi dandi essent, ℣. 5. *Funes mihi ceciderunt in amœnis.* Funis metonymicè pro parte agri. Sensus est, Ecclesia electorum sorte mihi assignata est *in amœnis*, quia Deus iis omnem gratiam & benedictionem spiritualem addixit. *Etiam hæreditas, quæ decet me*, regnum mihi datum tale ac tantum est, ut deceat majestatem meam, ℣. 6. Ea hæreditas jam ostensa est, ℣. 2. Hinc promittit laudem: *Benedicam Domino*, id est, celebrabo ipsum, & cumulatissimis laudibus prosequar, *quia consuluit mihi.* Id consilium est de hæreditate Christo danda, jam explicatum ℣. 3. 4.

Addit consilii istius observantiam perpetuam. *Etiam noctibus erudiverunt me renes mei*, q. d. consilium tuum adeo mihi infixum, & intimis quasi medullis insinuatum fuit, ut & in *noctibus*, sive in nocte spississima, id est, in summa anxietate ejus non fuerim oblitus, sed vel intimas cogitationes & affectus meos restrinxerit, ne voluntas secundùm legem naturæ, quæ sancta est, pugnaret cum consilio gratiæ, & fieret non sancta.

Ex hac concertatione, quæ fuit apud animum Christi, ille sudor, quasi grumi sanguinis.

2. Sese præparat ad mortem

(a.) per confirmationem fiduciæ in ope Dei. *Posui Iehovam coram me semper. Quia is est ad dexteram meam, non movebor*, ℣. 8. Sensus planus est: Conscientia mea optimum mihi testimonium perhibet, quòd fecerim voluntatem ejus, qui misit me. Certus sum igitur, Deum mihi adesse in certamine meo contra hostes meos. Non igitur vacillabo. ℣. 8.

(b.) indicatione alacritatis. *Iccirco lætatur cor meum, & gloria mea gaudet.* Animum sive voluntatem Christi significat in adeunda morte ingenti suavitate perfusam. Gloria verò significat Spiritum Divinum habitantem in se; quod habeat præstantissimum, sive æternam illam voluntatem filii Dei, tradendi carnem suam piamentum pro multis. ℣. 9.

(c.) in prædictione mortis; *Etiam caro mea procumbet*; & resurrectionis. *Procumbet securè*, ℣. 9. *Quia non relinques animam meam in inferno*, vers. 10. Per נֶפֶשׁ intelligitur propriè id, per quod proximè vivit homo, ut & aliud animal, quo extincto, moritur; ponitur etiam pro corpore animato, quod nomen gerit corpus hominis etiam post mortem, quia ad vitam factum est. Quomodo hic etiam intelligi potest. Quicquid sit, non aliud hic intelligitur per נֶפֶשׁ quàm id, unde Adam fuit appellatus ψυχὴ ζῶσα, & corpus ejus ψυχικὸν, *animale.* Quando ea anima moritur, tum & corpus moritur. Quum corpus illud est in *inferno*, & anima illa est in suo inferno. Non enim videtur, neque vegetat ullum corpus. Quando corpus resurgit, & anima illius corporis vindicatur ab inferno. Sed quia & David & omnes pii resurgent, ideo addit: *Neque studiosum tui ad videndum corruptionem.* Notatur resurrectio maturata illius, qui amat Deum perfecto amore. Id scilicet Christus innuitur consecutus morte suâ, ut non tantùm solus ante corruptionem resurgeret, sed ut nihil ipsius, nempe nos, membra ipsius, quorum anima & vita ipsius anima & vita est, relinqueretur in inferno.

Denique in prædictione vitæ, beatitudinis & gloriæ. Tria enim ista distincta sunt.

ſunt. 1. *Noſſe me facies iter vitæ.* Senſus eſt: Quòd procumbet caro mea, non mortem voco, ſed viam veræ ac æternæ vitæ, quam me facies experiri, & pro omnibus ſanctis initiare. 2. *Noſſe me facies iter ſatietatis lætitiarum apud faciem tuam*, id eſt, ego per ſanguinem meum tranſibo in ſanctum ſanctorum, ut ibi perpetuò præſens aſſiſtam faciei tuæ; ut tu in mea obedientia, & ego in tua gratia ſaturam lætitiam habeam. 3. *Noſſe me facies iter amœnorum, quæ ſunt in dextra tua perpetuò*, id eſt, per mortem adibo gloriam regni. Nam per reſurrectionem meam declarabitur, quòd ego ſim Filius Dei; &, me ſubvecto in cœlum, demonſtrabitur, me eſſe regem & dominum & judicem omnium conſtitutum. Quum dicit, ſe ire ad *amœna, quæ ſunt in dextra Dei*, ſignificat, ſe fore ad dextram Dei compotem omnium illorum amœnorum, ut ex iſta dextra Dei, tanquam caput Eccleſiæ, illa diſtribuat inter homines. Intelliguntur itaque per *amœna* omnia illa tam multiplicia dona Spiritûs Sancti, gratia Dei & efficacia ejus in Eccleſia. Convenit hiſce oratio Chriſti, Joh. 17: 5. *Glorifica me apud te eâ gloriâ, quam habui apud te, antequam mundus eſſet.*

PSALMUS XVII.

UT in Pſalmo præcedenti eſt Chriſti morientis oratio ad Patrem: ita hic eſt oratio Eccleſiæ, teſtans libertatem ejus ad invocandum Deum in juſtitia Chriſti. Partes duæ

A. Propoſitio generalis, verſ. 1. *Audi, Jehova*, qui jam implevisti promiſſiones tuas in Chriſto, *juſtitiam*, ſpem fundatam in juſtitia donata, dum in nomine Chriſti te invoco; *adverte ad clamorem meum*, petitionem ardentem & enixam, in ſonum oris erumpentem; *ad aures admitte orationem meam*, quam ad te ut judicem fundo, *non cum labiis doloſis*, ſine fuco & hypocriſi.

B. In expoſitione ſive exergaſia

Primum votum Eccleſiæ eſt accommodatum ei tempori, quo Judæi eam perſequebantur, ſtante adhuc templo & politiâ. *A facie tua judicium meum*, id eſt, ſententia abſolvens & juſtificans, *prodeat*, id eſt, pronuncietur & publicetur, adimatur hoſtibus argumentum Eccleſiam inſectandi, velut Judæis templum. 1

Ratio petitionis deſumitur à fructu judicii. *Oculi tui videbunt recta*, id eſt, res gratas. Si edas ſententiam in cauſa mea, minus erit criminationis in mundo, & electi tui venient ad regnum tuum, & fide ac pœnitentiâ placebunt tibi, verſ. 2.

Præparatur Eccleſia ad iſtum fructum 1. *Exploratione* ſimplici, propoſito verbo Euangelii, tum *viſitatione*, id eſt, Gratiâ muniente *in nocte*. 2. Exploratione ſuccedente. *Conflaſti me*, cruce & paſſione me probaſti tanquam igne; *Non reperiebas* ſcorias, aut tale quid, propter quod reprobarer. Notatur puritas circa funda mentum, tum etiam ſanctitas in paſſionibus patefacta & exercita. *Cogitavi*, habui fixum animi propoſitum, ſecundùm voluntatem tuam patiendi & agendi, *non transgreſſum eſt os meum.* Id decretum ne ore quidem violavi, quo peccare eſt procliviſſimum. verſ. 3. *Propter mercedes hominum*, ſive præmia & pœnas, in verbo tuo deſcriptas, adhibito *verbo labiorum tuorum*, Canone certiſſimo, *obſervavi itinera*, actiones & eventus *eruptoris*, ejus, qui ſepimenta omnia honeſtatis, amorem Dei, ut ſummi boni, legem, pudorem, timorem, perrupit, Synagogæ ſcilicet Judaicæ, ut illa itinera vitarem, verſ. 5. *Tenuerunt greſſus mei orbitas tuas*, id eſt, lineas & fines officiorum, in quibus conſiſtit imago 2

Dei, tum etiam exemplum obedientiæ, Filium tuum: *Non dimota sunt vestigia mea*, ad dextram vel sinistram, recto talo incessi. ℣. 5.

3 Secundum Ecclesiæ votum respondet illi tempori, quod destructionem Synagogæ & templi secutum est. *Ego te invocavi, quia respondere mihi vis ac potes; Inclina aures tuas & audi dictum meum*, ℣. 6. *Insignes præsta gratias tuas*, jam ne utaris vulgari studio & gratiâ circa Ecclesiam. Ratio, *Salvator confugientium ob insurgentes in dexteram tuam*, id est, auctoritatem suam auctoritati sedentis ad dextram tuam comparantes, eamque adversus dextram Dei exaltantes, atque ita eos, qui ad dextram tuam confugiunt, impetentes. ℣. 7.

Specialiùs explicatur hæc petitio. *Conserva me, ut nigrum pupillæ oculi; umbrâ alarum tuarum occulta me*, ℣. 8. *Ob improbos, qui me vastârunt; inimicos meos capitales, qui obsident me.* ℣. 9.

Quoties & quot modis Ecclesia jam olim à domesticis hostibus sit vastata, nihil attinet dicere. Ipsa confusio hypocritarum, hæreticorum, scandalosorum cum piis, est Ecclesiæ vastatio.

Actio in hostes. *Adipem suum clauserunt*, id est, opimi & obesi evaserunt; *ore suo loquuntur cum elatione*, id est, cum despectu illorum, quibus deberent subdi, & arrogatione auctoritatis in alios, ℣. 10. Hic notatur superbia & arrogantia.

Gressus nostros quod attinet, *jam circumdederunt nos; oculos suos ponunt*, defigunt, *ad declinandum in terram*, ℣. 11. Nota hic periculum Ecclesiæ. Pii gradum non faciunt, quin circumsistant improbi supplantatores, Lynceis & defixis oculis intenti ad eos subvertendum. Sunt hic 1. scandala doctrinæ & morum ad ruinam facilem abundantia. 2. impeditio itineris recti & impulsio in malum per suasionem, legem, metum. 3. vigilantia in occasionis ad evertendum aucupatione. 4. scopus, ut, prostratis piis, ipsi soli regnent.

Crudelitas notatur ℣. 12. *Similis*, est *leoni* qui *desiderat prædari; & juveni leoni, sedenti in latibulo.* Hostem certum notat, sitibundum sanguinis piorum, & validum ac insidiosum, qui per speciem veri ac recti salutem innocentium appetat.

Tot sunt exempla hujus rei, ut non necesse sit indigitare.

Postulatio gradata in Hostem, ℣. 13.

4 *Surge, Iehova*, ut terreatur.

5 *Occursa faciei ejus*, confer cum illo gradum, ut impediatur.

6 *Incurva illum*, staturam ejus, ferrei nervi more rigidam, intorque, id est, adime illi potentiam & animum ad nocendum.

7 *Præsta, ut evadat anima mea ab Improbo, gladio tuo.* Hæc pœna non perfunctoria, quando Deus Improbo, ut gladio, utitur in suos; *ab hominibus* vicem *manûs*, agitantis gladium tuum, tibi præstantibus; *ab hominibus de ævo*, vitæ tantùm ac voluptatis hujus seculi potentibus, non verò lucis spiritualis; *quorum pars est inter vivos*, inter illos nomina sua professi sunt; *quorum ventrem recondito tuo imples*, audiunt, discunt verbum tuum, promissionibusque de bono fidelium, tanquam ad se pertinentibus, gaudent; *satiantur filiis*, gaudent accessu copioso eorum, qui ipsis credunt; *& relinquunt præstantiam suam infantibus suis*, quasi naturalis generationis lege successionem in fide & hæreditate regni obtinentibus. ℣. 13. 14.

8 Denique petit quoad hanc vitam, *Ego in justitia*, sive ob jus mihi donatum à Christo,

Christo, *videam faciem tuam*, in manifestatione potentiæ tuæ & gratiæ, per fidelium multiplicationem, in declaratione veritatis, in consolatione animi & tristitiæ abstersione, ℣. 15.

Quoad vitam futuram: *Satier, quum evigilavero*, sive resuscitatus fuero ex morte corporis, *specie tuâ*. Videam te sine omni obscuritate & nube, illuminatis oculis mentis meæ, depositâ fame & siti, in te conquiescam, ℣. 15.

PSALMUS XVIII.

CHristus in hoc Psalmo celebrat Deum ob perpetuam conservationem & evectionem sui & regni sui. Ἐπινίκιον est.

Titulus indicat 1. Psalmi destinationem ad usum Ecclesiæ publicum in posterum. Ideo *Præfecto*, sive præstitibus Ecclesiæ V. T. commendatur, ut justis temporibus illum canendum curarent. 2. auctorem depositi, *Davidem servum Dei*, qui, ut Propheta ad hoc missus à Deo, per Spiritum S. ut Psalmos Israëli & Ecclesiæ præscriberet, sed ut typum Christi, veri ac æterni regis & doctoris populi sui. 3. Psalmi usum privatum Davidi, *qui locutus est verba carminis hujus*, in senectute sua, in templo, publicè coram toto populo, Deo gratias agens pro omni ope & benignitate ejus, 2 Sam. 23. 4. occasionem: *Illo die*, quum *ipsum eripuisset Iehova ex manu omnium inimicorum ejus*, & *ex manu Saulis*, ℣. 1. Et sic Ecclesia aliquando sentiet, hostes debellatos esse, nihilque restare nisi expugnationem ultimi hostis, mortis.

Psalmi partes sunt quatuor.

Prima continet propositionem, ℣. 2. 3. 4. In qua est I. testatio affectûs erga Deum, *Diligo te, Iehova*; propriè est, medullitus & cum motu omnium viscerum diligo; quod Christo inprimis convenit. II. complexio summaria causarum istius affectûs, quæ sunt Dei beneficia erga se, quæ cùm sint externæ gubernationis omnia, à principio certaminis usque ad finem, præmittit iis internum aliquod beneficium, quod omnibus gradibus externæ gubernationis conveniat: *Iehova*, *firmitas mea*. Quòd steterit Christus homo, multo magis homo peccator in Christo, id à Deo & in ipso factum est, ℣. 2. & armaturam fidelium dicit *præconium* gloriæ Dei, ℣. 4.

Varietas gubernationis Ecclesiæ in octuplici gratiæ Dei differentia cernitur.

1. *Iehova est petra mea*. Tantundem mihi est ac petra occupata in medio mari, cujus præsidio tutus fui in diebus præconii mei ab omni vi Adversarii, etiam in ipsa morte & faucibus Orci. Deinde & Ecclesia in Christo habet, ubi stet, ubi habitet, ipsâ terrâ nutante ac dehiscente.

2. *Et arx mea*. Cogitanda hîc regni Christi & Satanæ commissio. Præstitit se Deus *arcem* Christi corpori, ut & hostes facili negotio, etiam per infirmos, repellerentur, & fideles feliciter in hostium castra excursiones facerent, & ex iis captivitatem captivam ducerent, id est, innumerabiles animas ex regno tenebrarum in regnum lucis assererent.

3. *Et liberator meus*. Deus evasionem præstitit Ecclesiæ, cùm judicium sumsit de infidelibus, puta Judæis, vel etiam, cùm per crudelissimas persecutiones accideretur, ut superesset semper cum majori flore & copia.

4. *Deus meus*. Ex etymo: *Potens meus*. Significatur ἐπιχορηγία spiritûs vitæ ac

ac virium ad persistendum in magna tentatione, qualis incubuit Ecclesiæ, cùm plurimi hypocritæ & temporarii descisc erent ab agnita veritate.

5. *Rupes, ad quam recipio me*, ut, hostibus me circumvallantibus, puta Antichristo & ministris ejus, non dejiciar. Deus Pater in Filio ea rupes est, cui inædificata est Ecclesia per fidem, quæ hic indicatur verbis, *ad quam recipio me*.

6. *Clypeus meus*. Notatur defensio adversus hostes, qualem experta est Ecclesia Reformata superiori tempore.

7. *Et cornu salutis meæ*, id est, cornu meum ad salutem, *cornu*, quo dissipantur & profligantur hostes Ecclesiæ, ut ipsi liceat extra noxam & periculum versari.

8. *Sublimis locus meus*, in quo constitutus hostibus non modò sit superior, sed & multò superior, adeoque sublimis, ut attingere non possint, & salutis compos. Cum hoc intelligitur hostium humiliatio.

Secunda Psalmi pars habet Exergasiam sive illustrationem divini adjutorii. Veluti narratio est. Ubi nota

1. Angustiam: *Ingruerunt mihi dolores mortis*, id est, vehementissimi, quique hominem suffocare possent, utpote provenientes à morte impendente ejusque causis, nimirum peccato & maledictione Dei. Significantur omnes miseriæ, quas Christus partim ipse in diebus carnis suæ passus est, partim in hominibus vidit, partim in membris suis experitur. *Torrentes Belial*, sive nequitiæ, id est, omnis cumulus peccatorum mundi, sive τ̃ πονηρ͂, id est, potentia Satanæ in hominibus reprobis, ejusque fraudes & vis contra Christum & regnum ejus, *perterrefaciebant me*; *Dolores inferni circumdederunt me*, id est, dolores provenientes à maledictione Dei, per quam mors potestatem habet, & à compassione hominum, æternæ morti per legem damnatorum, quam subire debebat ipse Christus, si potuisset fieri, ut à morte teneretur. Tales dolores expertus est, qui & grumos sanguinis ipsi expresserunt. *Occurrerunt mihi laquei mortis*. Hæc est mors carnis Christi, per quam quidem in *laqueos*, non verò in manum *mortis* incidit. Laqueos enim rupit, & spiculum morti morte suâ ademit, ℣. 5. 6. Itidem magna angustia semper fuit Ecclesiæ porta libertatis & gloriæ.

Christo vel Ecclesiæ *in* ejusmodi *angustia* constitutæ convenit Dei auxilium invocare, vers. 7.

2 Exaudit Deus, vers. 7. & præstat auxilium, in quo judicium spectatur, vers. 8. & seqq. Hic ὑποτυπώσει sermone ἐχηματισμένῳ

Ira Dei in adversarios demonstrata ante decretorium judicium. Gradus & signa iræ ponit

(a.) *Terræ motum à displicentia*. In passione & resurrectione Christi factus est *terræ motus*, & monumenta sanctorum aperta sunt, ipsique in vitam restituti. *Terræ motus*, & *commotio fundamentorum montium* figuratè hic significat labefactationem & politiæ, sive terræ Israëlis, & ἀρχῶν, sive principum prioris seculi, qui, ceu fundamenta, montes, id est, 12 tribus Israëlis sustinebant, vers. 8.

Facta ea per prædicationem Euangelii, & conversionem multorum ad Christum.

3 (b.) Labefactationi succedit consumtio per iram. Ejus inchoatæ signum est *fumus*, qui à resolutione solet existere. Consumtio evidentior in eo est, *Ignis ex ore ejus exibat & vorabat*; Consummatio denique in ardore totius substantiæ, ut cùm jam pinguiore ligni materiâ consumtâ, *prunæ* relictæ *ardent ab ipso*, sive ab ipsius contactu, vers. 9. Non necesse est hic intelligi totius ligni exustionem in prunas, neque prunarum totalem redactionem ad cinerem: Sufficit hactenus terror exem-

exempli in aliqua parte ligni, sive populi.

Postquam per antegressas castigationes, tanquam nuncios diei tremendæ Domini, homines non emendarentur, *inclinavit cœlos ac descendit*, id est, aliquo opere seipsum ac potentiam suam, quam contemserant, ipsis ostendit. Confer Cant: 2: 9. Additur autem apparatus appropinquantis: *Et caligo* erat *sub pedibus ipsius*, q. d. non veniebat cum luce ad illuminandum & exhilarandum, sed cum judicio excœcationis & indurationis, tum etiam tristitia & angore spectantium ipsum & opera ejus, vers. 10. 4

In conspectum autem hostium sese obtulit *insidens in Cherub*, id est, cum omni exercitu illorum, qui per quatuor animalia in Ezechiele & Apocalypsi denotantur, *& volans & vectus alis venti*, id est, celerrimo impetu illos ubique terrarum visitans, & iram passim effundens, cum sublevatione electorum fidelium patientium in mundo, vers. 11.

Crescit terribilitas. Opacitas sub pedibus erat, vers. 10. Mox *abdit se tenebris*, ne videatur facies ejus, & quidem *obscuritate aquarum*, sive nubibus, imbrem & procellam, sive calamitatem magnam, minantibus. Neque sufficit. *Nubibus nubium*, id est, nubibus crassissimis ac densissimis; vel *ætheris*, id est, in æthera altissimum exædificatis, totum æthera complentibus, circumvallat se, ut ne sit quidem aditus ulli clamori, ullisve precibus. Significatur subductio favoris, gratiæ, benedictionis in spiritualibus; concussiones, calamitates, excidium imminens prænunciantes. Huc refer Impiorum furorem adversus Ecclesiam, qui non nisi terrore, animis ipsorum ingesto, est.

Decretorii judicii instantis significatio est per *grandines & fulgetra*, vers. 13. Notantur subitæ, universales & horribiles plagæ. Per *fulgorem*, unde exiverint grandines & fulgetra, convenit intelligere zelum Dei, pro piis adversus hostes. Deinde & per *tonitrua & voces cum grandine & fulgetro*, vers. 14. intelligitur prædicatio verbi Dei in Ecclesia, quatenus per illud hostes Dei fortiter damnantur, & judicia instantia ex præcedentibus signis denunciantur. Quas voces grando & fulgetra comitari solent.

Sequitur judicium ipsum editum in hostes, per fulmina ceu *sagittas immissas*, quibus, strage edita, dissipati sunt; per *fulgura*, quibus oculos ipsorum ac animum præstrinxit adeo, ut unus in alterum offenderet, ac pariter corruerent. ℣. 15. Præbet exemplum hujus supplicii luculentum Judæorum gens; ipsa gentilitas Romana; præbebit & caterva Antichristiana. 5

Effectus judicii: *Exsiccatio aquarum in alveis fluminum & in mari*, id est, sublatio, abolitio & compressio potentiæ, tum in Ecclesia, tum extra eam, illius, ut terræ viventium, pestem quærentis. Talis est evacuatio populi Judaici; talis est gentilis Imperii Romanorum aliorumque populorum infestorum Ecclesiæ abolitio, vers. 16.

Jam in seqq. gratia Dei, quæ est Davidis liberatio, exponitur septem modis.

1. *Mittebat ex alto* quicquam, nubem scilicet, & *assumebat me*, in cœlum. Id in Christo ad literam impletum est.

2. *Extrahebat me* Spiritu suo *ab aquis multis*, nimirum ex potestate Satanæ, peccati & mortis, maledictione & ira Dei & servitute ceremoniarum legis sine pacatione conscientiæ, vers. 17.

3. *Eripiebat me ab Inimico meo robusto*, ex potestate scilicet Diaboli & servorum ejus, Judæorum & Romanorum gentilium, ℣. 18.

4. *Et ab oforibus meis, quum prævalerent inibi.* Ii hypocritæ & hæretici, quorum amplior erat numerus,quàmEcclesiæ:inter quos agebat oppressa & obscurata. ℣. 18.

5. *Occurrebant mihi*, osores mei, *in die calamitatis meæ*; *& fuit Iehova in fulcrum mihi*, verf. 19. Iterum cum osoribus aliis, nimirum Antichristi sequacibus, est negotium; & Ecclesia in calamitate, tristitia, languore & tenebris est, (hoc enim אֵיד sive metaphora *vaporis* significat) & osores congrediuntur adversi, ut evertant eam: sed Dominus electis suis *fulcrum* fuit, ut non seducerentur & perverterentur cum cæteris, vel etiam extirparentur ab osoribus.

6. *Et educebat me in latum*, è regno & communione ac potestate osorum, ut liberè servirem Deo, astipulante amplissimâ hominum multitudine. Hæc fuit Reformatio Ecclesiæ & ejus status per tempus. ℣. 20.

7. *Liberabat me*, sive expediebat ex omnibus difficultatibus. Subintelligitur hic nova angustia Ecclesiæ. verf. 20.

Subnectitur communis ratio omnis liberationis,sed quæ in ultimo colo peculiarem habet emphasin. *Quia delectabatur me.* Ea est εὐδοκία, sive voluntas benefaciendi Ecclesiæ post angustiam, & omnes lachrymas ab oculis ejus abstergendi.

Tertia pars Psalmi.

Usus beneficii & auxilii divini jam expositi hic est, ut

I. judicium Dei laudetur, ut rectum,

(a.). ex parte liberati, ut cui justum sit reddi præmium pro obedientia & fide.

1 *Tribuebat mihi pro justitia mea; pro puritate manuum mearum reddebat mihi.* Hæc in Christo ad legem Patris exigenda sunt perfectè; in membris ejus autem *justitia* notabit affectum convenientem gloriæ Dei,ut in Christo reconciliantis peccatores; qui est fides; *puritas* verò *manuum* notat pœnitentiam ab omnibus operibus mortuis, & opera bona, quæ in fide fiunt, verf. 21. & 25. ubi additur, *coram oculis Dei. Nam servavi vias Iehovæ*, à Deo scilicet præscriptas. Significatur obedientia & impletio omnis justitiæ, quæ est perfecta in Christo; & inchoata,sed seria secundùm Euangelium, membrorum ejus: *Et non improbus factus sum à Deo meo.* Id est incredulitatis, Dei justitiam rejicientis, atque ita damnationi cum omni propria justitia subjicientis.Id Christianus Judæo,id Reformatus Antichristo opponere

2 potest, ℣. 22. *Nam omnia judicia ejus* fuerunt *coram me* semper, id est, agnovi semper viam bonam & Deo placentem ad consequendam justitiam & salutem; contrariam verò cum horrore fugi sedulò ac vitavi; *Et statuta ejus non removi à me*, ab Euangelio, cui nihil addendum aut demendum est, ad vana commenta non recessi, ℣. 23. *Et extiti integer cum ipso*, non adjunxi ipsi alios, quos amarem, vel timerem; *Et cavi mihi à pravitate mea*, ad quam scilicet tentabar, & in quam per infirmitatem naturæ proclivis lapsus est. Notatur studium sollicitum perseverandi in agnita veritate, & non relabendi ad pristinam profanitatem.

Causa retributionis præexpositæ est laudabilis Dei συγκατάβασις erga homines sui amantes,. ita ut excludatur dignitas retributionem promerens:

3 *Cum pio pium te geris; cum viro integro integrum te geris*, verf. 26. *cum purificante se purum te præbes*, verf. 27. Magna συγκατάβασις Dei est, quòd diligat diligentes se, sed major est, quòd & illos, qui non perfectè, dummodò sincerè, ipsum diligunt, non aspernatur aut negligit, sed ita cum ipsis agit, ut appareat, etiam ipsum hos unicè redamare, ipsisque, ut suis, velle benefacere. Cum his verò, qui se, admoniti verbo Dei & Spiritu operante, à sordibus mundi purgant, ita agit, ut ipsis declaret puritatem suam, quò se magis

gis agnoscant, diligant & revereantur; & in eorum gratiam etiam se repurget à sordibus hypocritarum, eos abnegando & rejiciendo à se.

(b.) ex parte adversa: *At cum distorto contortum te prabes*, vers. 27. Cum hypocritis & non uno calle incedentibus ita agit, ut ipsis tortuosus, durus, præfractus & intractabilis videatur magis magisque, id est, ut illorum rationes à ratione Dei magis magisque discrepent, ut excœcentur, indurentur, irascantur Deo & ipsum blasphement. Nam ubi homo in devia abit, nunquam Deum experitur talem, qualem velit esse. 4

Porro hanc rationem agendi, cum piis benignè, & inprimis cum perversis tortuosè, demonstrat à gubernationis divinæ admirabilitate, sensibus, judicioque & exspectationi hominis illudente. Ejus gradatio est hisce articulis.

Populum inopem salvas, eos scilicet, quibus nullæ sunt vires, aut voluntas ad resistendum malo, servas, ut non eradicentur, vel salvas Ecclesiam à morte & maledictione æterna, vers. 28. 1

Et oculos elatos eorum, qui, magnis opibus subnixi, non nisi ardua agitant animo, ita *deprimis*, ut spes eorum omnis in pulverem recidisse videatur. Exemplum est in ruina Judæorum & Romanorum gentilium. ℣. 28. 2

Tu lucere facis lucernam meam, ne fides & spes mea exstinguatur, tua gratia est, qui non pateris in animo meo tenebras invalescere; deinde facis lucere lucernam meam coram toto mundo. vers. 29. 3

Iehova, Deus meus, splendore illuminat tenebras meas, vers. 29. In summis angustiis, in dubitatione, in veritatis divinæ occultatione, in regno Satanæ Deus illuminat Ecclesiam, & manifestat nomen suum, qui est *Deus meus*, unicus testis viæ ad justitiam & judex populi sui. Ita sub tenebris Antichristianismi. 4

Currit Ecclesia *in Deo turmâ*, sive turmatim. (In turma est multitudo, collectio & ordo) ut miles expeditus, paratus ad confligendum cum hoste, eundemque repellendum & lacessendum. 5

Ecclesia Reformata sit pro exemplo.

Et in Deo suo insilit murum, vers 30 Utut parvarum virium, cùm civitas adversaria ausa fuit erumpere, contra insurgit Ecclesia, hostes repellit, murum ipsum Antichristianæ dominationis animosè invadit, & feliciter expugnat. 6

(c.) ex parte judicantis, ubi virtus Dei in judicio testata, ut causa ejus, allegatur, nimirum Dei constantia: *Deus, integra est via ejus*; tum in sermone infallibilitas: *Dictum Iehovæ est conflatum*, purgatum ab omni errorum vel ignorantiarum sorde, & compertæ virtutis in conscientiis eorum, qui id habent manens in se. Hæc autem via Dei integra, & verbum illud infallibile in eo est, quòd *Clypeus ipse sit omnibus recipientibus se ad ipsum*, id est, Salvator est, dans justitiam, quæ tuta est ab omni accusatione & damnatione. vers. 31.

II*dus* usus beneficii & judicii divini superiùs commemorati est

Assertio gloriæ divinæ. Vide thesin: *Nam quis est Deus, nisi Iehova? Et quis* est *rupes præterquam Deus noster?* Christi & membrorum ejus. Nempe Deus omnem istam gubernationem sic instituit, ut appareat, ipsum solum esse *Deum*, cui credendum soli, & *rupem*, cui soli confidendum sit, ut adjutorio immobili, ℣. 32. 7

Confirmatur hæc thesis, & quidem 1. quòd Deus Christi & Ecclesiæ sit vera & sola rupes,

(a.) ab ope lata Christo & Ecclesiæ: Ubi nota hoc articulos:

Accingens me virtute, & qui dabat simplicem viam meam. Significatur robur 1

animi

animi ad ſubeunda & ſuperanda omnia gravia & acerba, & amor ac notitia viæ
2 cœli, ℣. 33. *Ponens pedes meos ut cervarum: quique in clivis meis fecit ſtare me.*
Pernicitas ſignificat ſtudium progrediendi. *In clivis ſtare* eſt ſuperiora tenere, unde
non poſſis dejici. ℣. 34. *Edocens manus meas ad prælium; ut curvent arcum*
æneum brachia mea. Notatur peritia tractandi verbum Dei, tanquam arcum æ-
neum, hoc eſt, validiſſimum ictum cordibus hominum infligentem, verſ. 35. *Et*
3 *dediſti mihi clypeum ſalutis tuum.* Fides in Deum & Chriſtum eſt is clypeus; vid.
Eph. 6: 16. Deus etiam eſt *clypeus* fidelium, qui ſtat pro fidelibus, de quo ſup.
Pſ. 7: 11. *Et dextera tua fulciebat me.* Intelligitur virtus Spiritûs Dei, ſuſtentans
4 fideles, ut nunquam deficiant. *Et comitas tua augebat me*, id eſt, faciebas me in-
dies majorem & robuſtiorem, verſ. 36. *Dilatabas gradum meum ſubter me*, ut ma-
5 gno gradu procederem; *& non vacillarunt tali mei*, verſ. 37. *Perſequebar ini-*
micos meos, omnia ſcilicet faciendo, quæ Diabolo odioſa ſunt, & peccatores
6 lucem fugientes reducendo ad pœnitentiam; *& aſſequebar, neque abſiſti, donec*
7 *conficerem illos*, verſ. 38. *Defixi eos, ut non potuerint ſtare: ceciderunt ſub pedes*
8 *meos.* Fidelis eſt robuſtior Diabolo, per Spiritum, qui habitat in ipſo, verſ. 39.

(b.) Confirmatur ab humiliatione hoſtium Eccleſiæ ſub ea.

Nota hic 1. *contra-ſurgentes* Judæos. verſ. 40. 2. *inimicos* gentiles. verſ. 41. 3. *oſores* hæreticos. verſ. 41. 4. Alios oſores deſertos. verſ. 42. 5. eoſdem contritos. 6. everrendos. verſ. 43.

(c.) Tum etiam ab exaltatione Chriſti & Eccleſiæ ſupra vim & potentiam alienorum. Ubi hi articuli obſervandi:

1. Liberatio à litibus. *Feciſti me evadere lites populi.* Cùm me ſcilicet populus integer, jure ſuo, tanquam præſcriptione legis & fœderis Dei, ferox, oppugnaret tanquam mendacem, ſeductorem & blaſphemum; tu me è morte reſuſcitaſti & in cœlum ad te recepiſti: itaque litibus eorum eripuiſti. Confer Eſa. 53: 6. Similiter agitur cum Eccleſia. verſ. 44.

2. Datio regni. *Poſuiſti me in caput gentium*, id eſt, principem & Dominum omnium in quacunque gente, abſque diſcrimine, ut eos ad me vocem ſecundùm conſilium tuum; *Populus*, quem *non noram*, *ſerviebant mihi*; novum populum ex novo fœdere notat, verſ. 44. *Pro auditu auris*, quamprimùm aures eorum attigit lex mea, ſtatim *auſcultabant mihi.* Id indicium eſt divinæ potentiæ, in animis operantis, verſ. 45.

3. Alienorum ſubjectio ficta. *Filii peregrinitatis abnegabant mihi*, hactenus illuminabantur, ut, abjectis falſis Diis, meum regnum agnoſcerent, fidemque & obedientiam erga me profiterentur, & diſſimularent animum alienum à me, verſ. 45.

4. Eorundem marcor. *Alieni emarceſcebant.* Ii, qui Chriſto mentiebantur, non diu nomen viventium in ipſo potuerunt retinere, ſed judicio ipſius relapſi ſunt in mortem ſuam. ℣. 46. Exemplum eſt Eccleſia Romana Pontificia perſeverans in ſuis peccatis; excluſa ſuis decretis à communione regni Chriſti, damnata per Euangelium, diffamata, irriſa, contemta.

5. Eorundem pavor. *Et trepidabant à clauſtris ſuis.* A pavore id erat, quòd ſe clauderent & munirent humanâ potentiâ adverſus Eccleſiam Chriſti, quòdque illam cuperent extinctam.

Deinde confirmatur & altera pars theſeos ſup. poſitæ ex verſ. 32. nimirum, quòd Dominus non tantùm ſit *rupes* Eccleſiæ *benedicta*, ſed & ſit ſolus Deus,

quòd

quòd *vivat*, *& dignus ſit exaltari*, id eſt, ſupra omnia credi & timeri, verſ. 47.
Confirmatur, inquam, à cura ſedula fœderati ſui. Hujus curæ actus ordine proponuntur.

1. *Deus ille*, *qui dedit ultiones mihi*, à Satana, me & Eccleſiam meam omnibus modis perſequente, dum ipſius fraudes ac violentias comprimit, & regno ejus viciſſim pauperiem facit.

2. *Et deduxit populos infra me*, ut mihi ſeſe regendos traderent, vel ſi me oppugnarent, ſive Judæi ſive Gentiles, ſubjecit eos pedibus meis, ut non poſſent ampliùs reſiſtere, verſ. 48.

3. *Qui liberavit me ab inimicis meis*, maximè domeſticis, qui nocent Eccleſiæ, ſeductione doctrinæ ac morum pravitate. *Fecit* autem *evadere* ex ipſis Eccleſiam ſuam, quamvis actum de ea videretur. verſ. 49.

4. *Præ insurgentibus mihi*, qui affectabant, ut eſſent pari mecum auctoritate, *exaltabas me*; illos de throno dejeciſti, me verò in throno meo quaſi poſtliminio collocaſti, verſ. 49.

5. *A viro injurio eripiebas me.* Eccleſia habet Antichriſtum & miniſtrantes ei reges, ſub dominatum ejus injuſtâ vi retrahere conantes. Ab iis quoque eripietur Eccleſia, verſ. 49.

Quarta Pſalmi pars habet gratiarum actionem.

Ideoque per Apoſtolos meos, Spiritu meo inſtructos, *confitebor nomen tuum* 2
inter gentes, omnes virtutes & perfectiones tuas celebrabo, verſ. 50.
Nomini tuo pſallam, & voce & opere, & paſſione, ſi opus ſit, lætitiam & 3
lubentiam animi conteſtabor in honorem tuum, ibid. Conf. Apoc. 14: 3.
Ratio gratiarum actionis eſt, 1. quòd ab omnibus malis & difficultatibus libe-
rat regem à ſe conſtitutum potentiſſimè & magnificentiſſimè. Ea ratio eſt in verbis: 1
O Tu, *qui maximas ſalutes præſtat regi ſuo.* 2. quòd perpetuâ ac perſeveranti gratiâ, amore ac ſtudio proſequitur unctum ſuum, ut cumulet eum omnibus bonis: *Et gratiam facit uncto ſuo.* Is unctus qui ſit, explicatur, *David & ſemen ejus*, Chriſtus. Gratia, quam Deus facit Chriſto, ſunt dona, quæ Chriſtus Eccleſiæ impetravit, quæque is ſedens ad dextram Dei largitur Eccleſiæ.

PSALMUS XIX.

PSalmus hic habet orationem pro Juſtificatione & ſanctificatione. Præmittitur meditatio, in qua eſt 1. Explicatio divinæ inſtitutionis, tum per opera Dei, verſ. 2—7. tum per verbum, verſ. 8—11. 2. Excuſſio animi proprii, ſive indicatio affectionis ſuæ erga divinam inſtitutionem, verſ. 12. 13.

Opera Dei inſtituunt *enarrando gloriam*, ſive præſtantiam *Dei*, id eſt, ipſius exiſtentiam, æternam potentiam ac divinitatem, ſive divinas perfectiones. Cùm autem peccator naturâ averſus ſit à conſiderando opere Dei, ut ex eo Deum diſcat, & gratiâ Dei ſit opus, per quam cœci videant gloriam Dei ex operibus ejus, hic Pſalmus, quaſi in viſione Prophetica, ob oculos proponit ſtatum mundi in vocatione gentium per legem fidei: quâ auditâ, nomen Dei fit magnum in omnibus gentibus, & cœlum ubique enarrat gloriam Dei, quod hactenus apud cœcos & ſurdos mutum fuerat, verſ. 2. Narrant autem gloriam Dei 1. indicando opus manuum ejus. verſ. 2—7. 2. calorem, vitæ conſervatorem, miniſtrando. verſ. 7.

In excuſſione animi eſt notabilis confeſſio & deploratio infirmitatis humanæ.

Aberrationes quis intelligit? verf. 13. q. d. 1. Quis poteft enumerare, quoties à lege tua fanctiffima exorbitet? 2. Quis ita circumfpectus eft, ut fciat, utrum exerret, nec ne? Imprudentes ruimus fæpe in malum. 3. Quis pro digno æftimat delicta? Hæc eft illa corruptio, quam Apoftolus vocat legem captivantem fub legem peccati & mortis, Rom. 6: 5.

Oratio ipfa eft

1. Pro peccatorum ablatione. Hicque duplex petitio eft, (a.) non imputandi occulta: *Ab occultis abfolve me.* Orat, ut fi quid in pofterum per imprudentiam fit acturus, id Deus ipfi nolit imputare. (b.) confervandi à voluntariis. *Etiam à protervis*, five peccatis זֵדִים ex propofito commiffis, *comparce fervum tuum*: Saltem *ne dominentur in me.* verf. 13. 14.

Ita nimirum fore, ut *fit integer* & perfectus, id eft, ut colat Deum ex animo, atque habeat confcientiam ἀπρόσκοπον, *& mundus fit à defectione multa*, five ut habeat confcientiam purgatam à peccatis, & pacatam.

2. Pro boni operatione. Petitum: *Sint in beneplacitum coram te verba oris mei, & meditatio cordis mei*, id eft, largire mihi illam gratiam Spiritûs Sancti, & operare in me, ut & loquar & cogitem, non modò faciam, quæ tibi placent, & chara atque accepta funt.

Fundamentum fperandi: *Rupes mea*, ad quam confugio, ut in te omnia poffim, *& vindex meus*, qui me captivum Satanæ afferuifti ut tuum, quippe tibi datum, & pretio tuo redemtum, ut tuus effem.

PSALMUS XX.

Repræfentat fidem Ecclefiæ in capite fuo Chrifto, quâ eum in omni ftatu ipfius & fuo profequitur. Atque ita

1. Primum votum Ecclefiæ refpondet Chrifti ftatui Humilitatis. *Refpondeat tibi Jehova in die anguftiæ*, verf. 2. Atque ita proponitur rex & ipfe in anguftia conftitutus, & fupplicationes ei, qui ipfum fervare poterat ex morte, offerens, & cum populo fuo in omni ejus anguftia communicans,& pro eo intercedens. *Refponfum Dei* eft partim in fignificatione amoris & promtæ voluntatis ad orationem invocantis, tum in ope re ipfâ lata, quoties vel virtute & miraculo, vel falute ipfi aut membris ejus opus eft. Videmus jam tum Sanctos V. T. in nomine Filii, ut regis fui, Deum invocaffe.

2. Præterea Chrifto optat evectionem regni. *Sublimet te nomen Dei Jacob.* Chriftus evehendus fuit, quia venit, ut is, qui nominatus erat Jacobo & Patribus, ut rex Ecclefiæ & hæres regni futurus. verf. 2.

3. Optat, ut *mittat* Deus *auxilium regis ex fancto*, *& ex Sijone fulciat ipfum*, verf. 3. Poft evectionem Chrifti in regem confideratur regni fundatio, facta per prædicationem Euangelii. Ad quam opus eft non uno adjutorio. 1. potentiâ Dei in coërcendo Satana, tollendis prædicationis & fidei impedimentis, patrandifque operibus miraculofis, &c. 2. in roborandis & confervandis verbi præconibus. 3. in miffione Spiritûs S. ex cœlo in corda electorum, audientium fermonem Euangelii, ut in illis fit efficax ad fidem. *Sanctum* appellat cœlum, in quo Deus fedet. In quem locum nulla impuritas vel injuftitia venit. *Ex Sijone fulciat*, id eft, 1 ex ipfa Ecclefia, ut Ecclefia domi habeat illud præfidium. 2. ut manifeftatio auxilii Dei fit eo in loco, ubi Deus gratiæ fuæ fignaculum pofuerat. 3. fecundùm verbum, quod in Sijone auditum eft. Cùm dicit, *fulciat te*, de membris & legatis

Christi loquitur, tanquam de Christo, propter unionem, quam habent eum ipso.

4. Optat ei acceptationem oblationis: *Recordetur omnia munera tua*; holocaustum tuum igne cœlitus misso *incineret* in signum acceptationis, ℣. 4. Post Christi angustiam & evectionem, intelliguntur hic spiritualia & rationalia sacrificia fidelium, qui bonorum suorum direptionem cum gaudio excipiunt, & animas suas non diligunt ad mortem.

5. Optat Ecclesia Christo impletionem desideriorum: *Det tibi secundùm cor tuum*: (ea est voluntas propitiæ intentionis, in qua ei placet, ut manifestetur Dei nomen, fides propagetur, & credentibus bene fit.) *Omne consilium tuum impleat*. Id est consilium justi propositi, quo hostium violentiam dirigit ad bonum Ecclesiæ, ipsorumque exitium & pudorem, vers. 5.

6. Succedit fidelium *jubilatio in salute* parta, conveniens cruci & afflictioni, in qua demum capiunt fideles hujus lætitiæ experimentum. Convenit canticum novum, quod canunt redemti ex terra, Apoc. 14: 3.

Conjungit Propheta huic fidelium jubilationi, ceu rem ejusdem temporis, quod habeant propositum *vexillandi in nomine Dei sui*, id est, sequendi nomen regis sui tanquam vexillum, ut nempe nihil agant, nisi in nomine Dei, & allegato verbo ejus; tum pro fratribus habendi illos, qui in idem nomen conjurant; & pro hostibus, qui illud vexillum non præferunt. Exemplum insigne hujus rei visum est sub Papatu, cùm ad alium regem, quàm Christum, ad alium doctorem, ad aliam salutem homines ducerentur. ℣. 6.

7. Sustinetque se interim Ecclesia certâ spe, *Jehovam impleturum omnia postulata regis Christi*, ℣. 6. Inter quæ illud insigne est, de quo Ps. 2: 8. 9.

8. Tandemque etiam capit ejus rei experimentum: *Nunc novi, quòd servavit Iehova Unctum suum: respondebit ei ex cœlis sanctis suis in fortitudinibus salutis*, id est, in eximia salute *dexteræ suæ*, vers. 7. Duo experitur. 1. quòd Jehova dederit salutem Uncto suo, id est, ei dederit potestatem in cœlo & in terra servandi confugientes ad se. Servat enim regem suum Deus, cùm per eum servat populum suum. 2. quòd igitur in posterum ei ex cœlo responsurus sit, id est, quòd manifestissimè coram oculis omnis carnis Deus potentiam suam in ipso asserendo & hostibus pessundandis sit exserturus.

Experimentum certum exponit

(a.) in præparatione ad certamen diversissimâ: *Hi in curribus* erant, *illi in equis*: De Adversariis Ecclesiæ loquitur, omnibus copiis instructis; tum etiam de hominibus Ecclesiæ, multiplicantibus humana auxilia, iisque confidentibus. Vid. Hos. 10: 13. 14. *At nos nomen Iehovæ Dei nostri commemorabamus*, id est, verbum Dei prædicabamus, sicque gloriabamur in Deo, ut defensore nostro, ℣. 8.

(b.) in exitu diverso: *Illi incurvati sunt, & ceciderunt*; hostes Ecclesiæ coacti sunt colla flectere sub jugum, & suppressi sunt à potentioribus aliis, nonnunquam & imbecillioribus; denique cadunt unus post alterum; *Nos autem surreximus & perstitimus*, vers. 9. Nos, qui in extremam mundi senectam, incidimus, hoc potissimùm nos experimento solari possumus, quòd nullus astus aut furor mundi nobis potuerit nocere. Tantùm caveamus peccata, quibus nomen Dei invocatum super nos profanatur. Ea enim unica fundi nostri calamitas est, & castigationes Dei provocat.

9. Denique, per petitionem directam ad Deum, significat, se à Deo in Christo omnia salutaria exspectare: *Iehova, salutem præsta* regi & populo tuo, id est,

 evasio-

evaſionem ex omnibus malis; *Rex reſpondeat nobis eo die, quo invocamus.* Chriſtus, quem invocamus, per gratiam tuam nobis præſto ſit, ut faciat ſine dilatione, quæ petimus, ſecundùm voluntatem tuam. ℣. 10.

PSALMUS XXI.

HIc Pſalmus continet Eccleſiæ gratulationem pro cura regni Chriſti.

A. Propoſitio congratulatoria eſt in ℣. 2. *Iehova, in robore tuo lætatur Rex*, id eſt, ſuavitatem ac jucunditatem ſolidam percipit ex divina efficacia in conciliandis bonis Eccleſiæ: *& in ſalute tua, quam gaudet vehementer*, id eſt, motu animi hilaris effertur ob averſionem potentem omnium malorum.

B. Exponitur

I. robur Chriſto exhibitum in datione boni:

1. ſecundùm petitionem ejus, *Concupiſcentiam cordis ipſius dediſti ipſi.* Quæ concupiſcere poteſt, dat ipſi Pater, dedit enim ei jus poſtulandi; *& ſponſionem labiorum ejus non prohibuiſti*, id eſt, quæ nobis ſpopondit ſe facturum, quæque in nomine ipſius petimus à Patre, verſ. 3. *Nam occurrere ei facis benedictiones* ſive cu-
1 mulos *boni*, atque hinc patet, quòd concupiſcentiam cordis des ipſi; *ponis in caput ejus coronam auri ſolidi*, id eſt, honorem maximum in eum confers ſupra Angelos & omnes principatus, ut eſſet caput Eccleſiæ, habens nomen ſupra omne nomen, cui ſe flectat omne genu, &c. verſ. 4. *Vitam poſtulavit à te, dediſti ipſi* ſcilicet vitam, *in longitudinem dierum, ſæculum & æternitatem.* Quum Chriſtus mortem ſubiret, flagitavit à Patre, ut ſibi vitam reſtitueret, (Pſ. 16.) atque ita teſtaretur, ſatisfactionem ſuam ei gratam eſſe. Deus Pater lytron Filii acceptavit; reddidit ipſi vitam, non modò ad tempus, ſed etiam in æternum, ut ipſius ſacrificium prodeſſet in omne tempus. verſ. 5.

2. Etiam ultra petitionem, cum ſalute. Hic eſt (a.) gloria: *Magna eſt gloria*
2 *ejus in ſalute tua*, id eſt, dum robore tuo ei ſalutem præſtas ab hoſtibus ejus, magna eſt *gloria*, ſive opulentia ejus. Notatur incrementum regni Chriſti; *De-*
3 *cus & majeſtatem ponis ſuper ipſum*, id eſt, illuſtras veritatem de perſona & officio
4 ejus, denique emollis corda hominum ad reverentiam, amorem & fidem illius regis. Quæ duo ſunt ordinaria media ad Regni Dei incrementum. ℣. 6.

(b.) conſtans benedictio: *Nam ponis* ſuper *ipſum benedictiones in æternum*, id eſt, omni benedictione ſpirituali eum cumulas in æternum; unde fit, ut apud homines nomen ejus identidem magis magiſque illuſtretur & recipiatur.

(c.) lætitia apud faciem Dei: *Exhilaras eum lætitiâ apud faciem tuam.* Effectum hoc eſt gloriæ & benedictionis. Tamen quaſi unica cauſa lætitiæ ejus illa dicitur, quòd Pater ex amore ejus dat ipſi illos, pro quibus intercedit. ℣. 7.

II. Exponitur ſalus præſtita: *Nam rex confidit Iehovæ*, id eſt, acquieſcit ipſius
1 conſilio, & fretus ejus præſidio nihil metuit mali; *& in gratia Altiſſimi non commovetur.* Hæc eſt ſalus, quòd non nutat, non commovetur, non labefacta-
2 tur, neque labitur. verſ. 8. *Invenit manus tua* (Eſt oratio ad Regem) *omnes inimicos tuos; dextera tua omnes oſores tuos.* Diabolum hoſtem & qui ei ſerviunt in repugnando, redigis in poteſtatem, ut, iis invitis, regnum tuum per terram explicetur. Hic primus gradus ſalutis. ℣. 9.
3 Secundus gradus ſalutis eſt in Deſtructione hoſtium: *Ponis illos in furnum ignis in die vultûs tui*; per iram & judicium tuum ardent intus flammis ſcelerum, iræ & invi-

invidiæ, flammis bellorum & ſeditionum; *Iehova in ira ſua deſtruit illos*, ut magis magiſque conſumantur; *& edit illos ignis*; notabiliter & magnis cladibus pereunt, verſ. 10. 4

Tertius gradus ſalutis eſt in Abolitione eorundem ex terra & ex filiis hominum: *Fructum illorum*, ſi quid ab illis reliquum eſt, *perdis ex terra* viventium. Exemplum ſunt Judæi per indurationem. *Et ſemen illorum ex filiis hominum*, nimirum ut non ſint amplius inter homines. Ita deleti ſunt cultores dæmonum ex hominibus, ut in pleraque orbis parte nulli reperiantur ampliùs. verſ. 11. 5 6

Quartus gradus ſalutis eſt in Fruſtratione conſiliorum: *Quia tetenderunt in te malum* tibique inſidiati ſunt ſub ſpecie amicorum; ideo *cogitarunt cogitationem, quam non valent efficere*. verſ. 12. Fruſtrationis cauſa: *Nam ponis eos metam; nervis tuis aptas ſagittas contra illos*. Chriſtus Eccleſiam malignantium ſeparat à ſuis, & ſe ex adverſo eorum collocat, ut ſagittarius ſtat contra ſcopum; (per שְׁכֶם enim metaphoricè ſignificatur tuber ex terra extans, quod metæ vel ſcopi vice ſit.) itaque efficit, ut non poſſint ampliùs ipſis ex occulto inſidiari. Sic fruſtra ſunt. Nec tantùm, ſed etiam ſagittas ſuas in ipſos jaculatur, 1. verbi veritatis. 2. potentiæ ac iræ. ℣. 13. 7 8 9

C. Epiphonema habet I. petitionem: *Superexaltare, Iehova, in robore tuo*. Eſt Apoſtrophe. Adhibe robur tuum in cumulatione boni & procuratione ſalutis, ut fias tu & Rex tuus omnibus ſuperior, id eſt, ſubſterne hoſtes pedibus ejus. II. Promiſſionem: *Canemus & pſallemus præpotentiam tuam*. Illud eſt fidei ad loquendum impellentis; hoc inſuper eſt charitatis. Formulam talis Cantici vide Apoc. 7:12. 11:15.17.18. 15:3.4. 19:1—7. 10 11

PSALMUS XXII.

P*Ræfecto de cerva auroræ*. Veroſimillimum eſt, hoc pertinere ad genus certum Muſicæ, certo præfecto commendatum; nec tamen ſine ratione genus illud Muſices, vel inſtrumentum Muſicum deſignatum fuiſſe; ut objectum Pſalmi ſimul κατ' ἐπιτυχία innueretur. Chriſtus *cerva auroræ* dici poteſt, 1. ob amabilitatem. Vid. Prov. 5:19. 2. ob debilitatem. 3. ob velocitatem curſus. Vid. Cant. 2:17. 8:14. *Auroræ* autem, quia nondum emicante die, quaſi ſeneſcente nocte, exſilit in campos, libera à nexibus ſuis: vel quia diem ex nocte exſiliens è latebris ſuis affert.

Eſt in hoc Pſalmo duplex oratio Chriſti; Patientis, uſque ad ℣. 23. Reſuſcitati, uſque ad finem.

I. in oratione Chriſti patientis & ad tempus ἐκλειπ eſt

Querimonia deſertionis: *Deus mi, Deus mi*, à quo mihi omnis facultas & robur, *quare deſeruiſti me?* ſentio ſummam infirmitatem, ſummum horrorem & dolorem, ſummamque in animo triſtitiam, idque ab eo, quòd caream lætitiâ, quam habui ab aſpectu lucis tuæ, à magnitudine peccati & iræ tuæ, &c. *Quare longè* ſunt *à ſalute mea verba rugitûs mei?* Rugio potius, quàm loquor; & tamen nulla adhuc apparet ſalus. Chriſtus in his vehementiſſimum deſiderium opis, conſolationis & recreationis ſignificat. Conf. Heb. 5:7. μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς. Et debuit nobis per haſce querimonias verus dolor ac cruciatus, quem in paſſione ſuſtinuit, exprimi. Vid. Matth. 27:46. Marc. 15:34. &c. 1

Exergaſia querimoniæ eſt

1. ab orationis ſuæ rectitudine & aſſiduitate. Rectitudo orationis in eo eſt, quòd

quòd reſpiciat ad fœdus & promiſſionem Dei, cum appellando אֵלִי *Deus mi*, qui ſcilicet juſſiſti me ſperare juſtitiam & hæreditatem: & quidem *die ac nocte*, q. d. in omni ſtatu, proſpero & adverſo, ad te *clamo*, vel per diem paſſionis & noctem capturæ: tum quòd *indeſinenter*, ℣. 3.

2. à Dei inhabitatione in Eccleſia. *Et*, id eſt, Atqui *tu*, *ô Sancte*, *habitas glorificationes Iſraëlis*. Tu, utut ſanctus es, & alienus à peccatis & peccatoribus, tamen jamdudum voluiſti habitare in populo tuo Iſraël; quomodo igitur me non ſalvas, per quem ipſis eſt adductio? ℣. 4.

3. ab *ope Patribus lata*, & quidem propter interceſſionem ſuam, verſ. 5. 6.

4. ab antitheſi ſuæ conditionis, quæ parum abſit à pudore fiduciæ in Deum. Id oſtendit (a.) in ſuâ vilitate: *At ego vermis ſum & non vir*; res debilis, vilis & abominabilis, factus ſcilicet κατάρα, nullam habens in populo Dei dignitatem, non Rex, non Sacerdos, aut Levita, aut Magiſtratus: *Opprobrium hominum* omnium, quos puderet tales eſſe, aut cum ipſo eſſe; q. d. omnes ſcandaliſantur in me. Atque ita & Pilatus: Ecce homo! *Contemtum* vel *contemtus populi* Iſraëlitici, lapis ille, quem reprobarunt architecti, &c. verſ. 7. (b.) in ſannis hominum per geſtus & dicta: *Omnes videntes me* Romani, ſive Ἕλληνες & Judæi, *ſubſannant me*, *diducunt labium*, abominantur me, *quaſſant caput*, damnantes me, ut ſeductorem, vel ſaltem dubitantes de me, verſ. 8. *Devolvit ad Iehovam*: *Evadere eum faciat*: *Eripiat eum. Nam delectatur iſto.* Eſt ſarcaſmus atrociſſimus cum ironia. Atque ita Euangeliſta. ℣. 9. (c.) in cauſa ſannæ, nimirum ſua fiducia in Deo, imò ſanctitate ſua, inde à nativitate ſua omnibus ſignis manifeſtata. ℣. 10. 11. Conf. Luc. 2: 52.

2 Petitio auxilii, eaque *Primò* generalior, verſ. 12--20. Proponitur verbis: *Ne elongeris à me.* Confirmatur à *propinquitate anguſtiæ*, *nullo opitulatore*. *Anguſtiam* dicit decretorium illud certamen cum Diabolo, morte, peccato & maledictione. verſ. 12.

Appropinquatio anguſtiæ ἀπαντητικὴ in duobus gradibus. Gradus primus habet

(a.) ſtudium & crudelitatem hoſtium, verſ. 13. 14. *Circumſtant*, *cinxerunt*, *diſtenderunt os ſuum*, *leo rapiens & rugiens.* Notatur initium certaminis, quum ſacerdotes Concilium haberent. Ii אַבִּירִים, principes populi. Cùm autem conjunguntur וְאַבִּירִים פָּרִים *juvenci & tauri*, præter robur & laſcivia denotatur. *Qui aperiunt os, ut leo*, ſunt exercitus dæmonum.

(b.) ſtatum ſuum in illa invaſione. *Inſtar aquæ fundor.* Intelligitur 1. fluxio ceu grumorum ſanguinis. 2. lachrymæ. 3. ſanguis ex vulneribus flagellationis manans; *Et laxarunt ſe omnia oſſa mea.* Præ dolore & debilitate nullum artuum meorum rego; *Cor meum factum eſt ut cera*, molleſcens ſcilicet, ita minuitur animus, gaudium, conſolatio, & firmitas illa excludens horrorem & ἀγωνίαν. Imò *liquatum eſt in medio viſcerum meorum.* Quod quid aliud eſt, quàm trepidatio, terror, horror, triſtitia & ἀγωνία? verſ. 15. *Areſacta eſt ut teſta vis mea*, id eſt, humidum vitale. Ita ineptus ſum ad agendum quicquam, ac ſi principium vitæ in me deficiat. *Lingua mea eſt agglutinatum palato meo.* Non tantùm à conſilio & voluntate eſt ſilentium, (de quo Eſ. 53: 7.) ſed & ab infirmitat carnis. Ex hoc ardore & ariditate corporis illa ſitis in cruce. Nec ſufficit: *Et in pulverem mortis deponis me.* Non hoc jam aliunde, quàm ab æſtu iræ Dei; qui ipſum ita exhauriebat, ut ad mortem redigeretur, quâ homines reſolvuntur in pulverem. Namque

que multum ad celeriorem mortem Chriſti fecit ipſius triſtitia & luctus ſpiritualis. Apparet ex eo, quòd Chriſtus mortuus eſt, viventibus adhuc latronibus. verſ. 14. 15.

Secundus gradus habet

(a.) crucifixionem publicam, eamque per *canes*, Romanos milites, & *cœtum maleficorum*, totum populum. De iis dicit, quòd *fòderint pedes ſuos & manus ſuas*. verſ. 17.

(b.) voluptatem populi in ſpectaculo crucifixi. *Enumerarim*, vel numeranda præbeo, *omnia oſſa mea*. *Illi cernunt, aſpiciunt me.* Diſtenſionem corporis in cruce dicit hic locus. Hoſtes interim magnam belluam ſuſtuliſſe ſe judicabant. Ita circumſtantes ſpectabant.

(c.) diviſionem veſtium nudati, partim ſecundùm particulas, partim ductâ ſorte, verſ. 19. Conf. Joh. 19: 23.

Hinc iterat affectùs ſui fideique ac deſiderii inſinuationem; *At tu, Iehova, ne elongeris: Facultas mea, ad opem meam feſtina*, verſ. 20.

Subſequitur *Secundò* petitio ſpecialior, eaque triplex:

(a.) *Eripe à gladio animam meam*, id eſt, vitam. Inſtabat Chriſto cuſpis ſcrutatura latus. Non vult autem hominis arbitrio vitam depouere. verſ. 21.

(b.) Eripe *à manu canis unicam meam*, id eſt, animam, quia charisſimam eam habebat. Subeſt reſpectus corporis Chriſti. Non debebant Chriſto oſſa frangi. Ergo orat prævorti mortem ſuam oſſifragio inſtanti. ℣. 21.

(c.) *Serva me ex ore Leonis*, id eſt, Diaboli, qui poteſtatem mortis habet: id eſt, ſerva me à reatu, maledictione & poteſtate Diaboli, à morte denique, per reſuſcitationem ex mortuis. Addit cauſam fiduciæ: *Et ex cornibus monocerotum reſpondiſti mihi*, id eſt, ex poteſtate principum hujus mundi, tanquam Pilati, cùm inter illos eſſem, reſpondiſti mihi, ſcilicet ut non modò oſſa mea non frangerentur, (quanquam hoc ad canem pertinebat, ſed juſſu monocerotis efficiendum.) ſed & Pilatus corpus meum concederet ſepulturæ, ne ullus monoceros in me ampliùs ſæviret. Chriſtus hic nobis proponitur, ut abiens in ſepulchrum. ℣. 22.

II. Oratio Chriſti reſuſcitati eſt deinceps

Euangelica prædicatio. Hic nota

(a.) præparationem ſive profeſſionem propoſiti: *Enarrabo nomen tuum fratribus meis*, Matth 28: 10. ut cognoſcant, qui & qualis ſis, teque ipſis apparuiſſe quoad nomen tuum Jehova. *In medio comitii celebrabo te.* verſ. 23. Chriſtus habet ἐκκλησίαν, comitium, concionem electorum ex Judæis & gentibus. Ad eam Eccleſiam eſt hæc prædicatio. Act. 26: 3.

(b.) Euangelium ipſum, quod habet præceptum, tum univerſale, *celebrationis Dei*, (quo innuitur beneficium remisſionis peccatorum) directum ad omnes *timentes Iehovam*, quos ſcilicet lex defatigavit, maledictio terruit, quique gratiam à Deo in mediatore exſpectant: tum ſpeciale, directum ad *omne ſemen Iacob*, ut *glorificent Deum.* Intelliguntur *omnes*, ſine diſcrimine, Jacobi filii, non tantùm ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Spiritum promiſſionis. Quos jubet, abnegatâ ſuâ juſtitiâ, glorificare Deum, & juſtitiæ donum quærere per fidem in Chriſtum. *Et metuite ab ipſo*, nec ab ullo alio, ipſi contra omnia mala confidite, *omne ſemen Iſraëlis*, verſ. 24.

Rationes præcepti: *Nam non ſprevit, neque abominatus eſt paſſionem inopis*, Chriſti ſcilicet, ſed acceptavit illam, ut λύτρον pro peccatis. Ergo *celebrate Dominum*,

minum, ut maximum benefactorem. *Neque abſcondit faciem ſuam ab illo*, ſed reſpexit faciem Chriſti, & propter illum omnia donat: Ergo *glorificate Deum*, eique omnem laudem doni juſtitiæ attribuite: *Et cùm quiritabatur ad ipſum, audivit*. Ergo *metuite ab Ipſo*; qui enim Chriſtum exaudivit, audiet & vos. verſ. 25.

In ſeqq. explicat Chriſtus opera regni ſui. Promittit autem Præfationem in hæc verba. *A te eſt gloriatio mea*. A te eſt, quòd habeam jus gloriandi de iis, quæ facturus ſum ſub regno meo. Tum & Propoſitionem generalem. *In Eccleſiâ amplâ vota ſolvam coram timentibus eum*, id eſt, coram Eccleſia, ſive multitudine maxima, illuſtrabo gloriam Dei, quod ei promiſi me facturum, ſi annueret mihi. Eſt hæc *concio*, ſive *congregatio populi Dei* coram rege ſuo, ut illius, & quidem ſolius, vocem audiat. Eſtque ea multitudo *timentium Deum*, id eſt, abnegatâ ſuâ juſtitiâ, ad ſalutare Dei confugientium. verſ. 26. De hac multitudine eſt Apoc. 7: 9.

Opera autem regni ſunt deinceps ex ordine

4 *Saturatio manſuetorum*, id eſt, eorum inter Iſraëlitas & alios homines, qui non inflantur prærogativâ carnis, aut bonis ſeculi, aut ſuâ ſapientiâ ac juſtitiâ, ſed, iis abnegatis, ſitiunt juſtitiam. *Satiantur* illi cibo, tum quo ſuſtentantur ad vitam, Chriſto & Deo, in quo vivitur, & doctrinâ, quâ mediante fit unio cum iis; tum quo creſcunt, aliis fidelibus, quos corpori ſuo aggregant. Quo facto, qui *regnum Dei quæſiverant*, *celebrant Dominum*, qui ipſis cum regno ſuo innotuerit, per effuſionem Spiritûs Sancti, & efficacem prædicationem verbi: Et *vivit cor ipſorum*, id eſt, corde ſunt bono *in perpetuum*, licet in anguſtia & metu, verſ. 27.

5 Reductio electorum Iſraëlis ad Deum. *Recordentur & revertantur ad Dominum omnes fines terræ*. verſ. 28.

6 Converſio gentium: *Et adorent coram te omnes familiæ gentium. Omnes*, inquit, ſine diſcrimine. verſ. 28.

Illuſtratur hoc

(a.) à cauſa, nimirum regno Dei. *Nam Iehovæ eſt regnum*, id eſt, Deus, ſubjectis ſibi idolis, & Diis nuncupatis, regnum capeſſivit, & *princeps*, ſive poteſtatem habens, *inter gentes*, cui gentes ſunt traditæ, ut inter illas verbum ipſius ſonet & per Spiritum ſit efficax, verſ. 29.

(b.) à connexo, nimirum deliciatione gentium *in opimis terræ*, id eſt, ſpiritualibus bonis regni, ſcilicet verbo ejuſque intelligentia, ſacramentis, ſpiritu, fide, juſtitia, pace, gaudio, ſanctimonia, patientia, ſpe, &c. Non igitur ſine magna cauſa *adorant*, verſ. 30.

7 Incurvatio morientium coram Chriſto. *Coram ipſo curvantur* & cadunt, ipſius judicio & irâ ſcilicet, *omnes deſcendentes pulverem*, verſ. 30.

8 Alacritas credentium ad fundendum ſanguinem. *Et animam ſuam non vivificavit*. Imperſonalis locutio. Hic, ille non vivificavit. Crebri fuerunt, qui non vivificarent. Nemo inventus eſt, qui non projiceret animam pro gloria Chriſti, verſ. 30.

9 Conſervatio Eccleſiæ. *Semen*, *quod ipſi*, dominanti in gentibus, *ſerviet*, *cenſebitur Domino in generationem* perpetuam. q. d. nunquam deërit ſemen tale; catalogus ejus non deficiet. Id eſt *ſemen* Abrahami, vocatum in Iſaaco, & Chriſti, & Dei. verſ. 31.

10 Converſio Judæorum & gentium in plenitudine. *Venient* ſemen, & *indicabunt juſtitiam ejus*, jus ad hæreditatem, morte Chriſti partum, *populo naſcenti*, ei ſcilicet,

ſcilicet, qui non eſt populus, ſed *naſcitur populus*, vel populo, qui perierat, & renaſcitur, hoc eſt Judæis: *Quia fecit* omnia, vel *quum fecerit*. ℣. 32.

PSALMUS XXIII.

DAvidi n perſona omnium fidelium aut Eccleſiæ N. T. ſpiritualem illam ſatietatem de qua Pſ. 22: 27. hoc eſt, gaudium & conſolationem, quâ fruuntur fideles per Chriſtum, hic explicat.

Partes ſunt duæ:

A. Propoſitio

I. Gratiæ divinæ, quæ eſt gaudii cauſa *Iehova eſt paſtor meus*, imò *paſcit me*. Indicat 1. jus Dei, quòd ipſius ſit, ut ovicula paſtoris. 2. gratiam Dei, quòd ita illum amet & curet, ut paſtor oviculam, qui & vitam pro illa deponit. 3. ſuam fidem, ut qui paſtorem agnoſcat, ſeque totâ animi fiduciâ in eum inclinet. 4. ſuam libertatem, quòd, liber ab omni ſervitute OEconomorum, à Deo ſolo regatur. ℣. 1.

Chriſtus ſe illum verum paſtorem aſſerit Joh. 10: 11.

II. Conſolationis ſuæ. *Non deſtituar*. Illativum hoc eſt ex priori. Abundabo omnibus bonis. Novi Teſtamenti id eſt, ubi eſt irrigatio & ſatietas ſitientium. *Non deſtituor*, nihil mihi deeſt ad juſtitiam & vitam. ℣. 1.

B. Declaratio

I. Gratiæ Divinæ, ab actibus ſive experientia. Actus Dei Paſtoris eſt

Proviſio copiæ omnis ad vitam & ſanitatem. *In manſionibus graminoſis facit me recubare: ad aquas amœniſſimas agit me*. verſ. 2. cibo copioſo me ſaginat; potu jucundo reficit. Cibus potuſque fidelium eſt tum doctrina verbi, tum conſolatio, tum illi, cum quibus concorporamur, nim. Chriſtus & fideles. Indicatur autem plena & clara indicatio, oblatioque larga ac prolixa gratiæ Dei in Chriſto mediatore, ad lætitiam perfectam, cum plurimorum electorum vocatorum fidelium ex gentibus communione. Cùm dicit, *facit me recubare*, id eſt, facit me invenire requiem animæ, innuitur ſine dubio quies, oppoſita ſervituti veteris œconomiæ. 1

Recreatio & ductus: *Animam meam reſtituit*, id eſt, ex manu prædonum & luporum (à quibus primi, qui in Chriſtum crediderunt, per trecentos annos vexati ac laniati ſunt) me eripit, reficitque ac recreat cibo ac potu; vulnera, ulcera ſanat; atque ita animam, quæ languebat, facit redire. Deinde verò curat, ne quà iterum exorbitem. Et hoc eſt alterum membrum. *Ducit me in orbitis juſtitiæ, propter nomen ſuum*, ut confunderentur ii, qui id obſcurabant, hæretici. verſ. 3. 2

Magna res eſt, quòd, pro eo, quòd cogerentur fideles quotidie in procinctu ſtare & vitam ſuam projicere, non tantùm hoſtes refrenavit, ſed & omnem potentiam hoſtium ad Chriſtianos tranſtulit. Majus etiam eſt, quòd, quum eâ re effectum eſſet, ut hoſtes Chriſti mentirentur ipſi, nihilque proclivius videretur, quàm ut cum hominum poteſtate ſubintroductâ in Eccleſiam doctrina juſtitiæ obſcuraretur, tamen Deus non permiſit eos, qui præſidebant, omnes abjicere & condemnare confeſſionem Chriſti ἀρχιποίμενος, ſed potiùs effecit, ut tum doctrina de perſona Chriſti, tum de gratia juſtificationis & regenerationis ſine meritis defenderetur.

4 Præsentia animans in graviſſima tentatione. *Etiam, quando eo in valle umbræ mortis*, id eſt, in terra ſterili & inculta, quæ famem ſitimque & obnubilationem ſpirituum affert, & quidem conjunctâ cum periculoſa declivitate, ubi ſaltant dami & rupicapræ, ovibus autem inviâ; *Non timeo malum: quia tu mecum es*, & ſuſtentas me, ne terroribus & periculis ſuccumbam; *virga tua & pedum tuum, illa conſolantur me*; non timet Eccleſia; quippe novit, bonum illum paſtorem & in numerato habere eos, qui ipſi dati ſunt, quemadmodum paſtor oves *virgâ* numerat, & potentiam habere ad eos retinendum ac portandum, ne de præcipitio cadant. ℣. 4.

5 Conſervatio inter oppugnatores, verſ. 5. Hic tria beneficia.

(a.) *Inſtruis ante me menſam coram oppugnatoribus meis. Oppugnatores* ſunt ii, qui impediunt greſſum Eccleſiæ, neque ſinunt illam vel propagari, vel piè vivere, & ea loqui, quæ vera ſunt. qui cibum ejus intercipere conantur, & cibum adulteratum proponunt, & poculum ſeductionis propinant. Ibi Deus non permittit adeo Eccleſiam coarctari, ut non habeat menſam neceſſario victu inſtructam, & eâ fruatur, intuentibus coarctatoribus.

(b.) Excitatio animi ad alacritatem ſpiritualem: *Opimaſti caput meum oleo*, ſive *unguento*, id eſt, Spiritu, effectore alacritatis, quæ maximè in patientia perſpicitur. Veteres cùm aliàs, tum inter epulandum ungebantur.

(c.) Illuſtratio doctrinæ. *Poculum meum eſt irriguum*, id eſt, cognitione veritatis de gratia Dei abundo, & ex verbo, imò ex Deo, ſalutari fonte, bibo, quum hoſtes lucem veritatis conentur extinguere, ℣. 5.

II. Suæ conſolationis: quâ declaratione oſtendit, de quibus bonis locutus ſit, quum diceret, ſe non deſtitutum iri. Explicat ea deinceps

6 Ratione hujus vitæ. *Certè bonum & gratia perſequentur me, omnes dies vitæ meæ.* q. d. quantumvis videar derelictus & egenus; tamen *bonum* me manet à Deo, imò *benignitas* & *ſtudium* enixum, me cumulandi omni bono. Neque tantùm illa me manent, ſed etiam *perſequentur*, id eſt, non lentè aut leniter, ſed celeriter atque affatim me circumvallabunt. *Dies vitæ*, nimirum naturalis, in corpore, ℣. 6.

7 Ratione æternitatis. *Et verſabor in domo Dei in longitudinem dierum*, ita, ut non disjiciar ampliùs ex ea. Vid. Apoc. 3: 12. *Longitudo dierum* hîc eſt ænigma æternitatis. Non eſt enim vera prolixitas, quæ exceditur. ℣. 6.

PSALMUS XXIV.

REgnum Dei explicat. Dialogus eſt. Partes ſunt quatuor.

A. Præconium aſſerens Deo proprietatem terræ, & jus mundi. Eſt hic

I. Theſis, in qua contendit, & *terram*, id eſt, deſertum, & *habitabilem*, ſive *frugiferam*, & homines, & animalia, & quicquid eſt in mundo, ejus eſſe. Ergo nemo poteſt regnare in mundo, niſi Jehova. ℣. 1.

II. Confirmatio. *Quia ipſe fundavit illam ſupra maria*, ut ſicca emineat, *& ſupra fluvios ſtabilit illam*, ne fluvii deripiant aliquid. Eo ſcilicet conſilio, ut eſſet ſedes parata hominibus. Quibus profectò non juſſiſſet terram emergere ex abyſſo, ſi tantùm ab ingratis calcaretur. Ergo jam tum, cùm fundavit terram, meditatus eſt regnum gratiæ erigere, & populum ſibi formare, qui laudem ſuam narret. verſ. 2.

1 Nota, innuere Spiritum Propheticum, olim talia verba paſſim per gentes auditum iri, poſtquam Jehova in veritate nominis ſui apparuiſſet, ut homines

ab

ab idolis ad Deum Salvatorem eundemque creatorem omnium converterentur.

B. Quæstio de qualitate civium regni Dei. *Quis ascendet in montem Iehovæ? & quis stabit in loco sancto ejus?* Scilicet ex prædicatione illa, *quòd Iehovæ sit terra & habitabilis*, quòdque ejus hæres sit factus Filius Dei, qui sibi velit habere populum servientem in mundo, consequitur, ut homines ubique gentium quærant cum trepidatione, *Quis ad montem Jehovæ*, & ad domum & stationem Dei, ubi velit esse ac reperiri, accedere possit, ut certus sit, se à Deo non repellendum? ✝. 3. Vid. Act. 2: 37. Act. 16: 30.

C. Responsio definiens qualitatem requisitam in ascensuris montem Domini, vers. 4. 5. & commendationem eorum per reputationem Dei, vers. 6.

Insignia civium hujus regni sunt

1. cessatio à malis, sive pœnitentia (a.) in opere; *mundus manibus*, qui destitit malè agere. (b.) in corde, nimirum *puritas cordis* sive cogitationum & voluntatis. Hæc est eorum, qui mente serviunt legi Dei; *abnegatio vanitatis*, sive ejus, quod sine ratione amatur; exclusio hypocriseôs: *Non jurat in dolum*, id est, qui Deum regem suum & verbum ejus legem suam profitetur, non in ostentationem, ut Deum, & homines, & se ipsum fallat, sed cum serio proposito. Omnis professio, quâ Deum, inprimis ut judicem & Dominum, profitemur, juramentum est. Nihil in hisce Mosaïcum est. vers. 4.

2. fides: *Qui accipit benedictionem à Iehova & justitiam à Deo salutis suo*, id est, qui, Deo offerente & donante, accipit gratiam omnem, & inprimis liberalissimum illud donum Filii, in lytrum dati, ad remissionem peccatorum; & in specie donum justitiæ ad salutem, à Deo, salutis suæ auctore, qui est Deus Pater, dans in Filio impetrante. Docemur hic, donari justitiam. ✝. 5.

Commendatio à Dei reputatione: *Hæc est generatio quærentium eum*. Hoc genus hominum verè quærit Deum, in Spiritu scilicet & veritate; verè ascendit ad montem Domini. *Quærentes faciem tuam, Iacob*, tanquam Patris sui scilicet, cujus illi verè posteri sint. *Facies* Jacobi depicta est in Scripturis, & in ea *spectatur* à fidelibus, ut similitudinem fidei ejus recognoscant in se ipsis. Conf. Es. 29: 22. 23. Sed & illi ex Gentilibus, qui accedunt ad aliquem de semine Jacobi, ceu testem Dei & Christi in Scripturis Veteris & Novi Testamenti, *faciem Iacobi quærere* dici possunt, eo modo, quo tota terra quæsivisse faciem Salomonis dicitur, ad audiendum sapientiam ejus, 1 Reg. 10: 24. Jam conf. Zach. 8: 23. Hæc vers. 6.

D. Edictum de excipiendo rege adveniente. Id duplex est:

I. ut de rege præliante & vincente: *Attollite, portæ, capita vestra, & elevamini, ostia sæculi; ut intret Rex gloriæ.* Nempe, quia Jehovæ est terra & frugifera, ostendit, eum velle recipi in omnibus civitatibus ac domibus. Ideoque debere ipsi *portas attollere capita sua*. Significatur studium maximum, quo recipiatur cum omni suo apparatu, & *elevare se ostia sæculi*, quæ semper pateant. Vid. Es. 60: 11. *Rex gloriæ* est *Dominus gloriæ*, id est, rex maximus, rex regum, dominus dominantium. *Gloria* enim præstantiam notat. vers. 7. 2

Describitur rex in hoc adventu. Quæritur autem 1. *Quis est ille rex gloriæ?* Quod nomen ejus? quantus est? Homo admonitus de regno Dei naturà admiratur & stupet. Nam, cùm necessariò in regno Dei, quod is vult habere in hominibus, prædicetur filius hominis, gloriâ & honore coronatus, quomodo is filius hominis sit rex, admiratur homo. Et verò notum est, dum prædicatum est Euange- 3

lium inter gentes, quæsitum fuisse, quis esset Christus? id est, quis esset rex gloriæ? Ita in Esaia sæpenumero Salvator disceptat cum Adversariis suis de nomine, gloria, & operibus suis. Vide modo Es. 4:1. 14. 21. 43:10. 11. 44:6. 7. 8. 45:15—25. 48:11—16. 50.1—10.

Subinnuitur, multos dubitaturos de Christi excellentia, & omnes prædicantes regnum Dei adactum iri ad demonstrandum ex Scripturis, quis sit Christus?

2. Rt. *Iehova validus & præpotens*: *Iehova præpotens bello.* *Efficax* est Spiritu & verbo, *præpotentioris* est virtutis, quàm Diabolus, cujus præda ab hoc Heroë eripitur. Quin etiam *bello*, quo hostes eum appetunt, vincit, eosque prosternit ac delet, ℣. 8.

II. Ut de rege absque controversia dominante: Hic rursus mandat, ut suprà,
4 *Tollite*, *portæ*, &c. vers. 9. *Dominus*, hostibus prostratis, non desinit fines regni
ampliare, adire ad homines, & *stare ante fores ac pulsare*, Apoc. 3:20 vers. 9.
Descriptio regis in hoc adventu habet rursus 1. Quæstionem: *Quis ille rex glo-*
5 *riæ?* Vetus hominum stupor. Namque & prædicatur Euangelium regni in posterum
illis, qui de Christo non audiverunt, & Judæis quoque, à quibus faciem suam
abscondit hactenus. 2. Responsionem: *Iehova Deus exercituum*; *is est ille Rex*
6 *gloriæ*. Jehova *Deus exercituum* vocatur, *cui omnes turmæ* omnesque δυνάμεις, quæ
sunt in cœlo & in terra, interque eas *exercitus gentium*, (Jer. 3:19.) parent.

PSALMUS XXV.

Psalmo præcedenti dictum erat: *Ad vanum non sustulit animam suam.* Hic est illius sententiæ commentarius. Item, quomodo benedictio & justitia à Deo accipienda sint, in exemplo ostendit. Dialogus est: Nam petitionibus interjungitur ferè Responsio Spiritûs S. Est

A. Exordium, habens

I. indicationem propositi, sive affectûs. *Ad te*, *Iehova*, *effero animam meam*, id est, te unicum meum bonum, meam voluptatem & solatium statuo: itaque inhio tibi, omnem cupiditatem meam ad te transfero. ℣. 1.

II. petitionem communem, sive præliminarem. Cujus vide
1 1. propositionem: *Deus mi*, *in te confido*, de eo enim *adjurasti* mihi, cæte-
roquin indignus, ut te compellem; *Ne pudefiam.* Namque magnum mihi certa-
men est cum mundo & carne. Mundus irridet meam fiduciam, quam habeo de
regno Christi in gentibus. Caro est infirma & impotens. Igitur meam fiduciam ne
patiare mihi cedere pudori. ℣. 2.

2. confirmationem à consequenti absurdo. *Ne exultent inimici mei meâ causâ*, sive *ob frustrationem fiduciæ meæ*. ℣. 2. *Etiam omnes*, *qui exspectant te*, *non pudefient*; *pudefient*, *qui perfidè agunt inaniter*. Διάζευξις est petitionis præmissæ. *Perfidi* dicuntur, quibus frustra creditur. Unde patet, esse vim verbi *fallere*. Opponitur *exspectantes*, qui, quod Deus promisit, certâ fide amplectuntur, neque dubitant de ejus eventu. Ergo *perfidi* sunt, qui recedunt à Deo, antequam tempus salutis appellat, impatientiâ moræ, vel incredulitate. Additur *inaniter*, ut significentur, qui omnem spem eludunt. vers. 3.

B. Petitiones speciales; quarum aliæ sunt cum responsione, aliæ non.

I. Pe-

I. *Petitio* ductûs salutaris. Petit autem

1. *notificationem viarum Dei*, non tantùm indicando, sed & inclinando scilicet.

2. *assuefactionem ad itinera Dei*, ut scilicet gubernationi Dei in via salutis assuescat. vers. 4. 2

3. provectionem in veritate divina. *Fac me incedere in via tua, & doce me.* 3
Orat, ut ipsum moveat, quo magis magisque proficiat, idque ita, ut jam proficere in bono sit ipsi consuetudo. *In veritate tua*, id est, 1. secundùm doctrinam tuam, quæ est vera. 2. in fide & bona conscientia. Qui est cultus verus & Deo placens. 3. cum exhibitione promissionum tuarum. vers. 5.

Petitionis rationes: *Quia tu es Deus salutis meus: Te exspectavi toto die.* ℣. 5. Tum etiam, quia Deus habet æternum propositum *misericordiæ*, ad salutem miserorum, & *gratiæ*, ut liberatos omni beatitudine cumulet, cujus oblivisci non potest, vers. 6.

Sed amovendus est obex, *peccata præcedentia*, quæ sunt *defectio* à Deo & 4
abjectio legis ejus. Ita *à pueritia*, à natura ipsa, omnes in Deum affecti sumus. vers. 7.

Canonem verò judicii de se facit *gratiam*, non suam justitiam; Amoris fontem Dei *bonitatem*, vers. 7.

Huic petitioni subjecta est *Responsio* Spiritûs ad animum petentis, conveniens petitionis partibus. Ostendit autem

1. benignitatem Dei erga peccatores, ad ostendendum viam ipsis, vers. 8. *Bonus* est Deus, quia condonat, *Rectus*, quia emendat.

2. voluntatem ducendi mansuetos, vers. 9.

3. gubernationem piorum in via salutis. *Omnia itinera Iehovæ sunt gratia & veritas retinentibus fœdus ejus & testimonia ejus. Gratia & veritas* est solidum perfectumque studium benefaciendi, promissa in rem conferens. *Retinentibus Testamentum gratiæ*, id est, iis, qui illud notificatum in viva & sincera fide recipiunt. *Et testimonia ejus*, id est, legislationem Testamento subordinatam cum promissionibus, sive præceptum fidei, ut medii participationis Christi, cum promissione justitiæ & hæreditatis terræ & bonæ conscientiæ, (vers. 12. 13.) ac rursus præceptum firmandi vocationem & electionem per bona opera. *Servare testimonia* est fidem gratiæ & pollicitationem sive gloriationem spei firmam retinere. ℣. 10.

II*da petitio* est de condonatione quotidianorum delictorum. *Propter nomen tuum* 5
ignosce pravitati meæ. Nam ea ampla est. Pravitas hæc est lex illa peccati, in membris nostris militans, adversus legem Spiritûs, unde multæ malæ cogitationes, mala dicta & facta derivantur. Necesse est igitur quotidie orare: Remitte nobis debita nostra. *Propter nomen tuum*, id est, ut laudetur immensa tua clementia, & virtus potens in infirmis. ℣. 11.

Responsio Spiritûs habet consolationem timentium Deum, 1. à divina directione.
Quisnam est vir timens Iehovæ? Monstrabit ipsi viam, quam eligit. vers. 12. Deus 6
timentem sui, licet lapsu præoccupatum, non deserit, sed admonet semper de recta via, quam Deus & ipse timens seriò elegit. 2. à divina remuneratione. *Anima ejus in bono pernoctabit*: omnis benedictionis erit particeps, etiam in cruce, in tentatione, in morte ipsa: *Et semen ejus hæreditabit terram*, id est, habebit etiam spirituale semen, quod terram viventium per fidem Christi hæreditabit, vers. 13. 3. à perpetua conjunctione divina. *Secretum Iehovæ timentibus ipsum.*

Secretum dicitur pro arcta conjunctione & familiaritate. Qualis conjunctio habet communicationem consiliorum. Hæc est causa, cur semper admoneantur à Deo, quia semper ipsis Deus adest per Spiritum suum. Fons hujus rei. *Et fœdus ejus ad scire-faciendum eos.* verf. 14. Non potest enim Deus glorificari sine cognitione nominis sui.

Sequitur Petitio, quæ non habet subjectam responsionem, sed habet præcedentem
6 tem προύχουσαν, quæ est quasi subsumtio ad responsionem Spiritùs præmissam. *Oculi mei semper sunt ad Jehovam. Nam ille educet ex reti pedes meos.* Ostendit, se non inniti prudentiæ suæ, ut retia caveat, sed Dei opem exspectare. *Rete* notat omnes nexus potentiæ & doli Satanæ & mundi, ℣. 15.

Petitio ipsa est pro liberatione. Estque

1. Privata, sive propria,

7 (a.) de gratiosa cura. *Respice ad me & gratiosus esto mihi: quia solus & inops sum.* Abjicit autem meritum, ℣. 16.

(b.) de angustiæ imminutione, ℣. 17.

(c.) de condonatione peccati, tanquam causæ afflictionum, ℣. 18. *Condonat* Deus peccata, cum afflictionem aufert. ℣. 18.

(d.) de liberatione, ℣. 19. 20.

(e.) de custodia libertatis. ℣. 21. *Integritas & rectitudo custodiant me.* Ea sunt opposita hypocrisi & duplici cordi, ac scandalis verborum & conversationis. Ecclesia, maximè, quando liberata est ab iis, qui in errore versantur, orat Deum, ne recidat in calles Satanæ. Id significat 'יִצְּרוּנִי', *retineant me*, ne ex manu Dei quasi effluam. ℣. 21.

8 2. Communis. *Redime, ô Deus, Israëlem ex omnibus angustiis suis,* verf. 22. Significat 1. Israëlem oppressum, & quidem injustè, postquam pretio factus est populus. 2. potentiam Dei opponendam hostium potentiæ talem, quâ illi debellentur & confundantur. ℣. 22.

PSALMUS XXVI.

Declarat hic Psalmus παῤῥησίαν, libertatem ac fiduciam, quam habent fideles in stipulatione bonæ conscientiæ ad Deum, in omni tentatione. Partes sunt duæ:

5 A. Postulatio *judicii*, verf. 1—11, id est, ut Deus velit ipsis administrare jus, id est, secundùm legem Euangelii declarare de ipsis, quòd sui sint. verf. 11. per *redime me*, & *gratiam fac mihi*, exprimitur.

Quadruplex hominum genus ostenditur, qui reperiuntur sub nomine Dei, ℣. 4. 5.

1 Verf. 4. per *homines temerarios*, habentes *sedem*, sive cathedram, intelligimus in populo Sacerdotes, Judices, Doctores, qui sapientiem in constituendo fine, & prudentiam in eligendis mediis non adhibent. *Communio sedis* est in judicii ipsorum approbatione, ut in Saulo, assentiente interfectioni Stephani; vel in doctrinæ eorum defensione, & similibus.

2 Ibidem *occultantes* se dicuntur ὑποστελλόμενοι, qui amore sæculi & fugâ crucis assimilant se iis, cum quibus sunt, licet agnoverint veritatem, ut qui Judaïcas cerimonias susceperunt cum fide Christi, qui Nazareni deinde appellati sunt, & Gnostici inter gentes, prætextu γνώσεως cognitionis & libertatis idolothyta comedentes. Cum iis *intrare* dicuntur in latebras, fugâ mortis.

Ter-

Tertium genus hominum ℣. 5 dicuntur *malefici*, id est, noxii, pestilentes, 3
qui doctrina & factis gregi Christi nocent. Hæretici intelliguntur, qui habent *congregationem*, cùm secedunt ab Ecclesia, vel etiam in Conciliis.

Quartum genus hominum dicuntur *improbi*, Antichristi gregales, quibus etiam 4
sedem tribuit, ℣. 5.

Ex ℣. 6. apparet, Veteres mysticum significatum ceremoniarum non ignorasse (Simile est Ps. 51 : 9.) Allusum est enim ad ritum ablutionis, quo utebantur sacra facturi. Exod. 30 : 19.

Vers. 6. 7. 8. Quadruplici generi hominum scandalosorum opponuntur virtutes Christianorum, sive fructus fidei.

1. *Puritas manuum*, id est, sanctificatio ab operibus mortuis, temeritati opponitur, ℣. 6.

2. *Versari circa altare Dei*, sive Adoratio (Adorandi causâ aditur altare.) opponitur τῇ ὑποστολῇ. ibid.

3. *Confiteri Deum*, opponitur noxiæ doctrinæ & factis. ℣. 7.

4. *Diligere domum Dei*, id est, cœlum, in quo est *tabernaculum Dei*, Christus sedens ad dextram Patris; & communionem sanctorum, opponitur improbis eam non diligentibus, sed persequentibus & ex ea exclusis, ℣. 8. Conf. his ℣. 1. 11. 2. 3.

Iidem *improbi peccatores* appellantur, in quo vocabulo est contemtus veri boni. Dicit item, eos apprehendere *flagitium*, sive eos amare ac retinere id, quod fœdissimum est, quoque maximè conspurcentur. Intellige fœdissimam scortationem spiritualem aut carnalem. Tum *sanguinarios* vocat & charitatis expertes: & *dextram illorum* dicit *esse plenam munere*. Ea merces injustitiæ est, sive temporalia commoda, quæ ex pravo judicio assequuntur. ℣. 9 10.

B. Fructus παῤῥησίας. vers. 12. *Pes meus stat in plano*, in firmo, solido,
tuto, extra angustiam & pressuram. *In cœtibus benedicam Jehovæ*. Id opponitur 6
dispersioni. Omnium beneficiorum Dei finis est, ut plures convertantur, ac Deus laudetur & celebretur. vers. 12.

PSALMUS XXVII.

Hic Psalmus exhibet aspectum Ecclesiæ N. T. anhelantis ad plenissimam manifestationem regni Dei: Ad quam ea non sine angustiis diuturnis ac tentationibus gravibus perventura erat. Quomodo paulatim angustiæ ac tentationes procedant, & inter illas Ecclesiæ desiderium ac fides crescat, luculenter exhibet.

Deum prædicat *lucem suam* & *salutem suam*, & *arcem vitæ*, id est, auctorem 1
factum lucis sive sapientiæ, & salutis; quique possit & velit non tantùm salvare, sed & conservare confugientes ad se. ℣. 1.

Quum adorirentur ipsam hostes ejus, offenderunt illi & ceciderunt. Exem- 2
plum est in Judæis. ℣. 2.

Etiam *exercitus* contra Ecclesiam *metatus* est, & *bellum*, sive expeditio adver- 3
sus eam suscepta. Effudit Draco scilicet fluvium post mulierem. ℣. 3.

Nihilominus Ecclesia *non timuit*, nec oppressa est. ℣. 3. 4

Cùm deinde Ecclesia in mundo haberet faciem disjectorum lapidum, sive per 6
violentiam externam, sive scandalis doctrinæ ac morum id fuerit factum, ut membra minùs inter se cohærerent; (Nam ubi increbrescit defectio à lege, ibi refri-

frigescit charitas) cùmque per externam administrationem & admixtionem gentium non retineret faciem domûs Dei, sed domûs sive civitatis humanæ; Fidelium *unicum votum* ac *studium* hoc fuit, ut cum fidelibus habitare, cum iisque commercium, & gaudium habere, & Deo gratias agere, sicque *inveniri* possent *in domo Dei*; ad *aspiciendum suavitatem Dei* (Explica ex Eph. 1 : 17. 18. 19. 3 : 18. 19.) & *visitandum templum ejus*, id est, ut oblectarentur donis Dei insignibus in Ecclesiam effusis, & mirabili Ecclesiæ in corpore & membris gubernatione & conservatione; tum spe præciperent & re consequerentur æternam gloriam in cœlo, ubi Christus, verum templum Dei, sedet ad dextram Patris. vers. 4. Conf. vers. 8. Ps. 26.

Explicat autem votum suum à causa procatarctica, adjutorio Dei, in hoc sæculo jam percepto, quod erat signum Amoris Dei & specimen immensæ suavitatis Dei, & ὑπέκκαυμα veræ beatitudinis. Quæ enim ab illo non exspectanda, qui *tegat suos in die mali*; qui *occultet eos in latebra tentorii sui*, ab insidiis

ad §. 2 malevolorum; *qui in rupem elevet eos*, ut hostibus desit potentia nocendi;

3. 4 qui *nunc efferat caput suorum supra caput inimicorum suorum*, quos vel humiliatos vel prostratos aspiciant: *ideoque sacrificent in tentorio Dei*, id est, inter

5 pios & fideles, *sacrificia clangoris*, id est, laudis & celebrationis beneficiorum Dei, (Alluditur ad ritum Num. 10 : 10.) *canunt & psallunt Iehovæ*, vers. 5. 6.

6 Sunt, qui *observant* pios, iisque insidiantur, ut incautos prosternant; Sunt, qui oppugnant & variè tentant, *hostes*, quorum unicum *desiderium* est, ut à *via plana* depellantur pii, (ex vers. 11.) à domo Dei excludantur, (ex vers. 4.) à visione faciei Dei decidant; (ex v. 8.) Sunt, *qui surgant in ipsos*, impudenter calumniantes eos, *testes falsi*, *index injuriæ*, id est, falsi Prophetæ, loquentes injuriam ac vim, vers. 11. 12.

Atque hoc tempore sæpe factum est, ut *pii à parentibus suis*, *patribus suis & matribus suis derelinquerentur*, vers. 10.

Huic tentationi convenit oratio, quæ præscribitur Ecclesiæ vers. 7—12. Summa est, ut Deus *ipsis monstret viam suam*, *& ducat ipsos in itinere planiciei*, ipsos scilicet illuminando perpetuò; deinde & dirigendo ipsorum voluntatem in via plana; Tum ut liberentur ab hostibus & observatoribus suis. vers. 11. 12.

Item soliloquium illud fidelis hominis, quo animum in fiducia firmat, v. 13. 14. Ubi est 1. argumentum fiduciæ experientia virtutis fidei. *Nisi credidissem, me visurum bonum Iehovæ*, id est, fruiturum gaudio & gloriâ, à Domino præparatâ credentibus per gratiam ipsius, *in terra viventium*, in πανηγύρει & congregatione beatorum in cœlo! supple, Quomodo potuissem subsistere? vers. 13. 2. Ipsa exhortatio sui ad fiduciam, dum dicit cor ipsius pro Domino: *Exspecta Iehovam. Firmus esto*, quantumvis tenteris, *& roboretur cor tuum*, & tantùm *exspecta Iehovam*. vers. 14.

His subjiciatur oratio Psalm. seq.

PSALMUS XXVIII.

UT in Psalmo præced. oraverat Ecclesia pro mansione in Domo Dei; ita hîc pro separatione à scandalosis & improbis. Partes sunt quatuor.

I. Oratio pro separatione ab improbis, vers. 1—5. Est hic

§. 6 1. commendatio orationis à rectitudine ejus, quòd ad *Iehovam*, *rupem suam*, eam dirigat, quòd *humilis* sit, vers. 2. & à periculo suo: *ne, si sileat, assimi-*

letur

letur cum deſcendentibus in foveam, id eſt, ne vitæ ſpiritualis initia in ipſo extinguantur, & cum cæteris veniat in poteſtatem mortis ſecundæ, verſ. 1. Et rurſus à fide Mediatoris, qui rectè דְּבִיר *templum*, unde locutus eſt nobis Deus, à דָּבַר *loqui*; & neceſſitate, quod vox שַׁוְּעִי indicat, verſ. 2.

2. Specificatio petitionis

(a.) pro ſe. *Ne trahas me cum improbis*, & *cum tractantibus vanitatem*, ne diu me cum ipſis agere ſinas, (ſup. Pſ. 26: 9. aliter: *ne colligas animam meam cum ipſis*, id eſt, ne me interficias cum ipſis.) *qui loquuntur pacem cum ſociis ſuis*, profitentur ſe Chriſtianos & amantes Eccleſiæ, & *malum eſt in cordibus ipſorum*, verſ. 3.

(b.) contra malos, ut ab iis liberetur: *Da ipſis*, ſcilicet partem, ſortem, *ſecundùm actionem ſuam*, *ſecundùm malitiam facinorum ſuorum*; *ſecundum factum manuum illorum da ipſis*; *redde retributionem ipſorum ipſis*. verſ. 4. *Quandoquidem non conſiderant mercedes Iehova*, (vid. Pſ. 17: 4) & *opus manuum ejus*, quicquid facit Deus in Eccleſia tuenda & regenda; *evertet illos* & *non ædificabit illos*. verſ. 5.

II. Gratiarum actio pro exauditione. Eſt hic

1. confeſſio cum exaltatione Dei. *Benedictus Iehova*, *quia audivit vocem ſupplicationis meæ*, verſ. 6. 7

2. gloriatio in Deo. *Iehova eſt robur meum* & *clypeus meus*, ut vincam, ut defendar. *In illo fiduciam collocaverat cor meum*, & *auxilium adeptus ſum*, & *exultat cor meum*. Intellige *auxilium* in ſegregatione ab improbis, cùm aliis, tum inprimis ab oppreſſione Antichriſti. Cordis exultatio ulteriùs exprimitur. *Et à carmine meo* primo & ultimo *confiteor ipſum*, verſ. 7. NB

Deus ſcilicet poſt aliquam Eccleſiæ oppreſſionem excitavit ipſi patronos, & ei pacem dedit.

III. Cùm verò etiam poſt liberationem Eccleſiæ ſint aliqui pii opis indigentes, & illis ſuo tempore congratulatur Eccleſia de divino auxilio, quod nacti ipſi quoque vincant, verbis: *Iehova eſt robur* ILLIS. verſ. 8. 8

Ita verò & *arx ſalutum Chriſti ſui Deus eſt*. ibid. Dum enim ſalvatur Eccleſia ex tentatione, ſalvatur ipſe Chriſtus, cujus illa corpus eſt.

IV. Quarta pars Pſalmi continet orationem, quâ Deo commendat Eccleſiam in poſterum, verſ. 9. 9

1. *Serva populum tuum*, ex omnibus malis & periculis.

2. *Et benedic hæreditati tuæ*. Cumula omnibus bonis eum populum, quem tibi pro peculio elegiſti.

3. *Et paſce eos ac geſta eos in ſæculum*. Rege, ale, ſuſtenta, ut nutricius infantem cibat, ducit, ulnis geſtat.

PSALMUS XXIX.

EST παραίνεσις ad principes hujus ſæculi, ut ſe Deo, regnum occupanti, ſubjiciant. Hic, quomodo ſibi Deus mundum ſubjiciat, exponitur.

A. Propoſitio παραινέσεως, ℣. 1. 2. Ubi vide

1. Quibus injungatur officium? *Filii Deorum*, ſive *potentum*, id eſt, vel ipſi potentes, vel potentes ἐν ἀληθείᾳ. Ita, qui, adveniente regno Dei, erant 1

principes & potentes, Moſis, Aharonis, Samuelis erant ἀξιόλογοι, & quaſi *filii*.

2. Quid præcipiatur?

(a.) *Dare gloriam & robur Iehovæ*; item, *gloriam nominis ejus*, id eſt, confiteri præſtantiam ejus in omni virtute, & invictam potentiam, & talem præſtantiam, quæ nomine ejus, id eſt, ipſo, quatenus per opera & verbum ejus innotuit, digna eſt. Quo ipſo notatur repræſentatio promiſſionum in Chriſto.

(b.) *Adorare Iehovam*, id eſt, ſubmittere ſe ei, quo inferiores ſunt, vel à quo dependent. Cæterùm hîc ſpecialis ratio adorationis notanda eſt ex ℣. 10. nimirum ut ſe ſubmittant ut *regi*, ſicque teſtentur obligationem obſequii, & parendi voluntatem. Is honor Pſ. 2. Chriſto aſſeritur. Ergo per Jehovam hîc Filius notatur. Connexum adorationis: *In decore ſanctitatis*, id eſt, in Spiritu, qui veſtis fidelis eſt, accedentis ad Deum, Joh. 4.

B. Confirmatio πρoϑεραπευτική.

I. à voce Dei audita. Ea eſt vox Euangelii. Deſcribitur illa

3 1. à diffuſione. *Vox Iehovæ* eſt *ſuper aquas*: *Deus gloriæ tonuit; Iehova* eſt *ſuper aquas multas*, id eſt, ſuper Oceanum ob ſoni claritatem & penetrationem in omnes gentes, in inſulas: niſi *aquas* pro populis accipias. ℣. 3.

Edidit Deus Pater illam vocem, è cœlò teſtimonium perhibens Filio, mirabilia opera per manum ejus efficiens; Edidit Filius ipſe in carne; Edidit Spiritus Sanctus, in credentes deſcendens & eos ſingularibus donis exornans. Tres enim ſunt teſtes.

2. ab efficacia. Ea indicatur: *Vox Iehovæ* eſt *cum potentia*, *cum majeſtate*. *Potentia* generalius vim notat tum in credentibus, tum in incredulis. *Majeſtas* autem notat flexanimam illam virtutem verbi, quâ reſpectus & reverentia apud alium efficiatur. verſ. 4.

Explicatur

3 (a.) *vis*, exercita (α.) circa *Libanum*. Gradatio eſt. *Vox Iehovæ frangit cedros*. *Et fregit Iehova cedros Libani*. Primo colo ſufficientia notatur; poſteriori factum. Significatur imminutio auctoritatis & abolitio principum politiæ Iſraëliticæ, unctione Dei inſignium. *Et fecit illas ſaltare inſtar vituli*; *Libanum & Schirjon inſtar filii monocerotum*. *Schirjon* eſt Hermon mons, ad latus Libani ſitus, ad Boream terræ ſanctæ, trans Jordanem. Hoc dicit, quantum reſtat cedrorum cum ipſis montibus, hoc eſt, totam terram fecit *exſilire*, id eſt, tremere & moveri loco. Ideo verò nominat hos montes, quia hoſtibus Romanis politiæ αὐϑένταις hâc iter. Conf. Zach. 11: 1. *Vox Iehovæ cadit cum flamma ignis*. Nec tantùm movet, ſed & cædit, & comburit, radicitus evertit politiam. verſ.

4.a. 5. 6. 7. (β.) in deſerto. *Vox Iehovæ percellit deſertum*; *percellit Iehova deſertum Cadeſch*. Prius notat ſufficientiam, poſterius factum, ut ſup. verſ. 5. Deſertum Cadeſch eſt verſus Auſtrum terræ ſanctæ, horribile admodum. Vid. Deut. 8: 15. *Deſertum* pro feris. q. d. truciſſimæ feræ præ metu in ſpecus ſuas ſe condunt.

Inter gentes tanto cum terrore prædicatum eſt Euangelium, ut partim ad inſanos conatus venirent, partim ne hiſcere quidem contra auderent, ſed mentirentur Deo & Eccleſiæ. verſ. 8.

b. *Vox Iehovæ facit parere cervas*, id eſt, homines, qui non ſunt de agro Dei, ſed in ignorantia ſecundùm cupiditates ſuas aguntur, qui tamen venatu capi, cicurari,

rari, ficque cibus fidelium esse possunt. Notatur, filios idololatrarum non habito respectu sive reverentiâ parentum, aut antiquitatis errorum, ab idololatria descivisse; *Et denudavit silvas* suis frondibus, vel solum silvis. Verba enim
nudandi & tegendi solent jungi tam cum eo, quod aufertur, quàm cum eo, cui 5
aufertur. *Silvæ* notant politias florentes potentiâ, opibus, copiis hominum.

Regnorum politiarumque mutatio occasione Euangelii facta est in Imperio Romano. vers. 9.

(b.) Majestas. *Et in templo ejus unusquisque dicit gloriam.* Hoc efficit vox 6
Dei apud electos & vocatos. vers. 9.

II. à diluvio, tanquam pœnâ infidelium & hypocritarum. *Iehova ad diluvium* 7
consedit, id est, ad efficiendum diluvium. Populi aquis comparantur.

Intelligitur Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Longobardorum, Normannorum, Sarracenorum, Turcarum in orbem Romanum inundatio, quâ illud imperium penitus sublatum est undiquaque. Tum & diluvium erroris Antichristiani, vers. 10.

III. à regni Dei constantia. *Et sedit Iehova rex in sæculum.* Non obstante illo 8
diluvio Deus retinuit populum ex omni gente & natione, & perpetuatum est regnum Dei in illo.

Opponitur id tyrannidi Antichristi, qui in domo Dei videtur consedisse ut rex, Deo rege excluso. vers. 10.

IV. à roboratione & benedictione populi Dei. *Iehova robur populo suo dabit*,
ut vincat omnia mala. *Iehova benedicet populo suo in pace*, id est, omnibus salu- 9
taribus bonis eum cumulabit, idque *in pace*, domitis hostibus, vers. 11. 10

PSALMUS XXX.

Titulus singulare argumentum innuit. *Psalmus, carmen initiationis domûs, Davidis.* vers. 1. Quum scilicet ab exilio reversus domum suam initiaret, hoc est, eâ iterum uti inciperet, in eam sententiam, quæ hoc Psalmo expressa est, Deo gratias egit pro restitutione. Certè eum cum sacrificiis & publica gratiarum actione id fecisse, credi æquum est.

Notabilia sunt verba vers. 6. *Momentum est in ira ejus, vita in benevolentia ejus. Iram* scilicet vocabant Sancti sub V. T. afflictionem & castigationem; non quòd putarent, Deum sibi revera pœnas irrogare, sed quòd castigationes haberent conjunctam exprobrationem peccati & reatûs adhuc manentis.

PSALMUS XXXI.

Psalmus hic exhibet Ecclesiæ perpetuam pugnam in hoc sæculo, identidem tamen liberatione & pace interstinctam, & denique in victoriam exeuntem.

1. Repræsentatur salutis, quæ est in Christo, agnitio, & fides verbi, quod omnibus confugientibus ad ipsum salutem pollicetur, tum spes inveniendi justitiam & salutem, si modò fortiter & enixè Deum quæramus, tum conatus amandi Deum, ut tantæ gratiæ datorem, ut in ipso inveniamur. *Ad te, Iehova, recepi me: ne pudefiam in sæculum*, vers. 2.

2. Quum Deus respublicas & regna evertit, orat Ecclesia, ut sibi prospiciat de loco, quo *evadat*. Id flagitat *à justitia Dei*, id est, à jure, quod ipse donat. vers. 2.

3. Quum hostes oppugnant, à benevolentia Dei exspectat *ereptionem* ex manu illorum, & *salvationem* ex omnibus malis, ut frustra oppugnent, verbo, *rupis munitæ*; & ut feliciter eos adoriatur, verbo, *locum arcium*, vers. 3.

Interimque, ne erret, petit, ut *ducat se* Deus; ne subsistat, *agat* se, & quidem *propter nomen*, id est, propter laudem & veritatem ejus, vers. 3.

4. Quumque Diabolus deinceps fidelibus securis scandala sermonum & factorum per falsos fratres proponeret, orant, ut *educat se* Deus *ex reti, quod occultarunt sibi*; *Ipsum enim esse munitionem suam*, vers. 5. *seque deponere spiritum suum in manum ejus*, & ejus fideli curæ suam salutem committere, utpote qui *se redemerit*: *se verò odisse observantes vanitates temerarias*, sive fucos illos & apparatum falsæ religionis; & *in Iehova confidere*, vers. 5. 6. 7.

5. Quum denique Deus *respexisset passionem Ecclesiæ*, *recognovissetque in angustiis animam ejus*: *neque inclusisset ipsam in manum Inimici* illius potentis, & validis auxiliis instructi, & diu per astutiam imminentis: *constituisset* verò *in lato pedes ejus*, profitetur affectum suum, verbis: *Gaudeo & lætor in gratia tua*, vers. 8. 9.

6. Postquam Ecclesia in lato constitit, incidit rursus in *animi angorem*, vers. 10. in debilitatem ex perpetuo dolore, vers. 11. (ubi & causam castigationis immissæ confitetur *pravitatem suam*, sive distorsionem gradûs sui à vero & bono.) in vilipendium etiam vicinis & notis *propter coarctatores* suos, vers. 12. 13. ac denique in novam persecutionem, cùm *terror esset undiquaque*, & *congrederentur unà contra ipsam*, *in ipsius necem conjurantes*, vers. 14.

Ibi opportunum fuit novâ oratione Dei *gratiam* sollicitare, vers. 10. fidemque suam contestari, vers. 15. 16. & petere, *Eripiat se è manu inimicorum suorum & à persequentibus se*, ℣. 16. *Faciat lucere faciem suam super servum suum*, se benigno vultu respiciat; *Salvet se per gratiam suam, ne pudefiat, quòd invocârit ipsum*, vers. 17.

Contrà, *Pudefiant improbi* ex sua justitia, & consiliis; *pereant ad infernum*, vers. 18. *Obmutescant labia mendacia, quæ loquuntur in justum durum cum fastu & contumelia*, ampliùs sibi sumentes supra id, quod scriptum est, & cum ignominiosa traductione Christi & piorum, vers. 19.

7. Gratias agit Ecclesia pro *inæstimabili bono, parato ac recondito piis*, cujus scilicet γεῦμα in hac vita accipiunt. Id gaudium Spiritûs est, superans omnem hujus sæculi amœnitatem & tristitiam, cernentibus ac ringentibus hostibus, quippe dolentibus, conatus suos nihil profecisse. vers. 20.

Tum & beneficia quædam temporalia explicat:

(a.) *Abscondis eos latebrâ faciei tuæ ab elationibus Viri*, q. d. Tu te interponis inter ipsos & catervas Viri, faciemque jubare fulgentem eorumque oculos præstringentem, iis opponis, ut pii pone te quasi sint in latebra. Ea est lux veritatis divinæ hostibus, quò magis furerent, effulgens.

(b.) *Recondis eos in tugurio à contentione linguarum*, vers. 21.

Cùm superiori ac nostro sæculo decreta cuderentur in Euangelicos, tum Deus ipsis præsidium concessit, ut, invitis hostibus, libertatem religionis obtinerent, quasi tugurii parietibus seclusi ab adversariis.

(c) *Benedictus Iehovah, qui gratiam suam usque ad miraculi magnitudinem exhibuit in urbe munita*, vers. 22. A contentione linguarum ad bellum, à tugurio ad urbem munitam progreditur. Hoc beneficium exaggerat ab inexspectato. *At*

ego

ego dicebam in præcipitatione mea, Excisus ſum ab oculis tuis: Veruntamen audivisti vocem ſupplicationis meæ, quum implorarem te. verſ. 23.

Hæc verba quadrant Eccleſiæ Reformatæ, nuper ex atroci bello liberari cœptæ.

8. Tandem etiam triumphum agit duplici parænesi

(a.) ad *amorem Dei*, cum ætiologia: *Nam fideles conſervat Iehova, & reddit ſuper extremum facientis faſtum.* Reddit ſcilicet pœnam faſtûs & elationis, & quidem ita, ut & optimum & ultimum ejus exſcindat. verſ. 24.

(b.) ad fiduciam & parrheſiam. *Roboramini & contendat ſe cor veſtrum, omnes ſperantes ad Iehovam.* Strenuitas in certamine & labore, tum & animus intrepidus adverſus mala injungitur, quia ſcilicet labor illorum in Domino non eſt fruſtra, & merces eorum ſtatim ſequetur eos. verſ. 25.

PSALMUS XXXII.

HOc Pſalmo David doctrinam de juſtificatione gratuita, ſive *juſtitia Dei*, cujus mentio in ſuperioribus, explicat.

In fine Pſalmi per vocabulum כָּל- *omnes* tollit privilegium gentis aut populi certi ad adeptionem hujus juſtitiæ.

PSALMUS XXXIII.

HOc Pſalmo jubet Deum celebrari propter illud inſigne beneficium remiſſionis peccatorum & juſtitiæ propoſitæ omnibus gentibus.

℣. 2. cùm dicitur, *In nablio decachordo pſallite ipſi*, conteſtatio ſpiritualis lætitiæ in crebris paſſionibus fortè ſignificatur. 3.

Cùm additur verſ. 3. *Canite ipſi carmen novum*, intelligi poteſt prædicatio Euangelii incogniti hominibus, & gaudium ob novam lucem, illatam Eccleſiæ poſt tenebras. 4

Denique per ῆ *Modulamini optimè cum vociferatione*, verſ. 3. intelligi poteſt doctrinæ veritatis pura & plena aſſertio cum ἀλαλαγμῷ, qui adhibetur vel hoſtem adorientibus, vel vincentibus. 5

Per id autem, quod primò loco poſitum eſt, verſ. 2. *Confitemini Iehovæ in cithara*, intelligitur laus omnis Deo danda, abjiciendus metus ac triſtitia, cùm in confeſſione ejus, qui omnes ſuas virtutes reipſâ jam explicuerit, tum in mutuo amore, harmoniâ ſervandâ, denique cordis, oris & operis συμφωνίᾳ. verſ. 8. Explicatur, ad quos illud præconium habendum fuerit. 2

Effectum præconii

Verſ. 5. *Gratiâ Jehovæ plenam eſſe terram* cùm dicit, ſignificat, totum orbem repletum gratiâ ſalutari. Et verſ. 6. 7. ratio gratiæ exercendæ in mundo ſumitur à jure & amore creatoris, qui mundum non pro una gente fecerit, &c. quæ congruunt iis, quæ ſup. Pſ. 24: 1. habuimus. Indicatur hic (verſ. 6) ſimul, cui honos regni debeatur in tota terra, ei nempe, per quem & ad quem ſunt omnia facta, quique Spiritu ſuo omnia adminiſtrat, nempe Filio, ut ſignificetur, regnum Patris in Filio per Spiritum Sanctum in mundo patefieri debere, abrogato ſervorum ac dæmonum regno; quia mundus à Patre in Filio per Spiritum Sanctum factus eſt. ad §. 2.

Similiter verſ. 8. 9. clarè docent, eum, cui *omnis terra* ſine diſcrimine terra-

rum, & *omnes habitantes frugiferam*, fine difcrimine hominum vel nationum, obedire & quem *timere* debeant, effe Jehovam, cujus potenti verbo omnia creata funt.

1 Cùm verf. 10. ceu factum narratur, quòd *Iehova irritum fecerit confilium gentium, confuderit cogitationes populorum*; intelligendum eft gentium confilium, quod fuit fub adventum Chrifti, coïre in unum populum, fub uno regimine communes cultus numinum, communia facra, in pace & abundantia habere. Vid. Pf. 2: 1. Videbatur confilium hoc fucceffiffe, cùm Auguftus imperitaret; & ecce Chriftus nafcitur. Tum deinceps cogitationes *populorum*, nempe Judaici & paganici, qui erant diverfarum religionum, erant hæ, Chriftum non poffe regnum in mundo erigere, feque facilè excuffuros jugum ejus, ut pax & amicitia utriufque populi confervaretur. Ita Judæi & Ethnici in crucifixione Chrifti cogitarunt; ita & in fidelium perfecutione. Sed nec gentes potuerunt in unum corpus coïre, nec confilium populorum proceffit, quia mox populi hi infeftis armis concurrerunt, & unus populus, Judaïcus, abforptus eft: neque ullà violentià progreffus Ecclefiæ potuit fifti.

ỳ. 13. & 14. & hoc clarè dicitur: Deum, finitis temporibus averfationis gentium, denique profpexiffe de cœlo benignum, & animum curamque advertiffe ad omnes (fine difcrimine) filios hominis & ad omnes habitantes terram. Quod & illuftratur, cùm vocatur cœlum *locus fedis Dei*. Quod oppofitum eft habitationi in templo inter Ifraëlitas.

Cùm deinde dicitur: *Quòd format cor illorum pariter*, fignificatur, Deum ex æquo, fine difcrimine, (id enim eft יחד) ubivis exercere mifericordiam in fingendo vel refingendo homine ad fidem & amorem Dei; contrà etiam, qui lucem averfantur, juftè indurare.

PSALMUS XXXIV.

HIc exemplo docetur, quòd fupra duobus Pfalmis in thefi docuerat, benè effe iis, qui credunt in Deum. Exemplum eft in ipfo Davide, liberato ex fummo difcrimine, quod indigitatur verf. 1. Hiftoria eft 1 Sam. 21: 10.

Doctrinam Euangelicam hìc præformatam vide verf. 12. 13. 14. 15. 19.

Fructus verò, qui manet timentes Deum, fcilicet liberatio è malis, ỳ. 16. 18. 19. 20. 21. 23. Et quamvis in multis malis vivant, quòd tamen *iis non fiant*, five demonftrentur *rei*, id eft, quòd ea non fint ab ira, verf. 23. Conf. Pf. 37: 33. & pœna improborum, verf. 17. 22. convenienter Euangelio, defcribuntur.

PSALMUS XXXV.

HOc Pfalmo orat Ecclefia, ut Deus caufam fuam tueatur adverfus hoftes pugnando & judicando. Propofitio, quæ eft verf. 1. fummam Pfalmi complectitur: *Contende, Iehova, cum litigatoribus meis*, hoc eft, cum ἀντιδίκοις, qui me injurià criminantur, damnant, profequuntur, tanquam fi hoc juftè facerent. *Contende*, judicio fcilicet, quo jus tuum & meum ab adverfariis afferas vindicefque, & pro eo zeles. *Pugna cum impugnatoribus meis*, violentiam illorum reprime, & profliga eos.

Exer-

Exergasia habet has partes.

1. Evenit Ecclesiæ, ut eminus & cominus vis intentetur, itaque *scuto & clypeo* pariter opus habeat; item ut fugiat, itaque opus habeat eo, qui *intercludat ex adverso persequentium ipsam.* vers. 2. 3.

Aperto Marti etiam hostes miscent insidias, vers. 7.

Judæi ubique calumniati sunt Christianos, ut atheos, impios, seditiosos, confœderatos ad omnem turpitudinem.

Tum verò Deus defendit oppugnatos, & confligit cum hostibus, ut *pudeat* ipsos tandem, non posse assequi, quos persequuntur; ut terga dent, & ipsi vice conversâ fugiant; ut dissipentur tandem, angelo Jehovæ impellente & persequente eos. vers. 2. 6—8.

Pudefacti sunt Judæi persequentes nomen Christi. Quò magis enim persecuti sunt, eò clarius id prædicatum est inter gentes, eoque major fuit fidelium proventus in eis. Ea causa lætandi, Deumque laudandi Christianis. vers. 9. 10.

2. Ecclesia testimonio falso, aliisque malis premitur ab iis, quos antea pro *fratribus* & *matre* sua habuerat, quorumque malo doluerat. vers. 11. 12. 13. 14.

Ecclesia sæpe calumnias patitur, nunc hoc, nunc illud criminis ei imponitur. Ne longiùs abeamus, quis non audivit aliorum clamores? Negatis Dei veracitatem, omnipotentiam, scinditis Christum, majestatem ejus abnegatis, Deum auctorem peccati facitis, Deus vester est Diabolus, & similia. Itaque factum est, ut orbaretur patre Deo, matre Ecclesiâ, fratribus denique ac filiis.

Affectus falsorum fratrum porro indicatur, quòd fidelibus ita impulsis, ut erecti stare atque incedere non possent, *lætati sunt*, merito id ipsis obtingere judicantes, & casum eorum exspectantes. Tum quòd subduxerint se ab Ecclesia, & *congregati sint* ipsi inter se. Nec tantùm, sed & *congregati sint contra illam*, fœdus facientes in pestem ejus. Etiam *loripedes*, simulantes claudicationem, & cum hostibus aliquo modo conspirantes, non recto talo incedentes, sed propendentes ad florentiores partes; vel *percussi*, fracti plagis Dei, iram Dei nihilo magis extimescentes. Accedit, Ecclesiâ *nesciente*, ac nihil tale cogitante, eos congregatos esse. Tum *lacerasse*, non vestes suas, imò Ecclesiam, *& non destitisse*, non dictis modò infestos fuisse, sed & corpus Ecclesiæ laniasse, â communione ejus abduxisse, quos pro fratribus habuerat. ℣. 15.

Concilium Tridentinum, cùm res Euangelicorum inclinasset; quum capti essent principes, Elector & Landgravius, quod antea divisum erat, in mediam Italiam studentibus id transferre Pontificiis, redintegratum est, maximè argumento victoriæ Cæsaris. Post deinde Gallus cum Hispano pacem fecit, cùm se invicem diu malè mulctassent, & statim uterque in suos subditos, Euangelii professores, sævire cœperunt, tanquam si hâc lege pacem fecissent. Ita *percussi contra Ecclesiam convenerunt.* Utraque illa congregatio maximarum rerum origo fuit, de quibus crebrò Prophetiæ loquuntur. Per Concilium Tridentinum sese Pontificii ejecerunt ex Ecclesia. Per Gallicam persecutionem id regnum denique concidit, & domus, quæ tum regnabat, extincta est. Hispanica persecutio Belgici belli & libertatis Belgii occasio fuit. De ea re sic Thuanus lib. 22. *Ut non inter Gallos & Hispanos tantùm,*

sed

ſed inter omnes orbis Christiani principes ac civitates concordia ſarta videretur. Verùm ea mox, perverſo utriuſque regis judicio, ac miniſtrorum conſilio, in Galliæ & Belgii perniciem vertit, exortis inteſtinis motibus, bello externo longè deterioribus. Nam ab eo tempore renovata ſunt Cardinalis Lotharingi & Granvellani Atrebatenſis Epiſcopi clandeſtina de reperiendis ac ferro puniendis ſectariis conſilia: cujus rei occaſione FOEDERA OCCULTA utrinque inita ſunt. Sed notiora hæc ſunt, &, quæ conſecuta ſunt, ut non opus ſit ea hic commemorare.

Memorat Pſalmus ℣. 16. etiam aliquos,qui *propter ludibria aſſentationum,oſtenſâ ipſis offâ, frendent dentibus contra Eccleſiam.* Offa ſcilicet per ludibrium ipſis à communibus hoſtibus ſub ſimulatione cujuſdam amicitiæ objicitur. Scilicet offertur ipſis pax, &, ultra priſtinos, inſignes aliqui fructus, modò cauſam certorum hominum non adjuvent: itaque illi odiis inflammantur in eos, quos hoſtes à pace excludunt.

Huic jam tempori convenit Eccleſiæ petere liberationem à falſis teſtibus & leonibus, ac reſtitutionem in integrum, verſ. 17. cum promiſſione laudis, verſ. 18.

Tum ne odio eorum injuſto propinetur, nec putent, judicem Deum à ſe circumventum. (ſolent autem, qui hoc agunt, ut alium decipiant, ſibi invicem *ſignum oculis dare.*) verſ. 19.

Tum conteſtari litem verſ. 20. 21. Ea conteſtatio litis habet (a) contradictionem: *Non pacem loquuntur*, id eſt, non docent ea, quibus ſubſcribi, ad pacem ipſorum arbitratu habendam, ſalvâ conſcientiâ poſſit; & *contra quietos terræ verba fraudum comminiſcuntur*: ſeſe non doctrinis ſuis turbare Eccleſiam, ſed tranquillos & pacificos, & fraternitatem cum illis ſervare paratos, dummodò id non fiat ipſorum legibus, ſed ſecundùm canonem Scripturæ; quæ autem Iſti his impingant, eas non eſſe ſuas doctrinas, ſed Illorum commenta, fraudulentâ ſpecie ſibi attributa. (b.) accuſationem malevolentiæ. *Et dilatarunt contra me os ſuum: Dixerunt, Euge, euge, vidit oculus noſter.* Innuitur Eccleſiæ inſignis calamitas, ob quam non modò aperti hoſtes, ſed & cauſæ communione alioqui conjuncti exultaverint. (c.) provocationem ad conſcientiam judicis. *Vidiſti, Jehova.*

Tum poſtulare judicium & contentionem cum adverſariis. *Ne ſileat* & conniveat ad eorum malitiam, *ne elongetur à peculio ſuo: Excitetur & evigilet ad judicium ſuum; judicet ipſam Deus ſecundùm juſtitiam Dei: Ne lætentur de ſe. Ne dicant in corde ſuo: Euge, anima noſtra! Ne dicant; Deſtruximus eum,* ℣. 22-25.

Pudefiant & confundantur unà, qui lætantur malo ſuo; amiciantur pudore & ignominiâ, qui ſe grandiunt contra ſe, ℣. 26.

Iubilent è contrario & *lætentur, qui delectantur juſtitiâ ſuâ,* qui cupiunt, juſtitiam vel cauſam Eccleſiæ triumphare; & *dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui delectatur pace ſervi ſui,* verſ. 27. *Et lingua ſua meditetur juſtitiam Dei,* quòd humanam juſtitiam damnaverit, & ſuam aſſeruerit, vindicatione & liberatione eorum, qui eam confitentur, & peſſumdatione eorum, qui eam oppugnant; *omni die laudem ejus*, quam nunquam intermittat celebrare, ℣. 28.

PSALMUS XXXVI.

PSalmus hic est oratio pro gratia filiorum Dei, piis continuanda & amplificanda. Partes

I. Prophetica explicatio malitiæ improborum. vers. 2---5. *Dictum defectionis*, defectoris animi, *ad improbum est in medio cordis mei*, q.d. Deus mihi revelavit, quid malitiosus ac defector animus dictet improbo. Nempe 2

(a.) contemtum Dei. *Non est pavor Dei coram oculis ejus.* Securus est judicii & iræ, quasi Deus omne judicium deposuisset: Ne mica quidem pietatis est in ipso; nam si amaret Deum, ad ipsum, ut summum & necessarium bonum, cum pavore accurreret, vers. 2.

(b.) hypocrisin. *Nam blanditur ipsi in oculis ejus, dum inveniat pravitatem suam ad odiendum.* Cœtus piorum adeunt, orationem dicunt, coram Deo esse videntur. Id autem faciunt, ut adipiscantur occasionem suæ pravitatis; ut fidem sibi faciant & auctoritatem comparent, pravitatem suam pro veritate & justitia venditandi; ut deinceps, effractis pudoris repagulis, apertè veritatem & justitiam aversentur: non enim patiuntur quicquam verum esse, nisi quod ipsi dicunt, ex quo pravitatem suam invenerunt, ejusque proferendæ nacti sunt occasionem, vers. 3.

(c.) apertam profanitatem, tum in verbis & doctrina. *Verba oris ejus nihilum & fraus*, docet fornicationem cum idolis, docet mala opera &c. tum in animo. *Non induxit in animum considerare, ut benè agat. Nihilum cogitat in cubili suo*; tum in factis. *Insistit in viam non bonam*, non facit justitiam secundùm canonem salutaris veritatis; tum in judicio: *Malum non rejicit*, contrà honorat potius. vers. 4. 5.

II. Prophetica explicatio Virtutis Dei. Quam

1. magnificat pro sese, in quatuor speciebus. 1

(a.) *Iehova, in cœlum gratia tua*, id est, amor ille tuus erga homines electos tantus est, ut in cœlum assurgat. Propter eum enim Filius Dei descendit de cœlo, & ascendit in cœlum, idque, ut cœlum & terram conjungeret.

(b.) *Fidelitas tua usque ad æthera*, id est, tanta ac tam alta, ut æstimari non possit; quemadmodum altitudinem cœli æstimare non possumus. ℣. 6.

(c.) *Iustitia tua ut montes Dei.* Justitia hìc intelligitur, quâ, sine sanctitatis injuria, justificat peccatorem in Filio. Eaque est ingens instar montium Dei, propter dignitatem personæ, ℣. 7.

(d.) *Iudicia tua abyssus magna*, imperscrutabilia scilicet. Vid. Rom. 11: 33. Ad hanc *judiciorum profunditatem* etiam pertinet moderatio & lentitudo: *Hominem & pecus servas, Iehova.* Ita Deus judicat, ut non desinat esse Servator hominum & pecudum: vel, cùm omnium, etiam brutorum hominum, quos ad pœnitentiam vocat, tum maximè fidelium. vers. 7.

2. Explicat in præcipua specie, nimirum gratiâ, quam amplificat

(a.) à *pretiositate*, vers. 8.

(b.) à fructu electorum. *Et*, vel *Etenim filii hominum in umbra alarum tuarum receptum habent*, vers. 8. *Irrigantur de opimitate domûs tuæ*, & *torrente deliciarum tuarum potas illos.* Significatur ἡ πλήρωσις *consummatio*, quæ datur sub Novo Testamento, ℣. 9.

(c.) à ſufficientia Dei ad beatitudinem. *Nam tecum eſt fons vitæ.* Omnis vita à te & in te eſt, & tu potes vitâ æternâ donare, quos vis. Additur probatio ab experimento: *Te lucente videmus lucem.* Tu affulges animabus noſtris & nos ſentimus pacem, juſtitiam & gaudium, initia vitæ æternæ. ℣. 10.

§.2 III. Orat Eccleſia

1. pro gratiæ & juſtitiæ continuatione adverſus pios per conſtantiam, ℣. 11.

2. pro averſione noxæ à malis per judicium. *Ne invadat me pes ſuperbiæ.* Deprecatur dominatum ſuperborum. *Et manus improborum ne exagitet me.* Deprecatur vexationem violentam ab improbis. ℣. 12.

3 IV. Indicat judicium Dei in improbos. *Ibi ceciderunt tractantes vanitatem; impulſi ſunt, & non potuerunt ſurgere.* In viſione Prophetica caſum eorum inexſpectatum & ſubitum, tanquam præſentem, cum acclamatione indigitat.

PSALMUS XXXVII.

1. Docet hic Pſalmus, quomodo animati eſſe debeant pii, donec cum improbis habent conflictari.

Summa eſt, ut *ne iraſcantur* vel indignentur *improbis benè agentibus*, ℣. 1. 7. 8. dum ipſis piis malè eſſe videtur vel ab improbis, ℣. 12. 13. 14. 15. 22. vel à defectu copiæ præſidiariæ, ℣. 16. vel à brevitate vitæ, ℣. 18. vel ab afflictione & inopia, ℣. 19. vel ab infirmitate videantur poſſe ſervare viam Dei, ℣. 23. 24. vel à ſpecie deſertionis in mora auxilii, verſ. 25. 26. Sed *in Iehovam rejiciant omnem ſuam curam*, & *in illo confidant*, verſ. 3. 5. 7. 34. interimque *faciant bonum*, verſ. 3. 27. & *recedant à malo*, verſ. 27. *ſervent viam Iehovæ*, verſ. 34. *ſervent* ac retineant *integritatem* fiduciæ in Deum, & *videant*, quid ſit *rectum* & placens Deo, verſ. 37. *paſcantur fide* & conſtantiâ in bono, ceu cibo animæ, & *delicientur in Iehova*, verſ. 3. 4. & *terram* ſive civitatem Dei *habitent*, non deſerant, verſ. 3.

2. Ita enim futurum, ut *hæreditent terram*, verſ. 9. 11. 22. 29. 34. & quidem cum *amplitudine pacis*, verſ. 11.

3. *Improbi* verò *exſcindantur*, verſ. 2. 9. 10. 20. 22. 28. 34. 35. 36. 38. & quidem *celeriter*, verſ. 2. & vi *maledictionis Eccleſiæ*, verſ. 22. ac denique ita, ut *gladius*, quem ſtrinxerant in Eccleſiam, *intret in cor eorum*, verſ. 15.

PSALMUS XXXVIII.

Hic eſt oratio caſtigati & oppreſſi pro remiſſione & mitigatione pœnæ & auxilio. Poteſt eſſe privati oratio, & Davidis pro ſe, & ut typi Chriſti, (qui ſibi tribuat peccata noſtra, tanquam ſi eſſent ſua. De eo ut cætera, ita & hoc verum eſt, quod dicitur verſ. 12. *Amantes me & ſocii mei longè contra plagam meam ſtant: & propinqui mei eminus ſtant.* Ita, ipſo patiente, in diſcipulis factum eſt.) & Eccleſiæ.

In titulo eſt לְהַזְכִּיר *ad commonefaciendum*, q. d. eò directus Pſalmus, ut Dominus recordetur afflicti & miſeri.

PSALMUS XXXIX.

IN hoc Psalmo

1. Narrat Ecclesia propositum sive decretum patientiæ & scandali evitandi in elatione Improborum, vers. 2. *Dixeram, custodiam vias meas adeò, ut ne peccem linguâ meâ: servabo ori meo capistrum; dum Improbus coram me est*, ne scilicet is glorietur, vel irritetur, & per ipsum affligar. Itaque *obmutui silentio, tacui etiam bonum*. vers. 3.

Ita pii obtriti, abacti, & ad silentium redacti fuere sub regno Bestiæ.

2. Ita verò *dolor piorum concitatior factus est*, cùm, silentibus ipsis, Improbus palàm loqueretur injustitiam, & erroribus ac scandalis impleret civitatem sanctam. vers. 3.

3. Inde zelus tantus in Ecclesia commotus est, ut non posset se ampliùs continere, &, sumtâ parrhesiâ, *loqueretur linguâ suâ* ad testandam fidem suam de bono. vers. 4.

4. Cùm verò nemo, ipsis loquentibus, auscultaret & ad animum dicta revocaret; ac plurimi etiam domi forisque contradicerent; denique & affligerent Euangelii præcones, factum est, ut suspiria ipsorum ad Deum multiplicarentur, & orarent, ut, solutis corporis vinculis, ex illo certamine & vana conversatione illius sæculi & labore inutili liberarentur, & ad Deum transferrentur. *Fac me nosse*, id est, experiri, *ô Iehova, finem meum*, &c. quæ vide vers. 5—8.

Præterea orat pro remissione peccatorum, ut causæ afflictionis, vers. 9. Ac insuper allegat suam patientiam in respectu voluntatis divinæ, vers. 10.

5. Denique & pro *ablatione divinæ plagæ* ac *recreatione* intercedit, vers. 11—14.

PSALMUS XL.

HIc Psalmus est oratio Christi animantis Ecclesiam ad fiduciam in Deum sub cruce, applicando exemplum suum per Spiritum Sanctum; atque etiam intercedentis pro ea. Duo ergo facit Christus in hoc Psalmo:

I. Animat fideles exemplo suo ad certamen, vers. 2.—5. Est hîc

1. ὑπομονὴ Christi, ut capitis. *Exspectando exspectavi Iehovam*, certus, illum mihi olim saluti futurum. *Et inclinavit se ad me, & audivit implorationem meam*, assensa est voluntas Patris voluntati Filii, vers. 2. *Et eduxit me ex puteo strepitûs*, id est, ex peccatis præteritis & futuris, quæ, ceu aquæ multæ, cum strepitu in me ingruebant; *ex luto cœni*, (Explica hoc ex Job. 9: 30. 31.) ex potestate mortis & vinculis maledictionis, ex quibus me expedire, & in statum vitæ ac salutis transferre solus non poteram; *& posuit in rupe*, in statu periculi experte, *pedes meos*; *firmavit gressus meos*, dedit mihi jus transeundi in gloriam, & ad thronum Dei, vers. 3.

Atque ita dedit in os meum Canticum novum, laudem Deo nostro (conf. Joh. 20: 17.) pro resuscitatione & exaltatione Servatoris scilicet, vers. 4.

Cum eo fructu, ut *videant multi*, etiam ex gentibus, *& timeant, & confidant in Iehova*. vers. 4.

2. *Μακαρισμὸς* ex illo Christi exemplo deductus. *Beatus vir, qui posuit Iehovam fiduciam suam, & non respexit ad ferocias, & deflectentes ad mendacium*, ℣. 5. *Per feroces* intelligit sese efferentes contra Christum, neque verentes, ne salutis ejus sint exsortes. Per *deflectentes ad mendacium* intelligit eos, qui amorem veritatis non receperunt, & credunt mendacio. 2 Thess. 2: 10. 11.

II. Intercedit apud Patrem pro corpore suo, Ecclesiâ. Hic autem

1. Præstruit petitionis de perpetuanda gratia argumenta; quæ ducuntur

(a.) à magnitudine & multitudine beneficiorum jam præstitorum; quæ sanè Deus non frustra fecit. vers. 6.

(b.) à voluntate Patris, quâ ipsum mediatorem fecit, vers. 7. & suâ, quâ, tempore abolendi holocausta & sacrificia pro peccato, *venit*, & quidem ita venit, ut probaret se eum esse, *de quo per* totum *volumen libri* Mosis & Prophetarum *scriptum* esset, vers. 8. quâque voluntate obedivit Patri, & omnem justitiam implevit, vers. 9.

(c.) à prædicatione justitiæ facta per ipsum. *Annunciavi, εὐηγγελισάμην, in cœtu amplo* omnium gentium *justitiam*, obedientiam scilicet perfectam à me præstitam, & jus filiorum ad vitam ipsis impetratum, &c. vers. 10. 11.

2. Petit

(a.) continuationem gratiæ, vers. 12. Causa impulsiva petendi, eò quòd *peccata sua*, id est, membrorum suorum, adhuc vim suam exserant in castigationibus Ecclesiæ suæ, vers. 13.

(b.) liberationem celerem, ut cum gaudio & bono animo ipsi serviant membra sua, & *dicant semper, Magnificetur Iehova*, id est, prædicent Euangelium liberè, vers. 14--17. Urget hoc à statu suo. *Et ego inops & egenus.* Robur argumenti ab imputatione Dei. *Dominus imputabit mihi*, scilicet hoc, quod ego patior in membris meis, vers. 18.

Tum etiam urget petitionem suam à fiducia sua. *Auxilium meum & liberator tu es*: à nemine, præterquam abs te opem exspecto. Item à fœdere, *Deus mi*. vers. 18.

Tandem repetitâ petitione finit. *Ne tardes*, vel differas in posterius tempus, vers. 18. supra vers. 14. dixerat, *festina*.

PSALMUS XLI.

HOc Psalmo

3 1. *Beatus* prædicatur, *qui prudenter respicit ad Tenuem*, Christum exaltandum & exaltatum, non obstante scandalo humilitatis ejus, vers. 2.

Confirmatur hic *μακαρισμὸς* credentium in Christum, à multiplici fructu fidei, qui est

4 1. *Subductio à malis*, quæ scilicet hostibus Deus immittit, vers. 2.

5 2. *Conservatio* in afflictionibus, vers. 3. ne scilicet victi iis intereant.

6 3. *Vivificatio*, sive conservatio in vita spirituali, ne lædantur à morte secunda, ibid.

7 4. *Prosperatio in terra*, etiam in mediis tenebris & obstantibus passim scandalis, ibid. vers. 3.

8 5. Præservatio à vi hostium. *Et non das ipsum in cupiditatem hostium suorum*, sed, invitis ipsis, superesse & florere facis, vers. 3.

6. Susten-

6. Suſtentatio in languore. *Iehova fulcit eum in ſponda ægritudinis*, etiam quum parvas vires habet Eccleſia, quum increbreſcunt ſcandala, & refrigeſcit charitas, ceſſat οἰκοδομή, veritas in foro offendit, quum anguſtatur, diſpergitur, & ſordet omnibus nomen ejus, atque hinc nauſeat, ℣. 4. Conf. Apoc. 3: 8. &c. 9

7. Erectio & confirmatio. *Omnem lectum ejus mutas in morbo ejus. Lectus* pro 10
ſtatu ægrotantis. Quum agonizat, & cum morte luctatur, tum tu ſubvenis & mutas ejus ſtatum, ut ſtet erectus, ut valeat, ut fortitudine & lætitiâ induatur, verſ. 4.

B. Explicatur, in oratione ad Deum habita, Chriſti 11

1. tum humiliatio. verſ. 5—10. Speciatim hîc nota

(a.) afflictiones Chriſto incumbentes propter peccata noſtra, ipſumque cum morte luctantem, verſ. 5.

(b.) mala perpeſſa ab hoſtibus, puta maledicentiam & obtrectationem, verſ. 6. deſiderium & machinationem mortis ejus, verſ. 6. hypocriſin in adeundo & malitioſam calumniam, verſ. 7. unanimem conſultationem in necem, verſ. 8. exultationem in morte, verſ. 9.

In particulari etiam proditionem ac perfidiam Judæ, cujus Achitophel typus, commemorat verſ. 10.

Chriſto, in hoc ſtatu conſtituto, competebat oratio pro erectione ſua, verbis, *Sed tu, Iehova, gratioſus eſto mihi, & erige me* ex illa ἀσθενείᾳ ſcilicet, in qua ſum, morti ipſi ſubjectus.

Ratio à fine. *Et rependam illis.* Spectat Chriſtus conſilium Patris de induratione & abjectione Judæorum, cum maximis plagis, pro eo, quòd filium Dei blaſphemaſſent & regnum Dei rejeciſſent: verſ. 11.

2. tum exaltatio. Explicatur ea 2

(a.) κατ' ἄρσιν, *quòd non jubilet inimicus ſuper ſe.* Chriſtus enim tertio die reſuſcitatus jubilum eorum prævertit Quia enim prædixerat, ſe tertio die reſurrecturum, ante eum diem jubilare non poterant. In eo autem dicit ſpectatum fuiſſe amorem Dei. *In hoc cognovi*, inquit, *quòd delectaris me*, quòd ſim Filius tuus, in quo complacentiam habes: verſ. 12.

(b.) κατὰ θέσιν, cum indicatione cauſæ. *Sed ego. in integritate mea tenuiſti me*, ut erigeres ſcilicet & aſſumeres, *& conſtituiſti coram te in perpetuum*, in cœlum aſſumtum, ut eſſem rex & ſacerdos in ſæculum. Et quidem *in integritate*, ſive ob perfectam obedientiam. verſ. 13.

C. Gratiarum actione Pſalmus finitur. *Benedictus Iehova Deus Iſraëlis à ſæculo & in ſæculum. Amen & Amen.* verſ. 14. Videtur poni, tanquam populi approbatio & ἐπιφώνημα. Chriſtus dixerat verſ. 2. *Beatus, qui reſpicit* &c. Populus fidelis ſubjiçit: *Benedictus* &c.

PSALMUS XLII.

INdicatur ſummum deſiderium conjunctionis cum Deo, & animus, conſolatione 5
ſpei adverſus triſtitiam & impatientiam, confirmatur.

Hæc quidem in typo & figura conveniunt Davidi exulanti, ſed ad analogum, nempe Eccleſiam N. T. accommodabimus. Partes ſunt duæ:

I. Explicatur deſiderium *videndi Deum*, verſ. 2. 3. Convenit hoc ei tempori, §. 5
quo Eccleſia coarctatur à profanis & hypocritis, & à ſignis & pignoribus gratiæ,

ab exercitio pietatis excluditur, quum in dissipatione est, in persecutione & cruce, sine Dei vindicatione, sicque videtur in carcere & inferno agere.

§.1 II. Explicatur certamen desiderium augens in tentatione non una,

§.5 1. Ex illusione veterum sociorum in quærendo Deo, ℣. 4. 5.

Ita Ecclesia Christiana irridebatur à Judæis, cum quibus assueverat externos cultus obire; Ubi esset Christus ipsorum? quum traderentur in ipsorum manum. Ita eadem à florentibus & persequentibus illam hypocritis. Ita nunc etiam interrogamur, Ubi erat Deus vester, cùm mundum tenerent Papa & Episcopi? Ita Deut. 32: 36. 37.

In hac tentatione se consolatur fidelis anima spe boni futuri, quòd nempe *adhuc sit confessura Deum, & salutes faciei ejus*, sive quas ipse præsens, sive manifestans potentiam suam, sit præstiturus, vers. 6.

2. Ex eo, quòd Deus oblivionem sui præ se ferret, Ecclesiâ ex Synagogis Ju-
1.a. dæorum ejectâ; atque ita in *terra Jordanis* agente, seclusâ à Sanctuario; (quemadmodum etiam David in Moabitide egit, quæ est ad vel ultra Jordanem.) Aposto-
2.b. lis coactis ire ad gentes, à quibus etiam recepti sunt, atque ita in *terra Chermonitarum* versantibus, expulsis extra terræ limites ad gentes; (quemadmodum David, quum Talmæi Gesuritarum regis filiam duxit, videtur ad Gesuræos accessisse, qui Hermonitæ sunt.) Denique & gentibus, quæ Euangelium receperunt, abactis ab hominibus, ac tandem stabulantibus cum ursis, lupis ac leonibus, quan-
3.c. quam in pace, atque ita agente Ecclesiâ in *monte Mitz-ar*, qui prope Tsoarem, in deserto Engedi, prope mare mortuum. vid. Gen. 19: 20. coll. 30. (quemadmodum David in monte Mitz-ar sive Engedi, exclusus ab hominibus, in solitudine cum rupicapris habitavit, 1 Sam. 24: vers. 1. 2. 3.) ubi & tandem Ecclesia in infernum descendit, & ex incendio Sodomæ & Gomorrhæ spiritualis vix secura fuit.

4 Dum ita, uti dictum est, Ecclesia inter gentiles persecutores, & postea inter improbos & hypocritas versatur, *Abyssus ad abyssum*, una pars Oceani ad aliam, quasi Borealis ad Australem, *clamat*, sonitum edit, veluti unâ in alteram incurrente, id est, totus mundus instar Oceani commovetur ac tumultuatur, *canalibus Dei*, id est, nubibus, interim *sonantibus*, emittentibus tonitrua, nimbos & procellas, id est, Deo castigationibus immissis displicentiam eorum, quæ homines faciunt, testante, vers. 8.

§.4 Atque hic omnis invidia & culpa suppliciorum divinitùs irrogatorum in Christianos devolvitur. Hinc tot persecutiones, quæ ceu *fluctus & undæ Dei transierunt super eos*. Hinc natæ tot Apologiæ Christianorum sub gentibus, & fidelium sub Antichristo, quibus demonstrarunt, culpam earum calamitatum, quas mundus patiebatur, non in sese, sed in adversariis residere, vers. 8.

§.1 Hisce tentationibus opponunt pii memoriam veteris gratiæ à Deo sibi exhibitæ, verbis, *Recordor te*. vers. 7. Quum scilicet *interdiu jubebat Iehova extare gratiam suam*, id est, dona sua à studio salvandi profecta vocabat potenti jussione, ut
§.2 essent præsentia; ejusque gratiæ sensum ita animo meo imprimebat, *ut & nocte eam* lætus *decantarem*, & certam fiduciam haberem in posterum, quæ mihi dictabat indesinentes preces ad te, ut omnipotentem *Deum*, & *Deum vitæ*, hoc est, vivum & vivificum, & *meum*, qui scilicet, quicquid potes & es, mihi donaveris, vers. 7. 9.

Atque etiam nunc orationem ad Deum sui negligentem habent, *Cur oblivisca-*

tur ſui? Cur tanto tempore ſe negligat, ſive in certamine, in tentatione, in anguſtia eſſe ſinat? Datur enim tempus longum Beſtiæ, ut faciat. Interim *cum diffractione* & conturbatione *in oſſibus ſuis probro ſe affici à coarctatoribus ſuis, quum dicunt ad ſe omni die, Ubi eſt Deus tuus?* verſ. 10. 11.

Conſolatur ſeſe denique fidelis anima: *Quid dejiciat ſe*, in contemplatione ſalutis & gloriæ adipiſcendæ? *Quid fremat* adverſus potentes, perſecutores, irriſores, in contemplatione regiminis & judicii Dei? *Exſpectet Deum*, id eſt, eas res, quas Deus à ſe peti juſſit & exſpectari; *ſalutes faciei ſuæ*, ſibi coram exhibendas, per quas fiat, ut non confundatur ampliùs, ſed exhilaretur in Deo; *Deum ſuum*, qui, quæ Redemtoris ſunt, omnia pleniſſimè in operibus & beneficiis ipſi ſit repræſentaturus. ℣. 12.

PSALMUS XLIII.

3. EX eo, quòd Deus Eccleſiam ſuam *rejeciſſe* videretur, & cauſam ejus ſuſcipere nollet, quaſi Deus ipſius non eſſet, ℣. 2. Id jam ampliùs eſt, quàm *oblivio*, de qua §. præced.

Hicque certat Eccleſia cum viro fraudulento & injuſto, & gente non pia

(a.) per orationem, in qua eſt poſtulatio

(α) judicii, *Judica me, ô Deus*, id eſt, vindica me à blaſphemiis, contumeliis, injuriis & violentiis eorum, qui te Deum revera non agnoſcunt, & à lege tua diſcedunt. ℣. 1.

Explicatur hæc petitio ſecundùm partes: *Litiga litem meam à gente non pia*, id eſt, ita litem meam agas cum gente impia, non habente voluntatem bonam, ſtudium cognoſcendæ veritatis, amorem & timorem Dei, contrà amante mendacium, ſuperſtitionem, idololatriam, falſam juſtitiam, & omnes, qui piè volunt vivere, perſequente; ut vincas & me liberes, meumque recuperes ab illa: *A viro doli & injuſtitiæ*, id eſt, à genere hominum ſeductore & injuſto, cujus pars præcipua imago beſtiæ, *libera me*, ℣. 1.

Juſtificatur petitio à fœdere Dei. *Nam tu es Deus roboris mei*, id eſt, loco invictæ munitionis mihi es, qui confugio ad te. *Quare igitur rejicis me?* verſ. 2. itemque à ſtatu ſuo: *Quare atratus incedo in preſſura hoſtis?* id eſt, dum non licet mihi per coarctationem hoſtis nomen tuum profiteri, & regno tuo homines lucrifacere, ego ob eam cauſam lugeo & atratus incedo, quaſi Deus meus mortuus eſſet, vel fratres mei exciſi eſſent? ℣. 2.

(β.) gratiæ illuminationis, *mitte lucem tuam*, id eſt, Spiritûs dona, puta linguarum, interpretationis, ſapientiæ & ſcientiæ, quibus ſenſus Scripturarum multis partibus ignoratus, & multis figmentis inquinatus reddatur clarior, atque ita *veritas*, id eſt, ſincera & non adulterata Euangelii doctrina ex indubitato verbo Dei manifeſtetur. ℣. 3. 6

Cum dono illuminationis etiam fructus doni petit, nempe Directionem: *Illa ducant me* in viis tuis, ut illas videam & diſtinguam à via ſcortationis mundi, ut eas amem ac teneam, nullâque ſeductione inde divellar; Provectionem ad communionem ſanctorum: *Deducant me ad montem ſanctum tuum, & ad tabernacula tua*, id eſt, ad eum cœtum, in quo tu habitas, verſ. 3. Denique & fidem ſuam & gratiarum actionem: *Tunc accedam ad altare Dei*, Chriſtum, per quem ſanctificamur, & habemus acceſſum ad Deum, ad Deum nempe in verbo Dei, ad diſcendum ex eo, & ipſi confidendum & omnia ſalutaria in fide Mediatoris ab ipſo petendum,

dum, *lætitiam gaudii meam*, id eſt, unicam cauſam lætitiæ ſuæ, & quidem ſummæ lætitiæ, quæ ſuavi motu omnem animam perfundat, ſive unicum ſuum bonum. *Et confitebor te*, id eſt, agnoſcam & profitebor, te talem eſſe, qualem te futurum promiſiſti; tum etiam prædicabo te meum bonum, & me tuum ſervum, *cum cithara*, id eſt, omnibus ſignis lætitiam animi teſtantibus, *Deus*, *Deus mi*; vel *Deum, Deum meum*, ſcilicet confitebor te. ℣. 4.

(b.) per increpationem puſillanimitatis. *Quid dejicis te anima mea* &c. quæ ſupra expoſita ſunt, ℣. 5.

PSALMUS XLIV.

4 Fideles Novi Teſtamenti hic loquuntur, ut ſperantes ſalvationem omnimodam
3 Jacobi, & in ea ſpe perſeverantes poſt multiplicia certamina.

Accommodatus eſt ei tempori, quo Eccleſia cum multis diuturniſque afflictionibus luctatur ſub regno Antichriſti.

Eſt autem oratio duplex.

A. Generalior, ℣. 2—22. Ubi

4 I. in genere petit *repræſentari omnem ſalutem Jacobi*, id eſt, plenariam Eccleſiæ liberationem, ℣. 5.

Argumentum, quod facit ſpem & fiduciam petendi, ſumitur partim à Dei operibus antiquis, quæ ſunt inchoatio & molitio majoris operis, atque ita à fide & conſtantia Dei, verſ. 2. 3. partim à regno Dei & fide Eccleſiæ perſeverante, verſ. 4.

Illuſtratur petitio: *In te hoſtes noſtros arietemus, in nomine tuo conculcemus, qui inſurgunt in nos*, ut ita Diabolus proſternatur penitus ſub pedibus noſtris, verſ. 6.

Militiæ ratio, quoad ducem & arma, quam in petitione expreſſerat, explicatur. *Nam non in arcu meo fido, & gladius meus non ſalvat me.* Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, neque confidimus potentibus & magiſtratibus, quibus
1 gladius & arcus à Deo commiſſus eſt, ℣. 7. Sed quia hactenus *ſervaſti nos ab hoſtibus*
2 *noſtris*, expuncto reatu, & ſublatâ accuſatione legis, *& oſores noſtros pudore affe-*
1.2 *ciſti*, fruſtratos ſuâ ſpe. Conf. Luc. 1: 71. ℣. 8. *in Deo gloriati ſumus toto die,*
3 *& nomen tuum confitebimur in ſæculum. Selah.* id eſt, omiſſis aliis armis, pugnabimus contra Diabolum & mundum, *confitendo nomen tuum*, hoc eſt, docendo & prædicando, quòd tu ſecundùm nomen tuum exhibueris gratiam & veritatem tuam.

3 Ratio petitionis deſumitur à multis magniſque paſſionibus & adverſitatibus Eccleſiæ, cum quibus ea jamdudum fuerit conflictata, poſt partam ſalutem & factam Euangelii prædicationem ac confeſſionem. In genere: *Etiam rejeciſti, & ignominiâ affeciſti nos*, ſic agis nobiſcum, quaſi non ſimus populus tuus, aut quaſi non ſis rex Eccleſiæ tuæ, ſed potiùs eorum, qui gloriantur in non-Deo, atque ita efficis, ut non audeamus gloriari & παῤῥησιάζεσθαι in te, nec cum lætitia & jubilo agamus, dum Beſtia & pſeudopropheta triumphat, verſ. 10. In ſpecie: *Non exis in exercitibus noſtris*, ſcilicet quando aggredimur Satanam per prædicationem nominis tui, verbum tuum eſt mortuum illis. Conſequens: *Redire nos facis* retrò *ab hoſte*, verſ. 10. *Et oſores noſtri diripuerunt ſibi* multos à nobis, verſ. 11. *Das nos ut oves cibarios*, præbes nos occidendos; *Et inter gentes ſpargis nos*, diſpergis cœtus noſtros inter hypocritas, & aufers nobis publicum cultum. ℣. 12. *Vendis*

popu-

populum tuum pro non opibus, pro nihilo, nihil reperiens in hoſtibus, quare in ipſorum cupiditatem concederes populum tuum, *& non auxiſti pretia eorum*, non exhibuiſti ipſis moleſtiam, quò laborarent in populo tuo opprimendo, ℣.13. *Ponis nos opprobrium vicinis noſtris, ſannam & ſanigerationem iis, qui circa nos*, permittis nos eò uſque redire, ut eos, qui prope acceſſerunt ad regnum Dei, pudeat noſtri, ut, qui circa nos ſunt, irrideant & ludificentur nos, & tanquam ſchiſmaticos & hæreticos damnent, verſ. 14. huc pertinent verſus 15. 16. 17. Ubi per *Inimicum* & *Vindicem ſui* intelligitur Diabolus.

Noſcimus hinc, quamdiu Antichriſtus grandia locutus eſt contra Deum, Chriſtum & ſanctos ejus, fuiſſe ſemper pias animas, quas puderet illius impietatis, quæque liberari ex illa captivitate peterent.

Hiſce afflictionibus non obſtantibus, *quum contrita eſſet Eccleſia in loco Draconum, & operiret eam Deus umbrâ mortis*, ℣. 18. 20. *non oblita eſt Dei, nec feſellit fœdus ejus, nec receſſit cor eorum, nec declinavit greſſus eorum à via Dei*, verſ. 18. 19. Neque merita eſt tantam afflictionem, ut Antichriſtus judicabat, *quòd oblita eſſet nomen Dei ſui*, dum non recipit illius interpretationes & additiones, *& expandiſſet manus ad Deum alienum*, dum non adorat imaginem Beſtiæ, vel panem in Miſſa, vel imagines Dei aut hominum &c. verſ. 21.

Deum verò, ut juſtum judicem, aliquando *hoc ſerutaturum*, cauſam Eccleſiæ cogniturum, & manifeſtaturum, quo animo adverſarii eam accuſent: *Nam illum noſſe occulta cordis*, verſ. 22.

B. Specialior & expreſſior. *Quia propter Deum*, id eſt, eò, quòd nomen Dei confitemur & celebramus, *occidimur omni die*, nec tantùm, ſed & *reputamur ut oves mactationis*, hoſtes putant licitum, imò religioſum, occidere nos; *Excitare* ergo, *quare dormis? Domine. Vigila. Ne rejicias in perpetuum*, verſ. 23. 24. *Cur faciem tuam abſcondis*, ut iratus, ne videamus regnum tuum? *Obliviſceris inopiam noſtram & preſſuram noſtram? Nam depreſſa eſt ad pulverem anima noſtra; agglutinatus eſt terræ venter noſter.* Eò redactæ ſunt vires noſtræ, ut in pulverem proſternamur, verſ. 25. 26. *Surge auxilium noſtrum, & redime nos*, imputatione precii Filii tui & potentiâ tuâ libera nos à captivantibus & opprimentibus nos, *propter gratiam tuam*, quâ dilexiſti nos ante jacta mundi fundamenta, quamque in nobis ſanctificandis demonſtrare incepiſti. ℣. 27.

PSALMUS XLV.

UT ex titulo apparet, eſt *carmen amatorum*, ſive de rebus ſuaviſſimis & chariſſimis, nempe de איש ידידות, hoc eſt, Chriſto, & Eccleſia ejus, quæ amoris ipſius particeps eſt. Partes ſunt tres:

A. Exordium, inſtinctum & motum divinum omnium facultatum ad deprædicandas Chriſti laudes indicans, 1. Mentis: *Viviſcit cor meum verbo bono*, q.d. mens mea illuminata à Spiritu Sancto ſentit quendam vivum motum & excitationem ſpiritualis ἐνθυμήματος ad proferendum *verbum bonum*, id eſt, verbum Euangelii, quod à fidelibus, videntibus Chriſtum in carne perceptum, eos ad εὐφημίαν & εὐλογίαν concitavit. 2. Voluntatis: *Dico ego*, ſive addico, *opera mea regi*, conſilium habeo certum ac propoſitum ad honorem Chriſti, veri Regis, omnia opera mea dirigendi. 3. linguæ: *Lingua mea ſtilus ſcribæ expediti*, ut non interquieſcat lingua mea, utque fideliter & exactè dictata Spiritûs Sancti explicet & enar- §.5

ret ad certum definitumque modum, eaque ad omnem conſcientiam, ut verba in tabulâ eleganter ſcripta, exponat. verſ 2.

Is *ſermo bonus* eſt, quem Apoſtoli & Prophetæ, inſtinctu Spiritûs Sancti, explicarunt.

B. Encomium Regis: in quo laudatur ejus

I. Qualitas perſonæ. ℣. 3. Vide

1 1. Pulchritudinem. *Pulcher es præ filiis hominum.* Comparatur cum reliquis hominibus, ut unus ex eorum numero: quare & ipſi *patres* aſſeruntur verſ. 17. Ea pulchritudo ſita in eo eſt, quòd 1. non eſt homo ψιλὸς, ſed & Deus. Nam per doctrinam & opera ejus divinitas eluxit. 2. quòd eſt homo juſtus & ſeparatus à peccatoribus. Pleniùs, ſed in metaphoris, ea pulchritudo Chriſti deſcribitur Cant. 5 : 9. 10. &c.

2. Sermonis gratiam: *Effuſa eſt gratia*, ſive venuſtas gratiam concilians, *in labia tua.* Quippe per ſermonem pateſcit 1. ſapientia tua, quòd omnia recta, juſta & honeſta loquaris, & omne arcanum divinæ voluntatis explices. 2. ſclementia tua, quâ omnes feſſos & oneratos advocas ad te. Conf. Luc. 4 : 22.

Ex Judæis audire, quæ ſuavis illa Dei loquela ſit, operæ pretium eſt. Bammidbar Rabba Par. 10. *Palatum ejus dulcedines* (dictum de Sponſo Cant. 5 : 16.) *Is eſt S. Ben. Ille. Vide, quid is dicat: Quærite me, & vivite. Eſtne illo palatum dulcius? Vivo ego, ſi delector morte improbi*, &c. *Item, Si reſipuerit improbus*, &c.

Propterea benedixit tibi Deus in ſæculum, id eſt, inde, quia tu pulcher es & gratiam eloqueris, cognoſcitur, quòd tu is ſis, cui benedixit Deus in ſæculum, quòd tu ſis illud ſemen benedictum, cui Deus hæreditatem terræ promiſit, & in quo benedicentur omnes gentes, quibus jus habes poſtulandi omnem *benedictionem*, id eſt, omnia dona maxima. Cujus ſermonis gratioſi inſtar eſt Pſ. 40 : 7. 8. 9. 10.

II. Certamen & militia. ℣. 4. 5. 6. Diſtingue

2 1. Apparatum. *Accinge gladium tuum femori, Heros.* Ad Chriſtum eſt Apoſtrophe, qui eſt verè *præpotens*, qui τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου aboluit, cui & mare & venti obediverunt. In apparatûs deſcriptione eſt

(a.) *accinge gladium tuum femori.* Expeditionem ſuſcipe adverſus Diabolum, eumque armis decretoriis aggredere. Per *gladium* intelligimus imperium Chriſti & Dei efficax, quo Diabolus ſuo dominio, quod habebat, exutus eſt. Quod imperium nititur Chriſti ſatisfactione. Adeoque maximè in morte Diabolo gladium hunc intentavit. Nam morte abolevit Diabolum, Hebr. 2 : 14. Ita, quando latus ejus lanceâ perfoſſum eſt, Satanas confoſſus eſt. ℣. 4.

3 (b.) *accinge majeſtatem tuam* regiam. ibid. Eâ Chriſtus potentiſſimè ſe accinxit, quum reſurrexit ex mortuis. Oppoſitum id κενώσει.

4 (c.) *invade decorem tuum.* Progredere uſque ad ſummum decóris tui. Cœlum pertranſi. (Poteſt etiam illud, quo gloria alicujus demonſtratur, ut cœlum, *gloria* dici. Vid. 2 Pet. 1 : 17.) *Superinſide*, ſublimis vehere, inſide cœlo, tanquam ſolio tuo. *Competentia*: *Propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam. Veritatem*, tum quia veram viam ad ſalutem clariſſimè juxta teſtimonia Legis & Prophetarum annunciavit; tum quia omnem juſtitiam implevit, quòdque adeo lex Dei in ipſo eſt vera, h. e. habet in ipſo verum ὑπογεγραμμόν; tum quia ea omnia præſtitit, quæ de ipſo prædicta erant, & promiſſiones Patris verificavit: *Manſuetudinem*, quæ tum in humilitate & paupertate; tum in clementia & tolerantia circa

pecca-

peccatores; tum in obedientia ad patiendum ſpectata eſt: *Juſtitiam*, quæ in eo ſpectata fuit, quòd cuique tribueret ſuum citra proſopolepſiam, triſtibus ob peccata conſolationem Euangelicam, ſecuris & ſcientiæ opinione turgidis terrorem & indurationem. Hæ ſunt virtutes, propter quas Chriſtus exaltandus erat, quarum prima, *Veritas*, tribuitur Chriſto tanquam teſti & Prophetæ verba Dei loquenti; ſecunda, *Manſuetudo*, ut Sacerdoti ſe ipſum offerenti; tertia, *Juſtitia*, tanquam Regi. *Finis exaltationis Et docebit te terribilia dextra tua*, id eſt, experimento ipſo cognoſcenda dabit tibi tremenda opera. Huc pertinent omnia opera Chriſti regis, à Prophetis deſcripta. verſ. 5.

2. Exemplum operis duplex in facto & eventu. 1. quòd *populi ſubter regem cadunt*, proni ſcilicet coram rege, ut adorent ipſum. Hæc eſt converſio gentium, de qua Gen. 49: 10. 2. quòd *ſagittæ regis acutæ infixæ ſunt cordi inimicorum regis*. Intelliguntur horrendæ pœnæ corporales & ſpirituales eorum, qui ipſum regem agnoſcere noluerunt, rejectio ſcilicet, induratio, excidium & diſperſio Judæorum. Implicantur hæc per μιτημβολὴν, ut ſignificetur, bellum Chriſti cum Judæis patratum eſſe tum, cum gentes ei obedire incepiſſent. ỳ. 6. 6 7

III. Regnum, ỳ. 7. 8. 9. Vide

1. Solii ſublimitatem & perpetuitatem: *Solium tuum, ô Deus, in ſæculum & perpetuum. Solium* cohæret cum רכב *ſuperinſide*. Significat autem jus & poſſeſſionem regni. Nota, Chriſtum hic compellari *Deum*. Cui thronus tribuitur, in quo ſcilicet ſolus regnet, ſine vicariis, aut diis nuncupativis, & quidem *in æternum*, ſine ſucceſſore. Regnat autem Rex in cœlo & in terra per potentiam, in corde Eccleſiæ per verbum ac Spiritum. verſ. 7. §. 4

2. Sceptri rectitudinem: *Sceptrum rectitudinis eſt ſceptrum regni tui. Sceptrum* notat adminiſtrationem regni ſive judicium. Hic nullus error, nullus lapſus, nulla perſonarum acceptio, verſ. 7. Æquitas illa in quo conſiſtat, explicatur: *Diligis juſtitiam & odio habes improbitatem*, id eſt, tum ipſe facis juſtitiam, & membris tuis procuras juſtitiam morte tuâ, tum omnes eos diligis, qui fide complectuntur juſtitiam tuam, & ferunt fructus dignos juſtitiâ; contrà averſaris eos, qui ſcandala faciunt, & qui aſpernantur juſtitiam Dei. ỳ. 8.

3. Unctionis abundantiam: *Propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus*, id eſt, demonſtravit te Filium ſuum Sacerdotem, & Regem & Prophetam 1. in conceptione & nativitate, quando Spiritus Domini ſupervenit Mariæ, ut, quod in ea naſcebatur ſanctum, Filius Dei appellaretur, Luc. 1: 35. 2.do in miniſterio, quando in humanitate & per humanitatem ejus demonſtrata ſunt dona Spiritûs Sancti, qui dicitur *Spiritus ſapientiæ & prudentiæ, conſilii & fortitudinis, cognitionis & timoris Domini*, Eſ. 11: 2. Hinc dicitur, *quòd Deus ipſum unxerit Spiritu Sancto & potentiâ*, Act. 10: 38. Ad miniſterium autem Chriſti pertinet etiam *alacritas* illa, quâ ſe ad ultimum certamen accinxit, ſe ex amore indicibili victimam fragrantiæ offerens Deo. Eph. 5: 2. 3tio in exaltatione, quando exaltatus dexterâ Dei, acceptâ à Patre promiſſione Spiritûs Sancti, effudit Spiritum Sanctum viſibiliter in Apoſtolos; atque eâ re Deus eum *Dominum & Chriſtum fecit*, id eſt, publicè compellavit & auctoravit, Act. 2: 33. 36. Quò pertinet, quòd ipſe dedit & in nomine ipſius datus eſt & datur Spiritus Sanctus Novi Teſtamenti; *Spiritus gratiæ, Spiritus Filiorum*, qui non eſt Spiritus δουλείας καὶ δειλίας, qui non datur ex menſura. Secundùm hæc facile eſt, quomodo particula על כן debeat explicari. Nota, ungentem appellari *Deum Chriſti* regis, id eſt, Deum Patrem, qui

K 2 ipſi

ipſi fœdus & promiſſionem pepigit. Pſ. 2: 7. 8. 9. in cujus nomine ipſe venit, quemque etiam, ut Homo, invocavit. Id fœdus Patris cum Filio eſt fundamentum Teſtamenti, quo nos ſcripſit hæredes, & voluit *Deus noſter* fieri.

Unguentum: *Oleo alacritatis.* Intelligitur alacritas 1. amoris, quo Deus proſequitur fideles: qui comparatur cum gaudio ſponſi ſuper ſponſa, Eſ. 62: 5. 2. ſtrenuitatis ad lucrandam & comparandam ſibi Sponſam, eamque defendendam ac vindicandam. *Unxit te oleo*, ſive Spiritu *alacritatis* Patris tui, qui totus in te habitat.

Menſura unctionis: *Ultra conſortes tuos*, qui habuerunt unquam unctionem Dei, & *Dii* appellati ſunt. Quia in te omnis plenitudo habitat, & ex plenitudine tua accipimus gratiam pro gratia. Id ex ipſo nomine Uncti liquet; qui eſt *Elohim*, *Deus.* Hæc eſt enim unctio hujus regis, quòd per Spiritum lætitiæ ſive alacritatis, qui ſuper ipſo eſt, & ab ipſo datur, demonſtratur non vocari, ut conſortes ejus, ſed eſſe *Deus*, is, qui Dominus Eccleſiæ ſuæ eſt, poteſtque eam ſervare & juſtificare & glorificare, cui credere eſt juſtitiam adipiſci & ſalutis compotem fieri.

Effectus ſive conſequens unctionis eſt veſtium odor ac nitor.

Odor. *Myrrha & aloë, caſſia omnes veſtes tuæ*, id eſt, ita perfuſus es oleo, ut fideles, in quibus ceu veſte tua habitas & vivis, illo perfuſi fragrent. Notantur iſtis aromatibus χαρίσματα, quæ ſunt totius corporis Chriſti, fides, ſpes, charitas. Dicit *omnes*, quia cognoſcent Dominum à minimo eorum ad maximum eorum.

Nitor. *Præ palatiis eburneis*, ſcilicet omnes veſtes tuæ ſunt, id eſt, nitent, lucent puro & candido fulgore magis, quàm palatia eburnea. *Nitor veſtium* ſignificat in Chriſto perfectam obedientiam, in membris juſtitiam & ſanctificationem & pœnitentiam ſinceram: *Ex quo lætificarunt te*, id eſt, ex quo tempore tibi placuit veſtes tuas, id eſt, humanam naturam carnis tuæ & noſtræ induere, in eaque te oſtentare.

IV. Familiam, ℣. 10—17. Hic

1. Uxores & virgines. Vide

§ 6 (a.) Liberalitatem in alienas. *Filiæ regum in pretioſis tuis*, id eſt, populi ornamentis tuis, remiſſione peccatorum &c. quæ ſunt *pretioſa* Chriſti, veſtiti & amicti ſunt. ℣. 10.

(b.) Dignationem erga conjugem. *Auguſta*, Eccleſia electorum ex omnibus gentibus, quam ſibi conjugavit, & conſtituit dominam & hæredem totius mundi; ideoque, ut honoris ſui particeps, *ſtat ad dexteram tuam in optimo auro*, induta ſcilicet ipſius regis Chriſti juſtitia ac Spiritu, & coronæ ipſius particeps. ℣. 10.

5 (c.) Sollicitationem virginum ad augendam Sponſi familiam. Duplex ea:

(α.) *Filiæ* ſimpliciter, id eſt, ejus civitatis & cœtûs, quæ habet præſumtionem veteris juris filiationis, ſcilicet Eccleſiæ ex Iſraële. *Audi, filia, & vide*, proba omni judicio animi tui & verba & facta regis; *& attende aurem tuam*, ut libenter audias vocem Sponſi; *& obliviſcere populi tui & domûs Patris tui*, omnem prærogativam carnalem, quòd ſcilicet fueris gens peculiaris, per circumciſionem ſecreta ab aliis, tum ſanctuarium Domini, patres, Reges, Sacerdotes, Patriarchas, doctorem Moſen &c. abnega. verſ. 11. *ut concupiſcat rex pulchritudinem tuam*, id eſt, juſtitiam, quam tibi dat, quæque unicè ab illius dilectione & imputatione eſt, quamque accipis per fidem: *nam ipſe Dominus tuus*, qui te redemit à ſervitute Diaboli, tum à ſervitute legis,

legis, adeoque te fecit suum. Hæc post verſ. 11. in parentheſi legenda. Porro exigit, ut *adoret ipſum*, qui eſt geſtus ſe ſubmittentis ei, à quo dependet, vel etiam beneficium accipientis, & pro eo gratias agentis. Significatur, Sponſam ex ſe inopem, nudam & miſeram, Sponſo eam ad nuptias & conjugium invitanti gratias agere debere. verſ. 12.

(β.) *Filiæ Tyri*, id eſt, gentilitatis olim excluſæ à communione populi, cujus ad Occidentem terræ Canaan Tyrus quaſi metropolis fuit. *Et* tu, *filia Tyri*, audi & vide & inclina aurem tuam, & ſi quid eſt in gente tua & domo patris tui, obliviſcere, & adora legem, (Connexio & videtur eſſe repetitio præcepti) ne ſcilicet relabaris ad priſtinos errores, & ob amicitiam popularium & cognatorum tuorum communices cum idolis & operibus mortuis.

Ratio eſt maximi momenti, quia tam clementer à Rege ad conjunctionem & communionem ſollicitatur: *Cum munere tibi ſupplicant*, id eſt, per prædicationem Euangelii offerunt tibi gratiam tanquam munus gratuitum, orantes, ut ne illud repudies; hocque faciunt gratis, non repetentes quicquam; tum etiam cum multiplici patientia laboris, infamiæ, perſecutionum, lapidationum, plagarum, mortis; *divites populi*, fideles N. T. qui poſt longam ſitim exſatiati ſunt, interque eos præſertim ii, qui τέλειοι, *adulti*, perfectique erant reſpectu puerorum in Chriſto, nominatim Apoſtoli, qui ad hoc miſſi, ut theſauros ſapientiæ & prudentiæ coram omnibus gentibus exponerent. ℣. 13. Jam vide Act. 20: 31. 2 Cor. 5: 20.

(d.) Sponſæ gloriam in deductione ad regem,

(α.) in ipſius ornamentis. *Filia regis* ſummi, Dei Patris, cujus *filia* eſt 8
propter regenerationem, *tota glorioſa* eſt ſive plena gloriâ, hoc eſt, præ-
ſtantiſſimis ornamentis, *eſt introrſum*, ſub aliis ſcilicet veſtibus exterioribus.
nimirum eſt *indumentum ex ocellatis auri*. Vid. ſup. verſ. 10. Quod hic repe-
titur, ut plenitudo illius divini ornamenti indicetur, deinde ut ſubjungat
ornamenta externa. Quæ ſunt *veſtes acu pictæ*, ſive *verſicolores*. Per eas no-
tantur varia Spiritûs χαρίσματα, variique fructus Spiritûs in variis tentatio-
nibus & paſſionibus præcipuè demonſtratæ. *In iis veſtibus deducitur ad re-
gem*, non ut demum credat in ipſum, ſed ut ſit cum ipſo primò in ſimilitu-
dine paſſionis, deinde in communione gloriæ. ℣. 14.

(β.) in ipſius comitatu. *Virgines poſt illam*, *ſociæ ejus*, quæ primitivæ 9
Eccleſiæ, hoc eſt, eorum, qui primò ſperaverunt aut crediderunt in Chri-
ſtum, veſtigia legunt, *virgines*, quia non fornicatæ ſunt cum falſis ſponſis &
adulteris, Antichriſto, pſeudopropheta, beſtia, *adducuntur tibi*, Chriſto
regi. ℣. 15.

(γ.) in lætitia & fine deductionis. *Advehuntur in lætitiis & gaudio*; (læ- 10
titia hæc ſignificatur per canticum novum, quod nemo intelligit, niſi red-
emti ab Agno, qui ſunt virgines, Apoc. 14: 3.) *intrant in palatium Re-
gis*, in cœlum, in quo majeſtatem ſuam regiam oſtendit, & uberrimum
fructum unionis ſui præbet; vel potiùs ad electos fideles, qui ſunt in cœlo & in
terra, quorum habitaculum etiam ſecundùm fidem & ſpem eſt in cœlo, quos
verius inhabitat Chriſtus. *Templi* ſimilitudo requirit conjunctionem ſancto-
rum & ſejunctionem ab hypocritis. Poteſt igitur hic intelligi beneficium ſe-
parationis piorum, qui audiunt vocem paſtoris ſui & eum ſequuntur, à 11

cœtu hypocritarum, eorumque ita ab illis feparatorum conjunctionis. verf. 16.

2. filii. *Loco patrum tuorum erunt filii tui.* Sermo convertitur ad Regem. Per *filios* intelligit fingulos homines, qui in Ecclefia funt, & per verbum Chrifti, tanquam femen, in finu Ecclefiæ confervatum, Spiritu ejus operante, gignuntur.
12 Horum dignatio fumma eft. *Pro patribus tuis erunt*, id eft, eundem locum obtinebunt, quem Abraham, Ifaac & Jacob, patres Chrifti, obtinuerunt. Erunt enim Prophetæ, cognofcentes Dominum æquè minimi ac maximi; Sacerdotes, offerentes Deo munus purum; Reges, quia liberi à fervitute, & dominantes erunt carni, mundo, diabolo, angeli fervient ipfis, & omnia ipforum erunt in Chrifto. Etiam fœcunditate loco patrum erunt: integros enim populos ac nume-
13 rofiffimas gentes Chrifto & Ecclefiæ generabunt. *Pones illos principes in terra*: nam 1. omnia fervient ipforum bono. 2. quæ à Chrifto peffumdantur, fubjiciuntur pedibus ipforum. 3. in communione fanctorum omnes fibi invicem fervient per charitatem veriùs, quàm fervi Dominis fuis. ℣. 17.

C. Claufula de gentium confpiratione in obedientiam Chrifti propter verbum Dei. *Memorari faciam nomen tuum in omni ætate & ætate. Propterea populi confitebuntur te in fæculum & æternum.* Ità Pfalmifta etiamnum commemorat nobis in hoc Pfalmo, quis & qualis fit rex Ecclefiæ. Et vi hujus & fimilium prædictionum nunc etiam verbum Dei tenemus, & ex eo Chriftum cognofcimus. Confer Pf. 57: 10.

§. 12 Confequens eft, ut populi, qui alios reges antea habuerunt, alios Deos coluerunt, abnegatis iis, Chriftum verè filium Dei & regem effe agnofcant, eique fe addicant in fæculum. ℣. 18.

PSALMUS XLVI.

Hic Pfalmus eft ἐπαινετικὸς, laudans & celebrans bonitatem & gratiam Dei erga Ecclefiam, ad confervandum illam & lætitiâ ac victoriâ donandum. Partes:

1. Declaratio fiduciæ in Deo inter præfentiffimum periculum, nempe *dum movet terra*, & *montes conjiciuntur in mare*, id eft, dum refpublica Judaïca exfcinditur, & populus difpergitur inter gentes. verf. 2. 3.

2. Declaratio lætitiæ in mundi motibus, bellis, feditionibus, tumultibus, inter quæ nutant populi & refpublicæ, quæque in metaphora *ftrepitûs*, ac *turbationis aquarum*, & *tremoris montium* proponuntur verf. 4. Itaque *urbs Dei* fub alis altiffimi delitefcit, & *lætificatur* five abundat & fœcundatur *fluvio*, & *rivis ejus*, five is Chriftus, (ex Joh.4:14.) five Spiritus Sanctus, (ex Joh.7: 38.39.) à quo omnis vita, lux & lætitia in Ecclefiam defcendit. ℣. 5. ficque *Deus eft in medio ejus*, *nec movetur*: *auxiliatur ei Deus*, *appetente*, poft longam noctem, *matutino*. ℣. 6.

3. Commemoratio *liquefactionis terræ*, five illius reipublicæ, quæ videtur effe οἰκουμένη, quæ eft multitudo hominum facramentum Chrifto dicens, & rempublicam conftituens in mundo, & Ecclefia vocatur, quamvis fit Beftia. Ea *liquefcere* dicitur, id eft, confumi magis magifque per plagas Dei, *edente Deo vocem fuam*, five aliquid ejus vocis, id eft, verbo judicii, prænunciati à Prophetis, quod eft in ore duorum teftium, five Scripturæ Veteris & Novi Teftamenti, & ex ea recitatur à fidelibus, inftar ignis devorante hoftes ipforum. ℣. 7.

4. Gloriatio fidelium in Dei ope, ℣. 8. 9. 10. Eft hic

(a.) Pro-

(a.) Propofitio in gloriatione. *Jehova Deus exercituum* gentium, ad quem venient omnes gentes, ut adorent eum, *nobifcum eft*, ftat pro nobis & pugnat contra hoftes; *fublimatio eft nobis*, non tantùm, ut falvi fimus, fed etiam ut triumphemus, (nam de victoribus ufurpatur hæc vox Ef. 9: 10.) *Deus Jacobi*, qui promifit Jacobo, in ipfo benedictum iri omnes gentes terræ. ℣. 8.

(b.) Confirmatio *per opera Dei*, in re præfenti demonftrata. ℣. 9. Tria opera oftendit.

(α.) *Pofuit vaftitates in terra*, nempe defolationem in republica dicta Chriftiana, quæ Beftia eft, & fert pfeudop: ophetam & imaginem Beftiæ. ℣. 9. Factum id feceffione & exclufione fanctorum.

(β.) *Quòd* identidem *facit ceffare bella ufque ad finem terræ*. Ea vid. bella, quæ contra Ecclefiam fufcipiuntur, ut ita, ubicunque *terra* & nomen Chriftianum eft, fit pax longinquo & propinquo, Ef. 57: 19. & gens contra gentem non ferat gladium. Quanquam, quod hîc dicitur, magis pertineat ad eum articulum temporis, quo *non difcent ampliùs bellum*. Ef. 2: 4.

(γ.) *Arma belli frangit*, *concidit*, *comburit*, id eft, perfecutores multis modis punit, labefactat, affligit, enervat, humiliat per alios & fæviores hoftes, ℣. 10.

Pertinet hoc etiam ad manum populi fancti, ut illa confringatur, & ad munitiones & armamenta Ecclefiæ, ut ex aliis prophetiis patet.

5. Sermo Dei & increpatio, quâ coërcet gentes, eafque jubet *fe cognofcere* & fibi credere, verf. 11. *Omittite*; Intelligitur voluntas Dei efficax, quâ fedantur homines & compefcuntur, ne obloquantur fibi, ne fequantur vanitatem; *& nofcite*, *quòd ego fim Jehova*, qui talia operor, quòdque nemo præter me fit Deus. Conf. Deut. 32: 39. Homines ergo fic increpiti definent profequi aliam juftitiam, & nominare alios reges, & perfequi Chriftum & regnum ac juftitiam ejus. Addit autem, ut fibi credant & cedant, propofitum fuum *fe efferendi in gentibus & in terra*, id eft, inter eos, qui ipfum non cognoverunt, & inter eos, quibus fœdus ejus innotuit, abrogato omni inimico & adverfario. Non poteft hinc excipi populus Judaïcus. Apparet, dum Deus hæc edicit, regnum & divinitatem ejus, tum *in gentibus*, tum *in terra* habere contradictionem & oppugnari. §.8

6. Conclufio in gratiarum actione. *Jehova Deus exercituum nobifcum eft*, *fublimitas nobis Deus Jacobi. Selah.* ℣. 12. Id jam in confummatione omnium promiffionum fpectatur.

PSALMUS XLVII.

Agit de gentium adjunctione ad regnum Dei, per parænefin duplicem, earumque rationes.

Parænefis ad populos duplex eft:

A. Applaudendi & clangendi Deo, ut certanti & regnum paranti, verf. 2—6. Eft hic

I. Propofitio. *Omnes populi*, *plaudite palmam*, *clangite Deo cum voce jubili*. Teftatur Spiritus Sanctus, venturum tempus, quando Deus allocuturus fit gentes, & 2
eis jubilationem indicturus. Sunt ea verba Apoftolorum & Euangeliftarum, nomine Dei legatione fungentium ad *omnes populos*, hoc eft, tum ad populum Judaïcum, tum ad gentes, extra rempublicam Ifraëlis aliis Diis & regibus fervientes, ut, fummæ

mæ lætitiæ cauſâ jam exſtante, *plaudant manum & clangant*: qui ſunt geſtus regi obviam euntium, & ejus certamina cum gratulatione proſequentium. Regem igitur Chriſtum agnoſcant & fiduciam in eo collocent, ℣. 2.

§.2 II. Confirmatio:

1. Quia ſolus meretur *timeri tanquam altiſſimus*, qui ſedet in cœlo ſcilicet, cui-
4 que omnia ſubjecta ſunt. Et tanquam *rex magnus ſuper totam terram. Rex magnus* abſolutè, quo nemo major eſt, cui omnis poteſtas eſt ſubjecta *in tota terra* vel Iſraëlis, ubi omnem aliam poteſtatem abolevit, vel in toto mundo. ℣. 3.

2. à remotione obſtaculi. *Rediget populos ſubter nos*, tum Judæos, tum gentes, *& nationes*, ſpeciatim 12 tribus Iſraëlis, *pedibus noſtris*, ut nobis cogantur men-
3 tiri, vel etiam fiant hæreditas noſtra. Cur ergo timeantur, ſeſe opponentes regno Dei? Non, quòd ſtatim tota ſubjectio populorum & nationum eſſet futura primis Eccleſiæ temporibus, ſed quòd infringendus eſſet Satanæ impetus paulatim, donec omnes gentes in tota habitabili Chriſto ſubjicerentur. ℣. 4.

§.2 3. à bono, quod conſequentur. *Eliget nobis hæreditatem noſtram, elationem Jacobi, quam diligit. Selah.* Id eſt, *Eliget* ſive deliget, & attribuet nobis cum delectu ex omnibus Chriſto ſeſe ſubjicientibus & ex omnibus bonis id, quod eſt optimum, quod nobis ſit pro hæreditate, nempe *elationem Jacobi, quam diligit*, id eſt, id, quo Jacob præ cæteris ovat ac gloriatur, id eſt, *primo* Chriſtum, tanquam verum templum. *Deinde* & omnia, quæ Chriſtus habet; quæque patribus promiſſa ſunt donanda per Chriſtum. ℣. 5.

1 4. ab exemplo ſive modo, quo aſcendit Dominus in thronum ſuum. *Aſcendit Deus cum clangore, Jehova, cum voce tubæ.* Æquum eſt, omnes homines Deo clangere, quia non ſilentio evectus eſt. Nam primò evectus eſt reſuſcitatus ex mortuis. Quam reſurrectionem angelorum & ſanctorum teſtimonia comitata ſunt, nec tantùm innotuit diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem, ſed etiam victoria mortis toti populo, cum gratulatione ſperantium ſalutem Dei. Deinde evectus eſt in cœlum, videntibus diſcipulis, quum antea ipſum vidiſſent magno numero homines, & in totam terram exiſſet fama, Chriſtum reſurrexiſſe, & ſtatim per effuſionem Spiritûs Sancti & fidem multorum ex Iſraële majeſtas ejus demonſtrata eſt. Sanè vox Apoſtolorum, Spiritu Sancto repletorum, majus quid eſt voce tubæ. Et Pauli converſio & ejus circumductio per totum orbem in ſervitute enixiſſima triumphus clariſſimus eſt. Et quis jam porro dubitare poteſt de *aſcenſione* ejus qui deſcenderat, in thronum gloriæ, quum audiverit talem ἐγκέλευσιν, qualis hîc eſt, in omnibus jam tot ſæculis, & videat paulatim hoſtes Dei proſterni, & totum mundum nomine Chriſti imbui; *& clangor* ille, cum quo Chriſtus aſcendit in cœlum, ſit clariſſimus; & nullas aures non verberet? ℣. 6.

B. Canendi, ut Deo victoriam obtinente, cum inſigni gloria & exaltatione populi ejus, ℣. 7—10. Vide rurſus

5 I. Præceptum. *Canite Deum, Canite: Canite regi noſtro, Canite. Nam rex totius terræ Deus eſt, Canite eruditum* carmen. ℣. 7. 8.

6 Actus præceptus eſt, ut canant ſive *modulentur eruditum* carmen, id eſt, doctrinam Euangelicam, quæ eſt carmen novum; deponant ignorantias & errores, & proficiant in ſapientia ſpirituali, ut, quod canunt, canant ita, ut audientes σοφίζωσι ad ſalutem. Objectum. *Deum* canant, qui habet fœdus cum peccatore, ut in ipſum credens juſtus ſit. Finis. *Regi noſtro.* Objectum & finem declarat: *Nam Rex totius terræ eſt Deus*, id eſt, non alius eſt Deus, alius Rex. Opportunè

tunè hìc dicitur, *Regem totius terræ*, nimirum Meſſiam, *eſſe eundem verum Deum.* §.6

II. Suaſio præcepti

1. à regno Dei in gentes. *Rex factus eſt Deus ſuper gentes*; *conſedit in ſolio ſancto ſuo.* *Regnum* in gentes occupavit ſcilicet ille idem, qui eſt rex, magnus in tota 7
terra, ſive magnificatus abolitione paſtorum in terra. *Conſedit* idem *in ſolio ſancto ſuo*, quum templum Hieroſolymitanum deſtructum eſt. Ita enim teſtatus eſt, ſe in cœlo tantùm, velut ſolio ſuo, velle ſedere & regnare, non in certa gente, ſed in toto mundo. Sed ulteriùs etiam intelligi poteſt, eum *conſediſſe in ſolio ſuo*, quando venit hora judicium agendi, & peſſumdandi Antichriſtum & gentes, quæ Chriſto nolunt parere. Denique cùm, quod primo colo narratur: *Deum factum*
eſſe regem in gentes, ſub tuba ſeptima factum videat Apocalypſis c. 11 : 15. non poſ- 8
ſumus hìc intelligere niſi conſeſſum in ſolio ad judicandum vivos & mortuos. Secretio hæc, quæ per judicium ex Scripturis fit ubique, ut eſt Apoc. 20 : 12. judicii ultimi prooemium eſt. ℣. 9.

2. ab exaltatione gentium in regno Dei. *Voluntarii*, qui ſeipſos offerunt Deo §.7
ſacrificium vivum, rationalem cultum, *populorum* tam Judæorum, quam gentium, *congregati ſunt* in unum populum. Dignitas eorum prima eſt, quòd ſint *populus Abrahami*, cui data eſt promiſſio, quòd hæres mundi futurus eſſet: quæ promiſſio in collectione hujus populi voluntarii expletur. Conſequenter, quòd Deus Abrahami ſit & Deus ipſorum, ipſique filii & hæredes. Præterea notatur, eos eſſe populum, non ex Teſtamento filiorum Jacobi poſt introitum in deſertum, ſed ex eo Teſtamento, quod notificatum eſt Abrahamo.

Altera dignitas indicatur per honorem Dei. Quia Dei *ſunt clypei terræ*, *valde* §.7
exaltatur is populus. Deo & Eccleſiæ ſerviunt magnates & reges terræ; vel, Deus protegit terram ſive Eccleſiam, verſ. 10.

PSALMUS XLVIII.

DE civitate ſanctorum ſive cœleſti Hieruſalem, quatenus ex cœlo deſcendit in §.7
terram, loquitur hic Pſalmus, continens gratulationem & conſolationem Eccleſiæ ex ſpe perpetuæ conſervationis ob Dei unionem.

Partes ſunt duæ:

A. Propoſitio. *Magnus eſt Jehova & celebratus valde*, demonſtrata eſt Dei magnitudo, tum quoad potentiam, tum quoad juſtitiam & gratiam, *in urbe Dei noſtri*, *monte ſancto ejus*, id eſt, in Eccleſia, ſive in iis, qui vident magnitudinem Jehovæ, qui irradiantur luce gloriæ ipſius, & cognoſcunt nomen ejus, idque amant & celebrant. Qui & primitus in Sione & Hieroſolyma fuerunt, aut ad illos accedunt, inter quos, Hieroſolymæ & in Sione, per deſcenſum ſuum ex cœlo & opera & paſſionem, & ſequentem reſurrectionem ex mortuis & aſcenſionem in cœlum & effuſionem Spiritûs Sancti, *magnus* demonſtratus & *valde celebratus* eſt. Quod & in poſterum in Eccleſia continuatum eſt. Nec enim unquam Eccleſia deſiniit eſſe urbs ornata magnitudine & celebritate Jehovæ. verſ. 2.

B. Illuſtratio

I. à pulchritudine. *Pulcherrimus regione, gaudium totius terræ, mons Sion, latera Aquilonis*, *civitas regis magni.* Eccleſia hìc triplici nomine indicatur, montis Sion, laterum Aquilonarium, Civitatis. Quemadmodum urbs Hieroſolyma tres partes habuit, urbem Davidis vel ſuperiorem in monte Sion; urbem inferiorem

ex valle Tyropœôn in duas altitudines Acræ & Bezethæ aſſurgentem. Quam regionem *κλίμα βόρειον*, & *τὰ ἀρκτικὰ τῆς πόλεως*, *regionem borealem*, *partem civitatis ad Aquilonem* Joſephus ſæpe appellitat; & montem domûs Domini, ſive Morijam. Qui mons peculiariter dici potuit *civitas regis magni*, hoc eſt, Dei, quia ibi Deus populo quærenti ſe occurrit ac præſto fuit. קריה enim propriè eſt locus conventui populi ex agris aptus. Diſtributio hæc urbis eò poteſt pertinere, ut ſignificetur 1. Eccleſiam, quæ eſt civitas Dei, diffundi ad omnes cardines mundi, ut Hieroſolyma ad ſeptentrionem & meridiem, itemque ad occaſum & ortum panditur. 2. verbum Dei exiviſſe ab Oriente ad Occidentem, ad inſulas maris, quemadmodum Hieroſolymis in templo erat habitatio Dei, & inde, tanquam à ſede Dei, oracula exibant. 3. nullam eſſe partem Eccleſiæ ſuâ pulchritudine deſtitutam, omneſque partes velut unam urbem pulchritudine & amœnitate civitatis Dei participare. Nam Deus in cunctis habitat. Unde hæ tres partes cunctæ *civitas Dei noſtri* ℣.9. appellantur. Civitas Dei hiſce partibus conſtans deprædicatur à pulchritudine dupliciter, 1. quòd ſit *pulcherrimum regionis*, nempe locus ipſe Hieroſolymæ & omnis terminus ejus. 2. quòd ſit *gaudium totius terræ*. Eo ſignificatur gloria & omne genus boni redundans à Civitate Dei ad totam terram. Atque ita Eccleſia fidelium cùm in ſe exornata à Spiritu Sancto eſt pulcherrima, tum ad reliquam vocatorum multitudinem maxima bona externa & temporalia ſæpe non infructuoſa ad eos adjungendum Civitati Dei, per illam à Deo derivantur. Nam quæ bona Deus concedit mundo, & iis, qui vocantur, licet hypocritis, ut *γνῶσις*, eruditio, bonæ leges, pax, victoriæ, fidelium cauſâ & precibus dantur. ℣. 3.

II. à defenſione Dei. verſ. 4—9. *Deus in palatiis ejus*, in propugnaculis, in arcibus, & turribus *agnitus eſt in ſublimationem*, ſe propugnatorem oſtentavit ad victoriam & triumphum populi ſui. verſ. 4.

1 Id declaratur: *Nam ecce reges convenerunt*, *tranſierunt unà*, omnia regna mundi conſpirarunt adverſus regnum Chriſti, ſed denique ſubjugantur ab Eccleſia,
2 ℣. 5. *Statim quum vidiſſent*, Deum pro Eccleſia pugnare, *obſtupuerunt*, (conf. Eſ. 52:15. Apoc. 11:12. 13.) *conſternati ſunt*, *præcipites acti ſunt* in fugam. verſ. 6. Cauſa & connexum fugæ, *Tremor occupavit eos ibi*, *dolor*, *ut parturientis*, (conf. Apoc. 11:14.) verſ. 7. Cauſa tremoris & doloris *Ventus orientalis*, id eſt, potentia aliqua vehemens, procedens à parte mundi Orientali, *qui frangeret naves Tarſis* ſive *Oceani*, id eſt, magnas ditiones in mundo ſubverteret. verſ. 8.

Tales fuerunt Sarraceni & Turcæ, qui ſæpe hoſtes veritatis docuerunt non nimis altum ſapere, & cum Eccleſia mitiùs agere coëgerunt.

Defenſionis perpetuæ illatio: *Ut audivimus, ita vidimus in urbe Jehovæ Dei exercituum*, *in urbe Dei noſtri*. *Deus ſtabilit* ſive conſervat *illam in ſæculum. Selah.* Conficit, quòd Deus Eccleſiam ſuam ſemper conſervet: quia hactenus conſervavit illam, neque paſſus eſt ullis hoſtibus ſuccumbere. Idque aſſerunt proprio teſtimonio tanquam *αὐτόπται*, qui ipſi ſuis oculis viderint; & teſtimonio majorum ſuorum, qui ſimile patrocinium viderant, ejuſque famam ad poſteros tranſmiſerant. verſ. 9.

III. à gratia collata Eccleſiæ, ſive à divitiis civitatis Dei. ℣. 10. 11. 12. *Comparavimus, ô Deus*, 1. *gratiam tuam in medio templi tui*, i. e. trutinavimus, menſi ſumus, æſtimavimus, quantum potuimus, amorem illum tuum ineffabilem, quo complexus es electos in Chriſto ab æterno, & donationem Chriſti, qui pateretur pro nobis, denique daret Spiritum Sanctum ad fidem, introgreſſi in ſanctuarium tuum, ubi tuæ

volun-

voluntatis index & teſtis extat, nimirum libri Moſis & Prophetarum, vel gratiam, quæ eſt in templo tuo, hoc eſt, in Eccleſia tua, quæ eſt domus tua; ut ejus gratiæ typus & idea & forma ſive vera imago omnibus ſit expoſita, in qua ſe perpetuò delectent, verſ. 10. *Ut nomen tuum*, id eſt, prout tu voluntatem tuam ſecundùm virtutem tuam, nimirum bonitatem, juſtitiam, potentiam, in verbo tuo patefeciſti; *ita celebratio tua eſt apud fines terræ*, per Chriſtum ſcilicet, qui verbo & opere Patrem celebravit, & per effuſionem Spiritûs fidei in electos omnis terræ, celebrantes nomen ejus. *Plena eſt 2. juſtitiâ dextera tua*, ut illam des nobis, nempe jus filiorum & hæreditatem, quam habemus ex gratia per fidem. verſ. 11. *Lætatur mons Tzijon, gaudent filiæ Judæ*, Eccleſiæ particulares, ſoboles unius Eccleſiæ generalis, *propter 3. judicia tua*, id eſt, juſtificatorum per fidem conſolationem in omnibus ærumnis per ſpem, eorundemque conſervationem & vindicationem. verſ. 12.

IV. à magnitudine. *Circuite Tzijonem & obite illam in circulum: numerate turres ejus*, verſ. 13. *Advertite cor veſtrum ad antemurale*: (Erat in templo φραγμὸς, חל Judæis dictus, quem & Joſephus deſcribit, in quo Synedrii locus.) *Palatia ejus* in aulas, porticus, tabulata, atria &c. menſurando *diſtribuite*, *ut narretis generationi poſteriori* amplitudinem Eccleſiæ, quæ veſtro tempore eſt, ut & poſteri veſtri poſſint dicere; Quemadmodum audivimus, ita videmus. verſ. 14.

Hoc illuſtratur. 1. à perpetuitate regni Dei. *Nam hic eſt Deus.* Hic, quem prædicamus, cui credimus, Rex magnus, is eſt Deus verus, & non eſt alius præter illum, & is eſt *Deus noſter in perpetuum*, fœdus ſuum nobiſcum non reſcindit. Ergo civitatem Dei poſteri noſtri eandem videbunt. 2. à regni Dei provectione. *Ipſe ducet nos ſupra mortem*, id eſt, deducet nos uſque eò, ut mors nobis non dominetur.

PSALMUS XLIX.

POſtquam Pſalmo præcedenti actum erat de diebus Meſſiæ, agitur hic de vera & falſa conſolatione in vita & in morte.

Jam à principio Pſalmi Spiritus Sanctus innuit, venturum eſſe tempus, ut *populi omnes* hoc verbum audiant, & ad illum modum compellentur: *Audite hoc* &c. Sed hæc non fuerunt dicta ad omnes populos, antequam Deus vertit labium clarum ad omnes populos, ipſiſque curavit prædicari Euangelium. Quare etiam ex verbis Pſalmi exaudire eſt, extituros eſſe, qui ſic compellare omnes populos poſſint, & in cujus nomine ſic compellentur, verſ. 2. 3.

Argumentum ſermonis prædicati eſt *ſapientiæ* & *prudentiæ*, id quod ſummum eſt in omni ſapientiæ & prudentia, id eſt, doctrina oſtendens, qui ultimus finis eſſe debeat homini propoſitus, quod ſit ſummum bonum, & quæ ad illud obtinendum vera ac ſalutaris via; tum doctrina oſtendens, quomodo ſecundùm regulas ſapientiæ res omnes æſtimandæ ſint, ſive ut tanquam utiles optentur, ſive tanquam inutiles reprobentur, verſ. 4.

Partes poſt Præfationem, quæ verſ. 2—5. continetur, ſunt tres:

I. Propoſitio plena gloriationis, quæ oſtendit, piis neque in vita neque in morte quicquam timendum eſſe, verſ. 6.

II. Illuſtratio, quâ rejicitur vana fiducia & conſolatio 1. in viribus & opibus huminas ad evadendam mortem, verſ. 7—10. 2. in opibus ad ſolatium mortis per

posteritatem & gloriam apud posteros: qualis est illorum inprimis, qui inter homines maximè commendantur, qui inter gentes civitatesque & populos leges scripserunt, judicia instituerunt, religiones & cultus condiderunt, sicque effecerunt, ut integri populi in ipsorum nomen jurarent, eorum leges reciperent, & apud seros nepotes, si non ipsi, saltem leges ipsorum viverent, dum hi, quod faciunt, in ipsorum nomine faciunt: Quod dicitur: *Induunt nomina sua regionibus*, v. 12.

Hoc de illis, qui ex regno Dei faciunt regnum hominum, & in eo temeraria loquuntur, & os suum in cœlo ponunt, ut lingua ipsorum pervadat terram, ut præcipuo exemplo intelligere oportet.

Horum exitus est ipsorum *εὐδοκίᾳ* consentaneus. *Ut oves ponunt se ad orcum, mors depascitur ipsos*, & in potestate retinet in perpetuum. vers. 15.

Secundò *dominantur ipsis recti matutino*, id est, in resurrectione sedebunt cum Christo in throno ejus, & judicabunt improbos. Cujus judicii dantur etiam in hac vita præludia: quæ sunt *ἐνέχυρα* generalis & ultimi judicii. Quod non effugient improbi, vers. 15.

Tertiò, *dolor* vel *legatus* (pseudopropheta, qui nomen suum fecit nuncupari super terris,) vel *cardo*, vel *rupes eorum in nebulas inferni* abit, ab inferno consumitur, *ex suo habitaculo*, vel *præ ut sit ipsi habitaculum*. Neque enim stabunt improbi in cœtu justorum, vers. 15.

III. Confirmatio, sive ratio veræ fiduciæ,

1. adversus mortem, à Dei *redemtione* & *assumtione*. Mors scilicet piorum est assumtio & liberatio corporis nostri à vinculis mortis, vi precii sive lytri illius, quo lex & peccatum aboletur, vers. 16.

2. adversus auctoritatem potentium hujus sæculi, vers. 19—21.

Ultimus versiculus, quanti sit faciendus homo, *qui non videt lucem*, id est, qui non discernit inter bonum & malum, declarat. Nempe, quòd *factus sit similis pecudibus, quæ extinguuntur*, id est, quæ nec sapientiam, nec spem habent in posterum. Cæteroquin enim & mors *metuenda* illis innuitur, vers. 6. & *recti in illos dominaturi* dicuntur matutino, quod fiet, dum recti suâ felicitate & gloriâ eos urent.

PSALMUS L.

Quemadmodum in Psalmo præcedenti dictum est, *fratrem merum non redimere quenquam, nec daturum Deo pretium*, hoc est, sacrificium, quo Deus sanctificetur, quod exigit ad salutem peccatoris. *Quia nimis magnum est animæ lytron*, ideoque ab homine dari non potest; Ita hic sacrificium unicum, quod est medium fœderis cum Deo, ponitur, cætera autem sacrificia reprobantur, ut quæ non possint esse lytron animarum. Introducitur Deus ut judicium denuntians. Sed primò Propheta commemorat manifestationem Euangelii per Christum, ut signum instantis judicii. Hæ sunt partes:

1. Manifestatio Dei ante judicium. *Deus omnipotens*, is, qui manifestatus est condendis cœlis & terrâ & omnibus, quæ in eis sunt, iisque omnibus ferendis verbo potenti suo, & homines etiam in peccatis suis tolerando, eisque benefaciendo; *Deus*, is, qui habet sufficientiam, ut gloriose fiat Deus peccatoris, eumque adjurare potest, ut in se credat ad justitiam & vitam; *Jehovah*, is, qui fit, quod est, implens gratiâ & veritate credentes in se, *locutus est*, ea scilicet verba,

quæ

quæ adhuc reſtabant loquenda ad populum Iſraëliticum, aſſumtâ ſcilicet naturâ eorum, qui verba Dei audituri erant, & *convocavit terram ab Ortu Solis uſque ad Occaſum ejus.* Verbum, quod locutus eſt Deus, eſt id, quo convocare jam incepit gentes in regnum ſuum ab omnibus oris terræ, ℣. 1.

Locus manifeſtationis: *A Sione perfectione pulchritudinis*, ubi ſcilicet Prophetæ Dei, ubi rex David, ubi verbum Dei, ubi pii ſperantes ſalutem Iſraëlis, ubi ſacramenta gratiæ, ubi Chriſtus, ubi Spiritus Sanctus datus eſt, ubi juſtitia, fides, omniaque ſpiritualia dona, *Deus effulſit*, agens præconem juſtitiæ, verſ. 2.

2. Denunciatur adventus ad judicium. *Veniet Deus noſter* ad judicium habendum, & *minimè ſilebit*, non ſe continebit ampliùs, quemadmodum ſe hactenus continuit. verſ. 3. Certitudo hujus adventûs confirmatur

(a.) à prænunciis pœnis. *Ignis coram ipſo vorat*, & *circa ipſum horret valde*, ℣. 3. Omnes plagæ, excidium Judæorum antegreſſæ, hic intelliguntur.

(b.) à præjudicatione factâ Dei voluntate. *Inclamat cœlos supernè*, & *terram ad judicandum populum ſuum*, id eſt, Deus eos, qui ſunt in cœlo, inprimis Spiritum Sanctum, miſſum in Apoſtolos, & qui ſunt in terra, ut credentes, μαθητὰς, excitat, ut conteſtentur, Dei judicium in populum ſuum juſtum eſſe, ut admoneant, & convincant populum. ℣. 4.

Sed & præter redargutionem populi imperatur *collectio piorum ex omnibus gentibus* per unam fidem in unum, ut ſeorſum in nomine Chriſti conveniant ii, qui amant Deum ex puro corde, *qui fœdus cum Deo faciunt*, id eſt, ipſi, juſtitiam in Chriſto oſtendenti & fidem in ipſum cum promiſſione gratiæ ſtipulanti, aſtipulantur, hoc eſt, Deo & Chriſto animam ſuam committunt, ſicque acquirunt jus Deum interrogandi in bona conſcientia, ac hæreditatem ab eo petendi, *per ſacrificium* illud verum & unicum, Chriſtum, qui ſe ipſum hoſtiam immaculatam Deo obtulit pro peccatis mundi. Per illud ſacrificium eſt aditus ad gratiam. Nam propter illud offertur illis fœdus; & per fidem ſacrificii & ἱλαστηρίου illud accipiunt & quodammodo ratificant. Hâc collectione piorum via præparanda erat ſeparandis inobedientibus ab omnibus tribubus Iſraëlis. ℣. 5.

Illuſtre exemplum mandati collectionis fidelium extat Act. 10: 11. 15. 20. *Quod ego purificavi, tu ne dixeris impurum.*

(c.) Teſtimonio juſtitiæ Dei reddito à cœlis. *Et indicarunt cœli juſtitiam ejus*, id eſt, Spiritus Sanctus ex cœlo teſtis factus eſt, coram populo Iſraëlitico & omnibus gentibus, *juſtitia Dei*, per quam ille juſtus eſt & juſtificat impium, qui credit in Chriſtum, quod eſt certiſſimum medium colligendi electos Dei, & ſignum inſtantis judicii. Indicarunt autem, *quia Deus judicat*, id eſt, in Euangelio revelat iram ſuam in omnem impietatem & injuſtitiam hominum, detinentium veritatem in injuſtitia.

Hujus judicii primus gradus eſt induratio Judæorum, & tranſlatio regni ab eis.

Hoc Spiritûs Sancti, de cœlo loquentis, teſtimonium de juſtitia & judicio Dei ὑποτυποῦται in ſequentibus. Et quidem hic

1. cum populo Iſraëlitico diſputat de vero cultu, ℣. 7—15.

Ante omnia autem ſacrificia à vero cultu rejicit, verſ. 8—13. Tum etiam in quo verus cultus conſiſtat, docet verſ. 14. 15.

2. cum Improbis, qui *verbum Dei rejiciunt*, & *fratres perſequuntur*, & *fures*

 ſunt,

ſunt, & *mœchi* &c. & interim obtendunt impietati ſuæ leges Dei & fœdus ejus, niſi pœnitentiam agant, denunciatur ſevera pœna. ℣. 16—23.

Nota ex his, quæ cauſa excidii Judæorum; non, quòd à lege Moſis deſciviſſent profeſſione, ſed quòd *Dei obliti* eſſent. verſ. 22. & *verbum* pœnitentiæ ac fidei *contemnerent*, verſ. 7. ſpectarent ad temporalia, populo cibum animarum, gloriam Deo, populum Chriſto eriperent, verſ. 18. cum gentilibus *fornicarentur*, ℣. 18. contradicerent veritati, ℣. 19. mendacium concinnarent, verſ. 19. perſequerentur Chriſtum & Apoſtolos ejus, verſ. 20. Quod enim verbum Dei rejecerunt, ſi non Chriſti eſt illud verbum? Quos fratres blaſphemarunt, ſi non hi ſunt Chriſtiani? Qua in re putarunt Deum ſibi ſimilem eſſe falſò, niſi, quòd putarent, ſe dominaturos, Chriſti Eccleſiam interituram? Contrà Eccleſia credentium in Chriſtum ſervata eſt.

PSALMUS LI.

IN titulo ſignificatur occaſio hujus Pſalmi. Partes ſunt duæ:

I. Petitio remiſſionis peccatorum ſimpliciter, ℣. 2—10. quæ repetitur ℣. 11.

II. Petitio diſtinctior remiſſionis duorum peccatorum, adulterii, verſ. 12. cui ſubjicit petitionem conſervationis gratiæ, & liberationis ex tentatione imminente, verſ. 13. 14. 15. Deinde & homicidii; ubi petit ſe & familiam ſuam, *à ſanguinibus*, id eſt, à gladio, quem ipſi & domui ejus comminatus erat Nathan, *liberari*, verſ. 16.

Quatenus autem illam homicidii pœnam conjunctam futuram prævidebat cum populi & politiæ clade, atque etiam in Spiritu videbat defectionem & excidium decem tribuum, ideo orat

1 ut Deus *Sioni velit benefacere*, verſ. 20.

Quantus videbat deſtructionem templi & urbis per Babylonios, orat

2 pro inſtauratione & *ædificatione murorum Hieroſolymæ*, ℣. 20.

Hæc autem petit, ut ſigna appropinquantis majoris beneficii, quod in *accepta-*

3 *tione*, εὐδοκία conſiſtit, eſtque poſterioris temporis, & oppoſitum eſt iræ. Itaque orat, *Benefaciat in benevolentia Sioni*, *ædificet muros Hieroſolymæ*.

Tunc ſcilicet *delectatum iri ſacrificiis juſtitiæ*, *holocauſto & integro munere*, quatenus ea ſcilicet veriſſimè & pleniſſimè in Chriſto agente & patiente inveniuntur: *Et aſcenſuros in altare Dei juvencos*, id eſt, in nomine Chriſti oblatum iri Deo juvencos non mortuos & mutos, ſed vivos, ſacrificium rationale, quod conſtat animæ ſenſu & affectu, Rom. 12: 1. conf. Hoſ. 14: 3.

PSALMUS LII.

INſectatur Doëgi ſcelus, & fiduciam Davidis in Deo declarat. Tum &, quemadmodum monemur ipſo titulo, altius hæc nobis penetranda, &, præter alia myſteria, in exemplis ac typis Davidis & Doëgi, Chriſtus & Antichriſtus nobis legendi ſunt. Partes ſunt,

A. Propoſitio contendens *gloriationem Improbi in malitia*, id eſt, electionem

1 facinoris mali tanquam medii utilis ad impediendum rem odioſam, nimirum regnum Davidis, & ad conſequendum bonum jucundum, gratiam Saulis, & lætitiam in ſucceſſu illius mali, cum gloriatione pii in Deo, ℣. 3.

Nota,

Nota, Doëgum hic appellari גבור *beroëm.* 1 Sam. 21 : 7. appellatur אביר הרועים *princeps pastorum*, q. d. primarius pastor Saulis; ubi *pastorem* explicant Hebræi *rectorem.* Idem c. 22 : 9. *Et ipse stabat* על *supra servos regis.* Verisimile est, Doëgum primarium virum magnæ potentiæ & auctoritatis in regno Saulis fuisse, quippe qui & magnus religionis simulator erat. Nam quum David ad Achimelechum veniret, tum erat נעצר לפני יהוה, hoc est, ordinariis *ἀσκήσεσιν exercitiis* abstinentiæ & lustrationum utebatur. In quo homine est exemplum eorum, qui, cùm dominentur in populo & religiosi esse videantur, sunt injustitiæ & hypocriseòs plenissimi. Davidem enim persequebatur sub specie seditiosi, sacerdotes Dei tanquam reos majestatis, qui seditiosum adjuvarent, etiam divinæ, quia sacros panes, qui solis sacerdotibus erant dati ad comedendum, dederit, & Deum consuluerit pro perduelle, & prophetiæ abusu ipsum in scelere confirmaverit. Accusat hoc in ipso ut *præpotenti*, quem justitia & religio decebat.

B. Illustratio. Ea agit

I. de vana gloriatione in malo. Hic ostendit

1. in specie gloriationem in malitia.

(a.) quòd sermone suo intenderit malum, ℣. 4.

(b.) quòd *malum elegerit præ bono, falsitatem quàm præ loqui justitiam* apud Saulem. vers. 5.

(c.) quòd bono usus sit in malum, sive quòd usus sit oratione in speciem verâ ad nocumentum & exitium, vers. 6.

In re ipsa convenit Doëgo & Bileamo. Bileam dixerat verum, Num. 23: 25. 26. 27. Hoc tamen interpretatur Scriptura, quasi consilium dedisset objiciendi Israëlitis scandali. Vid. Num. 31 : 16. Apoc. 2: 14. Per בלע hic fortasse Spiritus Sanctus alluserit ad בלעם elegantissimâ paronomasiâ. In Apocalypsi appellantur Νικολαῖται, simili allusione. Et homines, de quibus ibi fit mentio, sunt גברים, ii, qui sibi imperium in populum, vocantes se clerum, arrogant, plebemque pedibus conculcant. Extat nomen proprium בלע בן בעור, Gen. 36 : 32.

2. malitiæ noxam sive absurditatem à

(a) pœna Dei. *Etiam Deus eruet te etiam atque etiam, auferet & everret te* 3
ex tentorio; & eradicabit ex terra viventium. vers. 7. Videris esse arbor plantata in domo Dei, sed Deus manifestabit te, qualis sis.

(b) à justorum horrore & risu. *Et videbunt justi & timebunt, super illo ridebunt*, vers. 8. *Ecce vir, qui non ponebat Deum arcem suam, & confidebat in amplitudine divitiarum suarum, invalescebat in nequitia sua.* ℣. 9.

II. De gloriatione in Dei gratia. *At ego ero ut olea viridis in domo Dei (Nam* 2
fretus sum gratiâ Dei) in sæculum & æternitatem. ℣. 10.

C. Epilogus *εὐχαριστικός. Confitebor te in sæculum, quia perfecisti; & exspectabo nomen tuum, quia bonum est coram piis tuis*, vers. 11. Dicuntur hæc à Davide, ut peracto judicio Dei in Doëgum. Promittit gratitudinis causâ 1. *confessionem Dei*, ut justi judicis. 2. *exspectationem nominis Dei*, id est, eventum promissionis per nomen Dei ipsi factæ, & omnis gratiæ propositæ fidelibus. Ratio, *quia nomen tuum est bonum* &c. id est, promisisti te largissimum fore piis.

PSALMUS LIII.

NOn eſt de nihilo, quòd Pſalmus XIV. hic iteretur. Id ſine dubio ſignificat, de mundo idem ſemper eſſe judicium, etiam poſt ultimam manifeſtationem, quâ *Deus de cœlo proſpexavit.* Nam poſtquam Deus in Sinaï locutus eſt, etiam locutus eſt in Filio ſuo, quem miſit cum Spiritu ſuo. Neque tamen eâ re effectum eſt, ut improbi relinquerent vias ſuas, neque illi, qui hactenus ſerviverant Diabolo, neque illi, qui nominabantur populus Dei, ſed quum mortui eſſent in lapſibus &
1 peccatis, Nihil eſſe Deum, imò *non eſſe Deum dixerunt.* Quod profectò in illis eſt, qui non credunt promiſſioni & Euangelio. Oportet enim accedentes ad Deum credere Deum eſſe, & quòd quærenti ſe velit fieri remunerator. Quum autem hoc in Euangelio patefactum ſit, qui id non receperunt, dixerunt & ore & corde, *Non eſt Deus*, id eſt, Deum Salvatorem & Sanctificatorem abnegarunt. Non enim ſufficit ad cognitionem Dei, ſi quis novit, quòd ſit convictus, eſſe ens primum, idque unum eſſe. Quod ſolum propemodum eſt, quod Judæi de Deo ſciunt. ℣. 2.

2 Prorumpunt eò homines, etiamſi verbum Euangelii in ore habeant, ut *abominabilem injuſtitiam conſlent*, loquendo temeraria, juſtitiam Dei abnegando, falſam jactando, & improbitatis ac injuſtitiæ fructibus, hoc eſt, omnis generis ſcandalis Eccleſiam implendo ad abominationem uſque. verſ. 2. confer Jeſ. 26: 10.

Generalitas hujus mali, ut *non ſit qui faciat bonum*, qui verum ſolidè loquatur, & ſapienter contradicat abuſibus, & in ſimplicitate Chriſtiana ſtudeat fidem ſuam oſtendere, & dignis juſtitiæ argumentis Deum glorificare, ℣. 2.

3 Ibi *Deus* etiam *de cœlo proſpectat*, & facto oſtendit, ſe non negligere Eccleſiam ſuam. Excitat enim δικίμως probos, fideles, rectos, quos diverſis donis exornat, & oculos aperit, ut alii hos, alii illos errores videant & redarguant; *ut videret, an eſſet animadvertens, qui curaret Deum* auſcultare. verſ. 3.

4 *Receſſerunt* ac ſe ſepararunt omnes à bonis, & in erroribus ac peccatis ſuis proceſſerunt magis magiſque; *& pariter fœtidi facti ſunt*, ut nemo illos pro fratribus habere poſſet; *non fuit qui faceret bonum*, qui loqueretur aut faceret veritatem; *non fuit vel unus.* Babylon facta eſt habitaculum dæmonum & impurarum avium. verſ. 4.

5 Convincit eorum malitiam & inexcuſabilitatem per *populum* ſuum, quem ab ipſis ſepararit, verbis, *Annon noverunt omnes tractantes vanitatem?* An ſunt inexcuſabiles? Neutiquam verò. Vel hoc ipſo ſunt inexcuſabiles, quòd ſtudium eorum ſit *vanitas*, & quæſtio non-Dei. ℣. 5.

6 Illi verò *populum Dei comedunt*, non alia de cauſa, quàm quia eſt populus Dei, quia ſcilicet regnum Dei oderunt, quod cum ipſorum cupiditatibus non convenit. verſ. 5.

Interimque *comedunt panem*, & experiuntur beneficentiam, tolerantiam, & longanimitatem Dei. Neque tamen eâ re commoventur, ut *Deum* quærant, & in Spiritu ac veritate *adorent*, & ab ipſo juſtitiam & ſanctificationem petant, ℣. 5.

7 Dehinc enarrat Spiritus judicia Dei in ipſos. *Ibi paverunt pavorem. Non erat pavor.* verſ. 6. Coacti ſunt dare gloriam Deo, territi & perculſi, Apoc. 11: 13. Arcus excuſſus eſt ex manu improbi, Ezech. 39: 3. Dederunt pacem populo Dei, Eſ. 57: 19.

Illi tamen non quieverunt. Conſpirarunt denique inter ſe & *caſtra poſuerunt circa* 8
dilectam civitatem. ibid. & Apoc. 20 : 9.

Deus autem *diſperſit oſſa illorum*. ibid. Ignis cœlitùs demiſſus conſumſit eos. 9
Gladius fratris in fratrem fuit.

Ea cauſa fuit, ut *pudefierent*, & ab oppugnatione Eccleſiæ deſiſterent. Populus Dei illis fuit materia & occaſio pudoris. *Nam Deus rejecit illos*. verſ. 6.

Exhibetur Eccleſia ut perpetuò ingemiſcens, ut Deus ex Sione det *ſalutes*, id 10
eſt, omnimodam ſalvationem *Iſraëlis*, ſecundùm promiſſionem, *quum Deus reſtituet jacturas populi ſui, gaudebit Jacob, lætabitur Iſrael*. verſ. 7.

PSALMUS LIV.

OCcaſio dans argumentum Pſalmo exponitur, nempe *ſcelus Siphæorum*. Vid. 1 Sam. 23 : 15. Imago ſunt eorum, qui innoxios oderunt & produnt perſequentibus ipſos. Quales etiam Eccleſia experitur. Ea tum ut David

I. Petit ſe *ſervari nomine Dei*, id eſt, demonſtratione gratiæ ejus, & *judicari* 2
ſive vindicari *præpotentiâ ejus*, verſ. 3.

Confirmat hanc ſuam orationem pro ſalute, 1. à malitia hoſtium, verſ. 4. 5. 1
2. à ſua fide in Deum, verſ. 6. 7. p.p.

Hinc concludit propoſitionis partem alteram de judicio: *In veritate tua exſcinde eos*, verſ. 7. p. a. 3

2. Tandem etiam pro liberatione gratias agit. Duo promittit gratitudinis ergò. 4
1. *oblationem ſacrificiorum largam & liberalem*. Erant in figurâ pacifica ſacrificia תורה, *confeſſio*, aut נדר *votum*, aut נדבה, *voluntaria donatio*, Lev. 7 : 11. 12. 16. de quibus ipſi offerentes communicabant, & ita ſignum pacis inter ſe & Deum accipiebant, tanquam ſignum ſanctificationis ſui. Significabant autem conſecrationem ſui & omnium ſuorum bonorum in gloriam Dei per Chriſtum. Per altare enim ſanctificabantur, quæ figura Chriſti eſt. 2. *confeſſionem nominis Dei*, id eſt, confeſſionem publicam, quòd Deus in omnibus ſuis actionibus ſit verax, juſtus, benignus, potens, omninoque rectus, & talis, qualis nominatur ab ipſo & à creaturis rectè judicantibus. Hoc dicit: כי טוב *quia bonum eſt*. Addit argumenta illius
bonitatis à propria experientia, 1. quòd erepta ex omni anguſtia. 1. quòd viderit 2.3
judicium Dei in hoſtibus. Quæ duo petiverat. verſ. 3.

PSALMUS LV.

ESt Pſalmus [illegible], quo vel David vel alius fidelis pollicetur ſibi liberationem ab hoſtibus externis & domeſticis.

1. *Inimici* fidelium *clamant* contra Eccleſiam, & dant operam, ut *vanitas*, id eſt, falſa religio, cujus illam falſò inſimulant, in illam recidat, neque tantùm per alios id faciunt, ſed ipſi *infeſtant*, & quidem *cum ira* ſive zelo, quaſi juſtè Eccleſiam ob ſcelera ſua odiſſent. Hæc eſt *anguſtatio*, quam Eccleſia paſſa eſt in Judæâ, atque etiam in gentibus per calumniam Judæorum. verſ. 4.

Huic tempori convenit *ſupplicatio*, verſ. 2. quæ proponitur verſ. 3—9.

2. *Ventus rapidus & procella ὀλίθερος* imminet Judææ, ex qua ſibi optat *evaſionem*, ut alicubi ſtabuletur & *procumbat*, quamvis vilis & abjecta, ℣. 9. 7.

3. Ex iſto populo educitur, ac transfertur in *deſertum* gentilium. ℣. 8.

4. Ubi *noctem* agit. Nec enim flagrantissimæ persecutiones cessarunt sub Romanis idololatris, vers. 8.

5. Tandemque *ipsi datur ala instar columbæ*, id est, subvenit ipsi sufficiens aliquod auxilium à Deo, vel per homines etiam, cujus remigio Ecclesia sublevata pervenit in locum sibi præparatum in deserto, ubi securè *procumbat* vel *habitet*, vers. 7. Confer his Apoc. 12: 6. & 14.

6. Qui hactenus pro ἰσοτίμοις, æquè pretiosam fidem adeptis, & pro *consiliariis* sive doctoribus Ecclesiæ fidelissimis, & pro οἰκείοις habiti fuerant in Ecclesia, cum quibus privatim & in consistoriis communicaverant fideles de rebus fidei & ædificationis, quique in publica solennitate unà cum fidelibus iverant in domo Dei in turma, vers. 14. 15. Ii, inquam, mutant Ecclesiam in *urbem*, eo *consilio*, ut unitas fidei servetur, & omnes homines idem loquantur, & unâ *linguâ* utantur; ad exemplum veteris Babylonis; quam urbem *die & nocte circumeant* custodes & excubitores *in muris ejus*, ut ita exclusio ab urbe & intromissio in urbem penes illos sit, auctoritate curandæ civitatis piis ereptâ. vers. 10. 11.

7. Corrumpitur civitas ista per *injuriam*, oppositam *justitiæ*, quâ Deo & Christo & proximo suum eripitur; & *contentionem* cum piis, oppositam *judicio*, quâ impii injuriam suam defendunt, & contrà pios injuriæ insimulant, ℣. 10. per *vanitatem*, falsam religionem, & *molestiam*, sive actiones malas, quibus conscientia vulneratur, charitas & mutua in bono lætitia tollitur, item *calamitates*, id est, omnem injuriam & læsionem proximi, ex quibus ira Dei provocatur, regnantes *in medio ejus*, sive in tota civitate: Tum etiam per *dolum & fraudem*, id est, mendacium & hypocrisin sive fucatam doctrinam pro lege & institutione, versantem *in foro ejus*, (confer Apoc. 11: 8.) ubi leges feruntur, secundùm quas civitas vivit. vers. 10. 11. 12.

8. *Blasphemantur* pii, atque etiam *calce impetuntur*, sive persecutionem patiuntur à pleraque parte multitudinis, nomen Christi professæ, præcipuè autem à rectoribus ejus. vers. 13. 14.

Indicat Ecclesia, se in eum statum pervenire, silentibus jam *inimicis ac osoribus ejus*, gentilibus ac Judæis, nullâque illam injuriâ afficientibus.

Huic jam tempori congruit *oratio* vers. 2. quæ præformatur Ecclesiæ vers. 10—17.

Petit autem ut *destruat Dominus* mentem & consilia eorum, & *dividat linguam ipsorum*, quemadmodum vetustæ Babylonis ædificatio per confusionem linguarum interrupta est, vers. 10.

> Hæc oratio effecit discussiones in multis capitibus religionis inter Christianos hypocritas, aliaque certamina, velut certamen de primatu; quibus certaminibus impeditum est, ne Antichristus nascens toti orbi Christiano potuerit unquam imperare. Hæc oratio adhuc urget illius regnum; & fit propter hanc, ut nunquam verè concordes esse possint, sed in mutua etiam bella prorumpant, ut exercitus Gogi & Magogi suopte Marte intercidat.

9. Concluditur & denunciatur judicium in adversarios. *Exactorem aget super ipsis mors*, *descendent in infernum vivi*. Eadem est phrasis Apocalypseos. Inprimis, cùm dicitur *vivos* descensuros in infernum, de *mortuis* dicitur *vita*, quia scilicet in peccatis & erroribus suis versantur convicti & contra conscientiam & per malitiam, quæ significatur etiam Apoc. 9: 6.

Ratio supplicii. *Quia mala sunt in intimo ipsorum*, id est, in penitissimis consiliis

filiis & affectibus ipſorum, idque *in congregatione ſua*. Habent enim & συνηγόρους ſive concilia. ℣. 16.

10. Contrà Deus habet & ſuos, qui non Angelos, non homines, vel ſtatuas, ſed *Deum invocant*, quique toto die *gemunt*, *quorum vocem audit* hactenus, ut eos *ſervet*, inprimis à morte ſecunda, & *animam ipſorum redimat*, id eſt, conſervet vitam ipſorum per pretium, *in pace* ſive in incolumitate, ℣. 17. 18. 19.

Diem partitur verſ. 18. juxta legalem conſuetudinem in tria tempora, *veſperum, mane & meridiem*. Reſpicit ad tria præcipua tempora contradictionis ſub Antichriſto. Primum eſt, cùm lux inciperet occidere, & cùm veritas tum pietas paſſivis erroribus ac ſcandalis obrui. Alterum eſt matutinum, quum ex ſpiſſa nocte cœpit veritas reſurgere. Tertium, quum veritas pleniùs & copioſiùs aſſerta & manifeſtata eſt. Qui hiſtoriam Eccleſiaſticam conſideraverit, videbit, hæc non abſurdè dici. Quò etiam plurimæ prophetiæ ducunt.

11. *Redimitur* Eccleſia quoque repreſſione adverſariorum per oppoſitionem virium, *ne accedant ad illam*, id eſt, nec appropinquent ad illam in ſerio & periculoſo conflictu, *quando cum multis congreſſi ſunt cum ea*. Notatur Eccleſiæ ſeparatio & ſubductio à communione & conjunctione Antichriſtianorum. verſ. 19. Nec tantùm, ſed & faciunt hoſtes cum Eccleſia *fœdus*, ut liceret ei ſuis vivere legibus, ℣. 21.

12. Cùm verò hi homines non deſinant blaſphemare, & demonſtrationibus veris ac ſolidis ſuas opponere ratiocinationes, petit Eccleſia, ut *audiat Deus omnipotens & reſpondeat illis*, ſive agat cum ipſis, ut conſentaneum ipſis eſt, & *qui ſedet primitus* atque etiamnum ſolus in throno gloriæ, reſpondeat iis, qui ſibi vendicant *ſucceſſiones* Dei ſedentis in throno, & Apoſtolorum, quas *non habent*, & *non timent Deum*, (contra quam vox æterni Euangelii ſuadeat *timere Deum*, Apoc. 14 : 7.) verſ. 20.

13. Hoſtis nactus occaſionem, *fœdus* pacis, quod inierat cum Eccleſia, perfidè *violat*, *pacificos infeſtat*, verſ. 21. Diſſimulat quoque animum prælii cupidum, amicitiam ſimulat, magnis promiſſis ac ſpecie juſtitiæ delenit ſimplices, ut eos incautos invadat, & peſſumdet, verſ. 22. colo ultimo, velut character falſæ doctrinæ editur. *Molliora* ac leniora *ſunt verba* ſive præcepta *præ oleo*, id eſt, præ præceptis Spiritûs Sancti, quod eſt oleum Dei; *at illa ſunt nudati enſes*. Animam in noxam trahunt & ad carnifices deducunt.

14. Atque hic opportunum fuit *rejicere in Deum ſarcinam ſuam*, id eſt, ipſi confidere, ipſiuſque opem exſpectare. Atque is etiam *ſuſtentavit Eccleſiam*, ut poſſet ferre onus ſuum, fecitque, ut *non nutaret juſtus*, id eſt, ut periſtaret juſtificatus, verſ. 23.

15. Tandem etiam ultimum ſupplicium improbis imprecatur Eccleſia. *Et tu, Jehova, dejicies illos in foveam perditionis. Viri ſanguinarii & fraudulenti: non dimidiabunt dies illorum*. Interibunt ante tempus, ἐν τῷ ἀκμῇ. Ne ad dimidium quidem temporis pervenient, quod ſibi promiſerant. Citiùs, quàm quis putet, regnum impietatis exſcindetur. Nunquam pervenit ad illum gradum, ad quem adſpirat. Semper luctatur, ſæpe cadit, tandem interit. *Ego autem confidam tibi* ad ſalutem. ℣. 24.

PSALMUS LVI.

Titulus & occaſionem & ſubjectum hujus Pſalmi oſtendit. Occaſio quidem eſt, quòd Davidem Palæſtini tenerent Gathi, 1 Sam. 21:11. Subjectum : *Super columba manipuli elongatorum*. *Columba* dicitur anima pia, quia 1. imbecillis. 2. ſimplex. 3. munditiei amans & ſplendida. 4. pernix, ut ad Deum confugiat. Dicitur *columba gregis*, quæ eſt dè grege. Is grex eſt *elongatorum* ſcilicet columbarum elongatarum à ſe invicem, propter communionem Spiritûs & unitatem corporis in diſſipatione, quæ eſt ſecundùm carnem.

In perſona Davidis repræſentatur quorumvis fidelium in ſua disjectione & tentatione fiducia in Deum. Repræſentatur illa dupliciter.

1 A. in petitione : *Gratioſus eſto mihi*. verſ. 2. & add. verſ. 8. ꝟ. Quæ confirmatur

1. à cauſa impulſiva, quòd *cum anhelitu appetitur & premitur*, verſ. 2. 3.

2. à *fiducia* ſua *in Deo*, verſ. 4. 5. oppoſitâ omni impotentiæ *carnis*.

3. ab injuria, malitia & impietate hoſtium. verſ. 6. 7. 8. Tria enim reprehendit, 1. quòd *verba fidelium*, quæ tamen verba Dei ſunt, *contorqueant*. In quo eſt blaſphemia ſalutaris doctrinæ. verſ. 6. 2. quòd malè erga fideles affecti ſint : qui affectus eis dictet mala conſilia, conſpirationes, inſidias, obſervationemque omnium opportunitatum nocendi. Ex quo efficit, malevolentiam eorum tantam eſſe, quanta illorum eſſe poſſet, qui optent interitum, verſ. 6. 7. 3. quòd confidant *vanitati*, ad evadendum omnem noxam. In quo eſt εἰδωλολατρεία. His ſubnectitur petitio explicatior : *In ira populos dejice*, *ô Deus*, nimirum à fiducia ſua. Nota, quòd non unum populum Palæſtinum nominet, ſed omnes malos. ꝟ. 8.

4. à ſua patientia. *Jactationem meam numeraſti Tu* ipſe : *Pone lachrymas meas in utre tuo* ; *imò in rationibus tuis*. ꝟ. 9.

2 B. in gratiarum actione. Ea habet

1. narrationem exauditi clamoris ſui. *Tunc convertuntur inimici mei retrò, quo die clamo. Hoc novi*, id eſt, expertus ſum, *quòd Deus ſit meus*, id eſt, ex partibus meis ſtet, verſ. 10.

2. propoſiti de celebrando verbo Dei confirmationem. *In Deo celebrabo verbum, in Jehova celebrabo verbum*, verſ. 11. *In Deo confido* : *non timebo*. *Quid faciet homo mihi ?* verſ. 12. Exſtimulat ſe ipſum ad perſeverandum in propoſito celebrandi & apud omnes prædicandi verbum Dei ; ex fiducia in Deo, quam opponit timori omnis *hominis*, qui ſapientiâ aliquâ præſtare videtur.

3. confeſſionem debiti ob acceptum beneficium. *Mihi incumbunt vota tua*, *ô Deus*. *Solviam confeſſiones tibi*, verſ. 13. *Quia eripuiſti animam meam ex morte* : *quinimò pedem meum à truſione* ; *ut ambulem coram Deo in luce vitæ*. verſ. 14. Finis liberationum divinarum eſt, ut pii *ambulent coram Deo*, ut ſervi coram Domino, diſcipuli coram magiſtro, liberi coram parentibus ; *in luce vitæ*, id eſt, cum donis intelligentiæ & ſapientiæ, ſine obſcuratione mendaciorum, & cum lætitia.

PSAL-

PSALMUS LVII.

TRes hi continui Pſalmi de cauſa Schaulis & Davidis agunt, in qua ipſi nullum pugnandi, vel animo ſive voto, vel armis, ſed unicum fugiendi conſilium fuit, Titulus exhibet hiſtoriam & tempus, ad quod reſpicit hic Pſalmus, itemque ſummam, *Ne perdas*. Hoc enim eſt quaſi compendium orationis pro ſalute.

Non in ipſo antro, in quod confugerat David, Pſalmum hunc dixit, ſed poſt liberationem ex illo periculo, imò fortaſſe jam rex, à Spiritu Dei ad hoc excitatus, ut affectum ſuum in petitione & gratiarum actione Eccleſiæ commendaret.

℣. 6. Planè ſuſpirat ad manifeſtationem regni Dei in Chriſto, in quo viſa eſt Eccleſia liberari à poteſtate populi rebellis. *Extolle te ſupra cœlos, Deus*, id eſt, inſide throno tuo judex, & cœlitùs oſtende, te non habere ſolium ampliùs in terra, in certo monte, urbe, loco, ſed in cœlo, ut caput & principem ſupra omnia elevatum, conſediſſe: *Super totam terram ſit gloria tua:* Ita gloria tua manifeſtabitur in tota terra, quòd ſcilicet in te ſit ſalus omnibus, qui invocant te.

℣. 10. David teſtatur, ſe paratum eſſe, quantum in ſe eſt, omnibus populis, ſive Deum agnoſcant, ſive non, omnibus nationibus, quâcunque nobilitate fulgeant, notificare Deum. Per gubernationem Chriſti effectum eſt, ut hoc Davidis teſtimonium ad omnes gentes perveniret. Confer Pſ. 45.: ℣. ult.

Confeſſionis objectum: *Quia magna eſt ad cœlos gratia tua, & ad nubes veritas tua*. verſ. 11. Hæc eadem eſt doctrina Euangelii.

Epiphonema oſtendens ſanctorum ἀγαλλίασιν in *exaltatione gloriæ Dei ſupra omnes cœlos*. (nam vox *cœlos* hic eſt ſine articulo. Sup. ℣. 6. erat cum articulo, & notabat *cœlos illos*, id eſt, thronum hominum juxta Deum collocatum.) Quam ultimo tempore petit Eccleſia. Et poteſt argumentum videri, quòd *gloria Dei ſit per totam terram*, Matth. 24: 14. ℣. 12.

PSALMUS LVIII.

DAvid hoſtes ſuos & Eccleſiæ Dei accuſat & damnat, ſeque & pios omnes ſolatur Dei judicio.

I. Accuſat hoſtes

1. hypocriſeos ℣. 2. 3.

2. impœnitentiæ, ℣. 4.

3. quòd indurati ſint, & nolint redire ad meliorem mentem in poſterum. verſ. 5. 6. Hic locus primò oſtendit, hypocritarum iſtorum venenatam eſſe naturam. Ita Deut. 32: 33. Secundò, eos adverſus omnem admonitionem & hortationes, ex verbo Dei factas, obduruiſſe, & malitioſè ſeſe obſtinaſſe.

II. Seſe & pios conſolatur judicio, in hoſtes, quod

1. petit, ita ut gradatim illud deſcribat. Nempe petit,

(a.) *Dentes, molareſque leonum confundat ac deſtruat*, id eſt, adimat inſtrumenta nocendi, anteſignanos, per quos principes plurimum valent, ℣. 7.

(b.) *Diffluant inſtar aquæ*, id eſt, enerventur, ut non audeant, ſi etiam poſſint nocere, ℣. 8.

4 (c.) *Sagittæ*, ſi eas audeat intendere hoſtis, *contuſæ* & languidæ *accidant*, quod ſolet fieri, quando languidâ manu excutiuntur. verſ. 8.

5 (d.) Si nihilominus in malitia ſua perſeverent, *contabeſcant inſtar limacis*, quæ aliàs turgida, aliàs tabida invenitur; vel *inſtar embryonis in utero matris exſtincti*, qui retorreſcit & contabeſcit, calore uteri exhauſtus & conſumtus. verſ. 9. Quòd tabem imprecatur, conferri poteſt cum Zach. 14: 12. & ſeqq.

6 2. denuntiat. *Antequam percipiant ollæ veſtræ rhamnum, ut vivum, ut æſtus* erit, *quem horreat*. verſ. 10. Senſus eſt: Antequam feriò vis hoſtilis adoriatur civitates veſtras, in iis plagæ Dei graſſabuntur & carnem univerſam quaſi torrebunt.

7 3. Fructus judicii geminus. (a) lætitia piorum ex deſtructione regni Satanæ & incremento regni Dei. verſ. 11. (b) pœnitentia multorum, verſ. 12.

PSALMUS LIX.

Occaſio Pſalmi eſt verſ. 1. Hiſtoriam vide 1 Sam. 19: 11. Rememorat ſummum diſcrimen ſuum, in quo fuerat, quum Saul miſiſſet, qui domum ejus obſervarent; & pro liberatione ex eo gratias agit.

1 I. Petitio liberationis tanquam in præſenti diſcrimine renovatur. Ea conſtat

1. propoſitione. verſ. 2. 3.

2. confirmatione (a) ab hoſtium propoſito, quòd *inſidientur ſibi*. verſ. 4. (b) ab hoſtium potentia, ib. (c) à ſua innocentia. ib. (d) ab hoſtium felicitate. verſ. 5. (e) à Dei fœdere, verſ. 6. ubi diſtinguit inter Iſraëlem, cujus Jehova Deus eſt, & gentes, ſive extra populum, ſive populo admiſtæ cenſeantur. (f) ab hoſtium malitia, pertinacia, & contemtu Dei judicis. verſ. 7. 8. ubi inſatiabilis nocendi ſanctis cupiditas, comparatione canum famelicorum, veſperi & magnâ parte noctis cum gannitu & ululatu vicos civitatis circumcurſantium, depingitur. Sed *gannitum* ipſis tribuit multo nocentiorem, quàm canum. Quoties enim eructant ore, ut ſonum edant, *gladios*, id eſt, calumnias, criminationes, ex ore ipſorum prodire.

3. explicatione fidei & ſpei ſuæ, ſecundùm quam petit. Vide

(a) judicium ipſius de divina diſſimulatione. *Sed tu, Jèhova*, dum toleras ac diſſimulas, *irrides ipſos*; *ſubſannas omnes gentes*. verſ. 9.

(b) propoſitum exſpectandi divinum judicium. *Cujus robur in te eſt*, vigilis inſtar *obſervabo. Nam Deus eſt ſublimatio mea*. verſ. 10.

(c) gloriationem in divina ope. *Deus gratiæ occurret mihi*, ut ſuſtentet, adjuvet; *faciet, ut ſpectem obſervatores meos*. verſ. 11.

2 II. Deinceps explicat, quale ſupplicium & judicium hoſtium exſpectet. *Non* petit *ſubitò tolli* vel exſcindi, ſed tantùm *exagitari* & paulatim à ſtatu ſuo, *ab ἀλαζονεία ac magniloquentia & faſtu ſuo, & ab exſecratione & abnegatione ſua detrudi*; itaque tandem *dejici in calore, ut non ſint*, ſive potius, *ut nihil ſint* in comparatione priſtini ſtatûs, hoc eſt, ut ipſorum potentia & impietas nuſquam compareat. Quodque verſ. 7. in crimine poſuerat, id in pœnam ipſis ſit, nempe ut eſurientes ac famelici *inſtar canum per vicos civitatis per noctem circumcurſitent cum gannitu*, id eſt, ut invideant bonis & ringantur, quòd iis nocere non poſſint. verſ. 11—14.

3 III. Gratias agit 1. in antitheſi ſui ſtatûs & hoſtium, *famis* & *gratiæ*, *noctis* & *matutini, ululatûs* & *cantûs*. verſ. 16. 17. 2. in prædicatione Dei ut veracis & gratioſi. ℣. 18.

PSAL-

PSALMUS LX.

PSalmus διδακτικὸς. Deo ſoli omnium victoriarum populi, quas conſecuti & conſecuturi erant, laudem attribuit. Titulus occaſionem Pſalmi aperit. *Quum certaret contra Syros Meſopotamienſes, & contra Syros Tzoba*, (Hos D. Junius putat tenuiſſe regionem à Batanæa ad Euphratem, & Nubæos à Plinio dici.) & *reverſus Joab percuſſiſſet Edomæos in valle Salis duodecies mille*. Hiſtoria legitur 1 Sam.8:13. & 1 Chron. 18:12. Utrobique cædes 18000. Fortè Abiſai primus aciem ſibi oppoſitam verterit & cæciderit ſex millia; deinde Joab ſuam item, & cæciderit 12000. In libro Samuelis & Chronicorum narratur quaſi de Syris, hic de Idumæis: ibi tamen effectus victoriæ ſtatim in Idumæa ſubjicitur. Unde concludere eſt, Syros cum Idumæis fuiſſe. Fortaſſe acies, quam percuſſit Joab, Idumæorum fuit; quam Abiſai, Syrorum. Partes ſunt duæ.

I. Narratio iram Dei & gratiam comparans, verſ. 3—11.

1. in abjectione & reaſſumtione. *Rejeceras nos*, *ruperas nos*; *iratus eras*, ſub Eli inprimis, ablatâ arcâ, occiſo populo; *reddis te nobis*, poſt 7. menſes reſtitutâ arcâ.

2. in concuſſione reipublicæ & oſtenſione vexilli ad ſalutem. Hic indicatur

(a.) miſer ſtatus reipublicæ & petitio ejus reſarciendæ. *Commoviſti terram, fidiſti eam, ſarci fragmenta ejus, quia nutavit*. verſ. 4. *Videre feciſti populum tuum rem duram, potaſti nos, ut vino, vertigine*. Arcâ reductâ nondum ceſſavit caſtigatio; & quum Saul videretur regni & reipublicæ fundamenta jeciſſe, tum ipſius & filiorum occidione regnum Iſraëlis commotum eſt; mox in duas partes ſciſſum eſt, ſub Davide & Iſchboſchet. Ita reſpublica & regnum nutavit. Neque adhuc ſatis compoſiti erant ſubjectorum animi, quod apparuit poſtea in ſeditione Abſalomi & Sebæ. Nam victoriæ hæ anteceſſerunt iſtam tempeſtatem. *Terra* pro regno ponitur. *Tremor terræ* omnes turbas, maximè domeſticas & inteſtinas, ſignificat.

(b.) aliquod ſolatium ejus miſeriæ, tanquam per vexillum: cum petitione ſalutis porro ſub illo vexillo promovendæ. *Dediſti vexillum timentibus te, ad quod concurrerent, propter veritatem. Selah*. verſ. 6. *ut liberentur dilecti tui, ſerva dexterâ tuâ & reſponde mihi*. verſ. 7. Loquitur de ſeipſo in regem uncto & toti Iſraëli propoſito, ut confugerent ad illum & per ipſum ac ſub ipſo tuti ac ſecuri agerent. Orat verò Deum, ut porro ſibi adeſſe velit *dextrâ ſuâ*, & ſibi, quem in regem extulerat, ſupplicanti reſpondere ipſo facto, ut liberentur dilecti Dei ex manu hoſtium ſuorum. *Dilecti* ſunt ἡ ἐκλογὴ, electio.

David eſt typus ejus, qui ex ſemine ejus proditurus gentibus in ſignum conſtituendus erat.

(c.) gratioſæ voluntatis Dei per verbum & opem facto ipſo latam manifeſtatio. De verbo. *Deus locutus eſt in ſancto ſuo; exulto. In ſancto ſuo*, id eſt, in cœlo; q. d Deus apud ſe decretum fecit, & miſſo Spiritu ſuo, qui excitavit Prophetam Nathanem, (2 Sam. 7.) ut mihi verbis Dei illud ſignificaret, declaravit. De facto ſive reipſa. *Diſtribuo Sichem, & vallem Succoth metior*; verſ. 8. *Mea eſt Gileaditis, meus Manaſſe; & Ephrajim arx capitis mea; Juda legiſlator meus*. ℣. 9. *Moab pollubrum meum; In Edomo projicio calceum meum: Super me, ô Palæſtina, jubila*. verſ. 10. Senſus brevis: Totus Iſraël mihi paret, me regem agnoſcit, Moabitæ,

Edo-

Edomitæ, Palæſtini ſerviunt mihi. Nihil dum de Ammonitis, quos poſtea ſubegit. Hic autem tangit hiſtoriam, quæ eſt 2 Sam. 8. Bellum Ammoniticum demum cap 10. narratur. *Partior*, *metior*, hoc eſt, ut dominus & rex diſtribuo populo hæreditatem, quaſi poſtliminio, poſt multas calamitates & exactiones populi mei. *Mei ſunt* dicitur de amore & affectu. *Juda legiſlator meus*, penes quem eſt ſynedrium. Alludit ad Gen. 49 : 10. *Meus*, ſub me rege & præſide. *Moab pollubrum*, id eſt, viliſſimum mihi præſtat miniſterium. *In Edomum conjicio calceum meum*, ut eum excipiant & auferant. Sic mihi ſerviunt, ut mediaſtini. *Palæſtinam* jubet ſibi canere, Io triumphe, vivat rex David, & ſim. Niſi eſt ſarcaſmus.

II. Petitio plena fiduciæ opis in poſterum. Hic

1. glorificatur Deus, ut cauſa efficiens victoriarum, per gratiam ſuam, concluſam tum ex ſubactarum gentium, inprimis Edomi, de quo vid. Jer. 49: 16. munitiſſimis locis, tum ex antegreſſa Dei ira, verſ. 11. 12.

2. opem petit ab hoſte. verſ. 13.

3. gloriatur in Deo. *In Deo ſtrenuè rem geramus, & ille conculcabit hoſtes noſtros*, verſ. 14.

PSALMUS LXI.

ORatio eſt competens Eccleſiæ conſideranti difficultatem vincendi mundum, qui regno Chriſti reluctatur. Partes duæ:

§.1 I. Petitio. *Audi, ô Deus clamorem meum, adverte ad orationem meam*, verſ. 2.

Ætiologia clamoris. *A fine terræ ad te clamo, dum ſe convolvit cor meum.* Et
1 tu interim *in rupem, quæ altior me eſt, ducis me.* Sic fideles Chriſti & Apoſtolorum diſcipuli ex Judaïco populo exigebantur, totumque mundum, qui inſtar montis magni & prærupti erat, habebant adverſarium. verſ. 3.

Ratio clamoris ad Deum. *Quia extitiſti perfugium mihi, turris inexpugnabilis à facie Inimici.* verſ. 4.

Petitionis explicatio. *Commorer in tentorio tuo in ſæcula*, conſerver in gratia tua, *habeam receptum in latebra alarum tuarum.* Defendas me, dum tuâ cauſâ luctor in mundo. verſ. 5.

II. Grata agnitio divinæ exauditionis. Hic *primò* narrat divinam gratiam, quòdque *Deus audiverit vota ſua*, ſive preces, cum voto gratitudinis conceptas. verſ. 6. In ſpecie

2 1. quòd *dederit hæreditatem timentium nomen ejus*, nempe per adductionem gentium ad fidem in Chriſtum. verſ. 6. Eas antea dixerat *rupem præruptam & arduam.*

3 2. quòd *dies ſupra dies regi addat, annique ejus ſint ut ætas & ætas.* Dies ſupra dies, ut Ezechiæ contigit, Eſ. 38 : 5. id eſt, das Chriſto vitam æternam ex mortuis. Chriſtus etiam patitur, & moritur, & reſurgit in membris ſuis. ℣. 7.

4 3. quòd *ſeſſurus ſit* Chriſtus rex *in ſæculum coram Deo* in cœlo. *In ſæculum.* verſ. 8.

4. quòd *gratia & veritas* (vid. Joh. 1 : 17.) *quàm arctiſſimè cuſtodiant ipſum*, ut ſemper ſint præſto, & ſemper iis abundet. verſ. 8.

Deinde promittit gratiarum actionem. *Sic Pſallam nomen tuum in perpetuum*, ut

ut retribuam vota mea quotidie, id eſt, ut totum tempus, quod mihi datur ſub Novo Teſtamento, ſanctificem & id impendam glorificando nomini tuo. ℣. 9.

PSALMUS LXII.

Psalmus hic eſt hominis fidelis, animum ſuum tranquillantis in fiducia Dei.

Convenit ei tempori, quo plurima pars Chriſtianorum Hominem quendam habent pro fulcro. ℣. 4.

Virum, cui fidunt, comparat *parieti inclinato & impulſo*, & iræ divinæ ariete inſuper evertendo, cum eo effectu, ut & ipſe, & qui ei nituntur *pariter deſtruantur*, ℣. 4.

Conſilium eorum deſcribit, quo Deum *ab elatione ſua*, id eſt, à throno ſuo *depellere* conantur. Nempe ad hoc efficiendum eligunt ex omnibus rationibus *mendacium* ſive hypocriſin, ut mentiantur Deo; nimirum *ore ſuo*, ſive *per os illius*, nempe certi hominis, ſui capitis, *benedicendo & corde maledicendo*. Ita putant ſe Deum & regnum ejus, quod prædicant juſti, depulſuros à ſe, ℣. 5.

In fine poſt alias rationes præmiſſas, cur hominibus aut opibus non ſit confidendum, Deo autem ſit confidendum, additur ratio omnium ponderoſiſſima ad hoc idem ſuadendum. *Unum* vel *ſemel locutus eſt Deus*. Una legis & Euangelia ſententia eſt. *Bis eſt*, *quod audivi*. Illud unum, in quo recapitulatur omnis religio, *bis propoſuit*, nempe in verbo promiſſionis & in verbo Euangelii: *Quòd robur*, invicta & irreſiſtibilis potentia ad ſuos ſervandum, adverſarios verò retundendum, *ſit Deo*, nulli verò alii: *Et tibi*, *Domine*, *ſit gratia*, voluntas enixa & perſeverans ſalvandi: *Quòd tu ſis repenſurus unicuique ſecundùm opus ſuum*. verſ. 12. 13.

PSALMUS LXIII.

Occaſione jactationis *in deſerto Juda*, id eſt, in deſerto Siph (vid. 1 Sam. 23: 15.) compoſitus eſt. In ſpem optimam ſe erigit conſideratione beneficiorum Dei & exploratione animi ſui erga Deum. Pertinet hoc argumentum ad Eccleſiam Novi Teſtamenti. Partes ſunt

I. Exploratio & denudatio affectûs ſui erga Deum. Theſin ponit. *Deus*, *Deus meus es tu*. verſ. 2. Hanc confirmat ex cognitione virtutis Dei efficaci ad diverſos vitæ ſpiritualis actus, nimirum 1

1. ad deſiderium unionis cum Deo, verſ. 2. 3. Verba verſ. 3. *Sic in ſancto vidi te*, id eſt, adeo in Eccleſia te mihi per verbum tuum, ſacramenta & Spiritum tuum notificaſti; in parentheſi legenda ſunt.

2. ad laudem Dei & aſſiduitatem in precibus, verſ. 4. 5. Ubi eſt, *in nomine tuo elevabo palmas*.

3. ad *lætitiam ex ſatietate*, nempe quòd Deus placatus innumerabilia beneficia donârit Eccleſiæ in Chriſto. verſ 6.

4. ad gratam memoriam auxilii ac defenſionis, & quidem ut *reminiſcatur Dei in ſtratu ſuis*, per noctem ſcilicet, & inter ſomnum; *in vigiliis meditetur de ipſo*. Tempora ſtationum nocturnarum *vigiliæ* dicuntur. Eas R. D. K. probat eſſe tres, quia mentio fit vigiliæ matutinæ & mediæ, Exod. 14: 24. Jud. 7: 19. At Marc. 13: 35. diſtinguuntur quatuor tempora, ὀψὲ, μεσονύκτιον, ἀλεκτοροφωνία, πρωΐ. Finibus tribus poſſunt tres vigiliæ abſolvi. verſ. 7. 8.

Allusum hic fortè est ad tria contradictionum tempora sub regno Papæ, & quartum tempus non interrumpendum, quo prædicatur Euangelium æternum.

5. ad amorem indissolubilem Dei perpetuò retinentis & conservantis. ℣. 9.

II. Hypostasis & gloriatio spei, quæ ex thesi superiùs posita fluit.

1. de interitu hostium. *At illi, qui ad vastitatem quærunt animam meam, intra-*
2 *bunt in inferiora terræ*, sive in infernum. In specie *laniabunt* ILLUM *gladio.*
3 Saulem, R. D. K. qui est typus Antichristi. Rursus: *Ferculum vulpium fient.* ænigmaticè. vers. 10. 11.
4 2. de piis. *Sed rex* David, typus Christi, *lætabitur in Deo*, *gloriabitur* in ipso *omnis jurans per ipsum*, id est, in nomine ipsius loquens & agens: *quia obturabitur os loquentium falsitatem.* Falsi prophetæ & doctores confundentur, convincentur, erubescent, nec habebunt ampliùs ἀνοῖξαι στόματος.

PSALMUS LXIV.

Est oratio Ecclesiæ pro conservatione ab insidiis conjuratorum hostium. Est hic

1 I. Petitio. *A pavore inimici*, Diaboli, *custodias vitam meam. Abscondas me*, ut alicubi possim latitare, & non inteream, *à conspiratione tractantium vanitatem.* vers. 2. 3.

Motiva petitionis ab actionibus & proposito illorum.

1. Leges condunt, calumniantur veritatem, in perniciem *integrorum*, sive eorum, qui simplici animo Scripturæ, ut verbo Dei, adhærent, Deoque soli credunt & affixi sunt, in quos *verbum amarum*, exsecrationes & anathemata pronunciant. vers. 4. 5.

2. Propositi executio. *Subitò feriunt*, in quos vibrarunt sua anathemata, eos trucidandos tradunt suis satellitibus, & quidem *sine timore Dei*, vers. 5.

3. Impietas in nectendis laqueis conscientiæ. *Confirmant sibi verbum malum.* Decreta noxia stabiliunt ratiocinationibus & sapientiâ humanâ, sanciunt, figunt. Oppositum id Euangelicæ doctrinæ, quæ *verbum bonum* dicitur. *Enarrant*, non ad statutum, sed *ad condendos laqueos*, illaqueandis conscientiis. Eos laqueos occultant sub colore variarum incrustationum. *Dicunt, quis videbit illos?* quis poterit illos laqueos deprehendere? ℣. 6.

II. Explicatio effectûs orationis

1. in judicio malorum, quorum

(a.) describitur factum, nimirum hypocrisis inter comminiscendum omne injustitiæ genus. *Scrutabantur injustitias*, omne genus mendacii & injustitiæ; *perfectè scrutabantur scrutatione exploratissimâ.* (vid. Ezech. 28: 3.) Habent speciem indagantium veritatem & justitiam ex penetralibus sapientiæ. Contrarium faciunt. *Et intimum hominis & cor profundum est.* Dolos & propositum seducendi intimis animi recessibus occultabant.

2 (b.) supplicium improvisum. *Et percussit ipsos Deus. Sagittâ subitâ sunt factæ plagæ illorum*, vers. 8. *Et faciunt illum ruere in sese linguâ suâ*, id est, divino judicio fit, ut per linguam ipsorum unus ruat in alterum, unus fiat alteri offendiculum. *Fugiunt, quicunque aspiciunt ipsos*, hoc est, quicunque in timore Dei apertis oculis eos aspicit, fugit ab ipsis longè. Sunt horrori omni carni. ℣. 9.

(c.) con-

(c.) consequens judicii. *Et timent omnes homines*, omnis generis homines, 3
& indicant opus Dei, quod molitur, (conf. Apoc. 14 : 7.) *& opus ejus considerant.* verf. 10.

2. in exhilaratione & receptione justi; cum suo item consequente. *Lætatur* 4
justus in Jehova, id est, Dominus talem se exhibet justo, fideli justificato, ut lætari possit & perpetuâ lætitiâ fruatur. *Et recipit se ad eum.* Consequens: *Et gloriantur omnes recti corde*, id est, publicè prædicant cum gratulatione, se id, quod optimum maximumque est, in Deo obtinere. vers. 11.

PSALMUS LXV.

EST εὐχαριστικὸς vel δοξαστικὸς. Celebrat Deum revelatum in Ecclesia & in mundo multiplici gratiâ & beneficentiâ. Hic est ordo:

1. Venit *is, cui manserat* hactenus *celebratio*, in cujus adventum sine interruptione perseverarant pii celebrantes ipsum, vers. 2. *& expiat pravitates* ac *defectiones*, pretio dato atque acceptato, (unde *Deus salutis* inf. vers. 6.) quarum *pravitatum verba*, eas commemorantia scilicet, hactenus *exsuperarant* pios sub Veteri Testamento, vers. 4. Quod sanè est maximum beneficium, redemtos obligans ad nuncupandum & *solvendum votum* gratitudinis cum summo gaudio, ℣. 2.

2. *Ad Deum accedunt omnis caro*, sine discrimine, id est, ipsum ut redemtorem suum agnoscunt, in eumque credunt; idque, quia *preces* adorantium ipsum in nomine Christi *exaudit*, vers. 3. Inde *fiducia omnium terminorum terræ & maris longinquorum* dicitur vers. 6.

Fons exauditionis ponitur gratia *electionis* ad communionem bonorum cœlestium. *Beatus, quem eligis & facis prope accedere, ut habitet atria tua! Satiamur enim bono domûs tuæ, sancto templi tui.* vers. 5. In electione est plenissima gratia, quia facit *beatos*. Quod in hac vita sentiunt fideles, quia *satiantur bono domûs Dei, & sancto templi ejus*, id est, quia Spiritu Sancto, fide, justitiâ, gaudio, &c. bonis cœlestibus fruuntur. Hæc dicuntur *sanctum* sive res sancta, quia mundus illa non accipit. Cæterùm Ecclesia admissa ad communionem cœlestium habet instar tabernaculi, cujus velum remotum est. Quod quum fit, est *satietas* & πλείωσις sive consummatio, quanta in hac vita esse potest. Quæ satietas non contingit nisi in communione cum iis, qui in cœlo sunt, in justitia & libertate. Ad hoc tabernaculum *admoventur* ii, qui longè erant, non modò cognitionem veritatis dando in verbo, sed etiam convertendo per Spiritum Sanctum.

Effectus insignes exauditionis precum sunt *tremenda* judicia & immensa beneficia, quæ *respondet* Deus fidelibus tum in verbo suo consulentibus eum, tum per signa præcedentia, tum ipso facto, cùm implentur, & quidem *in justitia*, in Christo scilicet & justitia ejus, id est, vi meriti ipsius. (Justitia est effectus *expiationis*, de qua vers. 4.) vers. 6.

Ii effectus in specie deinceps proponuntur:

3. *Constabilitio montium*, id est, regni Dei, manifestati in duplici œconomia. (conf. Zach. 6 : 1.) vers. 7.

4. *Tumultuum sedatio* tum in *mari*, id est, mundo gentili, Romanorum gentilium, per confractionem eorum; tum in Judæa, *nationum*, id est, Judæorum, non tam adversus Imperium Romanorum, quàm adversus Deum, volentem abrogare veterem œconomiam, per ipsorum excidium vers. 8.

5. Converſio gentium. *Et timuerunt habitantes extrema* borealia & auſtralia mundi *à ſignis tuis*, terribilibus operibus hactenus viſis inde à nato Chriſto uſque adhuc. *Egreſſiones matutini & veſperi*, ubi Sol oritur & occidit, *facis jubilare.* Eſt ergo timor cum jubilo. ℣. 9.

6. Eccleſiæ fœcundatio. verſ. 10. *Viſitas terram & obis eam, multùm ditas illam. Rivus Dei eſt plenus aquâ. Suſtentas frumentum illorum. Nam ſic aptaſti illam.*

7. Ager Eccleſiæ durior factus aratur, multis ſcilicet tentationibus, quales ſunt potentiorum oppreſſiones. Inde extant in ea *porcæ*, *ſulcis* ſubſidentibus, verſ. 11.

In hoc ſtatu Eccleſia orat, ut Deus velit *ſulcos*, id eſt, humiles & oppreſſos *irrigare*, id eſt, donare cognitione veritatis & conſolatione: deinde *porcas humiliare*, & denique totam frequenti irroratione verbi macerare. Planum eſt, loqui de Eccleſia in ſterilis terræ faciem converſa. ibid.

Bonum impetratum deinceps narratur.

8. Viſitationis divinæ iteratio & continuatio. *Coronaſti*, id eſt, ad glorioſum colophonem perduxiſti, ac etiam liberaliſſimè ditaſti & donis honoraſti *annum bonitatis tuæ*, tempus regni tui; quod *annus* dicitur & quidem annus acceptationis; *& orbitæ tuæ ſtillant pinguedine.* verſ. 12.

9. Mutatio rerum in melius. *Stillant habitationes deſerti*, ſcilicet pinguedine, *& gaudio colles accinguntur.* Colles multi ſunt vitiferi, & gaudent ob fertilitatem & vigorem eorum, quæ hactenus inculta fuerant, verſ. 13. Conf. Dan. 12: 3.

10. Fructûs denique abundantia. *Veſtiunt paſcua oves, & valles operiunt ſe frumento. Clangunt & canunt.* verſ. 14. Adi & Ezech. 36: 35. 36. 37. 38.

PSALMUS LXVI.

11. EST Pſalmus ἀδεσποτος, pertinetque ad Eccleſiam Novi Teſtamenti, aptiſſimèque ſubordinari poteſt Pſalmo præcedenti. Partes ſunt tres:

I. Alloquium *totius terræ*, ſive omnium, qui habent nomen populi Dei, id eſt, Judæorum refractariorum, concluſorum ſub inobedientiam, poſtquam ex terra ſua exciſi ſunt; quo ipſis converſio magnæ partis gentis prædicatur & inculcatur, ut tandem ad animum revocent, & ipſi *clangant Deo*, id eſt, Deum regem ſuum agnoſcant, verſ. 1. *Canant gloriam nominis ejus*, id eſt, lætentur exaltatione nominis Dei in Chriſto; *Ponant gloriam laudem ejus*, id eſt, in celebratione ſua aſſurgant eò, ut ei omnem præſtantiam tribuant; Tum *dicant* ſive recognoſcant & confiteantur *Deo*: *Quàm timenda res ſunt opera tua* מעשיך, opera ſcilicet illa, per quæ conſummationem feciſti, & impleviſti promiſſionem tuam, quòd futurus eſſes Abrahamo & ſemini ejus in Deum, quàm terribili modò ſunt ea geſta! quàm plena majeſtatis & gloriæ, virtutis, efficaciæ, ſapientiæ, juſtitiæ, gratiæ! *Ob amplitudinem roboris tui mentiuntur tibi inimici tui*, non modò multi Ethnici fiunt revera amici, ſed & percelluntur *labore Dei*, cujus effectum in eo vident, quòd procedit prædicatio Euangelii, & per id multi convertuntur ad Chriſtum, quorum fides nullis tentationibus poteſt ſuperari, adeoque & ipſi hoſtes conſilium capiunt *abnegandi* ac diſſimulandi odium ſuum, ſeque ejus diſcipulos profitendi, verſ. 2. Dicant Deo: quòd *tota terra*, converſi ex omnibus tribubus, *adorat Deum* ut regem ſuum, quòd *canunt ipſi*, lætantur ipſo, & glorificant ipſum patientiâ

tientiâ suâ. Denique quòd *canunt nomen ejus*, id est, prædicant verbum Euangelii. vers. 3. *Veniant & videant molitiones Dei*, opera, quibus ante consummatum opus redemtionis innotuit, & ad hoc consummandum gradum struxit, vel etiam, quibus regnum suum inchoavit; quod ad hæreditatem mundi, & abolitionem omnis principatûs, potestatis, omnisque adeò hostis, & ipsius mortis procedit, vers. 5. In specie, quòd *mutaverit mare in aridam*, *in fluvio incedebant pedibus*; quum scilicet mundus totus suscepit nomen Christi, vocationemque illius & prædicationem Euangelii admisit. *Ibi* vel *ideo lætabamur*, vers. 6. *Dominatur in seculum*, non abdicat regnum suum; *oculi ejus in gentes speculantur*, quæ nolunt servire Deo, & populum ejus vexant, eas severè punit, nec connivet; *refractarii non extolluntur sibi*, non sinit eos exaltari, triumphare, qui pertinaciter rebellant sibi. vers. 7.

II. Alloquium *populorum*, id est, illorum, qui alieni à regno Dei sequuntur alios Deos, & alios Christos.

Hisce præcipitur item conversio. *Benedicite, populi*, *Deum nostrum*, id est, ipsi gratias agite, ipsi omnia accepta referte, ipsius gratiam acceptate verâ fide cordis, ut solius veri Dei, qui est Deus noster. *Facite, ut audiatur vox celebrationis ejus*. Profitemini ore, quod creditis corde, ℣. 8.

Suadetur à conservatione Ecclesiæ, quæ Deum suum pro vero Deo agnoscendum prædicat. *Qui posuit animam nostram in vita*, *neque permisit nutare pedem nostrum*, largitur nobis sensum vitæ æternæ, constantiam in professione veritatis, neque patitur nos prosterni. q. d. Videtis, vos contra stimulum calcitrare. Ideoque date gloriam Deo. ℣. 9.

Ratio suadendi illustratur per apostrophen ad Deum: *Quia explorasti nos, ô Deus: Conflasti nos, ut conflatur argentum*, vers. 10. *Introduxisti nos in laqueum*, redegisti nos in potestatem hypocritarum & falsorum doctorum, qui nos suis legibus constrinxerunt. *Posuisti angustiam in lumbis nostris*, ut non possemus liberè incedere in viis tuis, vers. 11. *Fecisti ut inequitaret homo capiti nostro*. hæc est dominatio in conscientias; *Venimus in ignem*, ejecti sumus ex communione Ecclesiæ, quasi igne iræ tuæ afflati, *& in aquam*, fluvii potentiæ politicæ nos inundarunt: (Hæc etiam literaliter impleta fuerunt.) *& eduxisti nos ad satietatem*, expulsi per ipsorum anathematismos secessimus, & dedisti nobis locum, ubi liberè congregari in nomine tuo nobis liceret; ubi dedisti nobis *irrigationem*, sive potum abundantem, aquam illam vivam, quæ scaturit in vitam æternam, cum abundantia omnis veritatis, sapientiæ & prudentiæ, denique auditores multos, & refrigerium non parvum, ℣. 12.

Gratitudo: *Accedam domum tuam*, tui in cœlo & habitantis Ecclesiæ in cœlo communionem quæram, *cum holocaustis*, cum dedicatione mei in vita & in morte, *ex voto*, *quod pronunciarunt labia mea*, *&* consideratè *locutus sum*, *cùm arctum mihi esset*, vers. 13. 14. *Holocausta medullata offeram tibi*, non clauda, cœca, surda, sed sana, integra, pinguia, *cum nidore arietum*, fidelium generosorum, bonis exemplis præeuntium, fœcundorum spiritualiter; *faciam boves*, qui laborant in cultu Ecclesiæ, *cum hircis*, ducibus populi piis & zelosis pro gloria Dei, principibus. Metaphoræ fundamentum vide Jer. 50: 8.

III. Alloquium *timentium Deum*, id est, eorum, qui eundem cum Ecclesia Deum & regem, idemque verbum agnoscunt & prædicant, sicque fratres sunt, sed tamen causam Ecclesiæ justam non agnoscunt. Ideò Ecclesia utitur apologiâ apud

illos. *Venite*, inquit, *audite*, non diſputationes & ſubtiles rationes, quas humana ratio ſuggerit, ſed opera Dei, *quid* ſcilicet *fecerit animæ meæ*, verſ. 16.

Ad IPSUM *ore meo clamavi*, & *exaltatio erat ſub lingua mea*, id eſt, in corde meo, unde ſermo promanat. Non falſum Deum invocavi, ſed Deum Patrem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ac Spiritum ejus, ut ſcilicet teſtis fieret in cauſa, quam diſcepto apud homines. Hæc de profeſſione. verſ. 17.

Secundum eſt teſtimonium conſcientiæ de propoſito glorificandi Deum, non blaſphemandi. *Nihilum ſi vidi in corde meo*, verſ. 18.

Tertium non divinæ exauditionis. *Nihilum ſi vidi in corde meo*, *non audiviſſet Dominus*, id eſt, ſi falſum Deum reſpexi, *Dominus*, cujus ego ſervus ſum & peculium, *non audiviſſet* invocationem meam: *Atqui audivit Deus*, *attendit voci orationis meæ*. verſ. 18. 19.

> Erit ſcilicet aliquando tempus, quo Eccleſia ex omnibus, quæ de ipſa dicta ſunt, quæque ſe ſperare ſecundùm verbum Dei gloriata fuit, demonſtrare poterit, ſe eſſe exauditam à Deo, adeoque nullam hæreſin corde foviſſe.

Benedicit Deo, verſ. 20. *Benedictus Deus*, *qui non amovit orationem ſuam* & *gratiam ſuam à me*. Nam quod ego oravi, fuit idem, quod gratioſè mihi promiſerat & deſtinaverat.

PSALMUS LXVII.

1 DAvid & omnes fideles prioris temporis, anhelantes ſub lege, quæ iram operatur, petunt *gratiæ* manifeſtationem in Chriſto, tum ut *Deus ſibi benedicat*, id eſt, dona gratiæ effundat in ſe, nempe ſapientiam, prudentiam, Spiritum adoptionis filiorum, juſtitiam, libertatem, communionem cum iis, qui in cœlo ſunt, parrheſiam, ut cum libertate filiorum ad ipſum accedamus, faciat nos ſacerdotes & reges, denique hæredes mundi: *Illuſtret faciem ſuam apud ſe*. exſplendeſcat & benevolentiam ſuam oſtendat in corde noſtro ad radiationem cognitionis gloriæ Dei, quæ eſt in facie Jeſu Chriſti. Hoc autem fit per Spiritum Sanctum, qui velum cordis removet & id circumcidit à præputio ſuo, ut Deum cognoſcamus.

Fructus gratiæ exhibitæ, *ut cognoſcatur in terra*, id eſt, in populo Iſraëlitico, *via tua*, id eſt, via à te demonſtrata, quâ peccator poteſt accedere ad te; deinde ſapientia tua, quæ in operibus tuis elucet, quibus regnum tuum paras, & gloriam tuam illuſtras: *in omnibus gentibus ſalus tua* cognoſcatur, ut eam quærant, & ad juſtitiam perveniant. ℣. 3.

2 Procedit votum Eccleſiæ cum tempore. Nimirum, dum verbum Dei loquitur in mundo, dum ſalutem Dei annunciat, & viam ejus indicat, dum pro nomine ejus ſanguinem fundit, orat, ut *populi*, id eſt, gentes, *Deum*, qui gratiam exhibuerit, qui faciem ſuam illuſtraverit cum Eccleſia, Deum, inquam, *ſalutis* auctorem & datorem, *confiteantur*, id eſt, abnegatis idolis, judicent eſſe verum Deum, eique obediant, & nomen ipſius ex corde profiteantur. ℣. 4.

3 Deinde, quum ſancti viderent multos per hypocriſin Deum nominantes, quod
§.6 eſſet magnum obſtaculum converſionis Judæorum, petit *primo*, ut *populi omnes eum*, & non alium, *confiteantur*, ſicque hæreditet totum mundum, verſ. 4.
7 Deinde pro *nationibus*, ſive Judæis petit, ut *populi* judicentur rectè, & *ipſæ* nationes

tiones amotis ſcandalis, oſtio aperto *in terram*, id eſt, Eccleſiam, recto itinere *deducantur*, quò & ipſæ lætentur & cantent. *Judicium æquum populorum* eſt ef- 4
fuſio plagarum, quæ ſeptem phialis continentur, Apoc. 15. & 16. diſcretio proborum à cultoribus Beſtiæ; veritatis demonſtratio; falſitatis redargutio; caſtigatio eorum, qui, quum effugerint eos, qui in errore verſantur, nomen viventium habent & mortui ſunt; aſſertio, ventilatio, repurgatio Eccleſiæ, & alia omnia, quæ in Prophetia deſcripta ſunt. ℣. 5.

Exauditionem voti prædicant fideles, dum cauſas jam vident ἐπιγεῖς & ope- 5
roſas, ex quibus concludunt, certò *Deo confeſſuros eſſe populos omnes*, verſ. 6. coll. verſ. 4.

Cauſam ſpei explicat, nimirum benedictionem Dei impetratam. *Terra dat fructum ſuum*, *benedicit nobis Deus*, *Deus noſter*, & quia benedicit, porrò *benedicturus eſt*, & *timebunt eum omnes fines terræ*. ℣. 7.8. Terra dicitur dare fructum 6
ſuum, quando ii, qui effugerant eos, qui in errore verſantur, auditui Euangelii reſpondent confeſſione puræ veritatis, & bonæ converſationis honeſtate.

PSALMUS LXVIII.

Totus hic Pſalmus agit de regno Chriſti inter hoſtes, deque eorum profligatione, ita tamen, ut novis vetera comparet. Eccleſia enim inducitur Deum glorificans ob nova facta, & commemorans in laudatione eorum etiam vetera. Partes ſunt quatuor:

A. Summaria complexio certaminis Dei cum hoſtibus & victoriæ de illis, quæ tanquam Propoſitio eſt, ℣. 2. 3. 4. In ea diſtinguuntur hi articuli:

1. *Deo ſurgente*, ut heroë magnanimo hoſtes aggreſſuro, *diſſipantur inimici ejus*, qui inimicitiam ex profeſſo ſuſcipiunt adverſus Eccleſiam, Judæi cum gentibus conſpirantes in Chriſtum, mox, inquam, diſſipantur à ſe invicem, & bello ſeſe appetunt; ipſæque gentes inter ſe colliduntur. ℣. 2.

2. *Oſores ejus*, qui non poſſunt ferre Chriſti regnum & veritatis doctrinam, quæ eſt ſecundùm pietatem, idololatræ nomen Chriſto dantes per hypocriſin, *fugiunt à facie ejus*, id eſt, retro avertuntur, ac terga dant. Notantur hæreticorum vani motus. ℣. 2.

3. Aliorum tumor *tanquam fumus*, *impellitur*, id eſt, Sarracenorum & Turcarum dominatu eliditur. ℣. 3.

4. Denique *ut liqueſcit cera coram igne*, *pereunt Improbi* ii, qui à juſtitia Dei alieni ſunt, quamvis in ſua glorientur, Antichriſtus cum ſuis, conſumuntur *coram Deo*. ℣. 3.

5. Victoriæ fructus apud Eccleſiam: *Et juſti* per fidem (oppoſitum *Improbi*) *lætabuntur* in conſolatione animi, *& exultabunt coram Deo* in charitate, *& hilareſcent in lætitia*, in patientia crucis. ℣. 4.

B. Carmen plenius explicans expeditionem Chriſti adverſus regnum Diaboli. ℣. 5—21. Eſt hîc

I. παραίνεσις ad glorificandum Deum, cujus eſt expeditio. *Canite Deo*, *pſal-* 5
lite nomen ejus, id eſt, cum lætitia confitemini & prædicate nomen ejus, & atteſtamini Deo, quòd ipſe ſit verus, (Joh. 3 : 33.) & omnes ſuas promiſſiones fecerit Næ & Amen. (2 Cor. 1 : 20.) *Aggerem facite ei*, impedimenta fidei & obedientiæ in eum removete, *qui vehitur in deſerto*, qui in filiis ſuis, in ſervis ſuis Apo-
ſtolis

ſtolis & aliis diſcipulis *vehitur*, cum impetu vim faciens, pultans oſtium, viam ad
introitum moliens, in mundo ſterili & infrugifero, in gentibus, *cum decentia*
nominis ſui, cum omni amabilitate ſua, quæ ſpectatur in eo, quòd ſit Deus juſtifi-
cans impium; habetque teſtem conſcientiam. *Exultate coram ipſo.* Accedite ad
ipſum prope, accedite cum exultatione. Quantum poteſtis, deponite omnem
luctum & triſtitiam, abjicite malam conſcientiam, exuite pavorem & formidinem.
verſ. 5.

II. Suaſio parænefeôs ſive hortationis ad canendum, exultandum & viam Deo
parandum. Ea ſuaſio ſumitur

1. à Dei nomine & officio, quod ſibi ſumſit, & ad quod gerendum thronum
gratiæ occupavit. *Pater pupillorum*, & *judex* ſive *patronus viduarum Deus in habi-*
2 *taculo ſancto ſuo.* Habet quidem illud nomen multos adverſarios & hoſtes, &,
qui illud canunt, Apoſtoli & diſcipuli Chriſti, ſunt infirmi ac debiles, nullamque
opem habent in mundo, velut pueri parentibus orbi, aut viduæ; ſed habent in
cœlo Deum, qui eſt pater orphanorum & patronus viduarum. ℣. 6.

3 2. à beneficio gratiæ. *Deus facit ſolitarios habitare in domo. Solitariis*, qui nec
uxores, nec liberos habent, qui ab omnibus deſeruntur & propelluntur, Apo-
ſtolis vagantibus per totum mundum, expulſis à Judæis, dedit *domos*, cœtus,
urbes, agros, populos, regna: (Marc. 10: 29.) Id primum beneficium eſt.

5 Quum autem Euangelium eſſet prædicatum in gentibus, & Apoſtolis domus
eſſent datæ, incepit Satanas adverſus fideles inſanire; & pleroſque incluſit cuſtodiæ.
Omnes in arcto fuerunt ſub decem perſecutionibus. Nihil promtius fuit, quàm ut
6 *catenis vincti* in carceres conjicerentur. At Deus *eduxit* eos, carcerem aperuit, &
vinctos liberos glorioſè exire fecit. Fecit enim ut hoſtes nominis Chriſtiani debili-
tarentur, & omnis mundi potentia ad Chriſtianos deferretur.

4 3. à judicio. *At enimverò refractarii*, Judæi, nolentes obedire Chriſto, *habi-*
tant ſiticuloſam, ſive *procubuerunt in arido* & *ſiticuloſo.* Primò enim Deus ipſos
fecit in terra ſua inopes conſilii & conſolationis. Deinde privavit terram illorum
omnibus bonis. Tum ipſos per gentes disjecit, atque etiamnum totus mundus,
quamvis deſertum fiat irrigua, ipſis deſertum manet, quia verbum Dei, quod
deſiderant audire, non audiunt. ℣. 7.

III. Specimen hymni, quo glorificat Deum, in quo eſt comparatio latæ legis
& exhibiti regni gratiæ. In eo hi ſunt articuli rerum obſervandi.

1 Datio legis cum maximo terrore conjuncta. *Deus, cùm egredereris coram populo*
tuo; (additur Jud. 5: 4. ex quo hic locus ſumtus eſt, *ex Seir*, id eſt, ex terra
Canaan, habitaculo tuo, obviam populo tuo, ut eum adduceres ad te;) *quum*
gradereris in vaſtitate: (*Selah.*) verſ. 8. *tremebat terra, etiam cæli*, (& *nubes*,
Jud. 5.) *ſtillabant à facie Dei*: *Hic Sinai, à facie Dei, Dei Iſraëlis* (Jud. 5.
Montes fluxerunt coram Jehova; hic Sinai coram Jehova Deo Iſraëlis.) Ergo in
Pſalmo נטפו primò de imbre, qui cum tonitru; deinde de Sinai liquato quaſi per
ignem, intelligendum eſt, verſ. 8. 9. Hiſtoriam vide Exod. 19: 16. 18. 20: 17.
Hoc dicit: Et olim equitabas in deſerto, & nunc: ſed diverſiſſimo modo.

2 Namque nunc non eſt terror, ſed *pluviam liberalem agitas, ô Deus*, nunc eſt lar-
ga effuſio Spiritûs Sancti, qui propter Euangelium eſt Spiritus filiationis & lætitiæ,
quâ Eccleſia languida & mœſta recreatur. *Hæreditatem tuam*, id eſt, verum Iſraë-
lem, quem tibi ſeparaſti & emiſti ex omnibus tribubus, *etiam defeſſam* quod at-
tinet, *tu reficis illam.* verſ. 10. Ita defeſſos ad ſe vocat Chriſtus, Matth. 11: 28.

Ani-

Animalia tua, homines abs te vivificati & animati, & ex gentibus aſſumti, *conſederunt in ea*, ii ſe electis tuis de tribubus Iſraël conjunxerunt, ſuntque facti domeſtici & cives ſanctorum, *quæ paras* & promta habes ac ſuppeditas, quotidie *inopi*, id eſt, diſcipulis tuis, quos miſiſti ad gentes, ſitientibus amplificationem regni tui & ſalutem animarum, quique tantùm comparati ſunt ad patiendum, non etiam ad faciendum malum, *per bonitatem tuam* prædicatam in Euangelio, quâ condonas peccatum, vitam donas. ℣. 10. 11.

Illuminatio & revelatio Euangelii cum copia annunciantium. *Dominus dat dictum: boni-præconiatrices ſunt exercitus multus. Dominus*, is, qui habet poteſtatem in cœlo & in terra, cujus eſt hæreditas, *dat dictum*, ſermonem reconciliationis, (2 Cor. 5: 19. 20.) tacitum à ſæculo, quatenus nemo reconciliationem factam annunciare potuit, vel *præſtat*, implet, *dictum* promiſſum, inter quæ etiam eſt *διαγγελισμὸς* Judæorum & Græcorum. (Rom. 1.) Ideo ſpecificat datum, nimirum, quòd *prædicatrices*, hoc eſt, turmæ, cœtus Euangelizantium, *ſint magnus exercitus*. verſ. 12. 3

Fuga potentum cum locupletatione Eccleſiæ. *Reges exercituum fugiunt, fugiunt*, ſcilicet coram illo exercitu Nunciorum, quamvis nullus ſit terror, ut olim apud montem Sinai, ſed pluvia gratioſa, & ſimplex annunciatio. *Fugiunt* autem cedentes veritati, & ſuccumbentes divinæ potentiæ, ipſis invitis, augenti Eccleſiam & provehenti regnum ſuum. *Et habitans in domo*, Eccleſia, pulſis refractariis, domum recepta à Deo, & fruens omnibus deliciis domûs ejus; vel etiam non procedens in campum, dimicatura armis carnalibus adverſus copias Satanæ, ſed manens domi, ſatagens rerum ſuarum, *partitur ſpolia*, captivos Satanæ liberatos ex ejus laqueis & poteſtate. ℣. 13. 4

Pulchritudo Eccleſiæ in cruce. *Ubi jacetis inter ſtrues*, in camino, in furno, 5
in igne πυρωμῷ, *apparent alæ columbæ obductæ argento, & cujus pennæ ſunt cum flavedine auri*. In cruce nitet fides & charitas Eccleſiæ & ſpes. Quibus ſubvehitur ad cæleſtia. In patientia manifeſtatur columbina ſimplicitas.

Amplificatio glorioſa & perpetua ἐπιχορηγία Spiritûs Sancti. *Quum panderet omnipotens reges in illa* (ſubintellige hæreditate ſua,) *ningebat in Tſalmone*, id eſt, quum reges & principes cum omni ſua gloria deduceret in hæreditatem ſuam, & longè latèque diſpanderet, atque ita civitatis ſanctæ pomœria extenderet per terras multorum regum; nec tantùm, ſed & multi errores ac ſcandala ſua in Eccleſiam inveherent, maximè tyrannidem & fornicationem ſpiritualem: tum, inquam, Deus ſibi elegit & conſervavit Eccleſiam fidelium in medio hypocritarum & errantium. Hoc metaphoricè innuit. Nam, cùm Eccleſiam (*hæreditatem Dei*) ſub figura terræ Canaan proponat, *montem Tſalmon*, qui erat prope Sichemum, (Jud. 9: 48.) atque ita in medio terræ, facit nivibus coopertum, unde ſcilicet perennes aquæ, id eſt, perpetua ἐπιχορηγία Spiritûs Sancti fluant. verſ. 15. Vide ſimilitudinis rationem Jer. 18: 14. Ipſa nominis notatio à צלם non caret emphaſi. Eſt enim Eccleſia eorum, qui ſunt ad *imaginem Dei*. 6

Perpetua habitatio Dei in Eccleſia & præſeſſio in ea. Hic eſt 7

(a.) Teſtificatio de parte aliqua, quòd ſit mons Dei. *Mons Dei mons Baſan, mons faſtigiorum eſt mons Baſan. Baſan* pars terræ ſanctæ verſus Ortum, ubi & Deus manifeſtatus fuit, (Gen. 32: 1. Nam Machanajim eſt in monte Baſan in Gileaditide.) emblema eſt Synagogæ Judaïcæ, quæ etiam eſt pars Eccleſiæ vocatæ, per legem Moſis ſaltem. Deinde & illuſtrata fuit revelatione Dei in ipſa. Tribui-

tur autem Synagogæ, quòd sit *mons Dei*, id est, populus illustris in mundo, imò populus Dei; deinde quòd sit *mons summitatum* sive eminentiarum. q. d. mons montium, quia constabat unum regnum 12 tribubus.

Potest in emblemate *Tsalmonis*, qui mons erat situs cis Jordanem versus Occasum, & *Basanis*, ultra Jordanem versus Ortum, quorum uterque situs sit in hæreditate Dei, divisio partis Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis subintelligi. De *Tsalmone* dictum est, quòd *ninxerit in eo* De altera parte, in qua *Basan*, dicit Psalmus, eum esse *montem*, sive populum & regnum *Dei*, & habere multa *cacumina*, id est, in ea parte se erigere varia nomina ac potestates. Habere Deum ibi suos, in quibus regnet, non obstantibus multis imperiorum differentiis.

Possunt ænigma hoc implere multæ hæreses, quæ in Oriente extiterunt, & imperia Sarracenorum, Turcarum, Persarum, interpolata Christianorum regnis; inter quæ Hierosolyma fuit calcata à gentibus hactenus.

(b.) invidia Judæorum confutatur, à

8 (α) proposito Dei immutabili. *Cur aspicitis montes? fastigia? Eum montem, quem concupivit Deus ad inhabitandum eum, etiam Jehova inhabitabit in perpetuum.* Quid indignamini, miramini, insidiamini atque exspectatis tempus oppressionis & rejectionis illius montis, in quo Deus habitat? quemadmodum etiamnum Judæi stupent, anhelant ad falsi sui Messiæ adventum, ut templum suum restituatur, & ipsi dominentur gentibus. Sed in vanum. Deus enim non mutabit consilium suum, ut rejiciat populum Christi, & aliam Ecclesiam subintroducat.

Possunt hæc quoque accommodari populorum quorundam invidiæ erga alios populos, ut Orientalium adversus Occidentales, inprimis de primatu Romani Episcopi, cui Oriens non voluit cedere. Deus frustra esse istiusmodi consilia, studia atque æmulationes declarat. Esse enim sibi *montem sanctum*, in quo concupiverit habitare, atque etiam habitaturus sit in perpetuum, neque se solium suum traditurum alii. ỷ. 17.

(β.) ab amplitudine regni Dei. *Currus Dei sunt myriades millium iteratorum, in quibus Dominus est. Sinai est in sancto.* Amplitudo regni Dei non fert istam restrictionem, ut apud solos Judæos, vel etiam in certa urbe, in certo monte aut sede regnet. Innumerabiles sunt ipsius cœtus. Nam Ecclesia Dei vocatur *currus Dei*, *in quibus ipse est*. Extensio verò ejus tanta est, ut & *Sinai*, mons deserti, id est, Judæi, qui acceperunt legem apud Sinai, sint *in sancto*, id est, loci sancti terminis includantur. Quæ ergo audacia hominum, ut se efferant supra eos, qui apud Sinai fuerunt appellati Dii? 2 Thess. 2:4.

(γ.) ab evectione regis & ejus, ut potestate, ita & liberalitate. *Ascendisti in altum*, id est, in cœlum. Ibi thronus tuus est, non, ut cæteri putant, in terra, in monte Morija, vel Romæ; & ascendens *captivam abduxisti captivitatem*, id est, Inimico ademisti sua spolia, acquisivisti hæreditatem, quin eo fine mortuus es & resurrexisti, ut omnia subjicerentur tibi; *accepisti dona*, à Patre: nam ad dextram Patris sedens obtines potestatem in omnia, ad dandam omnem gratiam Spiritûs Sancti, Ecclesiæ ornandæ necessariam, justitiam, sanctificationem, communionem sanctorum, Spiritûs tui in variis virtutibus manifestationem, *in hominibus*, quia ipse caput ipsorum es, & illi

illi hæreditas tua, ipſe in illis hæc dona, ut à te impetrata, accipis. Apoſtolus Eph. 4:8. vertit, *dedit dona hominibus*. Revera enim accepit bona, quæ daret hominibus. Reſpectu enim hominum erant *dona*, quæ accepit, ut daret. Id Apoſtolus refert ad dona miniſterii ad ædificationem Eccleſiæ: non abs re, quia hic tum omnis *bonitatis* ratio redditur, tum etiam, quare Deus habeat tam numeroſum exercitum præconiantium turmarum. Hi enim præcones etiam dati ſunt à Deo, ſup. verſ. 12. Ad Pſalmi phraſin etiam alludit S. Petrus Act. 2:33. *Atque etiam*, ſcilicet accepiſti, *refractarios*, Judæos induratos & rejectos à regno cœlorum, *ut habitent* aliquando *decentiam Dei*, poſtquam ſcilicet impleverint periodum indurationis ſuæ, per quam habitant ſiticuloſam. Cæterùm hæc etiam ordinanda ſunt ad confutandum invidiam montium vel collium inter ſe, dum ſeſe erigunt unus ſupra alium, & invicem inſidiantur, quaſi ad ſe Dei ſedem & prærogativas tranſlaturi. ℣. 19.

IV. Concluſio euchariſtica & conſolatoria. *Benedictus ſit Dominus, qui quotidie* 9
bajulat (vel *accongerit in*) *nos. Omnipotens eſt ſalus noſtra. Selah*, verſ. 20. *Deus noſter eſt; Deus ad ſalvandum*; & *Jehova Dominus habet exitus mortis*; id eſt, ex ipſa morte exivit virtute ſuâ & penetravit cœlos, victurus in æternum. verſ. 21. Etiam hic verſus gloriationem continet adverſus præſumtionem montium colliumque.

C. Oratio contra hoſtes propter ſalutem Eccleſiæ. verſ. 22—31. Atque hic deinceps hic eſt ordo:

Quum perſeverarent, imò augeſcerent montium & collium ſtudia nefaria, 10
conſequens erat, ut pii, quæ de eorum coërcitione promiſſa ſunt, etiam conſiderarent ac fieri deſiderarent, & denunciatione eorum hoſtes terrerent. Oratio hæc eſt gemina:

(a.) Prima dirigitur contra Inimicos & Verticem piloſum. *Enimverò Deus deprimat caput*, id eſt, principem *Inimicorum ſuorum; verticem piloſum*, id eſt, principem potentem, multis populis auctum, *qui pergit in reatibus ſuis*, id eſt, pergit Deum ad iram provocare, neque agit pœnitentiam à peccatis ſuis. ℣. 22. Alluditur ad prophetiam Moſis Deut. 32:42.

Confirmatur hoc votum à verbo Chriſti. *Dixit Dominus: Ex Baſane reducam, reducam ex profundis maris*, ℣. 23. Suprà per *Baſanem* intelleximus cum Judæis Orientales populos, in quibus partim eſt regnum Dei, partim etiam oppugnatio regni Dei, partim æmulatio ſuper primatu in Eccleſia Chriſtiana. Per *profunda maris* autem nihil vetat intelligere inſulas maris. Si gentes *mare* ſunt; qui degunt in medio gentium, vel cinguntur undiquaque à gentibus, quibus Beſtia conſtat, in gurgite maris natare, vel tanquam inſula concluſi eſſe rectè dici poſſunt. Hæc expoſitio eſt rei accommodatiſſima, ut Inimicos in Baſan, & Verticem comatum in inſulis maris intelligamus. verſ. 23. Jam vide aut conf. Pſ. 107:3. Eſ. 11:11.

Modus punitionis: *Ut imprimas* vel *altè deprimas pedem tuum in ſanguinem, linguam canum tuorum*; ſanguinem *ex Inimicis*, *ex illo*. Ita ſcilicet verberabit Deus caput inimicorum ſuorum, & verticem comatum, ut ſanguis ex inimicis tuis fluat, ex illo vertice comato, in quo pedem deprimas vel demergas & linguam canum tuorum. Significatur bellum crudele & cruentum. *Canes* poſſunt dici illi milites, qui ſanguine fuſo delectantur, & quaſi ſanguinem bibunt, & operam navant Eccleſiæ in delendis hoſtibus. ℣. 24.

Adjungitur hiſce adhortatio ad benedicendum Deo in cœtibus, adſtructa exemplo laudabili eorum, qui Deo ad judicium venienti occurrerunt. *Viderunt inceſſus* 11
tuos,

tuos, ô Deus. Quales? *incessus Dei mei & regis mei*, id est, fuerunt antea, qui te vocarunt *Deum meum*, cujus omnis potentia mihi addicta est, & *regem meum*, qui es caput meum, tutator, director, vindex meus. Viderunt te *incedentem in sanctuario*, id est, processisse è loco sancto tuo ad asserendum me, & judicandum hostes meos, ℣. 25. *Occurrerunt* tibi venienti, (noverant enim ex verbo tuo, & præcedentibus operibus, quid molireris, quòdque omninò venturus esses ad opem mihi ferendam,) seque ad te excipiendum paratos stiterunt, cum *cantu*, sive annunciatione Euangelii, (Apoc. 15: 3. dicitur *carmen agni.*) cum *fidibus*, sive *citharis*, (id commodissimè de martyribus intelligitur, Apoc. 14: 2. 3.) ac *tympanis* denique, quæ *virginibus* tribuuntur, id est, cæteris fidelibus, amori mundi renuntiantibus, Deo se consecrantibus, tanquam sponso suo, actionibus exultationem spiritûs testantibus, vers. 26. Vos autem nunc nacti estis facultatem
12 in *plenis cœtibus* conveniendi in nomine Dei, nacti estis pacem. Nolite igitur esse stupidi, ut non animadvertatis, quis ea judicia peregerit, quæ videtis; vel ingrati, ut ei non *benedicatis*, vel alii, Non-Jehovæ, benedicatis, *benedicite Deo, Domino, ex fonte Israelis*, id est, Deo in carne manifestato, in quo summam fidei ponit Johannes. vers. 27.

(b.) Altera oratio dirigitur contra falsos Dominos Ecclesiæ. Atque hic quidem rursus, ut sup. vers. 8. 9. 10. &c in antecessum, contendit veterem œconomiam cum regno Christi, & petit, ut Christus solus regnet, vers. 28. 29. 30. *Ibi*, scilicet in veteri populo, quem eduxit ex Ægypto, qui habitabat in monte Basan, in monte fastigiorum, ibi *principes illis* erant; *Nobis* autem *præparasti tu, ô Deus*, quod & *Deus tuus jussit, ut Tu invalescas*, & ut reges tibi se submittant. *Invalesce* itaque, *ô Deus*, regnum, quod occupasti, summâ vi gere. Noli pati, ut homo invalescat in terra. Quod parasti, destinasti, incepisti hactenus nobis, non illis priscis. vers. 28. 29. Si invalescas, afferent: vel, *invalesce & afferant reges*, id est, quicunque habent aliquam potestatem in mundo, TIBI, ut subditi, *munus*, omnem gloriam suam, suis copiis serviant Ecclesiæ: benè agentes honorent, falsum loquentes & scandala facientes coërceant, atque ita operam dent, ut plurimi fiant viva & rationalis oblatio, hoc munere te honorent. vers. 30.

Hac præmissâ comparatione & petitione, petitur coërcitio falsorum dominorum, cum eorum designatione. *Increpa bestiam arundineti*; id est, Bestiam Niloticam, Ægypti mysticæ incolam, eamque opimam & robustam. (quum magna abundantia significatur, dicitur *gramen mutari in arundinem & juncum*, Es. 35: 7.) His adjicit dominos ipsos, *cœtum taurorum*, sive antistitum, *cum vitulis populorum*, id est, capitibus Bestiæ, ferentibus nomina blasphemiæ. (Sine dubio est allusio ad idololatriam Israëlitarum & Ægyptiorum.) Denique *eum*, *qui sibi substernit fragmenta argenti*, vel, *qui se insternit fragmentis argenti*, (Alluditur ad vers. 14. ubi vera Ecclesia dicitur columba obducta argento.) id est, Hominem, qui se abscondit fragminibus argenti, laciniis verbi Dei; & virtutum simulachris hypocrisin suam tegit: vel, *qui se conculcandum præbet*, adulatur ei, seque prosternit coram bestia arundineti, seque patitur ab illa conculcari, *pro laminis argenti*, pro, nescio qua, mercede temporali. vers. 31.

D. Catastrophe ℣. 31—36. Atque hic deinceps ex ordine
13 Narratur judicium. *Dispersit* Deus *populos*, *qui bellum cupiebant*, ℣. 31.
14 Fructus judicii: *Veniunt Chasmannim*, principes, duces, vel simile quid. Ægyptia

vox

vox esse videtur. *ex Ægypto*: *Æthiopes accelerant manus suas Deo.* Ægyptus spiritualis & Æthiopia, id est, Judæi Deo non propinquiores Æthiopibus, Amos. 9:7. Jer. 13:23. ad Deum convertentur.

Adhortatio omnium regnorum terræ 15

(a.) ad confitendum gloriam & gratiam Dei. *Regna terræ, canite Deo, psallite Dominum*, vers. 33. Rationes: *Qui vehitur in cœlis cœlorum antiquorum*, id est, qui supra omnes cœlos evectus est, (conf. ℣. 19.) neque habitat in domibus manu factis. *Ecce edit vocem suam, vocem validam.* Vox Dei est prædicatio Euangelii efficax, & opera Dei, judicia inprimis. ℣. 34.

(b.) tum ad agnoscendum virtutem Dei. *Date robur Deo.* Nolite ei vos opponere. Ratio: *Super Israëlem est erectio ejus.* Erexit se, ut Israëli opem ferat. *Et robur ejus est in cœlo.* Spiritu suo ex cœlo operatur. ℣. 35.

Glorificatio Dei. *Timendus est Deus ex sanctuariis tuis, ô Israël*, id est, Deus 16
ostendit apud te, apud eos, in quibus habitat, quantopere eos diligat, tuendo, vindicando, regendo, provehendo, illuminando, magna per ipsos operando. *Deus Israel ipse dat robur & valorem populo. Benedictus sit Deus.* Δοξολογία, qualis in finibus visionum Apocalypticarum. ℣. 36.

PSALMUS LXIX.

Agit de Christi passione & evectione, Judæorum rejectione, gentium assumtione, Ecclesiæ conservatione. Partes sunt:

I. Oratio Christi Sponsoris ac Sacerdotis,

1. in genere pro *salute* sua ac per consequens & suorum, ℣. 2. 2

Confirmat petitionem

(a.) à magnitudine periculi, vi malorum ingruentium, defectu virium. *Nam* 1
venerunt aquæ ad animam. q. d. tantùm non suffocor mali magnitudine. ℣. 2. *Immersus sum in cœnum profundi, & non est, ubi stem; veni in profunda aquarum, & fluxus aquæ inundat me.* ℣. 3. Allegoricè multitudo peccatorum, magnitudo reatûs nostri, legis maledictio & ira Dei, trahens ad exitium, significatur melius, quàm ulla calamitas. Accedit virium defectus. Homo per se non potest ex tantis malis eluctari. *Defatigatus sum clamando, exasperatum est*, raucedine ex clamore, *guttur meum. Consumti sunt oculi mei sperantis ad Deum meum.* vers. 4. Ἀδημονία, tristitia ad mortem, mœror, vertigo, lassitudo & lucta cum ira Dei, quæ etiam grumos sanguinis expressit, hic significatur. Ideo & cum clamore exspiravit, testimonio divinæ, non humanæ virtutis, quòdque volens in istam debilitatem venerit, & mortem obierit.

(b.) ab hostium copia. Ii Diabolus cum exercitu suo, gentilibus & Judæis ab ipso seductis. ℣. 5.

(c.) à sua innocentia. *Odientes me immeritò* &c. Citatur Joh. 15:25. *Quod non rapui, tunc reddam.* Mox, cùm patiar mortem, reddam ac restituam Deo gloriam, quam non ego, sed homines ei eripuerunt. Hoc declarat à divina scientia. *O Deus, tu nosti usque ad levitatem meam, & reatus mei à te non sunt occulti.* Notandus locus. Negat, se satisfacere vel pati pro eo, quod ipse rapuerit, & tamen fatetur *stultitias & reatus suos.* Ergo *suos* per sponsionem. q. d. Novisti omnes reatus, usque ad levissimas culpas, pro quibus luam; & quòd nullum in

eis ſit meum delictum proprium vel erratum, quo tuum jus violaverim, ut reſtituturus ſim, quod ego rapuerim. ℣. 6.

(d.) à ſpe illorum, qui exſpectant Deum. *Ne pudefiant propter me, qui exſpectant te*, &c. Nam ſi caput ac fundamentum ſpei, Chriſtus, pudefiat, etiam pudefierent membra. ℣. 7. *Nam propter te*, id eſt, tuâ cauſâ, ſive quia conteſtabar Judæis, ipſos non noſſe Deum, quippe qui Filium non cognoſcerent, *tuli probrum, texit ignominia faciem meam.* verſ. 8.

Ignominiam hanc in ſpecie oſtendit in *averſatione fratrum*, etiam illorum, qui & propinqui ſanguine, aut fratres ſecundùm carnem erant, ut omnes Iſraëlitæ, qui in ipſo ſcandalizabantur, ne Apoſtolis quidem exceptis, qui fugerunt, inque iis Petrus ipſum abnegavit. Hic locus oſtendit, eum ab omnibus deſertum & fratribus quoque ſuis abominationi futurum, ℣. 9. In irriſione & damnatione actuum ſuorum, nimirum 1. zeli gloriæ Dei. *Nam zelus domûs tuæ comedit me, & convicia blaſphemantium ceciderunt in me*, ℣. 10. Citatur Joh. 2: 17. q. d. Dolui ex animo violatione & profanatione domûs tuæ; quod inſignibus quibuſdam actibus patuit, ſed illi tantùm abeſt, ut à profanatione ac blaſphemiis ſuis ceſſarent, ut blaſphemias etiam in me evomerent iidem, qui te blaſphemant. 2. compaſſionis. *Et flevi, in jejunio fuit anima mea.* Eſurivi, ſitivi, ambulavi in æſtu, in frigore, denique non habui, ubi caput reponerem; & hoc *fuit mihi in opprobria.* ℣. 11. 3. humilitatis. *Et feci indumentum meum ſaccum, & factus ſum ipſis parabola*, exemplum hominis, ut mali, ita & miſeri, verſ. 12. 4. fiduciæ in Deum & deſiderii gratiæ. *Colloquuntur de me ſedentes in porta, & cantilenæ eorum, qui bibunt ſiceram*, de me ſunt, verſ. 13. *Atqui ego, oratio mea ad te, Jehova.* Ego Jehovæ, qui eſt Deus, offero ſupplicationes & interceſſiones pro ſalute hominum, ut ipſis peccata condonentur, *tempore gratiæ*, id eſt, eo tempore, quod tu deſtinaſti, ut peccatâ hominum expiares per victimam corporis mei, verſ. 13. Chriſtus ipſe hanc horam deſignavit, Joh. 12: 27. 31. Sic Luc. 22: 53.

2. In ſpecie Chriſtus orat

2 (a.) ut Deus exaudiat interceſſionem ſuam. *In amplitudine gratiæ tuæ*, ſive æternæ dilectionis, quâ me dilexiſti, ut caput, & homines ſalvandos, ut membra, *reſponde mihi, per veritatem* ſive promiſſionem veraciſſimam, nempe *ſalutis tuæ* mihi & membris meis præſtandæ, tum in verbo, tum ab æterno in conſilio Trinitatis definitam, verſ. 14.

(b.) ut ſe eripiat ex malis circumſtantibus, nimirum ex peccatorum obſtrictione, hoſtium poteſtate, reatûs magnitudine, iræ & maledictionis ſeveritate, mortis dominatu, ſepulchri incluſione. Hæc metaphoricè, verſ. 15. 16. ut ſuprà.

Petitioni adduntur rationes 1. ab amore & miſericordia Dei. *Reſponde mihi, ô Jehova, quia bona eſt gratia tua*; (maximum enim bonum deſtinaſti voluntate & conſilio tuo) *ſecundùm amplitudinem miſerationum tuarum* (hoc eſt τὸ ἔλεος τὸ πολὺ, hæc δόξα τῆς χάριτος, *gloria* ſive præcellentia gratiæ.) *reſpice ad me*, ℣. 17. 2. à ſua obedientia. *Ne occultes faciem tuam à ſervo tuo.* (Chriſtus eſt ſervus Dei κατ' ἐξοχὴν, de quo Pſ. 16: 1.) 3. à ſtatu ſuo & ſumma triſtitia. *Nam arctum eſt mihi*, oſtende igitur mihi faciem tuam, ut recreer. *Properè reſponde mihi.* Intereſt enim ovium mearum, ut mox à morte reſurgam, nec videam corruptionem, ut, me viſo, ex triſtitia ſua & arcto recreentur. verſ. 18. 4. à conjunctione. *Accede ad animam meam, aſſere illam*, tanquam propinquus, tanquam animam Filii

Filii tui. Conſideratur hîc anima Filii, ut ponens אשם, ſatisfactionem pro reatu. Quâ poſitâ, pleniſſimum jus eſt Deo eam aſſerendi & à poteſtate tenebrarum ſolvendi per potentiam. 5. à fine liberationis, ut hoſtibus rependat, & dominium Satanæ deſtruat. *Propter inimicos meos redime me*, libera me ex poteſtate Satanæ propter ſolutum pretium. ℣. 19.

(c.) Tertia petitio ſpecialis eſt, ut puniat hoſtes. Juſtas pœnæ ſumendæ cauſas exponit

(α.) probri magnitudinem. *Tu noſti probrum meum, & pudorem meum* &c. id eſt, Tu noſti, quomodo Diabolus alios incitârit ad me conviciandum, alios ad me tradendum, alios ad me deſerendum, & abnegandum quoque, quæ mihi cauſa pudoris.

(β.) hoſtium copiam & in Deum furorem. *Coram* (vel *contra*) *te ſunt omnes hoſtes mei.* Noſti, quanta ſit ipſorum, qui impugnant me, & copia & malitia, ℣. 20. Malitiam oſtendit irriſione ſui in paſſione. *Probrum fregerat cor meum*, id eſt, contriſtaverat me ad mortem, & *infirmabar* traditus ad mortem, affixus cruci, & *exſpectabam*, ſive talis meus erat ſtatus, ut, qui ullam fibram humanitatis haberet, *complorare* vel etiam *conſolari* deberet. Sed ne comploratio quidem mihi obtigit, quod & judicis & ipſius carnificis, multo magis ſpectatorum erat, caſum humanitatis miſerari, illachrymari, ſaltem ingemiſcere. Atqui inſuper inſultarunt atque illuſerunt mihi afflicto, non tantùm verbo, ſed & facto. Nam quum mihi aliquid confirmandi mei & doloris minuendi cauſâ offerre deberent, obtulerunt, quod & guſtu amariſſimum & menti externandæ eſſet. Itaque *dederunt in cibo meo*, (vel *refectione mea*) *venenum*, amariſſimum aliquid, & *in ſiti mea potarunt me aceto.* Vinum mixtum myrrhâ vel thure. verſ. 22.

Pœnas deſcribit

(α.) illaqueationem. *Fiat ipſis menſa illorum in laqueum, & in univerſum* (vel *in retributionem*, ut LXX εἰς ἀνταπόδοσιν, & Paulus Rom. 11: 9. Εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς. vel *uſque ad pacificatoria*, ut & ל ſit incluſivum, & שלומים pro שלמים *pacificatoria* ſacrificia) *in decipulam.* Altare *menſam Dei* vocat Scriptura, Mal. 1: 10. 12. Sed poſtquam Deus reprobavit hunc cultum, *menſa hominum* vocatur. Sententia igitur Chriſti in Judæos prima eſt, ut, quemadmodum ipſi guſtandum dederunt in refectione venenum, & in ſiti dederunt acetum, ita viciſſim altare illorum, ex quo edebant, ut venirent in communionem illius, & Dei, cui victimæ offerebantur, ipſis ſit in noxam; & libamina illorum, quæ affundebant ſacrificiis, Num. 15: 5. 7. 9. vinumque ſacrum, quod benedicebant in epulis, ipſis in contrarium cedat. Nempe Lex Moſis & ceremoniæ, quas adamabant, ipſis ceſſerunt in obſtrictionem peccati, ut in peccatis ſuis perſeverarent, & ſacrificiis tanquam rebus per ſe ſalutaribus adhæreſcerent, verſ. 23.

(β.) cœcitatem ſpiritualem. *Tenebrentur oculi ipſorum, ne videant* veram juſtitiam, ſalutem, ſapientiam. verſ. 24.

(γ.) confuſionem virium. *Et lumbos illorum fac vacillare.* Imple eos terrore, deſperatione, puſillanimitate, debilitate, ut coram iis, quibus ſe opponunt, conſiſtere non poſſint, vel non audeant iis ſe opponere, quibus ſerviunt. Veritas hujus judicii ſatis in Judæis ſpectata eſt, & ſpectatur adhuc. verſ. 24.

(δ.) cladem. *Effunde in illos ſeveritatem tuam, & æſtus iræ tuæ aſſequatur ipſos.* Qui καιρῷ δεκτῷ non agnoverunt gratiam, in eos ira effunditur. Ubi autem ira *effunditur*, omnis illa prærogativa externa aboletur ac tollitur. verſ. 25.

(ε.) de-

(ε.) destructionem templi, & deportationem. *Sit palatium ipsorum desolatum, & in tentoriis ipsorum ne sit habitans.* Collectivè intelliguntur arces, castella, tum inprimis urbs Hierusalem, denique structura illa magnificentissima templi. Exilium notatur p. a. vers. 26. Sed insuper notatur, ipsos non accipere hæreditatem mundi.

4 (ζ.) indurationem & profectum in peccatis. Huic pœnæ præmittitur nova culpa. *Quia, tu quos percussisti, persecuti sunt, & juxta* vel *ad* (ϖϑς) *dolorem exanimatorum tuorum narrant*, id est, quia Christianos afflictos in cruce, castigatos à Deo & ipsius causâ exanimatos persecuti sunt, & blasphemant eos, taliaque de ipsis & de Christo narrarunt falsò, quæ poterant dolorem ipsis creare, (nam omnia mendacia, quibus Christiani inter gentiles gravati fuerunt, à Judæis ortum ha-
5 buerunt.) vers. 27. *Da peccatum ad peccatum illorum*, ideò trude illos ab uno peccato in aliud, ut, qui Christum rejecerunt, libertatem, gentem, urbem & templum adamantes, falsos Christos sequantur, & cum illis multæ myriades pereant. Qualis fuit Barcocheba sub Adriano, & Moses Cretensis. vers. 28.

(η.) Rejectionem à justitia fidei. *Et non veniant ad justitiam tuam.* vers. 28. Conf. Rom. 9: 31. 32. & 10: 3. Obfirmati maximè sunt in doctrina, quæ cum justitia Euangelii pugnat, per suum Thalmud. Neque parum ad ipsorum indurationem fecit, quòd apud ipsos Christianos, inprimis sub Papatu, doctrina de justificatione corrupta est.

(θ.) Exclusionem ab Ecclesia & sorte sanctorum. *Deleantur ex libro viventium*, in quem se professione suâ *manu suâ scribunt*, (Es. 44: 5.) quique in fœdus externo sacramento recepti sunt, atque ita visi sunt inscripti in librum vitæ sive catalogum salvandorum. *Deleantur* ergo, id est, separentur increduli ab omnibus tribubus Israëlis, auferantur omnia illa, quæ Judæi præ reliquis populis obtinent privilegia, ipsaque adeo vocatio Euangelica, & sacramenta fœderis; *& cum justis ne scribantur*, id est, porta fidei ipsis maneat occlusa, postquam à justitia Dei aberraverunt, & privilegiis civium regni Dei sive vocatorum exciderunt, atque adeo ne ipsi quidem manum suam cum justis scribant, sed se justorum hostes declarent. Conf. Ezech. 13: 9. vers. 29.

2 (d.) Quarta petitio est, ut triumphet. *Ego autem inops & doloribus excarnificatus*: *Salus tua*, id est, redemtio per me facta, tuo dono & tuâ gratiâ, *sublimet me*, faciat me compotem vitæ, gloriæ, regni, hæreditatis, vers. 30. Suadetur
3 petitio à fine, nimirum gloriâ Dei vero cultu illustrandâ. *Celebrabo nomen Dei carmine, & magnificabo illud confessione.* vers. 31. *Idque placebit Jehovæ præ bove, juvenco cornuto ungulas habente.* vers. 32. Facilè intelligitur, Psalten cultum Novi Testamenti, qui post partam salutem non est nisi confessio & magnificatio nominis Dei, opponere cultui Veteris Testamenti.

II. Glorificatio. Ea habet

3 1. Excitationem lætitiæ, spei & fiduciæ fidelium. *Viderunt mansueti, lætentur: curantes Deum, & vivat cor vestrum.* vers. 33. *Quia attendit ad pauperes Jehova; & vinctos suos non spernit.* vers. 34. *Viderunt* scilicet exaltationem Christi, pignus & arrhabonem spei suæ. Inde *lætantur & vivit cor eorum*, id est, fiduciæ & omnis alacritatis sunt plenissimi, adversus omnem tristitiam & tentationem omnis
§ 4 afflictionis confirmati. Quia scilicet Deus *attendit ad pauperes suos*, ut sufficiant ipsis omnia necessaria, & *vinctos suos*, id est, suâ causâ, *non aspernatur*, sed animam eorum à morte liberat.

2. Exci

2. Excitationem ſtudii celebrandi Dei. *Celebrent cœli*, angeli & beati ſpiri- 9
tus, *& terra*, populus Iſraëliticus, (is, qui pertinet ad κατάλειμμα) & quicunque
externè vocatur populus Dei, *maria*, id eſt, mundus gentilis, *& quicquid*, Spi-
ritu Dei agitatum, *ſe movet in mundo.* verſ. 35. *Nam Deus ſalvabit Sionem*, *&*
ædificabit urbes Judæ, *& habitabunt ibi & hæreditabunt eam.* verſ. 36. *Et ſemen ſer-*
vorum ejus poſſidebunt eam, *& diligentes nomen ejus habitabunt in ea*, verſ. 37. Hæc
eſt ratio, ob quam omnia maxima, minima, Dei opera ipſum ſint celebratura;
nempe conſervationem, benedictionem, amplificationem, victoriam Eccleſiæ.
Hæc enim bona faciunt, ut montes, colles, arbores, animalia, ſumma, in-
fima videantur Deum concelebrare. Eccleſia ſive multitudo Deum confitentium
vocatur *Tſijon*, ut mater, quia egreſſa eſt Tſijone, & συμπολῖται eſt beatorum, qui
in Tſijone habitarunt, & *urbes Judæ*, id eſt, Eccleſiæ particulares in mundo, ut
filiæ; & *ſemen ſervorum Dei* Abrahami, Iſaaci & Jacobi, ſecundùm generationem
ſpiritualem, *& diligentes nomen Dei.* Circa Eccleſiam beneficium Dei primum
eſt; *ſalvatio* per efficaciam lytri *ex regno* Satanæ, ex omni tentatione, ut *ex ſer-* 3.6
vitute & captivitate Antichriſti. 2. *ædificatio urbium* deſtructarum, id eſt, Ec- 7
cleſiarum particularium diſſipatarum ac deſtructarum inſtauratio. 3. *Habitatio*, 8
οἴκησις, & quidem *hæreditario jure*, ut juſtorum hæredum, allophylis excluſis,
& perpetuò.

PSALMUS LXX.

QUæ Pſ. 40. verſ. 14. & ſeqq. erat oratio Chriſti, hic eſt fidelium patientium. Petunt autem *liberationem* & *auxilium* ad pudorem & confuſionem, &, ſi pote, *converſionem hoſtium*; ad lætitiam eorum, qui quærunt Deum; idque propter afflictiſſimum ſtatum tentatorum, Deique fœdus, & fiduciam eorum in ipſo.

PSALMUS LXXI.

DAvid hic petit continuationem gratiæ Dei erga ſe in ſenectute: & pro illa ſibi conceſſa gratias agit. Convenit autem Eccleſiæ Chriſti, ſeneſcenti aliquatenus in finibus ſæculorum. Partes ſunt:

A. Petitio generalis & indefinita opis promtæ in omni adverſitate, verſ. 1. 2. 3. Ubi hi articuli obſervandi.

1. *Ad te, Jehova, recipio me: ne pudefiam unquam.* verſ. 1. Hæc petitio ejus temporis eſt maximè, quum Deus apparuit in carne, iſque dixit, *Venite ad me.*

Quum autem *juſtitia Dei* manifeſtata fuiſſet, ſive id in re & corpore ipſo propoſitum fuiſſet, ſine quo homini non eſt jus accedendi ad Deum, is ſtatus fidelium fuit, ut luctarentur cum eis, qui ipſis jugum legis imponebant, & propterea affligebant. Eorum fuit jam tum petere, ut *eriperentur* & liberarentur à principibus hujus ſæculi. Liberavit autem Deus Eccleſiam ab eo dominatu, & eripuit eam, quum gentes ad fideles adjunxit, eiſque dedit Spiritum ſuum in præputio, neque ad ceremonias legis obligavit. Hoc enim quum factum eſt, Eccleſia habuit receptum apud gentes, quæ cum Judæis non miſcebantur. ℣. 2.

3. Quumq; paulo poſt delenda eſſet Hieroſolyma, & populus ejus occidione occidendus, Chriſtianorum fuit petere, ut *evaſio* ſibi præſtaretur ex ſtrage. Servator hoc

fine prædixit futuram fuisse κολόβωσιν *mutilationem* sive exsectionem eorum dierum, quibus Hierosolyma erat exscindenda, Matth. 24 : 22. Erant ei rei statuti certi dies, nempe anni tres, Es. 16 : 13. sed ii interrupti sunt, anno interposito, à morte Neronis ad confirmatum imperium Vespasiani, quum Titus obsidionem urbis instauravit, ut daretur evasio. ℣. 2.

4. Evaserat Ecclesia excidium gentis Judaïcæ, nec tamen evasit omne periculum & omnem miseriam. Neque tamen putandum est, fideles magis incolumitatem in hac vita, quàm conservationem sui in tentatione petivisse, verbis: *Inclina ad me aurem tuam & salva me*, ℣. 2.

5. Petit porro, ut *sibi sit in rupem commorationis ad accedendum semper*, id est, nolit se depellere unquam à securitate & tranquillitate animi in Deo, ut, quotiescunque tentetur, Deus ipsam sustineat, *qui promiserit* sive edixerit in verbo suo *ipsam salvare, quia petra sua & arx sua ipse sit*, extra quem neque stare contra hostes, nec eos debellare possit, ℣. 3.

6. Ecclesiæ post alia pericula, tentationes, probationes res est cum *Improbo, injustè agente & rapiente*, qui scilicet *manum* injicit Ecclesiæ, eamque conatur redigere in potestatem suam, non sine adjumento multorum Improborum, & animas pabulo suo fraudat, injusta docendo, & vexat, expellit & interficit eos, qui verbum Dei non relinquunt. ℣. 4.

Hinc orat Ecclesia, ut ex manu ipsius sibi detur *evadere*: nempe, ut nec ei subjiciatur, nec ejus violentiæ obnoxius sit, & ut liberetur ab ipsius & sectæ ejus communione externa sive commixtione. ibid.

Suadetur petitio

1 (a.) à cultu & prosperitate juventutis. *Nam tu es exspectatio mea à pueritia mea*, quum adhuc essem constituta in puerilitate mea, & necdum pervenissem ad sapientiam adultorum, non exspectavi regnum humanum & civitatem terrestrem, vel alium sacerdotem, regem, prophetam. Solum exspectavi adventum Christi ad subjiciendum Ecclesiæ omnia. *Securitas mea*, propter quem non metuo. ℣. 5.

2 *Tibi innixus fui ab utero*, Tibi animam meam commisi, ut Prophetæ, Sacerdoti & Regi, non sapientiâ meâ aut justitiâ fretus sum; non humanum nomen secutus sum. Apostoli non prædicarunt se ipsos, sed Christum. *Ab utero matris meæ tu es motus meus*. Ex quo nata est Ecclesia Novi Testamenti, non habuit alium motorem, nisi Spiritum Sanctum. Ii autem habent motorem Spiritum Sanctum, qui in bona conscie ntia secundùm verbum Dei student loqui & agere. *In te*, non

3 in carne, *gloriatio mea fuit semper*, vers. 6. *Ut prodigium extiti multis*. Nam 1. credere in crucifixum est stultitia coram oculis hominum. 2. in me virtus Spiritûs Sancti demonstrata est ad omnium stuporem, tum in honestate conver-

4 sationis, tum in patientia crucis. *Et tu eras receptus meus robustus* & inexpugnabilis. Te profitebar eum, ad quem confugerem, neque passus es me vinci & dejici, & Diabolum de me triumphare. vers. 7. Idcirco *implebatur os meum celebra-*

5 *tione tui, toto die decore tuo*. Tuum nomen, tuas laudes & virtutes prædicabam; idque pleno ore, ut nihil reticerem, & ut nulla tempora distinguerem, sed totum tempus, diem salutis & quietis, narrandis laudibus tuis impenderem. Ita veteres Christiani in Sabbati quiete observarunt significari sanctificationem *totius diei*, id est, & omnis & totius temporis, nullo dierum discrimine, ℣. 8.

6 (b.) à debilitate senectutis. *Ne abjicias me*, ut vas inutile, *ad tempus senectutis*; *quum deficit vis mea, ne deseras me*, aut relinquas Bestiæ conculcandam. Nempe, quando

quando abundat defectio & refrigeſcit charitas multorum, quum parva eſt ſcientia in Eccleſia, quum tenebræ magnæ, quum zizania agrum obſident, quum triticum à zizaniis vix poteſt diſcerni, quum Beſtia vincit Sanctos, quum pauci apparent fideles, tum *deficiunt vires*, hoc eſt *ſenium* Eccleſiæ. Non quòd nulla vis ſit in Eccleſia, ſed quòd non tanta. Languet ſcilicet dedita ſuis ratiocinationibus, adeòque nauſeans, cùm offertur cibus firmus ex Scriptura. verſ. 9.

(c.) ab inſidiis hoſtium, cum blaſphemiâ nominis Dei: quaſi *Deus deſeruiſſet Eccleſiam*, id eſt, quaſi ſinguli fideles non haberent Spiritum; qui eos per verbum publicè expoſitum doceret, ſed is Spiritus apud Papam & Concilium reſideret, qui ipſis privatim docenda revelet, atque Deus non adſit fidelibus, quos tanquam impios perſequuntur, quum ſint innocentes. Id hoſtes ſuos *unà conſilium inſtituentes*, hoc eſt, in Concilio, *dixiſſe*, definiviſſe ac determinaſſe pariter & communi conſenſu. Igitur Eccleſia ad Dei ſufficientiam & fœdus ipſius appellat, quum dicit, *Deus, Deus mi.* Cùmque ſit *Deus*, *ne elongetur*; cùm ſit *Deus ſuus*, *ad auxilium ſuum feſtinet*, juxta promiſſionem ſuam, verſ. 10. 11. 12.

Pudefiant ex fruſtratione, quòd non poſſint Eccleſiam exſcindere, & *conficiantur*, conſumantur, infeſtantes animam ſuam; *induant probrum*, ut derideantur & exagitentur palam, *& ignominiam*, ut ſe non audeant oſtentare, *quærentes animam ſuam*. verſ. 13. Ad *opprobrium* pertinet, quòd judicantur in mundo pro deſertoribus fœderis, regni Dei & Chriſti. Conf. Apoc. 9: 1.

(d.) à ſpe ſua & propoſito gratitudinis. *Sed ego ſemper ſperabo*, horam à te præſtitutam, *& addam ad omnem celebrationem tui*. verſ. 14. Scilicet *os meum narrabit* & exponet *juſtitiam tuam*, quam das Eccleſiæ, *toto die ſalvationem tuam*, rebus ipſis demonſtratam. *Nam non novi fabulas*, vel *narrationes* ut myſteriorum revelatorum de rebus non ad oculum patefactis. *Veniam*, *memorabo*, ſive aggrediar & pergam memorare in poſterum, *in præpotentia Dei juſtitiam tuam ſolius*, non alterius, non meam, non ullius hominis. ℣. 14. 15. 16. Huc facit, quòd petat continuari illuminationem & inſtitutionem Dei in Eccleſia, verſ. 17. neque, poſtquam *ad ſenectutem & canitiem* perducta ſit, (vid. ſup. v. 9) *deſerat ipſam*, *donec indicet brachium Dei ævo*, ſive omni hominum propagini, ubicunque futura ſit, *omni venienti præpotentiam ejus* in conſervanda Eccleſia, ac edomandis hoſtibus, ℣. 18.

Poſtquam *vidiſſet* Eccleſia *anguſtias magnas & malas*, & *in abyſſos terræ*, ſive in 7
infernum deſcendiſſet, quatenus per communia quædam verba commixta erat cum adoratoribus Beſtiæ, *iterum vivificatur*, *& educitur ex abyſſis terræ*, ſive, ut ſuprà oraverat, liberatur ex manu Improbi injuſta præcipientis, agentis & judicantis, & violentiam exercentis, id eſt, ſeparatur à communione eorum, qui juſtitiam Dei impugnant. quæ ſeparatio eſt revera *eductio* divina, quia facta eſt abſque culpa Eccleſiæ, operâ eorum, qui eam damnarunt. ℣. 20.

Juſtitiæ Dei in ſublime evectæ, *qui fecerit magna*, miſerit Filium in carne, qui mortuus ſit & reſurrexerit, tribuitur hoc Dei beneficium, quia revera omnis benedictio Eccleſiæ contingit propter Chriſtum, cui fide agglutinata eſt, ℣. 19.

Deus *majorem facit magnitudinem Eccleſiæ*, verſ. 21. Habuit Eccleſia oppu- 8
gnata auxilium, accepit pacem, Eſ. 57: 19. aucta eſt opibus, ſtetit in hoſtium impugnatione, iique tandem coacti ſunt pacem ab ea petere.

Denique etiam *porro procedens* & quidem ſubitò ac celeriter *conſolatur eam*; pro 9
omni anguſtia, moleſtia, dolore, luctu rependendo lætitiam, & hoſtibus tribulationem, verſ. 21.

10 Eccleſia *confitetur Deum inſtrumento nablii*, actibus concinnis, patientiâ malorum, quoad *veritatem ejus*, veritatem nempe ſponſionis & promiſſionis fœderalis; *pſallit ſancto Iſraëlis citharâ*, id eſt, omni arte, ingenio, ſtudio, cum ſymphonia fraternæ concordiæ celebrat eum, quem ſanctificat Iſraël, & qui ſanctificat Iſraëlem, verſ. 22. *Labia ipſius reſonant* palam, *& anima, quam redemit*, ut nemine impediente ei liceat colere ac celebrare Deum, ℣. 23. *Etiam linguâ ſuâ*, articulatè, diſtinctè, ad perceptionem audientium, *omni die*, ſine intermiſſione, *meditatur juſtitiam Dei*. Ratio: *Quia pudefacti & confuſi ſunt quærentes malum ſuum.*

Hæc annunciare & glorificare ſecundùm Scripturas, & pro iis beneficiis gratias agere, eſt officium Eccleſiæ liberatæ, in quo occupata erit uſque ad noviſſimum diem.

PSALMUS LXXII.

EST oratio deſiderantis regnum Dei in Chriſto. Eſt hic
A. Petitio verſ. 1. *O Deus, judicia tua*, quale eſt inprimis illud judicium,
quo damnatur peccatum accuſans peccatorem, (Rom. 8: 3) quo damnatur falſa
juſtitia, & impotentia creaturæ demonſtratur ad gloriandum de procurata juſtitia,
(Col. 2: 15.) quo princeps mundi judicatur, ut cogatur regno ſuo decedere,
(Joh. 16: 11.) quo ſeparantur inobedientes ab omnibus tribubus Iſraëlis, & ſeparati
puniuntur, (Deut. 29: 21.) &c. qualia judicia à nullo non-Deo poſſunt adminiſtrari;
Regi (antonomaſticè, id eſt, Chriſto vero Deo, adeoque & Regi)
da, *& juſtitiam tuam*, id eſt, illud donum, quod Teſtamento præparaſti filiis
tuis, cor aſperſum à mala conſcientia, corpus lotum aquâ mundâ, libertatem
accedendi ad Deum, abolitionem jugi & ſervitutis, jus regni, *filio* Dei veri *Re-*
1 *gis*, id eſt, da ei poteſtatem juſtificandi populum ſuum. Involvitur huic petitio
adventûs Filii Dei in carne.

B. Illuſtratio regni Chriſti, continens cauſam voti, quare ſancti cupiant videre
dies regis Chriſti.

2 I. à virtutibus regis, ſive à rectitudine adminiſtrationis regni, quòd 1. *populum
Dei*, id eſt, electos, *ſit judicaturus*, ſive defenſurus, tanquam advocatus, in-
terceſſione ſuâ, quæ ſit fundata *in juſtitia* ſive δικαιώματι τοῦ νόμου, quia pote-
rit dicere, redime illos ex fovea, inveni enim lytron: item quòd *inopes Dei*,
exhauſtos famê & ſiti juſtitiæ, deſtitutos viribus iiſque non fretos, ſed eas
abnegantes, *cum judicio*, ut faciat eos potiri eo ſtatu, qui ipſis conveniat, ni-
mirum quiete poſt longam exſpectationem. verſ. 2. Quòd 2. pacem ſit concilia-
3 turus inter *montes* ſive gentes, & *colles* ſive τὰ ἀλλόφυλα, *cum* vel *in juſtitia*,
quâ donabuntur à Chriſto, idque *populo*, hoc eſt, in bonum populi, electi ſci-
licet in hæreditatem. verſ. 3. Poteſt hic intelligi interfectio inimicitiæ, rupto in-
tergerino pariete, vel etiam pax externa inter Judæos & Romanos, de qua eſt
Dan. 9: 27, vel denique pax cum Deo, ne ſcilicet ampliùs ſit ulla accuſatio pec-
4 cati, vel ira. 3. quòd juſtè inter *inopes & filios pauperis* ſive pauperes, *& frau-
datorem*, eum nempe, qui inopibus & pauperibus jus ſuum adimit, nempe no-
men fratrum, conſolationem de juſtitia, libertatem &c. ſit diſtincturus, illos
judicando, ſive jus illorum aſſerendo contra hoſce, & *ſervando* ab omni malo;
hoſce verò *conterendo*, illorum animi contentionem & ferociam imminuendo,
5 enervando. verſ. 4. Quòd 4. effecturus ſit, ut *cum Sole & coram Luna*, *ſæculum
ſæculorum*, id eſt, quamdiu ſtabit hic mundus, ejuſque ordo, *timeant Deum*,
(im-

(impersonaliter.) homines, propter talia beneficia & judicia regis, adeoque nunquam timentes Deum deficiant. verf. 5. Quòd 5. continuo gratiæ flumine 6
mundum fit facturus frugiferum, & in malis clementer consolaturus: *Descendet* aliquid nimirum arcana gratia Spiritûs Sancti, *tanquam pluvia in defectum gramen*, ut recrefcat fcilicet & præ æftu non retorrefcat, & *ficut pfecades irrigatio terræ*, ut terram fœcundent & frugiferam faciant, ℣. 6. Quòd tandem 6. fub ipfo florebunt 7
jufti in pace, ita ut, quamvis ad tempus videatur Beftia regnare, & fanctos opprimere, nunquam tamen vera Ecclefia exftirpetur, fed novis etiam femper donis ac gratiis novifque incrementis eniteat, & ex omnibus anguftiis emergat, & fructus per fubminiftrationem gratiæ divinæ producat, & paulatim ei omnes hoftes fubjiciantur. Hoc ita effertur verf. 7. *Florebit diebus ejus juftus*, & *amplitudo pacis ufque dum non fit Luna*, id eft, ufque dum Deus hoc fæculum cum futuro commutet. Significatur, amplam fore aliquando pacem Ecclefiæ, quæ non interturbetur.

II. à regni amplitudine, quæ gradatim explicatur

1. in terra. *Et dominabitur à mari* rubro *ufquo ad mare* Philiftæorum, (Exod. 23: 31.) *à fluvio* Euphrate, (Exod. l. c. & Deut. 11: 24. & conf. Gen. 15: 17.) *ufque ad terminos terræ*. (Num. 34. terræ, diftribuendæ inter novem Tribus, limes eft verfus Auftrum mare mortuum & torrens Ægypti, ubi oppidum Rhinocorura: Ab Occafu mare magnum: à Borea mons Hor & Chamatha: ab Ortu mare Gennefareth & Jordanes. Apparet, terminos proprios terræ Ifraël diftinguendos effe à terminis Imperii in fumma latitudine.) §7

Significatur hic, quòd Chriftus per Apoftolos fuos, per omnes Tribus, terram forte patribus datam & Imperio eorum affignatam habitantes & implentes, regnum fuum Euangelii prædicatione effet extenfurus. Jam vid. Jofeph. Ant. l. 13. cap. 23. & conf. Act. 2: 5. 9. 10. 11.

2. extra terram, ut *coram ipfo* ceu rege *fe incurvent*, ipfum adorantes, *defertícolæ*, & *inimici ejus*, primò Judæi, deinde reliqui, *pulverem lingant*, in eum proftrati. ℣. 9.

Id in fpecie explicat ℣. 10. 11. *Reges Tarfis* & *infularum* ad Boream & Occidentem, nimirum Ciliciæ five Afiæ minoris, inprimis & Græciæ, quæ imperium in reliquas obtinuit, (vid. Zach. 9: 13.) *munus referent*, q. d. identidem dabunt, five ipfi credant in ipfum, five primitias ex fuis regnis Chrifto curent adduci, & regno ipfius opibus fuis inferviant; *reges Scheba* (is nepos Cufchi, Gen. 10: 7. Illius fedem faciunt Æthiopiam, auri & aromatum feracem, reginis, quibus nomen *Candace*, regnatam.) & *Seba* (filius is Cufchi, Gen. l. c. in Arabia, unde Sabæi, Jef. 43: 3. item 45: 14.) *donum offerent*, ut fuprà. Nec tantùm: Sed & *adorabunt eum omnes reges*; *omnes gentes fervient ipfi*.

III. à bono fubditorum eorum, qui propriè funt fui. verf. 12. 13. 14. 15. 16. Hicque explicatur, quibus modis & mediis Chriftus perventurus fit ad illud regnum univerfale, & quibus motivis gentes ad Chriftum fint adducendæ. Eftque in his paucis verfibus comprehenfio ftatûs Ecclefiæ in hoc mundo, in diverfis tentationibus & bonis, quæ in prophetia identidem revolvuntur.

Namque 1. per fe imbecillis eft, *egena*, *inops*, *auxiliis deftituta*, & contrà Diaboli regnum floret ac validum eft in mundo. 2. Etiam mundus illam perfequitur. verf. 12. 13.

In hoc ftatu conftituta *implorat* Deum, ifque eam *eripit*, *miferatur*, & *animas eorum falvat* confolando. ibid.

 3. Hy-

3. Hypocritæ & hæretici partim *fallaciâ* circumveniunt, loquentes blanda & blandis verbis, id est, verbis, quibus Christum Salvatorem profitentur, temeraria dicta miscentes; partim vi & tyrannide opprimunt illam. Et hæc omnis tentatio usque ad *sanguinem* sæpe proficit. vers. 14. Huc facit vers. 16. init. & f.

Sed & in hoc statu *animas ipsorum* tanquam suas *asserit* & vindicat, quia *preciosus est sanguis ipsorum in oculis ejus*. ibid.

4. Pro passione aliquantula maximis bonis cumulat Ecclesiam. vers. 15. 16. *Et vivet*, convalescet ex morbis, confirmabitur ex languore, consolationem accipiet ex tristitia. Insuper verò liberatum ditabit non tam terrestribus bonis, (quanquam & sint inter eos, qui nomen Christo dederunt, qui *auro Sabæo* locupletantur.) quàm 1. ut eum participem faciat rerum optimarum & pretiosissimarum, quæ per *aurum Sabæum* hieroglyphicè denotantur. Eæ verò res quales sint, vide Es. 33: 6. 2. ut *pro eo oret* ac intercedat, & postulet ei justitiam & vitam. 3. ut *toto die* vel *omni die benedicat ipsi*, ut quotidie crescat copiâ & abundantiâ. vers. 15. Adeo ut pro eo, quòd *pugillus frumenti fuerit* sive devenerit *in terram*, id est, pauci fideles ceciderint & oppressi sint *in capite montium*; eo gloriosior & abundantior sit futura conversio multorum: quod ita effertur: *Strepet tanquam Libani fructus ejus: & efflorescent ex urbe* (sive Ecclesiâ, separatâ à communione infidelium, habente ea ministeria, quæ ad ædificationem sunt, quæ appellatur alicubi *civitas sancta.*) *ut herba terræ*, vers. 16. *Efflorescent*, id est, conspicui fient donis, zelo, labore, studio charitatis, luce veritatis, patientiâ afflictionum. Potest etiam hic intelligi *urbs* sive civitas magna, quæ mysticè vocatur Babylon. *Florent* igitur *ex ea urbe*, id est, οἱ ἔκλεκτοι in ea manifesti fiunt.

IV. à gloria ipsius perpetua & ubique explicata. vers. 17. Quatuor verò diversa, pertinentia ad gloriam regis, hîc explicantur:

1. quòd *nomen ipsius erit in sæculum*, id est, quòd nullus præter ipsum aut post ipsum nominabitur caput & rex Ecclesiæ.

2. quòd *coram sole*, id est, quamdiu stabit hic mundus, *propagabitur nomen ejus*, id est, erunt, qui nominabuntur de nomine ipsius, usque ad finem sæculi. Si secundùm Hebræos Veteres ינון sit nomen proprium, erit: *Ante solem Filius* vel *Generatus est nomen ejus*. Atque ita ostenditur æternitas Filii.

3. quòd filii ipsius *sibi in ipso*, ut auctore salutis, *benedicent*. Explicat vim phraseως Esaias c. 65: 16.

4. quòd non tantùm gens Judaïca, sed *omnes* sine discrimine *gentes* agnoscent id nomen, & *beatum prædicabunt illum*, dicendo scilicet: Beatus, qui confugit ad illum, ex Psal. 2: 12.

Formula *benedictionis* sequitur vers. 18. 19. p. p. *Benedictus Jehova Deus*, cujus est adjuratio ad glorificandum ipsum; *Deus Israëlis*, qui nominatim Israëlem dignatus est alloquio, eumque adjuravit, ut sibi crederet salvanti ipsum; *faciens mirabilia solus*, illa scilicet, quæ excedunt omnem cogitationem humanam. Quale inprimis est *dare judicia regi* &c. *Et benedictum sit nomen gloriosum ejus in sæculum*, id scilicet nomen, quod est supra omne nomen, in quo genua flectant & jurent omnes. Id *nomen* explicatum est in verbo Euangelii.

Precatio sive votum Ecclesiæ ἐπιλογικόν. *Et impleatur gloriâ ejus tota terra*, id est, præstabili ejus gratiâ & virtute efficiatur, ut omnes ipsum colant & adorent. *Amen & Amen*. Ea vox est approbantis, & notatur sinceritas voti.

Subscriptio Psalmi: *Absolutæ sunt orationes Davidis, filii Isai*. Significat David

vid auctor Pſalmi, hoc Pſalmo ſummam omnium votorum & orationum ſuarum contineri.

PSALMUS LXXIII.

Continet hic Pſalmus *aſſertionem* beatitudinis illorum, qui Deo adhæreſcunt, per ipſius gratiam, contra fallacem ſpeciem calamitatis fidelium & temporariæ proſperitatis impiorum in hac vita. 1

Convenit hic Pſalmus argumento Pſalmi 37.

Aſaphi eſt, qui fuit Propheta 1 Chron. 25 : 2. Partes ſunt tres:

I. Theſis, ſive Aſſertio bonitatis Dei & felicitatis illorum, qui ipſius ſunt. ℣.1. *Tantùm* & quidem merè & pleniſſimè *bonus eſt Deus Iſraëli*, id eſt, ſaluti eſt Iſraëli, nempe vero Iſraëli, *puris corde*, quorum cor caret dolo, neque eligit facere bonum, ut inſtrumentum cupiditatis, quorum cor purgatum fide, ita ut intellexerint, Deum eſſe bonum peccatori, illamque bonitatem eſurire ac ſitire inceperint.

II. Theſeως vindicatio à ratiociniis carnis, ℣. 2—27. Hîc

1. Periculum ſui lapſûs deſcribit. *At ego! Propemodum declinaſſent pedes mei, tantùm non effuſi ſunt greſſus mei.* Parum aberat, quin abnegarem Deum. verſ. 2. *Quum æmularer inſanos, proſperitatem improborum viderem.* Quum nempe inſanis & improbis, hypocritis ſcilicet, inviderem fortunam & proſperitatem ſuam, tanquam bonam & exoptandam. verſ. 3.

2. Proſperitatem improborum deſcribit

(a.) in carentia malorum. Facilis eſt ipſis mors, vita ſine morbis, ſine ærumnis, ſine plagis. *Non ſunt nodi*, tormenta, cruciatus, *in morte ipſorum*, habent εὐθανασίαν, quam Auguſtus optabat; *& ſana eſt vis eorum*, ℣.4. *in ærumna* ſive *miſeria hominis ipſi non verſantur; & cum hominibus non accipiunt plagas*, verſ. 5.

(b.) in affluentia bonorum externorum corporis & fortunæ. *Propterea*, quia nullam plagam ſentiunt, *torquis inſtar ipſis eſt ſuperbia, amicit mundus violentiæ ipſos.* Eo uſque progrediuntur impunitate, ut & audeant & liceat ipſis publicè efferri & injuriam facere, atque ut hoc decere & convenire videatur. verſ. 6. *Exit præ pinguedine oculus ipſorum*, ſignum animi minimè ſolliciti, abundantis gaudio & lætitiâ, maximè ob ſucceſſum conſiliorum & votorum ſuorum. Inſuper *exceſſerunt imaginationes cordis*, id eſt, ultrà progreſſi ſunt, quàm unquam imaginari potuerunt.

Convenit hic præcipuè ſucceſſum principum in regno Beſtiæ intelligi. Epiſcoporum, ſine verbo Dei loquentium & legibus humanis Eccleſiam ſubjicientium, dominatus quales proceſſiones habuerit, quàm nullis plagis, nullis calamitatibus regnorum imminutus ſit, quin ad ſummum creverit, & manum injecerit ſupremis poteſtatibus, & ſupra vota & cogitationes rebus proſperis affluxerit, & diu duraverit, & quàm latiſſimè ſe extenderit, miraculum eſt. Confer, quæ Daniel habet cap. 7. de parvo cornu, creſcente inter 10 cornua beſtiæ quartæ.

(c.) in fide ſermonis ipſorum apud vulgum. verſ. 8. 9. Vide 1. qualia loquantur? *Tabeſcere faciunt* vel *ſinunt* populum Dei in ſuis erroribus & peccatis, (conf. Zach. 11 : 6.) *& loquuntur cum malo defraudationem.* Docent id quod *malum*

lum eſt, nempe non credere in Deum & præcepta ipſius ſervare, ſed Deum & Chriſtum abnegare; contrà fiduciam in ſe & operibus ſuis & falſis interceſſoribus collocare: ſpe ſatisfactionis, vel indulgentiæ, vel ſacerdotalis abſolutionis docent eos peccare. Deinde *προς defraudationem* committunt, juſtis eripientes, quod ſuum eſt, judicantes ad mortem, qui erant conſolandi; ad vitam, qui erant damnandi. 2. cum quali præſumtione. *Ex alto loquuntur.* Sumentes ſibi ſcilicet auctoritatem & poteſtatem in eos, quibus ſubjecti eſſe debebant, ℣. 8. *Poſuerunt os ſuum in cœlo,* id eſt, aliquem, qui ipſorum decreta cum poteſtate ſanciat, Chriſto & Deo ipſi exæquant. 2 Theſſ. 2: 4. 3. cum qua exiſtimatione. *Lingua ipſorum perambulat terram.* Ipſorum doctrina, omnibus approbantibus, quaquaverſum procedit, ℣. 9.

3. Populi Dei ratiocinationem repræſentat. *Propterea redit populus ejus huc:* ita ſcilicet tabeſcunt in ſuis erroribus & miſeriis, ita deficiunt pii, ita opprimuntur. *Huc.* δεικτικῶς. *& aquæ plenariæ exprimuntur ipſis.* affatim lachrymarum eſt. ℣. 10. *Et dicunt; Qui novit Deus? & eſt ſcientia in Altiſſimo?* In dubium vocatur 1. divina ſcientia. 2. providentia, verſ. 11. 3. promiſſio Euangelica, verſ. 13. & judicium Dei, verſ. 14. verbis: *Certè in vanum purificavi cor meum,* (conf. ℣. 1. ſuprà.) *& lavi in innocentia palmas meas: Et fui plagis affectus omni die, & redargutio mea ad matitunas occurrit.* Piis hæc dicta conveniunt, non quòd ita ſentiant, ſed quòd ea ſit rerum facies, ut in mundo videantur fruſtra credidiſſe, & pro regno Dei laboràſſe & paſſi eſſe fideles.

4. Confutat διαλογισμὸν

(a.) ab abſurdo. *Si dixiſſem,* ſive decreviſſem apud me, *Narrabo* dicta improborum illorum, *velut* quivis alius, id eſt, ſi ſermonem meum illorum auctoritati accommodàſſem, *ecce ingenus omne filiorum tuorum,* tum eorum, qui in cœlis ſunt, quique pro fide & conſtantia mea laborarunt, tum eorum, qui in vivis ſunt, quibus ego conſtantiâ meâ prælucere debeo, *perfidus fuiſſem,* verſ. 15.

(b.) à divina providentia & judicio circa Improbos.

Præmittit, unde id cognoverit, nempe non ex ſuo ratiocinio, ſed ex divina revelatione, ex ſcripturis Propheticis, quæ in ſanctuario Dei, in Eccleſia cuſtodiuntur. ℣. 16. 17.

Deinde conſilium Dei & judicium explicat, verſ. 18. 19. 20. Primò declarat illos minimè ſtabili poſitos loco. *Certè in lubricis ponis illos.* Deinde eorum ſupplicium fore repentinum, & cum multis inopinatis tumultibus & fragoribus terrifi-
2 cis. Id diſtinguit 4 gradibus. 1. *Dejectione* à ſtatu, à throno, ab auctoritate.
3 ℣. 18. Conf. Apoc. 9: 1. 2. *Vaſtitate* rerum, ordiniſque perturbatione, & ca-
4 lamitate totius regiminis Impiorum. 3. *Finitione* (ſcilicet ratione imperii) particulari in pluribus; denique & *conſummatione,* ſive abolitione univerſali, ℣. 19.
5 4. *Aſpernatione imaginis ipſorum,* ſive reliquiarum, ſi quæ ſuperſunt ex ipſis *in civitate* Dei, ſive in ſtatu formato Eccleſiæ eductæ è regno Antichriſti & ſecundùm regulas Chriſti compoſitæ & rectæ, verſ. 20.
1 (c.) à divina cura circa ſuos & præmio in futurum exſpectando. *Quum cor meum in fermento eſſet, & in renibus meis exacuerer,* id eſt, quum in mediis diſceptationibus verſarer, & acerrimè tentarer, verſ. 21. (*Brutus enim eram & non noveram*) *pecudum inſtar,* indocilis, inſipiens, contumax, piger, recalcitrans, *extiti,* me geſſi, *apud te.* verſ. 22. *At tamen ego ſemper tecum eram. Tenebas dexteram meam,* ne declinarem ad aliud fundamentum, verſ. 23. *Conſilio tuo* ſive præcepto,

quo

quo declaras, quæ via ad salutem sit sequenda, tum flexanimâ vi Spiritûs tui Sancti *regis* (vel *reges*) *me*. Præmium: *Et postea in gloriam recipies me*. ℣. 24.

(d.) à gratiæ divinæ, per testimonium fœderale significatæ, soliditate, ℣. 25. 26. *Quis meus in cœlo? & tecum non delector re in terra*, vers. 25. Objicit: *Defecit caro mea & cor meum*, ita contristatus sum. Respondet: *Rupes cordis mei, & pars mea est Deus in sæculum*.

(e.) à judicio in hostes. *Nam*, quòd scilicet Deus sit rupes & pars mea, & non aliorum, inde apparet, quòd *ecce*, *qui longè absunt à Deo*, *peribunt*. Hoc verò ipsum inde probatur, quòd jam Deus *exsciderit omnem*, *qui fornicatur à se*. ut: primum mundum, Sodomam & Gomorrham, Pharaonem, Amorrhæos, reges Ammonitarum, Moabitarum, Syrorum Judæis infensos, decem tribus, Assyrios, Babylonios, Persas, Græcos, Judæos scortantes à Deo & rege suo ceu instar omnium, Romanos idololatras, hosque ipsos Antichristi cultores, ℣. 27. *Me autem* quod attinet, *accessus Dei*, stare me coram tribunali Dei, ut judicet, *mihi est bonum*, vers. 28.

III. Conclusio, quâ affirmat propositum ex thesi confirmata deductum. *Posui in Domino Deo refugium meum*, *ut narrem omnia opera tua*, nempe tam verba, quàm facta secundùm verba tua edita. Hæc narratio opposita est ei, de qua suprà vers. 15. Estque id officium Ecclesiæ ultimi temporis, quo non potest fungi non irascente mundo. Ideo, qui ea narrat, eum oportet solo Deo fretum nihil metuere, vers. 28. 6

PSALMUS LXXIV.

CONvenit Ecclesiæ posterioris temporis, nempe post Solomonis tempora usque ad consummationem sæculi, conquerenti non de una calamitate, sed unam supra aliam afflictionem sui & cultûs publici oppressionem miseranti, juxta illud: Per multas afflictiones ingrediendum esse in regnum cœlorum, hoc est, eò usque procedendum, ut omnes populi ipsi subjiciantur.

Convenit Psalmo præcedenti.

Partes sunt duæ:

A. Oratio Ecclesiæ, ut in causa sua, quatenus subtractio auxilii iram Dei indicat adversus peccata ipsorum. vers. 1—10. Hic 4

I. Propositio, vers. 1. *Quare*, *ô Deus*, *rejicis* à communione bonorum tuorum & sensu benevolentiæ tuæ, *etiam atque etiam? fumat ira tua in gregem pastionis tuæ?*

> Potuit hoc Ecclesia dicere omni tempore, quo fuit sub œconomis & tutoribus. Vid. Es. 54: 7. 8. Potuit etiam Ecclesia dicere temporibus duris, tum sub Veteri, tum sub Novo Testamento, maximè longo illo tempore, quo regnavit Bestia, quod 1260 diebus sive annis descriptum est.

II. Exornatio & inculcatio sive commendatio

1. à communicatione Dei. *Memento cœtûs tui*, *quem emisti olim* precio sanguinis tui, & verbo atque efficacia Spiritûs tui vocasti, tibique comparasti, *quem* semper *asseruisti* tanquam tuum, *virgam hæreditatis tuæ*, ut quis hæreditatem sibi admensam virgâ, & sorte assignatam, asserere solet, nulli eam cedens occupandam: *montis Sion*, quem scilicet exædificasti in regnum, *in quo*, tanquam Rex magnifi- §. 2

 ficen-

ficentissimus, thronum palatiumque tuum haberes, cum gratiosa ostentatione opum tuarum apud ipsos, sicque *ad habitandum consedisti*. ℣. 2.

Hæc potest dicere Ecclesia Christiana ultimi temporis. Non sine labore, hoc est, non sine magnis operibus quoque Israëlitas ad se deduxit, ut in medio ipsorum sermo ejus audiretur. Quo labore sibi paravit jus in eum populum, quem manu apprehensum eduxerat è medio alterius populi, ut nemo alius potuerit sibi in eum arrogare dominium. Eum porro asseruit tanquam hæreditatem sibi per virgam admensam, neque passus est sibi quicquam de ea alienari. Metropolis illius erat mons Sion, in quem Deus habitatum concessit, ut in eo maneret, donec regnum cœleste in eo ordiretur.

2. à malis ab ira Dei profectis, eorumque numero & gravitate. vers. 3—10. *Sustolle vestigia tua*, pedes tuos, *ad vastitates incessanter* tactas, *ad omne, quod læsit hostis in sancto*. Quantum noxæ ediderit hostis in sanctuario, id est, in grege tuo, præsens inspice. vers. 3. Eam noxam explicat. *Rugierunt hostes tui in medio conditi tui*, sive populi illius, cui te præsto futurum promisisti, olim in certo, postea in omni loco. Ibi, inquam, loco invocationis tui, & laudum tuarum auditur rugitus hostium. Illi enim populum tuum redegerunt in potestatem.

De hostibus extraneis in ædes latericias sævientibus hoc non magis, quàm de illis, qui in templo Dei, hoc est, Ecclesia, sedentes eam persequuntur, intelligendum est.

Posuerunt sua signa pro *signis* veris, sua sacramenta pro sacramentis veris, miracula mendacii pro miraculis veris, testibus veritatis, suum caput, dictatorem, interpretem, judicem pro Christo, nationibus in signum proposito, Es. 11:10. Ita totam religionem suis subjecerunt pedibus. vers. 4. Nec tantùm, sed etiam sacrarium Dei tum externum tum internum apertè & palàm demoliuntur, ut si quis palàm nodosam arborem splendenti findat securi, itaque *noscitur*, (impersonaliter, pro noscuntur tales multi.) *tanquam infligens supra caput in perplexum arboris secures*. ℣. 5.

Nota, ex particula *tanquam* apparere, Spiritum Sanctum hic non loqui de destructione rei manu factæ.

Atque adeo cœlaturas ejus, formam novi hominis, *graviter malleo ac tuditibus*, canonibus, legibus, sententiis Ecclesiasticis & Politicis, carceribus, expulsionibus, multationibus, ignibus, gladiis, patibulis, exercitibus, *tundunt*, quemadmodum olim cœlaturæ & ornamenta templi sæpius contusa sunt, quoties aurum detraheretur, ℣. 6.

Corruptioni addunt destructionem

1. Inflammatione. *Miserunt in ignem sanctuarium tuum*, ut olim Nebucadnezar templum combussit; & nostro sæculo inventi, qui ædes sacras à fidelibus conditas incenderint. Ipsi fideles quoties cremati?

2. Profanatione præcipuæ partis. *Ad terram prophanè dejecerunt habitaculum nominis tui*, vers. 7.

3 Combustionis & abolitionis plenariæ conatu: *Dixerunt in corde suo: Opprimamus illos pariter. Cremarunt omnes Synagogas Dei*. ℣. 8.

Antiochus ædem sacram Dei polluit, Synagogas accendit verisimiliter. Et nostro sæculo ædes sacri conventûs fidelium vi pulveris nitrati, quotquot in potestatem venerant, disjectæ. Consilium verò illud opprimendi

mendi omne nomen Reformatorum quibus conveniat, non obſcurum eſt, à quibus non tantùm igne corporali, ſed magis fulmine anathematis, tanquam imbre quodam iræ Dei, ad gehennam amandantur, qui Deum colunt ſecundùm verbum ejus.

His tantis malis accedit defectus ſolatii, & blaſphemia nominis divini. De illo: *Signa noſtra non videmus*, illa nempe, per quæ Deus ſolet inſignem reddere populum ſuum, ut miracula, potentem hoſtium compreſſionem, dona egregia Eccleſiæ collata, quale donum linguarum, donum cognitionis, donum ἀρχῆς κλήσεως &c. inprimis verò ſignum verum & genuinum, quod eſt in confeſſione veritatis & operatione virtutis. Defecit pius, Pſ. 12. 1. Conf. Eſ. 64: 5. 6. *Non eſt amplius propheta*. Paſtores docent, quod ipſi ſomniarunt. *Nemo eſt, qui ſciat, quouſque*. Nemo eſt, qui articulos temporum, & horam viſitationis ſuæ dignoſcat. verſ. 9.

Poſt Zachariam & Malachiam nulli prophetæ extiterunt uſque ad Zachariam, Simonem & Johannem Baptiſtam. Quem defectum prophetarum minatur Ezech. 7: 26. Cum Apoſtolis quoque propheticus ſpiritus ceſſavit. Qui Apoſtolos ſecuti ſunt, neque in ruſpandis prophetiis diligentes ſatis, & in temporum ſignis animadvertendis ſegnes fuerunt. Quo factum, ut temerè multa dicerent & facerent.

De blaſphemia, verſ. 10. *Quouſque, ô Deus, blaſphemabit Hoſtis, ſpernet Inimicus nomen tuum inceſſanter?*

B. Oratio Eccleſiæ, ut in cauſa Dei, ℣. 11—23. Hic eſt

I. Petitio continuationis auxilii. *Quare retrò abducis manum tuam, & dexteram tuam*, & Hoſtem in ſua blaſphemia ſinis pergere? *Ex ſinu tuo plenè educ* brachium tuum ad hominum ſalutem. ℣. 11.

II. Commemoratio effectuum potentiæ, gratiæ & veritatis Dei, oppoſita hoſtium blaſphemiæ. *At Deus eſt rex meus à priſco*, nec ullum unquam, præter 1
ipſum, regem agnovi; *parans ſalutes in medio terræ*, ℣. 12. Quare? *Tu rupiſti vi tuâ* 2
mare rubrum, & id, quod ſimile eſt. *Tu fregiſti capita Draconum*, hoc eſt, dynaſtarum, magnatum, & projeciſti *in aquas*, ℣. 13. *Tu conquaſſaſti capita Balenæ* illius multicipitis, quæ deſcribitur Apoc. 12. *Dediſti illam cibum populo, eremi-* 3
colis. verſ. 14.

Poſtquam imperio Romano ademta poteſtas, ceſſit id prædæ & veluti cibo 1. Chriſtianis. Deinde Sarracenis, barbaris ac deſertivagis. Hæc Dei opera in Eccleſiæ gubernatione nobis æquè non negligenda eſt, ac Pharaonis (qui Balænæ comparatur Ezech. 29: 3.) ſubmerſio Iſraëlitis.

Tu effidiſti ſive findendâ rupe feciſti effluere *rivum & torrentem*. Alluditur ad hi- 2
ſtoriam fiſſæ rupis in deſerto. De cujus myſterio Apoſtolus 1 Cor. 10: 4. Sub eadem figura intelligi poteſt refrigerium Eccleſiæ, profectum à gentibus earumque principibus, quorum corda lapide duriora erant. *Tu exareſeciſti fluvios validos*, non tantùm aquas Jordanis, ſed ſæpe etiam potentiam magnorum regnorum & exercituum, ut Eccleſia ab iis nullum acciperet detrimentum. ℣. 15.

Nec tantùm extant evidentiſſima opera tua in gubernatione Eccleſiæ, quibus arceantur meritò hoſtes ab omni blaſphemia, ſed etiam extant opera communis providentiæ, quâ ipſis etiam hoſtibus benefacis, eoſque ad pœnitentiam allicis. Quippe *tuus eſt dies, & tua eſt nox. Tu conſtituiſti luminare & Solem*, ℣. 16. *Tu*

fixisti omnes terminos terræ: æstatem & hyemem tu formâsti, ℣. 17. Hæcque omnia sine socio & vicario producis & conservas, & Ecclesiam sine vicario non conservares?

Possunt & hæc in metaphora intelligi.

III. Exaggeratio blasphemiæ

1. à malitia & stultitia blasphemantium. *Memento hoc, Inimicus blasphemat Jehovam, & populus stultus contemtim aspernantur nomen tuum*, ℣. 18.

2. ab impotentia Ecclesiæ. *Ne des Bestiæ* (vid. Psal. 68: 11. 31.) *animam turturis tui*, Ecclesiæ tuæ, quæ ratione imbellis animi, itemque ab amore casto & sincero turturis instar habet; *vitam inopum tuorum ne obliviscaris in perpetuum*, vers. 19.

3. à fœdere. *Respice ad fœdus* tuum gratuitum & promissionem hæreditatis mundi. *Nam plenæ sunt tenebræ terræ* sine luce, *mansiones violentiæ* sine charitate & justitia, neque fideles in terra habent quicquam, vers. 20.

4. à fidelium gaudio & laude, jam per afflictionem aliquo modo cessante. *Ne abeat contritus confusus*, in spe fructûs passionum suarum: *inops & egenus laudent nomen tuum*, vers. 21.

IV. Conclusio petitionis. *Surge, Deus, age causam tuam*, (Nam, qui pios oderunt eo solo nomine, quòd veritatem profitentur, Deum oderunt, adeoque Dei & Ecclesiæ hîc eadem est causa.) *recordare probrum tuum à flagitioso toto die*. ℣. 22. *Ne obliviscaris vocem hostium tuorum, tumultum insurgentium tibi*, qui potestatem tuam in se transferre præsumunt, *crescentem semper*. vers. 23.

Id est ipsum Antichristi studium.

PSALMUS LXXV.

Pertinet ad dies Christi. Partes ejus sunt quatuor.

A. Confessio Ecclesiæ. vers. 2. *Confitemur tibi, Deus, confitemur*, dicimus tibi Amen.

1 Id istius temporis est, quo Deus, exhibitis promissionibus suis in Christo, interrogat, annon videant & cognoscant, se ipsis factum esse in Deum, & fecisse ea, à quibus justitia & victoria mundi & salus gentium & vita æterna & resurrectio mortuorum dependent?

Adjungitur confessioni ratio duplex. 1. *Et propinquum est nomen tuum.* Non possumus non te confiteri, quum tu tam prope veneris ad nos cum omni demon-
2 stratione virtutis, in verbo tuo de te patefactæ. 2. *Narrarunt mirabilia tua.* Excitati sunt à te testes, qui narrarunt, se vidisse & audivisse dicta & facta tua divina, quæque omnem vim creaturæ excederent, inprimis opus redemtionis & sanctificationis, misso Spiritu tuo, palàm facta sunt, ℣. 2.

B. Declaratio Christi,

3.1 I. De officio suo. *Quum accipiam tempus præstitutum, Ego rectè judicabo*, vers. 3. q. d. ego constitutus sum à Patre meo judex vivorum & mortuorum, Joh. 5: 22. 27. 28. 29. idque facturus sum eo die, quem ipse præstituit, Act. 17: 31. Vestrûm igitur est non tantùm vobis gratulari in primo adventu meo, sed & secundum, qui erit cum gloria, cum reverentia exspectare. Est autem non unum tempus constitutum ad judicandum, neque unius generis judicium. Judicavit Christus primò inter justos & injustos de populo; deinde & gentes, se opponentes

regno

regno Chriſti & illi mentientes, judicari debuerunt. Rectè etiam ſuos judicat, ipſos juſtificando, infideles autem damnando, quia ſecundùm legem ita judicat.

II. De beneficio ſuo. *Fatiſcebat terra & habitantes in ea.* Omnia erant corrupta
& labefactata, hominumque animi contabeſcebant in ſuis peccatis & malis. *Ego* 1
aptavi columnas ejus. Primò, miſſo Johanne Baptiſtâ, excitavi illos, ut in fide & pœnitentia me advenientem exciperent; deinde miraculis & doctrinâ meâ populum Dei expergefeci; paſſione meâ pro peccatis ſatisfeci; reſuſcitatus à mortuis Apoſtolos & fideles virtute ex alto indui, atque ita regnum meum, quaſi columnis ſubditis domum, confirmavi & ſuffulſi, perque Eccleſiam myſteria omnia regni mei, doctrinam veritatis, in mundo publicavi, ut nemo ampliùs ignorantiam obtendere poſſet. verſ. 4.

III. De officio hominum. *Dixi furioſis; Nolite furere: Et improbis; Ne effe-* 2.3
ratis cornu. Tota doctrina Euangelica ad iſta duo redit axiomata: *Furioſi*, gentiles inſanientes circa falſos Deos, circa falſa bona, circa falſam Philoſophiam, *à furore* & malis operibus ad Deum & Chriſtum & veram ſalutem, quæ eſt in ipſo, convertantur: *Improbi* verò, quærentes ſuam conſtituere juſtitiam, abdicatâ ſuâ juſtitiâ, *ne efferant cornu*, ſed humilient ſeſe, ac juſtitiæ Dei ſe ſubjiciant. verſ. 5.

C. Eccleſiæ proſecutio.

I. Monet improbos. *Ne efferatis in altum cornu veſtrum*, ut faciebant Judæi, 4
& nunc Antichriſtus: *Ne loquamini* erecto vultu, impudenter & præfractè, atque ita *cum cervice*, *rancidum*, talia ſcilicet, quæ ex ſapientia propria proveniant, qualia ſunt dura, gravia & moleſta, neque ad amorem Dei & ad gratiarum actionem faciunt, verſ. 6. *Nam non ab Oriente* eſt exſpectandus ullus propheta, qui aliud Euangelium prædicet, ut faciebant Judæi; *neque ab Occaſu*, ubi Roma vetus & nova, Papa vel Epiſcoporum cœtus; *neque à deſerto montium*, vel *montoſo*, ubi Arabia, Muhammed. Hi omnes nihil ſunt, verſ. 7. *Sed Deus judicat* ſolus, ut Judæos ingratos. *Hic humiliat*, & *hic*, *quos vult*, *exaltat*, elevat ex ſtercore, illuminat cognitione veritatis, Spiritu ſuo ornat, donis inſtruit, beneficiis auget, verſ. 8. *Nam calix eſt in manu Jehovæ*, & *vinum*, *quod ferbuit*, *plenum cramato*: & *fundit de illo*, id eſt, Dei ira accenſa eſt adverſus peccatum, neque illud finit ullatenus impunitum, ne in electis quidem ſuis id ſine caſtigatione prætermittit, ita tamen ut *fæces ejus ſint exſucturi*, *ebibituri*, *omnes improbi terræ*, verſ. 9.

II. Suum propoſitum & ſpem declarat. *Ego autem indicabo ſemper*, ſine intermiſſione docebo & confitebor, non celabo quicquam, eorum ſcilicet, quæ Chriſtus locutus eſt, quæ confeſſa eſt prima Eccleſia, nomen Dei, mirabilia Dei; *Pſallam Deo Jacobi.* Hoc autem mihi polliceor, fretus Dei verbo & potentiâ, quòd in poſterum mihi non ſit claudendum os, ut ſileam etiam à bono, Pſ. 39. 2. 3. ut Euangelium, quod prædico, ſit æternum. ℣. 10.

D. Conſolatio. *Et*, me prædicante, dabit Deus, ut *omnia cornua improborum*, 5
quæ elevant contra Deum, *incidantur*, *exaltentur* verò *cornua juſti*, ſive fidelis, qui ſapientiam ſuam abnegat, Deo verò confitetur veritatem nominis ejus, verſ. 11.

PSALMUS LXXVI.

MAjestas Dei, quam is demonstrat omni tempore apud Ecclesiam, commendatur, ut Ecclesia intelligat, quanti sit, ad unionem & fœdus Dei admissam esse, eique gratias persolvat. Hic itaque

1 A. Commendatur gratia Dei, per quam se electo populo notificavit & conjunxit. ℣. 2. 3. *Cognoscitur in* imo ex *Juda Deus*, (conf. Gen. 49 : 10.) *in Israële* omnium tribuum *est magnum nomen ejus.* Significatur, Deum aliquando cognitum iri in Juda, & tunc magnum ipsius nomen fore in Israële, nec tantùm in Israële, sed in mundo, ut nempe gentes videant & agnoscant, Deum in Juda cognitum esse, & nomen, in Israële celebratum, esse nomen Dei, verè magnum & Deo dignum. Ita Es. 2 : 2. Zach. 8 : 22. 23. *Et extitit in Salem*, in tota scilicet Hierosolyma, (conf. Jer. 3 : 16. 17.) *tugurium ejus*, & *commoratio ejus in Sion*, ita ut tantum, imò amplius viderit quivis civis Hierosolymæ & Sionis, quantum vel Moses vel summus Sacerdos olim viderat, nempe Deum commorantem in templo sui corporis, atque in eo in omnibus partibus Hierosolymæ, imò totius terræ conversantem, & signa gratiæ suæ omnimodæ ostendentem, ℣. 3.

B. Commendatur majestas Dei demonstrata apud Ecclesiam in

2 I. Fractione gladii, arcûs & belli. *Ibi*, nempe apud Salem, in Sione, *fregit scintillas arcûs, clypeum, & gladium & bellum*, id est, liberavit Ecclesiam suam à principibus, arcum & gladium gestantibus, ne illorum præceptis aut castigationi subesset. Apostolos suos non armavit Christus arcu & gladio aut armis militiæ carnalis, quum eos misit ad gentes. Qui sumserunt gladium, Judæi inobedientes, gladio perierunt.

3 II. Exanimatione fortium per conspectum suum, vers. 5. 6. 7. *Exsplendescebas tu ingens à montibus prædæ*, in quibus nempe leones, lupi, ursi & aliæ belluæ prædas agunt, à regnis gentium scilicet, ex quibus te ostentabas, quum Ecclesiam copiosam ex illis excitares. vers. 5. *Consternati sunt magni animo*, consilii inopes reperti sunt, *dormitarunt somno suo*, & *non invenerunt omnes strenui manus suas.* vers. 6. Denique *ab increpatione tua condormivit* & *currus* (hoc est, agitans currum) & *equus.* ℣. 7. Terra fluvium, emissum ex ore Draconis post fœminam, absorpsit, Apoc. 12 : 15. 16. Quod quum factum esset, vix ullus repertus est, qui non Christo & Ecclesiæ mentiretur, nullus qui palàm oppugnare nomen Christianum auderet.

Ipse Julianus coactus est tectè agere & callidè. Et quid Diocletiano venisse in mentem putamus, ut imperium deponeret, postquam persecutionem excitasset? Exemplis aliis plenæ sunt historiæ.

III. Coërcitione terræ per promulgationem judicii ad salvandum mansuetos
4 terræ. *Tu, terribilis*, sive *timendus es tu*, quamvis illi, qui regnum in Ecclesia erigere volunt, eo prætextu id erigere conentur, quòd *Jehovam non timeant* homines, Hos. 10 : 3. *Et quis* eorum, qui thronum tuum invadunt, *stabit coram te?* Ea consolatio Ecclesiæ est. Namque *ex tunc*, sive ab olim, pridem *est ira tua.* vers. 8.

Versus nonus probat, Deum, qui in Juda cognitus est, esse metuendum. Nam
5 eum *ex cælo fecisse audiri judicium*, id est, Christum, qui sedet ad dextram Patris, effecisse, ut prædicaretur Euangelium æternum, Apoc. 14 : 6. ut aperiren-

tur libri, ex quibus parvuli judicarent mortuos, (Apoc. 20: 12. Dan. 7: 10.) verf. 9

Vis judicii. *Terra*, id eft, multitudo eorum, qui nomen Chrifti profitebantur, 6
extimuit & conquievit. Qui eo judicio damnabantur, fenferunt, fe damnari, ideoque dederunt operam, ut, qui id verbum loquebantur, ad filentium redigerentur. Alii cefferunt hactenus, ut faterentur fe juftè damnari, atque adeo eos, qui in errore verfabantur, relinquerent, & multos errores, idololatriam, fuperftitiones, peccata manifefta abdicarent. Tandem propter multitudinem eorum, qui Dei judicium publicabant, vel pro illo ftabant, factum eft, ut terra, quamvis jam arma corripuiffet, & jam Rex adverfarius arcum manu teneret, perterrita gloriam Deo daret & conquiefceret.

Quis non novit, Pacem religionis in Germania primitùs factam, deinde ad plures regiones, poft vehementes concertationes, perveniffe; fecundùm id, quod eft Ef. 57: 19. & per eam pacem Ecclefiam Reformatam creviffe adeo, ut terribilis ea fuerit adverfæ parti?

Verfus decimus fignificat alterum opus Dei, cum fua confequentia, quo rurfus cognofcitur, Deum effe metuendum. Nempe quòd *furrexerit ad judicium, ad* 7
falvandum manfuetos terræ, manu extenfâ fcilicet & plagis validis: verbi causâ, excitando potentes hoftes extraneos, vel dando manfuetis terræ patronos, Ef. 19: 9. vel inteftinos motus concitando, Ezech. 38: 21. Inde ergo rurfus facilè intelligitur, impetum hoftium in Ecclefiam repreffum, atque ita *conquieviffe terram.* Namque hæc verba optimè & molliffimè repetuntur, aut certè cum colo posteriori verfûs noni rectè conferuntur.

Nos etiam noftris diebus vidimus & fremitum maris, quod videbatur Ecclefiam inundaturum, & fluctus ipfius coërcitos.

Verfus undecimus fimpliciffimè notat, quòd Ecclefia aliquando fit approbatura 8
judicium Dei, imò exfpectatura & quodammodo exoptatura, *ut Deus reliquo fuæ excandefcentiæ fe accingat*, ut *ardor hominis Deum confiteatur*, id eft, ut homines excandefcentes contra Chriftum & Euangelium & Ecclefiam tandem cogantur dicere, quod eft Apoc. 6: 17. ex verf. 8. hujus Pfalmi. *Venit dies magna iræ ejus*; *& quis poteft ftare?* Confer Apoc. 15: 1. Pf. 75: 9.

C. Ecclefiæ & omnibus hominibus & oratio & gratitudo imperatur. Nempe 9
dum Deus peragit judicium in hoftes, & excandefcentiarum reliquias effundit, inftigantur fideles, imò omnes homines, ut *vota nuncupent*: quod folent facere, qui orant, qui intercedunt, qui rogant, ut Deus parcat, qui optant, ut regnum Dei adveniat, ut plenitudo gentium intret, & totus Ifraël falvetur. Nam, qui petit, fpondet, fe Deum amaturum, ei gratias acturum &c. Vota autem nuncupent non tantùm, fed & *folvant*, (quæ inftigatio fit perpetuo παραζυτωμῷ τῆ ἀγάπης.) & quidem *Jehovæ Deo Ecclefiæ*, non fanctis vel angelis. *Omnes autem, qui circa ipfum funt*, id eft, qui ad eum accedunt, quibus fe fiftit inveniendum, *afferant munus*, fiftant fua membra hoftiam vivam; adducant certatim falvandos; *Timendo*, ei, qui tot modis, ut in fuperioribus defcriptum eft, fe timendum effe oftendit.

Verfus ultimus probat, Jehovam Deum Ifraëlis revera effe *metuendum*, five §.8.
eum, qui timore cordis rectè colitur. Teftatur enim, eum *vindemiare fpiritum, principum*, id eft, animum eorum compefcere, ut fint modeftiores: quin etiam quòd *reges terræ eum timeant*, qui fuam gloriam conferant in civitatem fanctam, & fiant Ecclefiæ nutricii. PSAL-

PSALMUS LXXVII.

ARgumentum Pſalmi verſ. 2. oſtendit, Aſaphum publicè Deo agere gratias, quòd *attenderit ad ſe*, dum ipſi *oranti in die anguſtiæ* (verſ. 3.) illius diuturnæ, (verſ. 9.) de qua Dan. 12 : 1. Apoc. 7 : 14. in mentem revocavit veritatem, potentiam & ſapientiam Dei, ad conſolandum ſe.

1. 2 Diſtinguit hic Pſalmus *annos ſæculorum præcedentium*, verſ.. 6. *noctem*, &
3. 4 *pſalmodiam in nocte*, verſ. 7. tandemque *diem anguſtiæ*, verſ. 2. cui hic Pſalmus totus accommodatus eſt.

Theſin ſive Argumentum verſ. 2. ſequitur

Illuſtratio

A. Anguſtiæ & tentationis, verſ. 3. 4. 5. *In die anguſtiæ Dominum* Eccleſiæ, ut peculii ſui, *conſulebam*, adibam cum precationibus & deprecationibus, & ad verbum ejus attendebam, atque ex eo conſolationem petebam : *manus mea* tamen, quæ me premebat ipſâ *nocte*, quâ ſomnus ſolet lenimen dolorum afferre, *trahebatur*, perſeverabat me percutere, quemadmodum amnis perſeverat manare, *& non intermittebat : reſpuebat conſolationem admittere anima mea*, nullum ſentiebat levamen à malis ſuis, quamvis ſæpe oráſſem Deum. verſ. 3. *Recordabar Dei, & fremebam*, cum horrore Deum cogitabam. Hæcque magna tentatio eſt, inde orta, quòd à toto mundo oppugnaretur Eccleſia, unde fit, ut ex gratia Dei nullum ſolatium capiat, & Deum ipſum cum horrore cogitet. *Meditabar, & convolvebatur ſpiritus meus*, animo linquebar. Nempe ubi animadvertebam culpas meas, propter quas tradebar adverſariis meis, (Hoſ. 10 : 15.) vix poteram me conſolari ; verendum enim erat, ne iterum totus mundus præcipitaret in apoſtaſiam, verſ. 4. *Tenebas palpebras oculorum meorum*, ut eos nequirem aperire ad lucem Euangelii ac excitationem tuam, utpote præjudiciis, erroribus, ignorantiis multis gravatos, quæ impedimenta tu non auferebas: *Contundebar & non loquebar*, in illa anguſtia & debilitate eram conſtitutus, ut non loquerer, quod ſentirem.

Quis dubitat, quin hodie tales plurimi ſint, qui præ laſſitudine ac torpore carnis vix audeant de Deo loqui ?

B. Reſpirationis ex anguſtia. Vide

I. Initium in

1. conſideratione experimentorum priſcorum divinæ bonitatis, verſ. 6. *Reputavi dies ab initio, annos ſæculorum*, quoties Eccleſiæ tuæ ſubveneris, & quàm ingentibus bonis illam locupletaveris, (vid. Pſ. præced.) verſ. 6. *Recordabar cantum meum de nocte*, (Apoc. 14 : 2. Pſ. 42 : 9.) *cum corde meo meditabatur ſpiritus meus*. (Dan. 12 : 4.) verſ. 7.

Qui iſta negligunt, neſcio quomodo poſſint non in ſumma perplexitate verſari, & cogi dicere, *ſigna noſtra non videmus*. Pſ. 74 : 9.

2. excluſione deſperationis, verſ. 8. 9. 10. Nempe dictamen carnis eſt, jam de Eccleſia, hoc eſt, de ſalute illorum, qui in errore verſantes reliquerunt, actum eſſe, ſeque malè feciſſe, quòd non cum illis manſerint.

Ita ſanè multi faciunt, atque ita ad ἐξέραμα ſuum revertuntur.

Has carnis ſuggeſtiones refutat 1. quòd *Dominus*, cujus nos peculium ſumus, quos ſemel redemit, *non rejiciat in ſæculum*, & quos ſemel acceptavit, *addat acceptare*

acceptare amplius, verf. 8. 2. quòd *gratia*, quâ nos acceptos habet, *non ἐκπίπτει*, non excidit, vel *deficit*, fed eft fine pœnitudine. Cùm ergo lux Euangelii fit gratiæ, eam non extinctum iri. Imò ab eadem gratia fore, ut propediem Chrifto regnum totius mundi, atque adeo & Judæorum obedientia repræfentetur 3. quòd verax fit. *Numquid finitum eft dictum in ætatem & ætatem?* Teftamentum Dei nimirum, quo dedit Filio regnum, ac promiffio facta Abrahamo, eum futurum hæredem mundi. verf. 9. 4. quòd naturâ, ut potentiffimus ac ditiffimus, ita *gratiofus ac liberalis* fit ad dandum nihil meritis. 5. quòd mifericors fit ad condonandum peccata, ac juftitiam & vitam adducendam peccatori, in tantum, ut abundantiam ὑπερ-[illegible] mifericordia ejus, ut lapidem injectum mare, abforbere & contegere poffit, Mich. 8:19. & quòd *per iram non claudat miferationes fuas*, five quòd ira ipfius non fuperet mifericordiam, ℣. 10.

II. Profectum in affirmatione fiduciæ,

1. ob immutabilitatem Dei, verf. 11. *Et*, ideoque poft multam fcrutationem fpiritûs mei, *dixi*, apud animum meum pronunciavi: *Ipfum infirmare me eft variare dextram Altiffimi.* q. d. Tam non poteft fieri, ut ulla res vel vis me infirmet, & fidem meam labefactet, & verbo Dei, quod eft in ore meo, fructum adimat, atque fieri non poteft, ut variet dextra Dei, quâ me tenet, quam extendit Filio & patribus, imò omnibus confugientibus ad ipfum, ut juraret ipfis.

2. à fapienti Dei confuetudine, demonftrandi potentiam fuam in hominum imbecillitate, verf. 12--21. *Recordabar opera Jah*, ejus, qui omnia agit pulcherrimè & decentiffimè tempore fuo, *quum recordarer ab initio mirabile tuum*, illud fcilicet, quo tu major es omnibus, nempe quo te propitium præftare voluifti cum juftitia, verf. 12. *Et meditatus fum* fimul *omne molimen tuum*, quibus mediis & quâ viâ id tuum opus paraveris, *& in facinoribus tuis*, & judiciis abs te editis, *multus fui.* Ita enim deprehendi, vias tuas longè excedere vias hominum, & potentiam tuam in infirmitate hominum perfici, ℣. 13. Hoc

(a.) exprimit generatim, verf. 14. *O Deus, in fanctuario*, procul à confilio & opinione humana, *eft via tua*, five confilium & difpofitio ordinis rerum, ut pervenias ad fcopum tuum. *Quis eft Deus δυνατὸς* vel *δυνάστης magnus, ut Deus*, qui adjurat peccatorem, cui rectè creditur, per quem rectè juratur, qui eft auctor juftitiæ & falutis? Nemo ei poteft æquiparari potentiâ. Nullam habet imaginem aut vicarium in mundo. Neque in exfecutione Teftamenti fui & promiffionis factæ patribus ullâ indiget ope vicariâ.

(b.) illuftrat exemplo. *Tu es Deus, qui facit admirandum*, non agis, ut homines judicant, fed ut capias aftutos in fuis confiliis, ut cognofcatur, te facere, quod Juftus non fecit, ne quis glorietur in brachio carnis: *Notificafti populis*, Ægyptiis, Amorrhæis, Palæftinis, Syris, Affyriis, Babyloniis, Perfis, Græcis, Romanis, *robur tuum* infuperabile, & vim omnia perdomantem, eos vel exftirpando, vel tibi fubjiciendo, & adulari cogendo, verf. 15. *Vindicafti brachio populum tuum* ex manu Pharaonis, qui nolebat, ut tibi ferviret, & tuus populus effet, *filios Jacobi & Jofephi*, illum fcilicet populum, qui tam amplus erat, ut duo valida regna in eo extitura effent, verf. 16. *Viderunt te aquæ, ô Deus, viderunt te aquæ, territæ funt: etiam contremuerunt abyffi*, in divifione maris, verf. 17. *Exundarunt aquis nubes, vocem dedit æther, etiam tela tua vagabantur,* verf. 18. *Vox tonitrui tui in orbe*, five toto cœli circulo, *illuftrarunt fulgura habitabilem; tremuit & movit fe terra*, verf. 19: *In mari erat via tua & trames tuus*

in aquis profundis, & *vestigia tua agnita non sunt*, id est, rediit aqua ad fluxum suum, & Pharaonem cum copiis ipsius mersit. In his aperta est divinæ potentiæ gloria. Nec minùs in ductu populi. *Duxisti instar ovium populum tuum per manum Mosis & Aharonis*, hominum paucorum & imbellium, qui sine satellitibus, ducibus aut cohortibus præfuerunt populo, nihil nisi verbum Dei illis annunciantes, sed brachium Dei præsto habentes tum ad vindicandam inobedientiam, tum ad populum sustentandum ac defendendum. Mirandum igitur est Dei consilium, quòd, cùm ad extremum esse ventum videtur, & humana auxilia desunt, tum demum subvenit, ut omnem fiduciam ab humano abductam auxilio, in ipso solo reclinemus.

Ergo quum manus populi sancti confracta fuerit, desperandum non est, sed Dei auxilium tum præ foribus esse potiùs putandum est.

PSALMUS LXXVIII.

Asaphi Psalmus didascalicus. Docet enim obedire Deo & regi ipsius legem Dei proponenti. Doctrina hujus Psalmi planè explicatur 1 Cor. 10. à vers. 1. ad 12. Monentur enim Israëlitæ, ne incredulitate, diffidentiâ, petulantiâ, concupiscentiâ aliisque peccatis Deum irritarent, quemadmodum patres ipsorum fecerant, & à Deo rejicerentur, quemadmodum tribus Ephrajim rejecta erat.

Est hic Psalmus διαλογητικὸς. Loquuntur enim 1. rex ad populum. 2. populus de officio suo & de rege.

1. A. Verba regis ad populum sunt

I. Præcepti, vers. 1. *Ausculta, popule mi, legem meam*, sive sermonem, monstrantem peccatori viam & rationem accipiendi justitiam & vitam. Audite scilicet & cognoscite, quomodo Lex eadem, quæ indicat homini debitum suum, quod faciens vitam consequatur, quæque, postquam peccatum introiit in mundum, facta est Lex peccati, hominem mancipans regno peccati & mortis, quæque, antequam promissa Redemtio sit præstita, iram operatur, vobisque incutit timorem mortis & afflictionum, & servitutem cum omni pavore: sit facta *Lex mea*, Lex Redemtoris, vobis, justitiâ jam extante, injungens fidem in me, cum libertate filiorum & gratiarum actione: *Arrigite aurem vestram ad dicta oris mei*, quæ me, ceu magnum illum Prophetam, Deus olim locuturum esse prænunciavit, Deut. 18:15. 18. In iis, inquam, studete cognoscere virtutes & laudes Dei.

II. Rationis à modo & certitudine doctrinæ, vers. 2. Modus docendi 1. ἐν ἀνοίξει στόματος, cum *apertione oris*, ut liberè & plenè de salute nostra & voluntate Patris eloqueretur. 2. ἐν παραβολαῖς. Aperiam *in parabola* os meum. Quod fecit, partim, ut alliceret ad se, ad non offendendas aures, Marc. 4:33. partim, ut puniret, Matth. 13:11. 13. 3. in claritate & ubertate Euangelio digna, quanta non extitit antehac. *Eructabo*, scaturiginis more effundam, in apertum producam, & solvam *ænigmata*. Apostolus dicit σεσιγημένον μυστήριον, Rom. 16:25. utpote nunquam narratum, ut factum, adeoque nec tam clarè prædictum, ut narrari potest, cùm videtur & auditur, cujus totus ordo & partes & καιροὶ tempora in Dei potestate reposita manserunt. Voluit quidem Deus plerasque partes per catechesin patrum & seniorum juxta institutionem Mosis populo proponi, & cum demonstratione Scripturarum explicari, sed cùm id negligeretur, at-

que etiam prophetæ, ad hoc miſſi, ut homines adducerent ad cognitionem veritatis, pleroſque haberent adverſarios, paucos verò diſcipulos, paulo etiam poſt captivitatem Babylonicam eſſe deſinerent, & Phariſæorum ſchola obtineret, quæ magis traditioni quàm demonſtrationi operam dabat; hinc factum, ut multa ſilerentur, non pauca in falſos ſenſus detorquerentur, ſicque etiam clarè dicta fuerint ipſis ænigmata. Præter hæc omnia fuit velum, nempe quòd ſermo Dei vocatus fuerit *lex*, quæ ex eo, quòd haberet adjunctas haſce duas ſententias legales: *Qui fecerit ea, vivet in eis*; &, *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus* &c. habebat ſpeciem legis operum, quamvis reverà illæ ſententiæ non dicerent, quod videbantur dicere, nempe hominem ex iſtis factis debere juſtitiam ſperare, imò potiùs ſignificarent, juſtitiam ex factis abnegandam eſſe, quique reſipuerit & crediderit, ut faciat præcepta illa ſecundùm fœdus operum juſtificantia, à maledictione liberum eſſe. Quæ ſanè ænigmata fuerunt. Quæ cùm per Chriſtum & Euangelium lucem acceperint, rectè dicitur eructâſſe ſive in lucem produxiſſe ænigmata.

Certitudo doctrinæ in eo eſt, quòd nihil novum, ſed *ænigmata ab antiquo*, ſive antiqua ediſſeruerit.

Hæc cùm fecerit Dominus Jeſus, iſque ſolus videatur idoneus, cui verba hæc in emphaſi adſcribantur, rectè Apoſtolus Matthæus cap. 13:35. id, quod hic ℣. 2. ſcriptum eſt, in Chriſto impletum eſſe dicit.

B. Verba fidelium

I. de Officio. Cohortantur ſe invicem ad indicandum filiis ſuis magnalia Dei. 2
Hic vide

1. Cauſas moventes ad indicandum. Quæ ſunt

(a.) rerum certitudo ex proprio ſenſu & patrum teſtimonio. *Quæ audivimus*, & conſequenter vidimus, regem nempe, qui populum ſuum ad legem ſuam auſcultandum excitavit, & ænigmata antiqua effudit in apertum: eumque & ipſam imaginem rerum in ea ediſſertatione ænigmatum *cognovimus*. Hoc autem ipſum eſt, quod & *patres noſtri narraverunt nobis*, ſe vidiſſe & audiviſſe; quanquam non ita viderint & audiverint, ut nos, ſed in ænigmate, & in umbra. Namque & in verbo audito eſt eadem ſubſtantia, tum is, qui viſus eſt, eſt idem coram loquens, qui cum patribus coram locutus eſt. ℣. 3.

(b.) debitus amor poſterorum conveniens deſiderio patrum. *Non celemus filios* noſtros & *ipſorum in ætatem poſtremam*, verſ. 4.

(c.) gloria Dei. *Narrantes laudes Jehovæ.* Ea ſcilicet opera, quibus Deus ſe oſtendit eſſe Deum Iſraëlis. ibid.

(d.) rerum magnitudo. *Et robur ejus & mirabilia ejus, quæ fecit*, verſ. 4. *Et* illa faciens *conſtituit teſtimonium in Jacobo & legem poſuit in Iſraële*, id eſt, illis operibus patratis fidem fecit legi ſuæ ac teſtimonio. Quanti enim refert filiorum noſtrorum noſſe legem Dei, tanti refert etiam mirabilia ejus noſſe, quibus ei fecit fidem. verſ. 5.

(e.) Dei mandatum. verſ. 5. 6. *Quæ præcepit patribus noſtris notificare filiis ſuis*, verſ. 5. *ut cognoſceret ætas poſterior, filii, qui naſcentur; conſurgant & narrent filiis ſuis.* ℣. 6. Loquitur Propheta non tantùm de miraculis, quæ fecit Deus, antequam legem daret per Moſen, ſed omnino de omnibus, quæ fecit, etiam per Chriſtum, antequam Euangelium promulgaretur per ipſum & Apoſtolos, quæ etiam poteſt dici Deus præcepiſſe patribus notificare filiis ſuis, quatenus per

 Mo-

Mosen promisit, se post Mosen excitaturum alium Prophetam, non minorem ipso, quique per consequens in miraculis patrandis ipsi non cederet; quibus miraculis fidem esset facturus verbis, quæ Deus ipsi reservaverat dicenda, in legem & testimonium Israëli. vers. 6.

2. finem indicationis. *Et ponant in Deo fiduciam suam*, id est, in omni tentatione ad ipsum confugiant, & ipso Salvatore nitantur, *& non obliviscantur opera Dei*, atque ita, memoriâ illâ apud ipsos vigente, & corde ipsorum purgato per fiduciam in Deo, *præcepta ipsius* de dilectione Dei & proximi *observent*. vers. 7.

Declaratur hoc à damno illorum, qui Dei beneficia & judicia oblivioni mandarunt; quodque illis contigit, in exemplum illis contigit, & scriptum est in monelam nobis, ne in idem judicium incidamus. 1 Cor. 10 : 11. Hoc dicitur

(a.) Summatim, vers. 8—11. *Et non fiant sicut patres ipsorum* &c. Duo magna exempla inobedientiæ conjungit: eorum, quorum membra prostrata sunt in deserto, vers. 8. & eorum, qui tempore Eli ducis vixerunt, & à Philistinis fusi fugatique sunt. (ex vers. 60.) Qui *filii Ephrajim* appellantur, quia Silunte in tribu Ephrajim erat tabernaculum, & ibi judicabat Eli, & inde egressa erat arca, quamvis hæc clades esset totius Israëlis, ℣. 9.

(b.) Particulatim, in aliquot periodis. Quarum

Prima est tentantium Deum suâ concupiscentiâ, ℣. 12—31. Nota, ℣. 17—20. ordinem historiæ non observari, neque tamen confundi. Jam habebant Manna, jam comederant coturnices, cùm Deum tentarent de aqua. Vid. Exod. 16 : 13. sed cupiditas carnis, quæ in ea tentatione jam tum adfuerat, Exod. 16 : 3. postea recruduit, Num. 11 : 4. 6. 20. Sed Psaltes utramque tentationem conjungens, (Nam de ultima carnis concupiscentia eum loqui patet ex vers. 30. coll. Num. 11 : 32.) quia ab eodem animo & ab eadem diffidentia utraque orta erat, quum utramque ingentia Dei facinora præcessissent; ideo prosopopœiæ tentantium implicat elevationem beneficii sedatæ sitis, quæ tamen propriè convenit posteriori tentationi.

Panis fortium, id est, angelorum, qui גבורי כח Ps. 103 : 20. est is, qui vita ipsorum & lætitia est. Is, ut descendens de cœlo & vitam dans mundo, significatus est per Manna, Joh. 6 : 33. 1 Cor. 10 : 3. Eum comederunt electi Israëlitarum credentes in eum. Posset etiam hoc cogitari, eum cibum ab Israëlitis accipiendum esse, ut panem paratum à Deo, qui est אביר יעקב *heros Jacobi*. quo significatur, eum esse justitiam & vitam hominum. Potest autem æquè rectè de Deo explicari plurale hoc, atque alia pluralia, per quæ Deus appellatur: ut עליונין קדושים.

Secunda est diffidentium Deo, cùm scilicet exploratores missi essent, vers. 32. 33.

Tertia est Israëlis sub ducatu tribûs Ephrajim, postquam in terram introducti essent. vers. 34—64. Transitio vers. 34—40. Summariâ complexione reliquorum temporum aditum facit ad Israëlitas introductos in terram Canaan. Ultima pœna vers. 59—64. pertinet ad certam tribum, Ephraïmiticam. cui ob ducatum (nam ex ea Josua) & potentiam (vide Jos. 17 : 14.) & superbiam (vide Jud. 8. & 12.) & prærogativam tabernaculi locati Silunte, Jos. 18 : 1. atque ita Sacerdotii & omnis generis hieratici, tanquam præcipuis & aliorum ad vitia antecessoribus, ut peccata imputantur, ita pœnæ, etiam communes, attribuuntur, suprà vers. 9.

II. de

II. de Beneficio Dei.

1. in punitione hoſtium. verſ. 65. 66. coll. 1 Sam. 5:6. & verſ. 3. 4. ibid. & cap. 6. 4. 5.

2 in conſtitutione ſanctuarii & regis: quæ illuſtratur gratioſâ electione tribûs Judæ ad ſedem cultûs, & ad regnum, & judicioſâ reprobatione certarum tribuum, idque in figuram conſtabilitionis regni Chriſti in Eccleſia, quam ceu ſanctum ſanctorum in Sione Chriſtus rex effuſione Spiritûs gratiæ & filiationis inunxit, & pavit, & duxit, rejecto Ephrajimo, id eſt, Judæis refractariis. (Hoſ. 9:13.) Unde & *ſanctuarium ſuum* Deus *ædificaſſe inſtar terræ, quam fundavit in ſæculum*, verſ. 69 & *in prudentiis*, id eſt, ſummâ prudentiâ *manûs ſuæ, David*, id eſt, filius ejus *duxiſſe populum* verſ. 72. dicitur. verſ. 67—72.

PSALMUS LXXIX.

Aſaphus de excidio Hieroſolymæ & converſione abductorum in exilium atque etiam in terra deſolata viventium vaticinatur. Quæ prophetia aptiſſimè jungitur præcedenti Pſalmo; qui in templi conſtructione & Davidis regno terminatur. Prophetia autem hæc concepta eſt formâ orationis in re præſenti. Ejus partes quatuor poſſunt diſtingui:

I. Querimonia de calamitate accepta, verſ. 1—4. *O Deus*,

1. *Venerunt gentes in hæreditatem tuam*, id eſt, terram tuam & populum tuum, quem tibi ſelegeras proprium & peculiarem, occupârunt & ſibi ſubjecerunt. verſ. 1. 1

Sermo hic eſt accommodatus hiſtoriæ. Sub Pule, Tiglat-Pileſere, Salmanaſſare, Sancheribo cœperunt gentes in hæreditatem Dei venire, & eam tanquam hæreditatem ſuam occupare.

2. Nebucadnezar etiam *profanavit templum ſanctum Dei*;

3. *Et Hieroſolymam acervos fecit.* Quanquam autem de his propriè ſermo fit, tamen etiam ineſt ſenſus analogicus. Quod ex aliis prophetiis diſcitur. Vide Luc. 21:24. Apoc. 11:2. Apoc. 20:9 Zach. 14:1. 2.

4. *Dederunt cadaver ſervorum tuorum*, id eſt, fidelium ſacerdotum, Levitarum, *cibum volucribus cæli, carnem piorum tuorum*, quorumvis ex plebe, *animalibus terræ*, verſ. 2. *Effuderunt ſanguinem illorum, ut aquam, circa Hieroſolymam, & non eſt, qui ſepeliat*, verſ. 3 Ita Ezech. 21:8 ſimilia juſtis & improbis denunciantur: nimirum juſti, propter communionem peccatorum, quibus non ita reſtiterant, ut debuerant, communibus plagis involvebantur, ut quidem judicarentur ſecundùm carnem, ſervarentur autem ſpiritu.

5. *Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, irriſio & populum illis, qui circa nos ſunt*, verſ. 4 Confert non malè R. David Ezech. 22:4 5. 2

II. Deprecatio iræ (Converſorum ea eſt.) 3

1. ab ejus duratione & vehementia. *Quouſque, Jehova, iraſceris etiam atque etiam, ardebit tanquam ignis zelus tuus?* verſ. 5. Agnoſcimus *iram* tuam in peccata noſtra juſtam, *zelum* glorioſum, attamen ad te converſi ex toto corde oramus remiſſionem peccatorum, quam promiſiſti pœnitentibus, teque *Jehovam*, qui implet, quæ promiſit, nuncupamus.

2. à contraria proſperitate gentium, & convenientiori iræ ſubjecto. *Effunde ardorem tuum in gentes illas, quæ non agnoſcunt te: & in regna, quæ nomen tuum* 4

non nuncupant, vers. 6. *Nam comedit* (impersonaliter, men Vreet) *Jacobum, & mansionem ejus vastam effecerunt*. ℣. 7.
3 3. à miserandi tempestivitate. *Ne recorderis nobis delicta priora*, etiam patrum nostrorum, quamvis & justè ea possis in nobis vindicare: *maturè occurrant nobis miserationes tuæ*, aut actum de nobis erit; *quia extenuati sumus admodum* viribus & numero. ℣. 8.

III. Oratio sive petitio
5 1. opis, ob gloriam nóminis divini. *Opitulare nobis, Deus salutis noster*, qui nobis aliquando reipsâ salutem procurabis, *propter gloriam nominis tui*, quòd tu Deus Abrahami & seminis ejus nominatus es. Namque eam salutem ejusque prædicationem exspectamus. Eripe ergo nos ex hac angustia, & reduc nos ex captivitate in patriam, redde politiam, urbem ac templum, ut sit, ad quod Salvator
7 veniat. Deinde *oblitera peccata nostra*, per verum lytron ea expunge & dele, *propter nomen tuum*, id est, propter virtutes tuas in verbo tuo nobis revelatas, à quibus vis nominari. ℣. 9.
3 2. Ultionis sanguinis fusi, ad hostium insolentiam minuendam. *Quare dicent gentes, Ubi est Deus ipsorum?* interimque Deos ex ligno & lapide laudabunt? ut Baltasar in suo convivio.
4 *Noscatur inter gentes coram oculis nostris ultio sanguinis servorum tuorum effusi.* in gentibus vindica sanguinem servorum tuorum, atque ita te vindicem Israëlis ostende, ut & gentes id agnoscant, & ad te convertantur. ℣. 10.

Hoc exemplo Arca olim capta & triumphata à Palæstinis, iterum de illis triumphavit. Atque eodem modo actum est in Assyriis & Babyloniis. Nebucadnezar ab hominibus detrusus est, quum perdidisset sensum humanum: & coactus est Deum Israëlis confiteri. Evilmerodach honoravit Jechonijam. Baltasar, cùm biberet cum pellicibus suis ex vasis sanctis, vidit manum scribentem sententiam ipsius, & interfectus est. Regnum verò cessit Dario Medo & Cyro. qui Judæis licentiam domum redeundi dedit.

3 3. Superstitationis ob suspiria & gemitus piorum. *Veniat coram te gemitus vincti: secundùm magnitudinem brachii tui fac superstites filios occidionis*, sive occidioni destinatos. ℣. 11.
6 4. Talionis in vicinos, ob immanitatem & blasphemiam. *Et rependе viciniis nostris septuplum in sinum ipsorum, opprobrium ipsorum, quo te blasphemarunt*, ℣. 12.
8 IV. Votum, sive promissio gratitudinis. *Nos autem populus tuus*, à te emtus, non populus Deorum nuncupatorum, revincti inter nos uno spiritu, habentes urbem & patriam permanentem, & jus accedendi ad te, regem nostrum, *oves pastûs tui*, non pastorum illorum, qui laniarunt, spoliarunt ac vendiderunt gregem, *confitebimur tibi*, dicemus Amen ad obtestationem tuam, & te fatebimur rebus ipsis promissioni fecisse satis: *in ætatem & ætatem narrabimus laudem tuam*, ℣. 13. Id opus est, ad quod facit Deus populum suum, Es. 43: 21.

PSALMUS LXXX.

Psalmus hic exhibet ὑποτύπωσιν temporis & tentationum ac liberationum decurrentium usque ad revelationem gloriæ Dei in Christo.

Unus

Unus versiculus, quartus, tertiâ vice repetitur. Eadem petitio ostenditur esse 1
perpetua fidelibus Veteris Testamenti, nempe gratiæ manifestandæ in Christo; per distinctas temporum periodos increbrescens, donec, expletis diebus, quibus Israël debuit in exspectatione tentari & iram experiri, gratia manifestetur. Tria autem possumus distinguere tempora:

A. Primum tempus antecedit non tantùm captivitatem Babylonicam, sed etiam abductionem x Tribuum; quo nempe templum stetit, & Josephus necdum abductus fuit. Eo tempore petitur Dei apparitio ut Salvatoris, & conversio Israëlis & gratiæ ostensio, ut salvi sint omnes. Vide

I. Petitionem auscultationis & apparitionis. O Deus, qui te nominasti *pastorem Israelis*, illum nempe bonum, cujus est animam pro ovibus suis ponere, Joh. 10: 11. atque ita interveniente lytro nos redimere, justificare, sanctificare, & tuum peculium formare, *ausculta* preces nostras, quas tibi fiduciâ virtutum & promissionum tuarum fundimus; *Qui ducis instar ovium Josephum*, cum insigni lenitate, patientia, & indulgentia, nempe, ut & cæteras Tribus, per manum Davidis, Ps. 78: 70. 71. 72. quamvis, ut est ibid. vers. 67. 68. *tentorium Josephi repudiaveris* &c hactenus, ut nolis ducatum & cultum ei Tribui ampliùs esse alligatum: *sedens inter Cherubim* supra propitiatorium in templo manu facto, idque in figuram melioris inhabitationis in carne, ut in medio Israëlis conspiciaris, & ipsi fias in Deum, & Ecclesiam tuam, per figuram Cherubim, sive quatuor animalium adumbratam, sanctifices & inhabites, *effulge* per illustrem tuam apparitionem & *ἐπιφάνειαν*. ℣. 2.

II. Petitionem excitandæ potentiæ coram Ephrajim, Benjamin & Manasse, & sic 2
porro adventûs ad salutem. *Coram Ephrajim & Benjamine & Manasse excita præpotentiam tuam, & veni ad salutem nobis*. ℣. 3. Postquam Deus repudiasset tabernaculum Josephi, & domicilium legisset in Tribu Juda, pavit quidem Deus Josephum, id est, Tribum Ephrajim & Manassis, & cum eis reliquas Tribus, sub Davide & Solomone. Sed secuta est deinde defectio à domo Davidis, & Jeroboam fana passim exædificavit: quumque ex eo tempore Deus eos per Syrios vexavisset, per Jehu & Jeroboamum secundum recreavisset, tandemque sub Pekacho abduxisset Galilæos, habitantes terram Naphtali, tum ingruebat quoque calamitas Ephrajimo & Benjamini & Manassæ citra Jordanem habitanti. Ibi opportunum fuit orare, 1. ut *excitet præpotentiam suam coram illis* contra hostes à Septentrione se magis magisque in hæreditatem Dei penetrantes, & universis excidium minitantes, & reliquias tribuum conservet. 2. Denique *ad salutem* ipsis faciendam *veniat*, quæ perpetua exspectatio piorum fuit, ut ex ℣. 2. patet.

III. Petitionem reductionis sive conversionis & illuminationis faciei ad salutem. *Deus, reduc nos*, & fratres nostros, tum à via mala, tum à manu hostium, ad cognitionem & amorem tui, tum ad eum statum, ut nullus alius præter Deum, in nobis sit rex; *& lucere fac faciem tuam*, id est, te placatum & non memorem peccatorum nostrorum velis ostendere, oblatione sacrificii pro peccato peractâ: *& salvabimur*. Ea enim facies Dei lucens omnem salutem importat. ℣. 4.

B. Secundum tempus est ulterius, antecedit tamen captiv. Bab. Hic est

1. deploratio malorum, vers. 5. 6. 7. *Jehova, Deus*, Deus *exercituum*, *quousque fumasti*, id est, te inexorabilem præbere decrevisti, *contra orationem populi tui?* Oratio superiùs exposita intelligitur, nempe quâ fideles omnibus sæculis expetiverunt manifestationem gratiæ in Christo. ℣. 5. *Cibasti illos* pro *pane lacrymâ*. 3

mâ, *& potâsti illos cum lachrymis trientali*, perfectâ scilicet mensurâ ad plenum infusâ. ℣. 6.

Israël, appetente captivitate Babylonicâ tria sæcula à divisione regni in lachrymis consumsit. Ita Ecclesia Christiana ultra annum 300.^mum^ à nato Christo usque ad Constantini victorias sub 10 persecutionibus gemuit, quotidianis imbuta lachrymis.

Ponis nos jurgium vicinis nostris, Philistæis, Syris, Edomitis, Moabitis, Ammonitis, sive ut rixentur nobiscum, sive de nobis rixentur: *& inimici nostri* tum vicini, tum remotiores, *subsannant inter se* populum tuum, ut qui illum subjugaverint, & quasi in Deo ipsius populo parum sit præsidii.

Talis subsannatio fuit Sancheribi, Es. 36: 18. 19. 20 Quæ ab Esaia antè descripta fuerat tempori Achazi, Es. 10: 10. 11.

II. Petitio eadem versûs quarti instaurata, ℣. 8.

4 C. Tertium tempus est captivitatis Babylonicæ, & quod eam secutum est. Hic

I. Commemoratur populi Israëlitici liberatio ex Ægypto, plantatio ejusdem in terra Canaan, & amplificatio, vers. 9—12. *Vitem* sive stirpem hominum, ab uno patre Abrahamo, ceu radice, oriundam, *ex Ægypto moveras*, ut fructificaret; *expuleras gentes*, *& plantaveras illam*, id est, ei sedem permanentem attribueras, in qua multiplicaretur, & Dei formatoris ac Christi radicis suæ nomen fructibus suis glorificaret, ℣. 9. *Vacuaveras coram illa*, offendicula & impedimenta sustuleras: *Ita radices egerat*, id est, terram occupaverat, tempore Saulis & Davidis, *& impleverat terram* innumerabili multitudine hominum, ut tempore Davidis, vers. 10. *Cooperti fuerant montes*, vicini reges & populi, *umbrâ ejus*, ut Davidis tributarii fierent, *& ramis ejus*, id est, sceptris (vid. Ezech. 19: 10. 11. 14.) *cedri Dei*, reges & principes omnes vicini, quos omnes tributarios habuit Salomon. vers. 11. *Emiserat ramos suos usque ad mare*, *& usque ad fluvium stolones suos*, id est, Israëlitæ quaquaversum in populis pacatis habitabant. vers. 12.

II. Querimonia instituitur de vastatione. *Quare diruisti maceriem illius*, id est, imminuisti potentiam regum Israël & Judæ, ut hostem à finibus arcere non possent, *ut carperent illam omnes transeuntes viam?* vers. 13. *Vastat illam aper*, Assyrius populus sub regibus Nineves & Babylonis. qui vitem eruit & ex loco suo transtulit, &, post illud tempus, *animalia agri*, Medi, Persæ & Græci, Lagidæ & Seleucidæ, *depascantur eam?* ℣. 14.

III. Petitio

5 1. curæ & visitationis. *Deus exercituum*, *convertere*, *quæso*, ab ira tua; *prospice ex cœlo & vide*, nec tantùm, sed etiam *visita vineam hanc*, hoc est, totum populum Israëliticum præsentia tuâ lætifica: vers. 15. Nominatim *stirpem*, *quam plantavit dextera tua*, id est, tribum Judæ, vel eos de tribu Judæ, qui ex Babylone reducti & in terra collocati sunt. ℣. 16. p. p.

6 2. judicium. *Et propter surculum*, *quem confirmaveras tibi*, id est, tribum Judæ, quæ omnibus tribubus in terram reductis fuit fortior & robustior, cujus nomen & reliquæ susceperunt, ad quam accesserunt. quamque ita potentem effecerunt, ℣. 16. *crematum igne*, *excisum*, *pereant ab increpatione vultûs tui*, qui eam vexârunt, Syri, Ammonitæ, Moabitæ, Assyrii, Babylonii, Medi, Persæ, Alexander, regnum Lagidarum, Seleucidarum, Palæstini. (conf. Hagg. 2: 22. 23.) ℣. 17.

B. De-

3. Defenſionis. *Sit manus tua ſuper virum dextræ tuæ*, Judam Macchabæum 7
& fratres ipſius, &, qui cum ipſis adverſus Antiochum gefferunt bellum, *ſuper filium hominis*, *quem roboraſti tibi*, fide ſingulari, & magnâ in Deo fiduciâ, & amore nominis Dei ac populi ipſius, promtitudine conſilii & manûs, & conſtantiâ in omnibus periculis. verſ. 18. Additur votum perſeverantiæ. *Et non recedemus à te.* ℣. 19. p. p.

4. Animationis. *Si vivifices nos*, qui ſub Antiocho ſumus quaſi mortui, neque poſſumus convaleſcere, vel ſaltem, ſi in vita nos conſerves, *nomen tuum*, id eſt, virtutes tuas, *prædicabimus*, & verbis explicabimus, & factis enarrabimus. non nominabimus alios Deos, auctores fidei, doctores. ℣. 9.

5. Converſionis & conſervationis per gratiam. *Jehova*, *Deus exercituum*, *con-* 8
verte nos; *illumina faciem tuam & ſalvabimur.* Eadem petitio, ut ſuprà verſ. 4. & 8. niſi quòd non ſine emphaſi additur *Jehova.* ut in hoc gradu temporis pleniſſima demonſtratio gratiæ & veritatis intelligi poſſit. ℣. 20.

PSALMUS LXXXI.

IN hoc Pſalmo

I. fideles ſe invicem cohortantur: Quandoquidem jam nova & inſolita Lux 1
ſedentibus in caligine & umbra mortis exorta ſit, & inter Iſraëlitas Chriſtus, Lux vera, inter σκιάς umbras, & tenebras illas meras, in quibus verſabatur populus ſub exſpectationem appropinquantis adventûs Chriſti, apparuerit, in tempore hoc Lætitiæ & gratiarum actionis, per *novilunii feſtum* quondam adumbrato, privatim publicèque Deo omnibus modis exultandum, clangendum & jubilandum eſſe. *Buccinâ* quoque, ſigno libertatis, adhiberi ſolito in die Kippurim anni Jubilæi, Lev. 25: 9. diem illum celebrandum eſſe. ℣. 2. 3. 4.

Ratio παραινέσεως: *Nam ſtatutum Iſraëlis hoc eſt*, id nempe ſtatutum, quo jubebantur cum cantu & lætitia excipere rupem ſalutis ſuo tempore revelandam: *judicium Dei Jacobi*, verſ. 5. *Teſtimonium in Joſepho* (totum Iſraëlem à nomine ejus tribus, cui primogenitura ceſſit, repulſo Reübene, appellat.) *poſuit illud*, *quum exiret in terram Ægypti*, ad occidenda primogenita illorum. Namque eo tempore Paſcha à Deo ordinatum eſt, quod inter feſta Judæorum non poſtremum eſt: *quum labium ejus*, *quem non noram*, *audivi*, id eſt, quum patres mei vocem illius è monte Sinaï audirent, quem antea non noverant, id eſt, quem non audiverant loquentem, quem etiam ignoraverant magna ex parte, etiamſi promiſſio patribus facta extaret, quem etiam nullus homo ex ſe novit, nempe Angeli Jehovæ, qui eſt Angelus Teſtamenti, quem Moſes viderat in rubo. Sermo iſte repetitur verſ. 7. & ſeqq. In eo eſt

1. Commemoratio cùm beneficii, tùm tentationis ante datam legem. ℣. 7. 8. 9. *Tu*, *cujus ſubduxi ſarcinæ humerum*; *cujus palmæ ab ollis receſſerunt*, verſ. 7. *qui in arcto clamâſti*, *quemque liberavi*, *cui reſpondi in latebra tonitrui*; (ſcilicet ad mare rubrum. Exod. 14: 24. Pſ. 77: 18. 19. 20.) *quem probavi ad aquas contentionis*; (Exod. 17: 7.) *Selah.* verſ. 8. *Audi, populc mi*, quem ſcilicet manu validâ eripui ex manu alterius populi, *ut conteſter te*, id eſt, ut te faciam teſtem dictorum & factorum meorum; *Iſraël, ſi audis me*, id eſt, ſi verbum meum noviſti, & ad illud attendiſti. Præfatio hæc eſt, qualis in Decalogo, ſed ποιητικώτερον exornata.

2. Lex. *Ne sit in te Deus alius, & non adorabis Deum peregrinum*, id est, non habebis alium pro vindice, Salvatore, Sanctificatore, Justificatore &c. præter illum, qui id promisit Abrahamo, Isaaco & Jacobo. ℣. 10.

3. Ratio Legis. *Ego* (inquit Angelus Jehovæ,) *sum Jehova Deus tuus, qui te eduxi ex terra Ægypti.* ℣. 1.

4. Suasio legis à bono. *Pande os tuum & implebo illud*, id est, omnia beneficia à me propinante & porrigente in fide accipe, quasi patulo ore. Et hujus obedientiæ ac honoris præmium erit satietas. Hoc modo habebitis me pro Deo. Unica via ac ratio perveniendi ad justitiam hîc traditur credere, quòd Deus sit justitia nostra, & ab eo omnia petere & exspectare. Hic locus clarè docet, quæ sit mens Decalogi, cujus verba prima hic repeti, manifestum est. In ea scilicet non esse fœdus operum, aut legem exigentem opera ad justitiam.

II. Deus Jacobi in medium procedens

2 1. conqueritur de populi incredulitate & inobedientia, vers. 12. *Sed non auscultavit populus meus, & Israël non est assensus mihi*, vers. 12. Probè ex hoc loco animadvertenda est culpa, quam Psalmus improperat populo educto ex Ægypto & festa celebranti, nempe inobedientia adversus hoc verbum: *Non habebis Deum alium* &c.

Hæc est eadem illa veritas, quam defendens Christus fuit ἀντιλεγόμενον à Judæis; imò propter quam à Judæis crucifixus est. Namque id omni sermone Christus docuit 1. se esse Filium Dei, unum cum Patre: neque esse Christum exspectandum, qui sit alius ab eo, qui eduxit Israëlitas ex Ægypto. 2. à se dono accipiendam esse justitiam & vitam & omnia per fidem, quæ est quasi cordis famelici ad justitiam inhiatio. At Judæi Christum ita loquentem judicarunt blasphemum, eique credere noluerunt, seque potiùs dederunt quæstionibus & scrupulis legalibus, & oneri legis aggravando, quærentes suam justitiam stabilire; ut verò templum conservarent, supparasitati sunt Cæsari & Romanis, eorumque adeò Diis, & illius nomen in medium protulerunt, ut Christum ab oculis amoverent per judicium Pilati.

2. declarat

3 (a.) judicium in ipsos. *Et*, hoc est, idcirco, *dimisi illum in obfirmatione cordis sui. Abeant in consiliis suis.* vers. 13. Id est judicium indurationis & excœcationis, de quo alibi prophetæ pleno ore monuerunt.

§.1 (b.) bonum, quo suâ culpâ carent. *Si populus meus audiret me, Israel in viis meis ambularet*, vers. 14. *Brevi inimicos ipsorum flecterem*, id est, subigerem, ut nullam vim ipsis facerent.

quemadmodum diu per tolerantiam divinam coërciti sunt Romani, ne ipsis malè facerent, vel potiùs, ut vi verbi & spiritûs flexi ex inimicis fierent amici.

& contra hostes ipsorum referrem manum meam, ut eos punirem, ℣. 15.

quemadmodum hostes Ecclesiæ Christianæ punivit.

Osores Jehovæ mentirentur ipsi,

quemadmodum gentiles Ecclesiæ Christianæ mentiti sunt; dum confluxerunt, idolis abjectis, ad illam per hypocrisin.

& fuisset tempus ipsorum in sæculum, id est, nunquam intercidisset illa dignitas populi Dei in ipsis; semper in illorum stirpe, ut in gentibus, Ecclesia fuisset;

etiam

etiam mansissent semper in terra sua. ℣. 16. *Et cibasset eum* Christus filius Dei *de adipe tritici*. vers. 17.
(c.) gratiam erga fideles. *Sed ex rupe* Christo *melle satiabo te*, qui credis in me, &c. ℣. 17. 4

PSALMUS LXXXII.

AGit de judicio Christi, quo judicaturus erat terram, id est, populum Judaïcum, & de abolitione rectorum ejus.

A. Sermo fidelium agnoscentium apparitionem Dei in populo, & disceptationem ejus cum diis. *Deus* Filius *stat in cœtu Dei* Patris sui, Dei omnipotentis, 1
id est, in Ecclesia ovium suarum, discipulorum nempe separatorum ab inobedientibus & congregatorum in unum, stat tanquam Mediator ipsorum ad Deum, tanquam propheta, sacerdos & rex illorum; *in medio* illorum aliorum *deorum*, regum & judicum, sacerdotum, doctorum, qui contra ipsum consurrexerunt, verbo suo & potentiâ *judicium exercet*. ℣. 1.

B. Προσωποποιΐα, sive verba Dei judicantis, ℣. 2—7. In his est

I. Increpatio. vers. 2. *Quousque judicabitis iniquum, & faciem improborum accipietis*, id est, absolvetis & justificabitis eos, qui opera legis externè faciunt, nihil autem curant de fide, de misericordia, de judicio, de paupertate spiritûs &c. & in docendo usurpant nomen hominum. Quæ sub vocabulo הכרת פנים *agnitio faciei* etiam notat Esaias cap. 3 : 9. Contrà peccatores resipiscentes & credentes in Christum damnabitis. Confer Ezech. 18 : 19. 25. 29. & eam expostulationem, quæ verbis Christi recitatur Mich. 6 : 10.

Hoc est illud ipsum, quod in Judaïcis antistitibus Christus sæpe arguit, ut Matth. 12 : 7. Joh. 5 : 44. 7 : 24.

II. Mandatum. vers. 3. 4. *Judicate*, facite compotem juris sui, *tenuem & pupillum: inopem & pauperem justificate*, à reatu & accusatione legis absolvite. ℣. 3. *Liberate* ex manu Diaboli *tenuem, & egenum ex manu Improborum eripite*. vers. 4.

Confer Matth. 5 : 3—11. 11 : 28. Contrarium autem fecisse Judæorum principes intelliguntur: clavim scientiæ tollentes, non admittentes ad cognitionem Christi cupidos salutis, Christum & fideles blasphemantes & persequentes.

III. Accusatio inobedientiæ ipsorum, vers. 5. *Non recognoverunt*, *neque attenderunt. In tenebris ambulant*, sunt cœci, Joh. 9 : 39. *Nutant* igitur *omnia fundamenta terræ*. Nulla fides, nulla sanctitas aut charitas, nullus ordo, nulla pax aut tranquillitas. 2 3

Principes ipsi toto die ejulant. etiam Romam profecti, ut lamentarentur sortem suam, & de regibus suis conquererentur apud Cæsarem, seque à Romanis regi peterent. Es. 52 : 5. Confer 1 Cor. 2 : 8.

IV. Sententia. ℣. 6. 7. *Ego*, filius Dei, *dixeram*: (exemplum primum in Mose, Exod. 4 : 16. 7 : 1. Confer cap. 18 : 19.) *Vos estis dii*, id est, vobis credent & parebunt homines, jubentibus ea, quæ ad παιδείαν faciunt, à vobis judicabuntur, quia ad vos verbum Dei factum est, *& filii Altissimi omnes vos*, id est, vobis datum est sedere in throno Dei, & populum Dei habere in potestate: *Sed ut homo*, quemadmodum omnia humana occidunt, *moriemini*, inprimis ad vitam æternam non pervenietis, Joh. 8 : 21. *ut alius principum*, id est, quemadmodum alii reges, *cadetis*. 4

5 C. Petitio, ſive oratio Eccleſiæ. *Surge, Deus, judica terram*, populum carnalem. Ratio: *Nam tu hæreditatem cernes in omnibus gentibus.* ℣. 8.

PSALMUS LXXXIII.

AGit hic Pſalmus de ea afflictione, quæ evenit ſub Joſaphato rege, 2 Chron. 20. Partes ſunt:

A. Propoſitio continens petitionis ſummam, vel potiùs excitans Deum ad citam opem. *O Deus, ne ſit intermiſſio tibi: ne ſileas: neque ceſſes, Deus omnipotens.* ℣. 2.

B. Suaſio, ſive potiùs confirmatio fiduciæ petentis. Ea ducitur ab hoſtium

I. Superbia. *Nam ecce inimici tui perſtrepunt, & oſores tui efferunt caput.* ℣. 3. Non poſſunt pati regnum Dei. contrà ſibi ipſis confidunt, volunt ſancti & juſti videri &c.

II. Propoſito concordi. ℣. 4—9. *Contra populum tuum aſtutè conſilium ineunt, & conſultant contra reconditos tuos.* Omnium idem ſenſus eſt, tollere è mundo nomen Iſraëlis. Id conſilium ut aſtu tegatur, nomen juſtitiæ prætendunt. Sed ſtultum eſt conſilium illud, quamvis aſtutum. Nam id ſuſceptum contra eos, quos Deus repoſuit, tanquam peculium & theſaurum ſuum, electum è mundo. ℣. 4. Conſilium declaratur. *Dixerunt: Agite exſcindamus illos, ne ſint gens*; (Eccleſia dicitur gens ἔθνος ἅγιον 1 Pet. 2: 9. propter regenerationem & ſecretionem ab omnibus populis, ingenio, lingua, moribus) *non commemoretur nomen Iſraëlis ampliùs*, verſ. 5. Concordia. *Nam conſilium capiunt corde unà, contra te fœdus pangunt.* Eſt & quædam concordia in ſapientia humana, ad hoc comparata, ut populus Dei exſcindatur. verſ. 6. *Tentoria Edomi & Iſmaëlitæ, Moabitæ & Hagareni.* הגריאים 1 Chron. 5: 10. 19. 20. ad orientem Gileaditicæ. Dubium, utrum illi ab הגר uxore Abrahami, (nam iidem eſſent Iſmaëlitæ) an ab Ἀγαρ monte Gal. 4: 25. *Gebal* (גבלים 1 Reg. 5: 18. Ezech. 27: 9.) hi ſeptentrionales & occidentales, *& Ammonitæ, & Amalekitæ, Palæſtina cum habitantibus Tyrum.* verſ. 7. 8. *Etiam Aſſur ſe adjunxit illis, extiterunt brachium filiis Lot. Selah.* Filii Lot igitur præcipui ſunt in hoc bello. ℣. 9.

Harum omnium gentium non fit mentio in hiſtoria Joſaphati, ſed tantùm Moabitarum & Ammonitarum, & מהעמונים, id eſt, illorum, qui ultra Ammonitas ſunt, de quibus ſpecificantur habitatores montis Seïr. Quanquam autem non fuerint in exercitibus iſtæ omnes gentes, veriſimile tamen eſt, conſpiraſſe inter ſe, communique egiſſe conſilio, &. ſi initia benè cecidiſſent, cæteras ad opprimendum Judam collaturas fuiſſe omnem opem.

C. Illuſtratio petitionis,

I. Per aſſimilationem plagarum. Hìc

1. Deletionem hoſtium comparat cum duplici ſtrage priſca. 1. *Fac illis ut Midianitis*, (Jud. 7.) 2. ut *Siſeræ, ut Jabino in vallo* vel ad torrentem *Kiſchon*. (Jud. 4.) verſ. 10. *Profligati ſunt* Siſera & Jabin, hoc eſt, Jabinis exercitus, *ad Endor*, (prope Megidduntem. Confer Joſ. 17: 11. & Jud. 5: 19. Ad hoc alludit inter alia Ἀρμαγεδδὼν Apoc. 16: 16.) *facti ſunt fimus agro.* verſ. 11. *Pone illos, principes illorum, ut Oreb & Zeeb*, (Jud. 7.) *ſicut Zebach & ut Tzalmunna omnes unctos ipſorum.* Quatuor duces Midianitarum. Fortè hi 4 angelis ligatis ad Euphratem reſpon-

ſpondent, Apoc. 9. Addit meritum. *Qui dixerunt. Hæreditemus nobis manſiones Dei.* Occupemus Eccleſiæ dominatum, & in ea erigamus cultum Deorum noſtrorum. ℣. 13.

2. Diſſipationem illorum comparat *turbini & paleæ*, ℣. 14.

3. Iram Dei perſequentem *igni & procellæ*, ℣. 15. 16.

II. Per effectum plagæ. Ut

1. partim pudore affecti *nomen Dei requirant*, id eſt, incipiant cogitare, qualis & quantus ſit Deus, ℣. 17.

2. partim intereant, atque ita Dei potentiam, veritatem, ſanctitatem, juſtitiam, regni majeſtatem, & cæteras virtutes ſuo malo per experimentum diſcant. *Pudefiant & conſternentur in æternum, & confundantur, & pereant.* verſ. 18. *Et cognoſcant, quod tu, cujus Nomen Jehova ſolius eſt, ſummus ſis ſuper omnem terram.* Nam de eo controverſia erat; nimirum de regno Eccleſiæ. Solus enim Jehova poteſt eſſe rex Eccleſiæ, quia ſolus hoc nomine vocari poteſt. ℣. 19.

Licet nobis hanc hypotheſin ad theſin revocare, & ſub nominibus hujus Pſalmi eos, qui iſtorum opera imitantur, intelligere, more prophetiarum. Rationes: 1. quòd illa conſociatio & conſpiratio gentium contra Eccleſiam evidentiùs & majori cum mole & molimine pluries poſtea facta eſt. 2. quòd judicium, quale Midianitarum, non tantùm hic, ſed etiam Eſ. 9: 3. de aliis iſtiuſmodi hominibus ac gentibus pronunciatur: item Ezech. 38: 21. de aliis. 3. quòd conſequens hujus judicii, ut demonſtretur Dominus ſolus ſummus ſuper omnem terram, verſ. 19. pleniſſimè exiſtet, domitis aliis hoſtibus potentioribus & furioſioribus.

PSALMUS LXXXIV.

PSaltes prædicat amabilitatem domûs Dei, ſuumque deſiderium illius adeundæ declarat; denique orat Deum, ut in protectionem ſuam regem & regnum ejus recipiat, quò perpetuò liceat domui ejus affixum eſſe.

In oratione, quæ incipit à verſ. 9. eſt myſtica ſignificatio orationis fidelium ſub Novo Teſtamento apertiùs in nomine Chriſti orantium. Quod inſinuant verba verſ. 10. *Vide, aſpice faciem uncti tui.* Quibus Eccleſia ſibi petit omnia bona in rege ſuo, tanquam charo apud Deum, ac intercedente pro ea.

PSALMUS LXXXV.

PRoponitur hic oratio converſorum ex Judæis, tanquam primitiarum, pro converſione gentis ſuæ integræ ad Deum, poſtquam Deus iram & caſtigationes ab Eccleſia Chriſtiana, ut populo ſuo, averterit.

Conſtat Pſalmos

A. Oratione. ℣. 2—8. In ea eſt

I. Commemoratio benignitatis Dei erga Eccleſiam Chriſtianam. *Ingratiam recepiſti terram tuam*, id eſt, eos homines, qui nomen tuum profeſſi ſunt, apud quos fuit regnum tuum; quos per iram rejeceras & tradideras hoſtibus tuis & ipſorum, hos in gratiam recepiſti, tanquam tuos. *Terra* & *rex* ſunt correlata. *Reſtituiſti damna Jacobi*, id eſt, Eccleſia tua, quæ, te irato, corrumpebatur, turbabatur, opprimebatur, disjiciebatur, minuebatur, illa nunc pacem habet, ædificatur & cre-

creſcit in dies. verſ. 2. *Abſtuliſti*, id eſt, condonaſti *pravitatem populi tui, texiſti* (ſic explicatur ablatio) imputatâ juſtitiâ & merito Chriſti, *omnia peccata ipſorum. Selah.* Fuerant enim in Eccleſia & quotidiana delicta, corruptela ingens morum; & inſuper ἀποστασία & ἁμαρτία, hoc eſt, ἀγνωσία Θεοῦ, & veritatis ac Dei perſecutio. verſ. 3. *Abſtuliſti omnem excandeſcentiam tuam, reduxiſti te ab æſtu iræ tuæ.* Id dici non poteſt in pleno ſenſu, niſi poſt effuſas phialas ſeptem, de quibus in Apocalypſi.

1 Quod primo colo verſ. 2. dicitur, impletum eſt, cùm Chriſtus in carnem venit, & annum gratiæ prædicavit.

2 Quod ſecundo colo ibid. dicitur, tum maximè cœpit impleri, quum Euangelium prædicatum eſt in gentibus, & ἥττημα Ἰουδαίων factum eſt πλοῦτος κόσμου, & jacturæ Jacobi ſarciri cœperunt, cum Iſraël incepit hæreditare gentes.

3 Sed & illius populi *pravitas condonata* eſt, cùm Deus Draconem fecit decedere de throno ſuo. col. 1. verſ. 3.

4 Cùmque in eo ſe collocaſſet Beſtia, neque extra culpam eſſet populus, Deus & hoc *peccatum condonavit*, poſt multiplices caſtigationes, cùm Euangelium in lucem reduxit, & populum ſuum ex Babylone eduxit. ibid. col. 2.

5 Populus eductus in officio non manſit, ſed in indignationem Dei incidit. Tamen & hìc Deus *collegit excandeſcentiam ſuam.* ℣. 4. col. 1.

6 Supereſt, ut *ſe reducat ab æſtu iræ ſuæ.* col. 2. ibid.

7 Ex quibus proclive eſt concludere, obſervationem gubernationis Eccleſiæ Chriſtianæ ſecundùm prophetias in judiciis & gratia fore medium converſionis ſi non Judæorum, ſaltem aliorum à populo Dei alienorum.

II. Petitio. Hìc

§.7 1. Propoſitio. *Reduc nos, Deus ſalutis noſter, & abole iram tuam adverſus nos.* verſ. 5. Convenit hæc oratio primitiis fidelium ex Judæis, qui ſanè primi extiterunt, qui à regno Dei & populo ipſius rejecti ſunt, & ita indurati, ut Chriſtianos non eſſe populum Dei judicarent, quique quaſi in ſæculum ſub ira Dei fuerant hactenus. Orant, inquam, illi pro fratribus ſuis adhuc à Deo alienatis, ut Deus illis gratiam converſionis donet.

2. Confirmatio

(a.) à duratione iræ. *Nunquid in ſæculum*, quamdiu ſtat hic mundus, *iraſceris in nos? Protrahes iram tuam in generationem & generationem?* q. d. non tantùm in tertiam aut quintam, ſed in milleſimam, imò omnem ætatem? verſ. 6.

(b.) à gaudio Eccleſiæ ex ipſorum converſione. *An non* cum *tu iterum vivificabis nos, & populus tuus lætabuntur in te?* verſ. 7.

3. Concluſio petitionis ſpecialior. *Fac nos videre, ô Jehovah, gratiam tuam,* ut intelligamus ſcilicet rationem ſalutis & juſtificationis per gratiam, id eſt, Chriſti redemtionem & ſatisfactionem ac donationem juſtitiæ ejus, non ex merito aut opere ullo proprio. *Et ſalutem des nobis*, id eſt, applices nobis meritum Filii tui per gratiam Spiritûs Sancti in fide, ut ſciamus, eam noſtram eſſe. Nota. Datio fidei eſt datio Chriſti, & ſic ſalutis, quam peperit Chriſtus. verſ. 8.

B. Repræſentatione

1. per proſopopœïam Judæorum profitentium attentionem ad verbum Dei. *Au-*

ſcul-

ſcultabo, quod loquitur Deus ille omnipotens Jehovah. Nam loquitur pacem ad populum ſuum, & ad pios ſuos, & ne revertantur ad ſtultitiam. Duo ſe in verbo Dei obſervaſſe confitentur. 1. quòd Deus *loquatur pacem*, id eſt, ſublationem intergerini parietis, ad conciliandam pacem inter Judæos & gentes. Deum enim pacem loqui *populo ſuo*, qui tum erat Iſraël, & *piis ſuis*, nempe piis gentium, omnibus diligentibus ſe, ut & R. David agnoſcit. 2. *Ne revertantur*, vel *abeant ad vanam fiduciam* in ſeſe, aut operibus ſuis. Tale interdictum includit præceptum fidei. verſ. 9.

II. per proſopopœïam Judæorum gratulantium ſibi de divina gratia & benedictione. Ea

1. indicatur generaliter. *Certè propinqua eſt timentibus ipſum ſalus ipſius, ut habitet gloria in terra noſtra.* Deus in Chriſto ſalutis auctore *timentibus ipſum*, hoc eſt, credentibus in ipſum *propinquus eſt*, ut exaudiat ipſorum vota, atque ità efficiat, ut in *terra noſtra*, id eſt, in gente noſtra, quæ erat rejecta & abalienata à Deo, habitet *gloria*, id eſt, ipſe per Spiritum ſuum Sanctum, & ita omnis credentium copia per communionem ſanctorum, verſ. 10.

2. ſpecialiter explicatur ratione donorum. Hic

(a.) fons omnium bonorum. *Gratia & veritas occurrunt ſibi invicem*, id eſt, ex parte Dei dilectio non tantùm ingens & enixa, ſed & cum pleniſſimo effectu & exhibitione omnium promiſſionum & umbrarum, una ſuper aliam manifeſtatur, & noviſſima cum prima certat. χάριν ἀντὶ χάριτος. Joh. 1 : 16.

(b.) ſumma bonorum Eccleſiæ. *Juſtitia*, id eſt, remiſſio peccatorum, & donatio juris ſperandi vitam æternam, quod jus obtinetur per fidem, *& pax* non tantùm apud Deum, ſed & inter homines; hæc eſt charitatis mutuæ, ſecundùm dona à Deo diſtributa, exercitium, ſine omni diſcrimine gentium, *ſeſe exoſculantur*, verſ. 11.

(c.) medium illorum bonorum accipiendorum. *Veritas*, id eſt, cognitio & fides veritatis, *ex terra progerminat*, id eſt, magis magiſque eluceſcit & effloreſcit ex hominibus, qui ſunt in terra viventium, in Eccleſia: *& juſtitia ex cœlo proſpectat*, id eſt, gratioſa juſtificatio credentium, omni abundantiâ donorum ſpiritualium cœlitùs effuſorum in Eccleſiam, magis magiſque manifeſtatur. verſ. 12.

(d.) efficacia donantis Dei, in celeritate fructûs, & propagatione juſtitiæ ad plures. *Simul Jehova dat bonum & terra noſtra dat proventum ſuum*, fructus maturos, integros. verſ. 15. *Juſtitia ante ſe procedet*, id eſt, progredietur, non ſubſiſtet.

Et ponet in via pedes ſuos, id eſt, à nemine impedietur pietas & doctrina juſtitiæ, ſive ob coërcitionem Improborum, ſive ob fidei menſuram citiùs & generoſiùs omnia obſtacula vincentis. verſ. 16.

PSALMUS LXXXVI.

ORatio Davidis, (verſ. 1.) quâ omnibus fidelibus in hoc mundi ſtadio ad metam 2.
cæleſtis beatitudinis currentibus, interimque cum improborum inſidiis & tyrannide conflictantibus exemplum benè orandi præbet. Partes duæ ſunt:

A. Orans fiduciam ſuam confirmat, verſ. 1—10. Hic

I. Ex parte orantis eſt

1. Humilitas: *Inclina, Jehova, aurem tuam; reſponde mihi, quia inops & egenus*

egenus ego sum, id est, desunt mihi vires omnes, quibus quicquam agam aut præstem, nisi tu eas mihi dones; desunt mihi omnia bona, quibus coram te felix beatusque sim, nisi tu mihi ea largiaris. vers. 1.

2. Apprehensio fœderis Dei in bona conscientia. *Serva animam meam: quia pius ego sum*, meque separo à mundo, qui te non novit, neque curat, etiamsi nomen tuum in ore ferat. *Salva servum tuum*, tibi obedientem, (*tu es Deus meus*) *qui confidit tibi*. Testatur fidem suam, sive obedientiam relatam ad fœdus. vers. 2.

3. Perseverantia petendi in spe. *Gratiam mihi fac, ô Jehova; quia ad te clamo toto die*. vers. 3.

4. Cupiditas vera & seria bonorum Dei, cum abnegatione bonorum mundi. *Lætifica animam servi tui; quia ad te animam meam effero*. vers. 4.

II. Ex parte Rogati consideratur

1. Natura Dei declarata in verbo ejus, & promissio generalis. *Quoniam tu, Jehova, bonus & ignoscens es*; &c. vers. 5. *Aures accommoda, Jehova, ad orationem meam*, &c. vers. 6.

2. Veri Dei solius, cum exclusione aliorum Deorum, adorabilitas.

(a.) quia solus *respondet*, & habet voluntatem exaudiendi. vers. 7.

(b.) quia solus habet potentiam, qualem nulli habent. vers. 8.

(c.) quia omnes gentes, relictis diis operibus manuum suarum, redibunt ad Deum. *Omnes gentes, quas fecisti, accedent & adorabunt coram te, Domine, & gloriam dabunt nomini tuo*, id est, nomen tuum extollent supra omne nomen, quod nominatur in cœlo & in terra. Is erit fructus patientiæ, constantiæ & precum Ecclesiæ, hæreditas mundi, & regnum in Deo. Hæc spes est opposita metui nominis & potentiæ humanæ, & reverentiæ regni Antichristi. ℣. 9.

Agnoscit Kimchius conversionem gentium sub Christo ex hoc loco.

(d.) quia solus Deus est: ideoque solus adorandus & invocandus. *Quia* (respicit ad proximè præcedens, & ad remotius.) *magnus tu es* (non alius.) *& faciens mirabilia. Tu Deus solus es*, neque alius pro Deo, aut socio ejus, aut vicario habendus est. vers. 10.

B. Petitionem suam explicat. Petit autem

I. Illuminationem & directionem. *Monstra mihi, Domine, viam tuam; ambulem in veritate tua*, id est, non tantùm fiam eruditior in mysteriis tuis, sed etiam inscribe legem tuam menti meæ, ut semper ob oculos versetur, neque ullas oblocutiones peccati & carnis sentiam, atque ita ambulem in veritate tua, sive in sinceritate, quam præcepisti. ℣. 11.

II. Purgationem animi & flexionem ad timorem sive reverentiam nominis Dei. *Aduna cor meum ad reverendum nomen tuum*, id est, expurga illud ab omni nequitia & duplicitate, ut unicè nomen tuum habeat in reverentia: circa alia bona non trepidet, nullam crucem pertimescat. vers. 11. *Confitear te, Domine, ex toto corde meo, & glorificem nomen tuum in seculum*. Is est effectus timoris sinceri nominis Dei, ut, quod in magno bono habemus, cujusque communionem studiosè quærimus, id curemus confiteri & glorificare. vers. 12. Objectum *εὐχαριστίας*
1 *καὶ ὁμολογήσεως*. *Quod gratia tua magna sit circa me, & eripueris animam meam ex loco infimo*, id est, ex reatu & dominatu peccati & mortis, tristitiâ desperatione, morte æternâ. ℣. 13. Verùm quia piis in hoc ævo semper luctandum est cum mundo, orat

III. Auxi-

III. Auxilium & consolationem. Hic est

1. narratio de mundi violentia & impietate. *O Deus, protervi insurrexerunt* 3
contra me: & cœtus violentorum quæsiverunt animam meam, & non posuerunt te vel justitiam tuam *ante oculos*. Sunt עדת עריצים, qui se jactant pro עדת צדיקים. Hoc exaggeratur à divina longanimitate & bonitate. *Atqui tu es, ô Domine*, (q d. quanquam tu sis) *Deus misericors & gratiosus, longanimis & multus gratiâ*, multis beneficiis alliciens peccatores ad te. vers. 14. 15.

2. petitio. *Respice ad me, & gratiâ me complectere.* Ad quid? 4

(a.) *Da robur servo tuo*, ad constantiam; *& salva filium ancillæ tuæ*, ne mala me opprimant, vel angustent. vers. 16.

(b.) *Fac mecum signum in bonum, ut videant osores mei & pudefiant, quia tu,* 5
ô Deus, auxiliatus fueris mihi & consolatus fueris me. vers. 17. *Signa*, ad consolationem scilicet, quemadmodum *auxilium* est in datione roboris.

PSALMUS LXXXVII.

PRædicat hic Psalmus Tsijonem tum in figura, tum in veritate, id est, urbem Hierosolymam terrestrem & cœlestem, sive Ecclesiam electorum & fidelium, cui se Deus revelavit in Sione; ob singularem felicitatem. Partes:

A. Thesis. *Cujus fundatio est in montibus sanctitatis*, id est, Jehova, qui ha- §.2
bet Ecclesiam fundatam & exstructam non in uno monte, sed in multis *montibus*, sive regnis ac populis, partibusque terræ, quas voluit sanctificare per prædicationem Euangelii sui, vers. 1. Is, inquam, *Jehova amat portas Sionis præ omni-* §.1
bus tabernaculis Jacobi; desertis enim iis omnibus locis, in quibus Israël habitat, Sionem & ei adhærentem montem Morijam, eamque Ecclesiam, quæ patefactione Dei eo in loco fruitur, elegit ex omnibus tribubus, ut in ea veritatem omnium suarum promissionum probaret. ℣. 2.

B. Illustratio

I. à verbi Dei annunciatione in illa per Christum. *Gloriosa eloquio exponuntur in* 1
te, per os Christi & discipulorum ejus, *urbs Dei. Selah.* vers. 3. Appellatur urbs Dei, quòd ipse Dominus ad eam & Ecclesiam in ea venturus esset.

II. à conciliatione pacis inter Israëlitas, cives Sionis, & gentes per fidem, per 2
quam gentes implantantur Sioni, & ipsa fit mater omnium. *Faciam in memoria esse Rahab*, id est, Ægyptum, ex Exod. 10: 3. *& Babylonem cognoscentibus me: Ecce Palæstinam & Tyrum, cum Æthiope; qui natus est ibi*, id est, gentes alienissimas à republica Israëlitica faciam ei esse domesticas & indigenas, non ex generatione carnali, sed ex generatione spirituali per verbum Dei. *Memoria* est pacis, amicitiæ, curæ tanquam fratrum. *Noscentibus*, inquit, *me*. Nam alii rejicientur. ℣. 4.

III. à totius mundi subjectione. *Et Sioni dicetur: Quilibet natus est in illa*, 3
id est, tandem per illam doctrinam, quæ exibit Sione, ita totus mundus illuminabitur, ut deserantur idola, & plerique professionem legis Sionis, nomenque civitatis ejus suscipiant, & hostes ejus mentiantur ipsi. ℣. 5.

IV. à perpetua sustentatione ipsius Dei. *Et ipse constabiliet illam Altissimus*, ut 4
nec portæ inferni, nec hæresis aut apostasia illam, hoc est, Ecclesiam, quæ ibi in Christum credidit, evertat. *Ipse* scilicet sine ulla causa socia, sive instrumentali sive subordinata. *Stabiliet* autem, omnia suppeditando, quæ ad fidem & pietatem & constantiam sunt necessaria. ℣. 5.

5 V. à luſtratione Dei ad ſeparandum bonos à malis *Jehova recenſebit in deſcribendis populis, qui natus eſt ibi.* Suſtentationi in periculis ac tentationibus ſuccedit ſecretio bonorum à malis. Ea ſecretio comparatur luſtrationi exercitûs vel populi, ἀπογραφῇ. Nempe Deus eos, qui Sione nati ſunt, in ſingulari libro vitæ nominatim ſcribet, & efficiet quoque, quemadmodum in politia & militia fieri ſolet, ut, qui ſunt ſub aliis capitibus, quiſque dicat, cujus populi eſſe velit & cum illo populo ſcribatur; &, qui Dei ſunt, id profiteantur, ut appareat, eorum nomina ab æterno in libro vitæ ſcripta eſſe. verſ. 6.

6 VI. ab Eccleſiæ lætitia & concordia & plenitudine. *Et canunt inſtar choreas ducentium omnes mei rivi in te*, id eſt, filii mei ex regeneratione, cum lætitia prædicant in te canticum Moſis & agni, idque concorditer & cum ordine, ut ii, qui choros agunt. verſ. 7.

PSALMUS LXXXVIII.

IN hoc Pſalmo paſſiones Chriſti cum κραυγῇ & δακρύων clamore & lachrymis ad Patrem repræſentantur. Habet

A. Petitionem. *Jehova, Deus ſalutis meus: dies* lucis & gratiæ, quem attuli hominibus, dum fui cum ipſis, *quo clamavi*, quem cum clamore tranſegi, *de nocte*, imminente jam horâ & poteſtate tenebrarum, *coram te eſt*, verſ. 2. *Veniat coram te oratio mea, inclina aurem tuam ad clamorem meum.* verſ. 3.

B. Confirmationem à dolore & triſtitia ſua. Ea

I. Significatur. *Nam ſaturata eſt anima mea malis, & vita mea ad orcum acceſſit*, id eſt, tantus me dolor & anxietas tenet, ut neceſſe ſit, me ab eo extingui, niſi recrees me. Eſt autem hæc maximè triſtitia à ſenſu iræ divinæ, & dolore ob peccata hominum. verſ. 4.

Convenit Chriſti querela: *Triſtitiâ obruitur anima mea uſque ad mortem.* Matth. 26: 37. 38.

II. Illuſtratur à cauſis.

1. à ſcandalo eorum, quibus pro Salvatore propoſitus erat.

(a.) in genere. *Reputatus ſum cum* latronibus *deſcendentibus in foveam* corruptionis, cui nulla ſalus in Deo ſit; adeoque *extiti ut vir ſine viribus.* (confer Eſ. 53: 4.) verſ. 5. In cauſis ſcandali eſt 1. ſpecies infirmitatis, ut in homine ψιλῷ. De quo viſum eſt. 2. Species ſequeſtrationis à vita & conſervatione Dei. *Extiti in mortuis*, inter morientes, *liber*, publicatus omnium oculis & ludibriis, *ut exanimes*, violentâ morte interemti, *qui jacent in ſepulchro* improborum, id eſt, in cruce ſuſpenſi ſunt, corruptioni obnoxii, (loquitur Chriſtus in cruce hærens, necdum mortuus.) *qui manu tuâ*, ut Dathan & Abiram, *exciſi ſunt*, ut nunquam reſurrecturus ſim in ſorte juſtorum. 3. Exinanitio ipſius, tanquam ſponſoris, ad extremum uſque fundum miſeriæ & doloris. *Poſuiſti me in fovea profundiſſima, in tenebris, in abyſſis. In me incubuit æſtus tuus*, quem concepiſti erga peccatum, quod in me, ut ſponſor, ſuſcepi, *& omnes fluctus tuos reſonare feciſti.* Senſi ſcilicet infernalem pudorem & dolorem & angorem, & vividè omnibus judiciis Dei, quæ in æternum preſſura erant homines, tactus & perculſus fui. ℣. 7. 8.

(b.) in ſpecie diſcipulorum, & ſectatorum. *Elongâſti notos meos à me, poſuiſti me abominationes ipſis; incluſum, ut non exirem.* ℣. 9.

In

In ſpecie Judas hic notatur, cui ſive cujus manibus Deus ipſum poſuit *inclu-ſum, ut non exiret*, ſed ut captus & vinctus ſacerdotibus traderetur.

2. ab amore ac deſiderio ſalutis ſcandalizatorum. Oſtendit

(a.) deſiderium ſuum. *Oculus meus tabeſcit præ imbecillitate*, ex longa & vana exſpectatione ſcilicet: *invocavi te, Jehova, omni die: expandi ad te palmas meas* verſ. 10.

(b.) rem deſideratam per formulam precationis. *Nunquid mortuis facies miraculum? an computrefacti ſurgent, confitebuntur te?* ſcilicet in hoc mundo, ut alios ad fidem adducant. ℣. 11. *An narrabitur in ſepulchro gratia tua? veritas tua in Interitu?* verſ. 12. *An cognoſcetur in tenebris mirabile tuum, & juſtitia tua in terra oblivionis?* verſ. 13. Præſupponitur, Deum mirabile patrare ad fidem hominum, narrari gratiam & veritatem ſuam, cognoſci mirabile ſuum & juſtitiam ſuam velle. Unde ſequitur concluſio 1. non convenire, ut Deus relinquat ipſum in mortuis, per quem debeat mirabile Dei patrari, gratia & veritas ejus narrari, &c. 2. non convenire, ut permittantur homines ſcandalizari, ac ſic mori & indurari in peccatis ſuis; ſed magis, ut eos vindicet ab iſta morte.

(c.) argumentum à ſua juſtitia. *Et ego* ad Patrem *vociferatus ſum* ex anguſtia cordis mei, *& matutino oratio mea coram te apparuit.* verſ. 14. Eſt hæc oratio ſacerdotis ſe ipſum offerentis.

3. à privatione ſolatii

(a.) divini, ſive rejectione & occultatione faciei in maximis terroribus. *Quare, Jehova, rejicis animam meam? occultas faciem tuam à me?* verſ. 15. *Inops ego ſum & exſpirans præ teneritudine. Tuli terrores tuos, animo linquor.* verſ. 16. *Obruerunt me omnes æſtus tui, conſternationes tuæ profligârunt me.* verſ. 17. *Circumdederunt me toto die, cinxerunt me coronâ pariter.* verſ. 18. Apparet, Chriſtum verè infernales dolores guſtâſſe pro nobis & iram Dei pertuliſſe.

(b.) ſocialis in conſortio tenebrarum. *Elongâſti à me amantem & ſocium: noti mei ſunt tenebræ.* verſ. 19.

Inter illos fuerat Petrus ipſum abnegans.

PSALMUS LXXXIX.

EXplicat prophetiam de regno Davidis, quæ eſt 2 Sam. 7. Nam & veritatem illius in Chriſto videt & affirmat, & caſtigationem filiorum Davidis carnalium, per regni dejectionem & abolitionem in domo Davidis, deplorat verbis poſterorum. Partes conſtitui poſſunt quatuor:

A. Celebratio gratiæ & veritatis Dei in Chriſto, ſecundùm verbum ſuum ex ſemine Davidis excitando; quà thronum ejus erecturus & regnum perpetuaturus erat. Hic eſt

I. Celebratio de toto Iſraële ſpirituali promiſſa. Vide

1. Profeſſionem decretæ celebrationis. *Gratias Jehovæ*, id eſt, amorem illum, qui promiſſionibus, quæ Patriarchis factæ ſunt, continetur, qui eſt ad bonum æternum, non tantùm populi Judaïci, ſed omnium filiorum Dei diſperſorum per totum mundum, *in ſæculum canam, in generationem & generationem notificabo veritatem tuam* (ea ſpectatur in complemento promiſſionum.) *ore meo.* verſ. 2. 2

2. Fontem hujus profeſſionis, *fidem*, ſubnixam verbo Dei. *Quia dixi*, id eſt,

1 credidi, eique verbo atteſtatus ſum. *In ſæculum gratia ædificabitur*, id eſt, a-
mor Dei in Chriſto erit æternus & immutabilis: *Cœli! in eis*, id eſt, in cœlis,
conſtabilies, ſive conſummabis, *veritatem tuam* impletam in terris: quemadmo-
dum Chriſtus dicitur habere regnum ſupercœleſte, non de hoc mundo, & nos
dicimur habere politiam in cœlis &c. verſ. 3 Secundùm verbum tuum. quod di-
xiſti: *Pepigi fœdus electo meo, juravi Davidi ſervo meo.* Eſt hæc præfatio quæ-
dam, quâ declaratur immutabilitas decreti de gratia Davidi conferenda, ſub me-
taphora fœderis & juramenti. ℣. 4. *uſque in ſæculum conſtabiliam ſemen tuum*, Chri-
ſtum nempe & fideles, ut in ſæculum vivant, *& ædificabo in generationem & ge-
nerationem ſolium tuum*, regnum illud cœleſte, cui præficiendus ſuo tempore
erat Chriſtus ex ſemine Davidis ſecundùm carnem natus. Cujus thronus dicitur
thronus David, propter communionem ἀναλόγων. *Selah.* verſ. 5.

II. Celebratio de Angelis Dei prædicta. *Et confitebuntur cœli*, id eſt, angeli
§.1 cœli. Ita verſ. 7. explicatur. *mirabile tuum, ô Jehova.* Quid mirabilius eſt,
quàm Deum fieri hominem? Quod & Angeli cupiunt introſpicere, 1 Pet. 1 : 12.
Itaque Deo revelato in carne, ſeſe, ut Domino ſuo, ſubmittent. 1 Tim. 3 : 16. *Et
veritatem tuam in panegyri ſanctorum*, id eſt, in collectione totius Eccleſiæ, quæ
in cœlis & quæ in terris. (confer Epheſ. 3 : 10.) verſ. 6. Ratio hujus confeſſionis
§.1 à divina excellentia præ omnibus. Quod dicitur: *Nam quis in æthere æquipara-
bit Jehovam, par erit Jehovæ inter filios potentium?* verſ. 7. Divina excellentia
probatur

(a.) à multitudine eorum, quos ſanctificat, & eorum filiali timore erga ipſum.
2 *Deo, qui timetur in concilio ſanctorum amplo. Amplo* oppoſitè ad paucos illos,
qui ad ſanctitatem veram ante Chriſtum ex Iſraëlitis pervenerunt. ℣. 8.

3 (b.) à timore, qui accidit omnibus eis, qui circa ipſum ſunt. *Et timendo ſuper
omnes, qui circa ipſum ſunt.* Undiquaque omnes, ad quos pervenit cum Euan-
gelio, ſceptro regni ſui, commoventur, alii ad obedientiam fidei, alii ad ſtupo-
rem & conſternationem, quæ tandem etiam pateſit in iis, qui ſe ipſius regno
opponunt. ℣. 8.

§.1 (c.) à manifeſtatione gloriæ virtutis & veritatis. *Jehova, Deus exercituum,
quis, ut tu, eſt præditus decentiâ? & veritas tua eſt circa te.* ℣. 9. Hæc declaran-
tur in

4 (α.) gubernatione elati *maris*, id eſt, mundi, ejuſque *ſedatione. Tu domina-
ris in elationem maris. Quum extollit fluctus ſuos, tu illos ſedas.* ℣. 10.

5 (β) enervatione hoſtium ſeſe opponentium ipſi. *Tu enervaſti inſtar exanimi
ferociam.* רהב. De Ægypto propria, an ſpirituali, ſermo eſt? *Per brachium robuſtum
tuum diſſipaſti inimicos tuos.* ℣. 11.

6 (γ) cœli & terræ conſtitutione. *Tuum eſt cœlum, etiam tua eſt terra: frugi-
fera & plenitudo ejus; tu fundaſti illa*, id eſt, Tui juris ſunt omnia, tibi miniſtrant
ipſi angeli. Propriè hæc & hieroglyphicè intelligi poſſunt. ℣. 12.

7 (δ) in extenſione limitum Eccleſiæ veræ. *Aquilonem & Meridiem tu creaſti,
Tabor* (ad occidentem terræ ſanctæ) *& Chermon* (ad orientem) *in nomine tuo ju-
bilant.* q. d. Tu non deſeris Eccleſiam tuam, ſed producis novâ ſpiritus gratiâ,
qui ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occaſum, verbum tuum pro-
fiteantur, inque ejus cognitione exultent. ℣. 13.

8 (ε.) in victoria *Tibi eſt brachium cum præpollentia, invaleſcit manus tua, effer-
tur dextra tua*, ut nemo hoſtium Tibi ampliùs reſiſtere audeat, ſed cogantur Tibi
gloriam dare. verſ. 14. (ζ.) in

(ζ.) in ratione regni administrandi perpetua. *Justitia*, id est, obedientia tua, qua Deus sanctus sanctificatus est, *& judicium*, quo peccatum accusans condemnatum est in carne, *sunt basis solii tui: gratia & veritas versantur coram facie tua*. In iis totus es; hæc habes ante oculos. ℣. 15. §. I

II. Celebratio populo Dei injuncta per μακαρισμὸν, sive cum ratione felicitatis. Vide

1. Excitationem sive thesin. *Beatus populus, noscentes jubilum*, sive clangorem. *O Iehovah, in luce faciei tuæ ambulant*. vers. 16. *in nomine tuo exultant toto die, & in justitia tua efferuntur*. vers. 17. *Populus*, id est, omnes, cujuscunque gentis sint, *qui norunt* jubilare regi suo, id est, ipsum glorificare, eique gratias agere. Causæ jubilationis: quòd (*a.*) *in luce vultûs Dei ambulant*, id est, fide amplectuntur omnia ipsius beneficia, sicque accedunt ad lucem Dei, & coram Deo propitio ambulant. (*b.*) *in nomine ipsius gaudent toto die*, id est, quia norunt Deum revelatum in verbo & in opere, ut recognoscant, factum esse, quod se facturum promiserat; ideoque nullâ tristitiâ afficiuntur, vel terrentur afflictionibus. (*c.*) *in justitia ejus efferuntur*, quum omnia in Christo possideant, nihil tamen sibi & meritis suis attribuunt, sed omnia Deo & Christo promerenti adscribunt. 9

2. Confirmationem à bono istius populi. *Nam decus roboris ipsorum tu es; & in benevolentia tua*, quâ nos acceptos habes, reconciliatus in Christo, *exaltabitur cornu nostrum*, quod nunc dejectum & prostratum est in terram. vers. 18. *Quia clypeus noster*, in quo confidimus, non est clypeus noster, clypeus carnis & sanguinis, sed clypeus *Iehovæ*, à Deo ipso ordinatus, clypeus Dei & divinus; *& rex noster*, à quo speramus salutem, non est rex noster, hoc est, à nobis lectus, & constitutus, sed rex *Sancti Israëlis*, quem unxit sanctus Israëlis, (Ita Pf. 2:8.) id est, cui & propter quem Israël sanctus est. vers. 19.

B. Deploratio diuturnæ castigationis. vers. 20—46. Hic est

I. Commemoratio divinæ declarationis de

1. Davide. *Tunc locutus es in visione pii tui*, id est, cùm illi voluntatem tuam manifestares. David חסיד vocatur, ab eo, ut videtur, studio, quod habebat ædificandi Deo domum, atque ita religionem, cultum Dei, exercitiorumque pietatis & fidei perpetuum ordinem constituendi. De quo vide 2 Sam. 7:2. *Et dixisti*: De Davide declaratur 1

(a.) Electio & ordinatio. *Posui adjutorium in præpollente*, id est, adjutorium meum & virtus mea in Davide erit efficax ad victoriam omnium malorum & arduorum; *extuli juvenem è vulgo*. Hoc colo ostenditur mirabilitas hujus adjutorii, quia David nihil erat, nisi juvenis ex vulgo, nullis facultatibus aut copiis, nullisque ex ætate viribus. Erat enim summum *juvenis*, ut qui nec militatum mitteretur. Quemque ipse parens coram Samuële sistere neglexerat. vers. 20. *Inveni Davidem servum meum*. Hic indicatur animus in Davide sincerus. Paulus Act. 13:22. id explicat ex Ef. 44:28. Inveni virum secundùm cor meum, *qui faciet omnes meas voluntates*, ut indigitet, Davidem ad hoc excitatum fuisse, ut cultum Dei & religionis exercitium constitueret, vel saltem hoc secundùm ipsius præceptum, ex materia & bonis ab ipso præparatis à filio ipsius præstaretur. *Oleo sancto meo inunxi eum*. Ordinatio Davidis significatur. Nec tam unctio externa, quàm interna, cujus illa symbolum, denotatur: vers. 21.

(b.) Defensio. *Cum quo manus mea firma manebit, etiam brachium meum roborabit*

rabit eum. verſ. 22. *Non aget exactorem*, obedientiæ vel tributorum, *inimicus in eum* *& filius iniquitatis non ſubiget illum.* verſ. 23.

(c.) Vindicatio *Et contundam a facie ipſius hoſtes ejus*, *& oſores ipſius plagâ afficiam.* verſ. 24.

(d.) Exaltatio. *Et veritas mea ac gratia mea*, ſive imperſus amor & ſtudium meum *cum ipſo erit*, *& in nomine meo extolletur cornu ejus*, verſ. 25. *Et ponam in mari manum ejus* lævam, ſcilicet in Palæſtina *& in fluminibus*, in Meſopotamia (confer Pſ. 60: 2. 2 Sam 8.) *dextram ejus.* Explicatur illud, *in nomine meo*, per conſequentia. *Ipſe vocabit me*, *Pater meus es tu*, *Deus meus*, *& rupes ſalutis meæ.* verſ. 26. *Etiam ego Primogenitum faciam illum*, primas & potentiores partes illi dabo præ omnibus principibus & magiſtratibus, rectoribus & ſervis Dei, qui filii Dei ſingulari ratione dicuntur Pſ. 82: 6. Alterum tantum gloriæ & majeſtatis ei dabo.

In hoc David etiam eſt typus Chriſti, qui πρωτότοκος non modò propter ὑπεροχήν; ſed quia prior eſt omnibus principibus & filiis, ut qui ſolus ad principatum ſuum fundandum mortuus ſit, & reſurrexerit ex mortuis; per quem, ut ἴσον τῷ πατρί, æqualem Patri, omnia ſint condita, & conſtent. Unde & Heb. 1: 5. dictum, *Ego ero ipſi in Patrem*, Chriſto, ut unigenito appropriatur.

2. de ſemine & regno. Hic

7 (a.) Theſis. Perpetuatum iri in ſæculum. *In ſæculum ſervabo ipſi gratiam meam*, *& fœdus meum firmum ipſi eſt*, verſ. 29. *& ponam in æternum ſemen ejus*, *& ſolium ejus*, *ut dies cœli.* verſ. 30. Quatenus concernit hæc prophetia filios Davidis & regnum eorum mundanum & ſtatum populi externum, intelligenda eſt ſecundùm naturam iſtius regni, nimirum de duratione longiſſima, quâ durare regnum mundanum poteſt, & quatenus id regnum eſt citra præjudicium regni Chriſti. De ſolio verò Chriſti ſi intelligatur, indicatur τὸ ἀνίκητον καὶ ἀήττητον, quia invictum ſit in lucta illa inter medios hoſtes, quæ durat cum diebus cœli. Cæterùm & de omni æternitate, ſine exceptione intelligi debet; & propterea dicitur לעד *in æternitatem*, quod omne principium vel finem excludit.

(b.) Theſeôs illuſtratio per negationem oppoſiti, ſcilicet abolitionis ſeminis & regni, quamvis filios peccantes velit caſtigare ad ipſorum bonum & ſanctifica-
2 tionem nominis divini. *Si deſerant filii ejus* ſecundùm vim carnis, ſive rêges, ſive ſubditi, vel qui in veſtigiis fidei ejus ambulant, fideles, *legem meam*, ab unica ſalutis via ad aliam recedentes, & *in judiciis meis non ambulent*, abnegantes timorem Dei ut juſti judicis, neque verentes conteſtationem additam legi de damno peccatoris; verſ. 31. *Si ſtatuta mea violent*, iis addendo vel detrahendo quicquam, *& præcepta mea*, ſive ea, quæ Deus exigit, ut glorificetur à nobis, *non*
3 *obſervent*, verſ. 32. *Tum viſitabo* quidem *virgâ defectionem illorum*, *& plagis pravitatem illorum*, hoc eſt, ſemel atque iterum illos feriam. Inter illas plagas eſt regni à ſemine carnali ablatio, & populi rejectio; (vide verſ. 40. 45.) in Novo Teſtamento variæ filiorum Dei caſtigationes, quæ tamen modum humanæ naturæ
7 & conditionis non excedunt. (2 Sam. 7.) ℣. 33. *Sed gratiam meam*, charitatem meam æternam & ineffabilem erga ipſos in Chriſto, *non faciam irritam ab ipſo*, *& non fallam veritatem meam*; namque ut ipſe immutabilis ſum, ita amor ille nunquam labefactabitur aut minuetur, & propoſitum exſequar: verſ. 34. *Non violabo* vel profanabo *fœdus meum* ſive certiſſimum propoſitum, quo ipſis Chriſtum & omnia

omnia bona destinavi, *& prolatum labiorum meorum*, quo ipse testis factus sum hujus mei propositi, *non mutabo.* vers. 35. *Semel juravi in sanctitate mea*, ut omnem ipsis dubitationem penitùs tollerem, interpositâ sanctissimi nominis mei veluti hypothecâ: *Si Davidi mentiar!* *Si* formula tacitæ exsecrationis. vers. 36. *Semen ejus* (Emphaticè, & in distinctione *filiorum ejus* & in numero singulari, cùm *non dicat* Scriptura in plurali, *Et seminibus*, Gal. 3:16. intelligitur certus aliquis è filiis Davidis, benedictionis auctor, & certum genus filiorum, benedictionum particeps futurum; nimirum quod ex promissione.) *in sæculum erit*, id est, in perpetuum vivet, vel eorum propagatio erit perpetua secundùm omnes ætates totius mundi; *& thronus ejus, ut Sol, coram me.* vers. 37. *ut Luna, confirmabitur in sæculum.* Intelligitur perpetua duratio regni Davidis, id est, regni populi Dei, partim externi & politici, quale David tenuit; partim spiritualis & cœlestis, quale Christus. Quod dicitur idem regnum propter analogiam utriusque, Christi & Davidis. Vi hujus promissionis necesse est, ut solium Davidis politicum, id est, politia Israëlitica, non planè aboleatur, ut nunc ita sublata est, ut ejus in veteri forma legali restituendæ nulla sit spes, antequàm Christus regnum suum spirituale inchoaverit, ideoque Christus venerit, stante adhuc republicâ Judaïcâ. Additur in fine: *Et testis est in cœlo fidelis, sive verax.* Possunt esse verba Dei, fidem suam allegantis, vel etiam signum fidei suæ in conservatione cursûs Solis & Lunæ in cœlo ostendentis: Possunt item attribui Psalmistæ subsumenti κατ' ἀνθυποφορὰν: qui sensus commodior est. ℣. 38.

II. Subsumtio rem comparans cum divina declaratione.

1. de teste. *Et testis in cœlo est locuples* vel *permanens. Selah.* ℣. 38. q. d. Tu fidelis repertus es & verax in comminatione: jam igitur cernamus veritatem tuam in præstatione promissionis. §. 3

2. de re promissionis. Opponitur

(a.) Affectus iræ amori & gratiæ. *Et tu rejicis* (respicit ad רצון, quod est vers. 18. & חסד vers. 25. & 34.) *& spernis* sive reprobas, (oppositum electioni, de qua vers. 20. 21.) *irasceris cum uncto tuo*, (oppositum unctioni, vers. 22.) vers. 39. *Rupisti fœdus servi tui*; (respicit ad vers. 21. *Davidem servum meum.*)

(b.) Effectus iræ effectibus gratiosis sive beneficiis. *Profanâsti ad terram coronam ejus*, tanquam rem vilem, profanam & minimè sacro-sanctam dejecisti in terram. Abjectio diadematis notat privationem potestatis. (Oppositum vers. 25. 26.) vers. 40.

Implementum est in Rehabeamo, à quo decem Tribus defecerunt; in aliis, à quibus Idumæi &c.

Diruisti omnes macerias ejus, posuisti munitiones ejus consternationem; vers. 41. *Diripuerunt eum*, hoc est, populum & regnum ejus, *omnes, qui transeunt viam*: *factus est opprobrium vicinis suis.* vers. 42. *Extulisti dextram hostium ejus, lætificâsti omnes inimicos ejus.* vers. 43. *Imò retundis mucronem gladii ejus, & minimè fecisti ipsum stare in bello.* vers. 44. Incolumitati regni opponit urbium expugnationem, regni spoliationem per quosvis, animationem & roborationem hostium, ademtionem strenuitatis, virtutis atque animi.

Hæc in multis spectata sunt.

Tandem, quod maximum est, subjungit, demolitionem sanctuarii & throni, & abbreviationem vigoris, cum confusione & pudore. Ea opposita sunt confirmationi throni in perpetuum, cum honore, decore & lætitia in Deo ut rupe suâ.

Abste-

Abolevisti sanctuarium מטהר, q. d. τὸ καθαριστήριον, quia erat templum ad καθαρισμὸν τοῦ θρόνου, *ejus*, nempe constructum à rege, filio Davidis, *& thronum ejus*, hoc est, regni possessionem, *in terram projecisti* vel *traxisti*. vers. 45. *Abbrevidsti dies juventutis ipsius*, hoc est, vigoris. Nam tantùm 470 annis duravit in universum; vigor autem duntaxat 80 sub Davide & Salomone. Reliqui 390 sub plagis exacti sunt. *Cooperuisti ipsum pudore*, quia scilicet falsa speravit, nempe perpetuitatem regni politici in Israële, contra mentem Dei. (ut liquet ex Jer. 7:4.) vers. 16.

Liquet, Psalmum hunc conceptum esse verbis piorum in captivitate Babylonica. Qui cùm fortè putassent, debere regnum Davidis manere usque ad Christum, & magnam Dei severitatem exercitam in regno & populo viderent, propterea in magnam tentationem veniebant: quique, æstimatis plagis istis & earum duratione, magno desiderio, imò & ἀποκαραδοκίᾳ ad Christi adventum anhelabant; quod desiderium in hoc Psalmo exprimitur.

C. Ἐπιφώνησις cum petitione directa ad

4 I. Moderationem sive finitionem plagarum. *Quousque, ô Jehova, occultaberis* ab aspectu nostro *indesinenter? ardebit tanquam ignis æstus tuus?* ℣. 47.

Sic orare poterant non tantùm illi, qui erant in captivitate Babylonica, sed etiam reducti, antequam templum & urbs reædificaretur; imò etiam, templo jam exstructo, quum regnum Davidis abolitum esset, idque viderent non restitui, sed magis magisque opprimi. Nam etiam regnum sacerdotum erat magnus obex regni Davidici terrestris. Apertè notatur hîc duratio plagæ illius magnæ, nimirum dejectionis solii Davidici usque eò, ut ex semine Davidis nemo in illo sederet, usque ad Christum.

Recordare, Ego, quid ævi? Pro argumento finiendæ iræ adducit ærumnosam & brevem vitam omnium hominum, adeo ut, hoc spectato, si cum tantis malis homo vivere debeat, imò si Christus non veniat cum regno suo, *frustra homines condidisse* videri possit. *Quare* autem *frustra creâsses omnes filios hominum?* vers. 48. Nam *quis homo vivet, & non videbit mortem? eripiet animam suam è manu inferni? Selah.* vers. 49. Argumentum hoc fundatur in promissione, *virgis hominum castigabo*, nimirum ita, ut possint ferre, habeantque aliquod solatium & respirationem in malis.

7 II. Præstationem promissionis. *Ubi sunt benignitates tuæ priscæ, quas jurâsti Davidi?* nominatim donum gratiæ Christus sive *unctus* Domini, (vers. 52.) unctus oleo non caduco, & Spiritu ad mensuram, neque ad regnum terrestre, sed ut in ipso, tanquam in capite, reperiatur habitans plenitudo Deitatis corporaliter, utque ipse Spiritum, ut suum, membris impertiri possit non ad mensuram Spiritû servitutis, sed ad abundantiam Spiritûs filiationis. Quale autem ipsius regnum sit, passim testantur prophetiæ. Psaltes argumentum ducit 1. à veritate Dei. *In ve-*
5 *ritate tua.* vers. 50. 2. à fidelium servorum Dei opprobrio & pudore. *Memento, Jehova, opprobrium servorum tuorum*; 3. à desiderio eorundem & charitate, quâ omnes populos complectuntur, quibus illud bonum destinatum erat. *Portare me in sinu meo*, & quasi parturire *omnes, quàm multi sunt, populos*, scilicet me-
6 mento. vers. 51. 4. à blasphemia hostium Dei. *Quòd blasphemant inimici tui, Jehova, quòd blasphemant vestigia Christi tui*, id est, memento, quòd adven-

ventum ejus, qui indies evidentioribus notis approximare intelligitur, irrident. verſ. 52.

D. Glorificatio oppoſita blaſphemiæ hoſtium, & efficaciam petitionis ac parturitionis fidelium obſignans, ut clauſula principio Pſalmi accinat. *Benedictus Jehova, in ſæculum. Amen & Amen.* verſ. 53.

PSALMUS XC.

O*Ratio Moſis viri Dei.* Idem eſt Ἄνθρωπος Θεοῦ & *ſervus Dei.* Homo, qui non ſibi, ſed Deo vivit, &, quicquid dicit aut facit, in nomine Dei, tanquam ab eo juſſus dicit & facit, ut non ſuum, ſed Dei negotium curet.

Oratio autem hæc petit gratiam ſanctificationis & timoris Dei, & conſummationem certaminum Eccleſiæ multiplicium. Pertinet ad tempus illud, quo regnat Beſtia, (quod valde diuturnum innuitur, ℣. 15.) oppreſſis ſanctis. Habet duas partes.

A. Meditationem ſive confeſſionem

I. Divinæ gratiæ, quâ omni tempore colligit & conſervat Eccleſiam ſibi. *Domine*, cujus nos non tantùm ſervi, ſed & peculium ſumus, *habitaculum tu extitiſti nobis in generatione & generatione.* Eccleſia, quam pro *rupe* agnoſcit, illi tribuit, quòd ab eo fuerit ſuſtentata, & in eo, tanquam in rupe ædificata, per omnem generationem. (confer Eſ. 63 : 9. Heb. 1 : 3.) ℣. 1.

II. Æternitatis Dei. *Antequam montes gignerentur, & produceres terram & frugiferam, imò à ſæculo ad ſæculum tu es, ô Deus omnipotens*, à cujus ſcilicet potentia profluit omnium rerum exiſtentia & conſervatio. ℣. 2.

III. Regiminis Dei circa homines

1. in comminutione cum certo & efficaci imperio reſurrectionis ex mortuis. *Redigis hominem ad contritionem, & dicis*, vel *dixiſti: Redite, filii hominis.* Redigis ad reſolutionem in pulverem, & revocas in vitam. Hæc ſunt ſumta ex Deut. 32 : 39. verſ. 3. Fidem reſurrectionis porro confirmat ab ejus poſſibilitate. Quam oſtendit

(a.) ab improportione longiſſimi temporis ad divinam æternitatem. *Nam mille anni ſunt in oculis tuis ut dies heſternus, quando tranſiit, & vigilia noctis.* Marc. 13:35. mentio eſt quatuor temporum noctis; ὀψὲ, μεσονύκτιον, ἀλεκτοροφωνία, πρωΐ. Et Matth. 14: 25. 24: 42. Marc. 6: 48. Luc. 12 : 3. 8. mentio eſt quatuor vigiliarum. Occurrit hic dubitationi carnali: Quomodo poſſibile ſit carnem hominis excitari, quum per tot millenos annos computruerit & in elementa ſit diſſipata? Reſpondet: Tam facile id fieri poſſe, atque is, qui modò exſpiravit, reſtitui in vitam poteſt. quomodo ſæpe legimus mortuos non tantùm heſternos, ſed etiam quartum diem ſepultos reſuſcitatos eſſe, vel etiam ut tertia vel quarta pars noctis, quâ homo ſomnum capit, cùm tranſierit; quod tempus etiam in oculis noſtris nihil eſt. Ita & S. Petrus explicat 2 Pet. 3 : 8. 9. verſ. 4.

(b.) à pari; ſcilicet hominis lapſi ſoporatione & per ſoporem refectione ad novas vires. *Imbre perfundis illos, ſoporantur*; ſomnum fieri perfuſis nervis præcipuè, ut ſpirituum commeatus ad ſenſus exteriores ſit tardior & ſpiſſior, vulgo Philoſophis notum eſt. *Mane ut gramen recreatur.* Quemadmodum herba revireſcit, ita homo ex ſomno manè recreatur & ad priſtinas vires redit. Quàm facile autem eſt Deo homini ſingulis matutinis reddere vires, ſenſus integros, motum,

ſcientiam, judicium, conſilium, quibus omnibus per ſoporem orbatus videbatur; tam facile eſt eidem reddere vitam ex mortuis. ℣. 5.

2. in vitæ abbreviatione & afflictione ob peccata. Hic

(a.) Theſis: *Manè* homo ut herba *floret & recentatur: veſperi carpitur & areſcit.* Senſus. Homo, licet initio dierum ſuorum videatur adoleſcere, vireſcere, creſcere viribus, &c. tamen citò quovis malo, ut herba angue, tactus elangueſcit & extinguitur. Citò, quaſi ante veſperam. ℣. 6.

(b.) Ratio. Quæ & ad ipſam moriendi neceſſitatem extenditur. Primò. *Nam conficimur per iram tuam, & per æſtum tuum percellimur.* verſ. 7. *Ponis delicta noſtra coram te, ignorata noſtra in aprico vultûs tui.* verſ. 8. עלמנו poſſet etiam verti *juvenilem vecordiam noſtram*, ut Job. 20:11. Unde eſt, quòd & pueri moriuntur. Deinde de brevitate & ærumnoſitate vitæ, quæ evolvitur ex allegoria & nudè exponitur cum allegatione cauſæ. *Nam omnes dies noſtri inclinant ob excandeſcentiam tuam; conficimus annos noſtros, ut halitum,* minimè durantem: q. d. Omnes dies noſtri tenebrantur, nullus eſt purus & liquidus, nullus ſine macula, ſine nube, ſine mœrore aut triſtitia. verſ. 9. *Dies*, id eſt ſumma *annorum noſtrorum partim ſunt ſeptuaginta anni: &, ſi in robore, octoginta anni: & eximium illorum*, in quo quis poſſit *μέγα φρονεῖν καὶ φρυάττεσθαι*, *miſeria & vanitas. Nam impetu ruit celeriter, & avolamus.* verſ. 10.

IV. Humani torporis in conſideranda ira Dei. *Quis noſcit* ſive perpendit *vim iræ tuæ, & juxta timorem tui*, id eſt, ita, ut convenit, ad te verè & ſeriò timendum, *excandeſcentiam tuam?* verſ. 11.

B. Petitionem

I. Timoris Dei. *Ad numerandum dies noſtros, ſic facias cognoſcere, ut accipiamus cor ſapientiæ. Sic*, ſcilicet juxta timorem tui, *facias cognoſcere* nos ſcilicet iram atque excandeſcentiam tuam, id eſt, da nobis *ἐπίγνωσιν* iræ tuæ talem, qualis operatur timorem Dei; illamque *ἐπίγνωσιν* redde in nobis efficacem, ut vigilemus & ſobrii atque attenti ſimus ad omnes actiones noſtras & ad Dei judicia ac beneficia; tandemque iſto modo effice, ut vetus homo in nobis enecetur; contrà novus homo in nobis ad perfectam formam & ſtaturam perveniat, ut, qui cor non habemus, cor accipiamus.

II. Exhibitionis gratiæ ad conſolationem perpetuam. Hic eſt

2 1. Theſis. *Convertere, Jehova; quouſque? & pœnitentiâ afficitor* tandem *ſuper ſervis tuis*, oſtendaſque, quòd tibi ipſorum paſſiones non arrideant, quatenus ab hoſtibus irrogantur. Sumta hæc ex Deut. 32:36. ubi agitur de gratia Dei in fine ſæculi exhibendâ Eccleſiæ. verſ. 13. *Satura nos matutino gratiâ tuâ: ut jubilemus & lætemur totos dies noſtros.* Satura iſta gratia eſt ſub Euangelio, quæ fideles exſaturat. ℣. 14.

2. Petitionis ſuaſio à diuturnitate miſeriæ. *Lætifica nos juxta dies illos, quibus nos debilitaſti; annos, quibus vidimus malum.* Hoc orare eſt Chriſtianorum in varia oppreſſione, inprimis Antichriſti, ut Deus ipſos ſanet & liberet à plagis & malis ſuis, atque Eccleſiam in integrum reſtituat, quemadmodum in cantico Moſes in idem tempus confert *pœnitudinem Dei ſuper ſervis ſuis*, & demonſtrationem, quòd *ipſe vulneret & ſanet* &c. ℣. 15.

3. Petitionis illuſtratio, quâ explicatur gratiæ modus

3 (a.) in demonſtratione ſperati operis Dei. *Demonſtretur ſervis tuis opus tuum*, id eſt, videant tandem ſervi tui, quod tamdiu optaverunt videre, quod tu hactenus

ctenus moliris, poſt finita Eccleſiæ certamina, quum à mortuis quaſi ſuſcitabis Eccleſiam tuam, ejuſque damna reſtitues, Judæos convertes &c. Videatur hic Canticum Moſis. ℣. 16. p. p.

(b.) in demonſtratione majeſtatis Dei apud filios ſervorum Dei. *Et majeſtas tua apud filios ipſorum:* Videat totus mundus, te habitare in filiis ſervorum tuorum, & convertantur ad te. ℣. 16. p. a. 4

(c.) in chariſmatum Spiritûs multiplicatione. *Et ſit amœnitas Jehovæ Dei noſtri ſuper nos.* ℣. 17.

(d.) in operis fidelium felicitatione. *Et opus manuum noſtrarum concinna;* id eſt, fac, ut ſit rectum, perfectum, certum, promtum, aſſiduum, *apud nos:* Imò opus *manuum noſtrarum concinna.* ℣. 17.

PSALMUS XCI.

QUemadmodum in præcedenti Pſalmo eſt deploratio humanæ vanitatis & petitio divinæ gratiæ, ad quam hactenus Eccleſia anhelavit, ita hic exhibet & confirmat parrheſiam fidelium ſanctamque ſecuritatem in Deo. In eo eſt

A. Theſis, quâ declaratur fiducia, quam habent fideles in divino præſidio. *Ego, is, qui ſedet in latibulo Altiſſimi*, ejus, qui omnia habet in poteſtate, *in umbra Omnipotentis divertitur*, verſ. 1. *Dico: Jehova eſt receptus meus & arx mea; Deus meus, in quo confido.* verſ. 2. Duo hi verſus indicant pii hominis 1

(a.) fiduciam in Deo ad ſalutem & triumphum cum ſecuritate omnem metum excludente, ortam 1. ex divina potentia & ſufficientia, 2. ex fœdere cum Deo per fœdus recepto, quo omnis Dei ſufficientia homini donatur, 3. ex ſenſu divinæ protectionis.

(b.) parrheſiam ſive ὑπόςασιν τῆς πίςεως, quâ hanc Dei gratiam prædicat, ei pro ea gratias agens glorificat Deum, & omnia, quæ ipſum ab hac fiducia dimovere poterant, contemnit. Nota ex hoc loco, fidem reſpicere ad eum, qui eſt Deus, & apud Deum. Dicit enim Pſalmus: *Jehova eſt receptus meus*, id eſt, Jehova habet, ad quem me recipio &c.

B. Theſeως illuſtratio per applicationem omnis generis liberationum & omnis generis beneficiorum credentibus intimatam. Hic eſt

I. Intimatio Dei ad ſpiritum hominis fidelis de voluntate liberandi ipſum per præſidium ſuum à Satanæ poteſtate, tum inſidiantis & venenum ſuum occultè inhalantis; tum judicia Dei exſequentis.

1. de inſidiis Satanæ. *Nam ipſe eripiet te à laqueo Aucupis*, hoſtis illius infenſiſſimi Diaboli, qui tanquam Leo rugiens circumambulat, quærens, quem devoret, *à peſtilentia*, ſive veneno *nequitiarum*, quo tanquam lue epidemiâ totum genus humanum intoxicavit. Illud autem maximum malum eſt, à quo liberandi primò ſumus. *Eripiet te* ſcilicet jam captum, jam intoxicatum; & poſtea ereptum cuſtodiet. ℣. 3.

2. de judiciis. *Alâ ſuâ obteget te, & ſub alis illius receptum habebis; ſcutum & parma eſt veritas ipſius.* His præſidium Dei ſignificatur: diligentiſſima cuſtodia, eaque præveniens ad obtegendum hominem, antequam timeat malum; præſidium obvium ſollicito & confugienti ad illud, ambiens & adhæreſcens conſtanter inter omne periculum. ℣. 4. *Non timebis* (effectum præſidii.) *à pavore noctis; à telo, quod volat die.* verſ. 5. *A peſtilentia, quæ in caligine graſſatur, à veneno,* 2 3. 4 5. 6

neno, quod vaſtat meridie. verſ. 6. Corporales, ſpirituales, commmnes, occultæ publicæque plagæ, quarum exſecutor inprimis eſt Diabolus, his denotantur. Tri-
7 bus his jungit quartum, nimirum judicium ſive ἀνταποχεσίαν Dei, qui talia mala immittit Improbis, ut videant pii, & lætentur, non tantùm ſe conſervatos, ſed etiam vindicatos. *Cadent à latere tuo* lævo *mille, & myrias ad dexteram tuam; ad te non pertinget.* verſ. 7. *Tantùm oculis tuis cernes & retributionem improborum videbis.* verſ. 8.

II. Hominis ad intimationem Dei ſubjectio, quâ Dei fides & benignitas poſtu-
1 latùr. *Nam tu* &c. ſupple: Imò hoc firmiter credo: nam tu, *ô Iehova, es receptus meus.* Dum enim confugio ad illum, qui eſt in te & apud te, ad te confugio. verſ. 9. p. p.

III. Continuatio intimationis divinæ de liberatione ab omni malo imminente, à vi & oppugnatione hoſtili, per præſidium Angelorum. *Altiſſimum poſuiſti*
2 *manſionem tuam.* verſ. 9. Ideoque *non incidet in te malum, & plaga non appropin-*
3 *quabit ad Tentorium tuum* verſ. 10. *Nam Angelis ſuis præcipiet de te, ut cuſto-*
4 *diant te in omnibus viis tuis.* verſ. 11. *In manibus geſtabunt te, ne offendat ad lapi-*
5.6 *dem pes tuus.* verſ. 12. *Super immani-Leone & aſpide incedes, calcabis juvenem-leonem & draconem.* verſ. 13. Proponitur verſ. 13. duplex potentia, virium & mendacii. Tyranni enim per *Leones* figurantur; Pſeudoprophetæ per *Serpentes* & *Aſpides* & *Dracones.* Duplex victoria hic indicatur: 1 In iis incedere. Notatur, potentiam illam adverſariam ceſſuram ſucceſſibus piorum. 2. Eos calcare. Notatur, ſuccubituros hoſtes Eccleſiæ.

IV. Declaratio Dei ad alios homines de piorum cura à ſe ſuſcepta. Hîc componuntur inter ſe fides hominis & gratia Dei in tribus gradibus.

1 1. Amori ac deſiderio Dei comparatur præſtatio effugii. *Nam me dilexit,* ſive *appetivit, & faciam ipſum evadere.* ℣. 14.

2 2. Reſpectui nominis divini præſtatio triumphi. *Sublimabo ipſum, quia novit nomen meum,* meam nempe ſufficientiam, divitias, virtutes, opera. quæ de me prædicantur in Sacris Literis, & omnem gloriam, quam mihi dat fides & charitas & ſpes filiorum meorum. verſ. 14.

3 3. Invocationi reſponſio ſive præſtatio petiti. *Invocat me.* Hoc ſpei eſt; nam ſperata petimus. *Et reſpondebo ipſi.* repræſentando, quod petiit. Bona ſpei pro-
4 poſita ad petendum ſunt partim hujus vitæ. 1. conſervatio & conſolatio in omni anguſtia, ne malis fatiſcat, aut vi tentationis abducatur à Deo. *Ero cum ipſo in*
5.6 *anguſtia.* 2. Liberatio, ut ſine metu ſervire Deo poſſit. *Liberabo ipſum.* 3. Glorificatio, ut in via fidei proficiat magis & magis, & lux illius coram hominibus magis magiſque ſplendeat, atque adeo Pater cœleſtis per plures glorificetur. *Et*
7 *glorificabo ipſum;* verſ. 15. 4. Longitudo dierum ad ſatietatem. Id de corpore Eccleſiæ magis intelligendum eſt, quæ durat uſque ad finem mundi: de ſingulis autem piis, quatenus ad bonum ipſorum & conſolationem proximorum neceſſa-
8 rium eſt. *Et longitudine dierum ſatiabo ipſum.* Partim alterius vitæ. *Et faciam ipſum cernere ſalutem meam,* Chriſtum nempe Salvatorem ſuum in gloria & gaudio æterno. verſ. 16.

PSAL-

PSALMUS XCII.

PRædicat utilitatem fidei & operum fidei. Inscribitur *in diem Sabbati.* Docet enim hic Psalmus, quibus meditationibus atque exercitiis omne tempus Novi Testamenti, in quo gratia & veritas Dei per Christum exhibita manifestatur, ablato jugo servitutis legalis, maximè autem tempus requietis à tentatione & persecutione impendendum sit. Est hic

A. Thesis sive Propositio. Utilissimum opus esse, credere Euangelio & illius veritatem confiteri. *Bonum est confiteri Jehovæ*, id est, credere in ipsum, obsigna- 1
re, quòd ipse sit verax, gratias illi agere pro acceptis beneficiis. Namque *τῷ Jehovæ* innuit, illum *esse factum, quod est*, & promissiones suas fecisse Næ & Amen. *Et canere nomini tuo*, qui es *Altissimus*, id est, propter nomen tuum sive 2
virtutes commemoratas in Sacris Literis & comprobatas operibus, ad tui cebrationem, spiritualem lætitiam animo conceptam in ipsis quoque tribulationibus omnibus signis patefacere. vers. 2. *Indicare matutino gratiam tuam*, & *verita* 3.4
tem tuam per noctes, id est, indesinenter; & in rebus prosperis & angustis; item, dum lucet lux veritatis, & dum illa per vim seductionis obtenebratur, prædicare omnia, quæ nobis donata sunt in Filio tuo, effecta gratiæ tuæ cum veritate & implemento promissionum & figurarum; vers. 3. *in decachordo*, & *in nablio*, *in meditatione*, *in cithara*. id est. 1. omni ingenio & studio. 2. cum suavitate & concentu. 3 omnibus nostri partibus, sive animi, sive corporis. ỳ. 4.

B. Propositionis confirmatio

I. in hypothesi, ab experimento lætitiæ ex factis Dei. *Nam lætificâsti me, ô Je-* 5
hova, motitione tuâ; in operibus manuum tuarum jubilo. Ii, qui Deo adhærescunt, præmium consequuntur maximum, nimirum lætitiam. Nam Deus ipsis indicat, quæ animo suo destinavit facere; & ostendit ipsis opera sua & exsecutionem eorum, quæ consilio præparavit. vers. 5. Hæc lætitia illustratur à causis. Quæ sunt

1. Divinorum operum magnitudo & consiliorum profunditas. *Quàm magna sunt opera tua, ô Jehova! Valde profundæ sunt cogitationes tuæ.* Non possunt hic alia opera intelligi, quàm ea, quæ perfectam lætitiam ea contemplantibus afferunt: quæ narrantur per Euangelium; à quibus justitia & salus hominis dependet. ỳ. 6.

Altitudo operum & profunditas cogitationum Dei commendatur ab ignorantia & scandalo hominum. *Vir brutus* spiritu Dei carens *non novit*, & *stultus* 2
amore rerum terrenarum infatuatus, *non animadvertit hoc*; scilicet opera Dei & consilia ipsius. *Quum virent improbi instar herbæ*, & *florent omnes operantes vanitatem.* vers. 7. 8

Ita factum est. Christo apparente, regnum Judæorum celebre admodum & florens fuit sub imperio Herodis. Quum maxima populi multitudo, & templi maximus splendor. Deinde verò cùm à Romanis *αὐτονομίαν* recuperassent, quanquam ablatis judiciis capitalibus, liberati à tyrannide Herodiadarum, Senatus Hierosolymitanus non exiguam habuit majestatem. Et verò tanta fuit Judæorum multitudo & tantæ opes, ut viderentur sibi bellum cum Romanis posse gerere. Christus autem & ipsius discipuli visi sunt nullius esse pretii, toto mundo contra ipsos una-

nimiter insurgente. Hæc igitur est causa, quare *bruti & stulti non cognoscant opus Dei, & non animadvertant profunditatem consiliorum ejus.*
3 Ad hoc enim ea improborum altitudo comparata est, *ut profligentur in seculum*, ut Deus illustriùs cum ipsis confligat, & insignior sit victoria.
4 2. Dei exaltatio. *Tu autem in sublimi es in æternum, ô Jehova*, q. d. nos meritò delectamur operibus & consiliis tuis, quia illa pariunt certam & infallibilem spem. Tu enim ascendisti in altum, & perpetuò manes omnibus superior. Igitur nec ulla potentia nos separare ab amore tuo, & tuis consiliis intercedere potest. vers. 9.

3. Dei judicium actum in mundo. Quod declaratur ratione
5 (a.) Inimicorum. *Nam, ecce, inimici tui, Jehova; Nam, ecce, inimici tui pereunt*,
6 qui stare & florere videbantur; *dividuntur* sive *dissipantur omnes tractantes vanitatem*, qui videbantur uniti. vel, separabunt se, nempe à cœtu fidelium & justorum. vers. 10.
7 (b.) Fidelium. *Et exaltas tanquam monocerotis cornu meum. Perfusus sum oleo recenti.* Vis & vigor à Deo datus fidelibus notatur, qui videbantur infirmi in ocu-
8 lis stultorum. vers. 11. *Et inspexit oculus meus observatores meos: de insurgentibus mihi, maleficis, audiunt aures meæ.* Triumphus oppressorum de hostibus, Deo judicium in ipsos, sine labore Ecclesiæ, exsequente. vers. 12.

II. in thesi, à justorum perpetuo vigore à Deo suppeditato ad indicandum laudes Dei. *Justus ut palma florebit, ut cedrus in Libano crescet.* vers. 13. *Plantati in domo Jehovæ in atriis Dei nostri florem promittent.* vers. 14. *Adhuc germinabunt in canitie, succulenti & virentes erunt.* vers. 15. *Ad indicandum, quòd rectus sit Jehova, petra mea, & non sit injustitia in ipso.* vers. 16. *Justus*, id est, fide-
1 delis. Bonum fidelium hîc explicatur. 1. *florent, non ut herba*, vers. 8. quæ, calente Sole, marcescit, sed *ut palma*, quæ æternùm viret, & nunquam deficitur vi-
2 tali succo. 2. *Crescunt* in magnam amplitudinem, *ut cedri in Libano*, id est, fides ipsorum quotidie fit major, tum multâ sobole spirituali augentur. Hoc ele-
3 gantissimo emblemate illustratur vers. 14. & causa viroris indicatur. *plantati sunt in domo Dei*, id est, in cœlo & penetralibus Dei radices agunt, quibus per fidem inserti sunt: in Ecclesia vocatorum tanquam *in atrio*, ostendunt suos fru-
4 ctus & germina sua spiritualia. 3. Etiam *in senectute virescunt.* ut vita in ipsis non est deficiens, ita gemmant & florent in perpetuum, etiam, cùm minimum virium videntur habere. Præterea bonum est confiteri Domino, quia ista vita & vis & vigor ipsis conceditur à Deo ad hoc, *ut indicent rectitudinem ejus.* Confer 1 Pet. 2: 9. Objectum hujus indicationis 1. quòd *rectus sit Dominus*; in consilio, in doctrina, in promissione, in comminatione, in præstatione promissorum. 2. *rupes mea*, qui sustentat me. Et 3. *non sit in ipso injustitia*; qui justificat improbum, qui condemnat peccatum, qui Filio hæreditatem dat, qui confugientes ad ipsum non fallit.

PSALMUS XCIII.

Agit de regni cœlorum manifestatione, quæ est Novi Testamenti. Partes:
A. Thesis sive propositio summaria; quâ indicatur
1 I. Regni Dei manifestatio. *Jehova rex factus est, sive regnum capessivit.* Fit hoc

hoc 1. quando, servitute Veteris Testamenti sublatâ, subjectisque sibi consequenter angelis, thronis & potestatibus, homines ad libertatem vocat, inque iis efficax est, ut sine imperio humano in Deum credant. 2. quando hostes suos cujuscunque generis, qui fidei obsistunt, & inter illos maximè Antichristum, prosternit infra pedes fidelium, ut electorum conversioni ad Deum illorum potestas non obstet. Quod cùm factum erit, cantabitur illud, quod est Apoc. 11 : 15--18. quæ pericopa planè cum hoc Psalmo convenit.

II. Regni capiendi & gerendi modus. *Erectionem induit : induit*, inquam, *Iehova.* Ea opponitur demissioni, quæ antea fuit sub Veteri Testamento, quum apud unam gentem Israëliticam thronum terrestrem habuit: & significat evectionem throni, ejusque collocationem supra cœlos, subjectionem omnis κυριότητος dominationis, & vocationem omnium gentium. *Robur accinxit*, & quidem irresistibile & vincens Id opponitur debilitati legis, & gratiæ restrictioni sub Veteri Testamento, & significat claritatem Euangelii & efficaciam Spiritûs Sancti ad expugnanda omnia ὑψώματα, & convertendos plurimos Deo. Confer Apoc. 11 : 17.

III. Effectus potentiæ regis. *Etiam*, hoc est, Ideoque *confirmatur frugifera*, hoc est, Ecclesia. Quæ confirmatio Ecclesiæ opponitur *Terræ concussioni*, id est, illius populi, in quo cœtus fidelium, ut frugifera, comprehendebatur, commotioni sub Veteri Testamento. Consistitque illa confirmatio 1. in abrogatione externæ formæ Ecclesiæ, quæ per promissiones corporales tanquam pignora cœlestium erat affixa terræ, in qua erant non tantùm verè justi, sed & injusti, per quorum communionem justi implicabantur judiciis, ita ut non semel sacramentis divinæ unionis privarentur. Hac enim abrogatâ, aliam constituit rationem Ecclesiæ merè spiritualem, quæ nunquam abrogatur, cui per vinculum, quod illam colligat, nempe spiritum fidei, nulla sit communio cum improbis, quæ nec seductioni obnoxia est, neque ullis afflictionibus opprimitur, sed potiùs glorificatur. 2. in suppeditatione perpetua Spiritûs Sancti, quò usque ad finem mundi semper aliqui sint, qui in Christum credant, eumque coram mundo glorificent, & credentium fides non deficiat. 2

Non nutabit. Id tum maximè fit, cùm Ecclesia, quæ videbatur victa à Bestia, rursus emergit & de hostibus suis & Christi triumphat. ℣. 1.

B. Theseως illustratio per distributionem varii status regni.

I. in fundatione regni pristina. *Firmus erat thronus tuus pridem : à sæculo tu es.* §.2 Est hæc quædam quasi correctio dictorum. q. d. Quod dico, Jehovam regem factum esse, non sic dico, quasi antea non fuerit rex. Nam olim מאז *ex tunc* vel *præ tunc*, q. d. longè ante opera tua, vel ante omne id, quod appellari possit *tunc*, est, quòd tu rex fuisti, neque unquam thronus tuus vacillavit, aut labefactatus est. Adeoque & regnum tuum, (Christi, quem alloquitur) etiam sub Veteri Testamento inconcussum, & Ecclesia τῶν προφητικῶν (sic licet appellare Ecclesiam Patrum) eâdem dote constantiæ & continuationis, quâ Ecclesia Novi Testamenti gavisa est. Qui enim posset aliter fieri, cùm tu sis ab æterno & semper maneas idem? Qui semper dilexisti homines, eisque vitam & justitiam uno planè modo, remedio, auctore dedisti. vers. 2. Confer Prov. 8 : 22.

II. in regni oppugnatione. *Extulerunt fluvii, ô Iehova, extulerunt fluvii vocem suam : extollunt fluvii fluctus suos.* adversus *habitabilem* scilicet. Significatur, 3.4 Ecclesiam & sæpius, & isto ipso tempore, quo dicit, Dominum regnum occu- 5

passe,

passe, à regnis adversariis fuisse oppugnatam, & violentiam postremam graviorem fuisse priori: quemadmodum in fluminibus plus est fluctus extolli, superatisque ripis ruere atque prosternere hominum boumque labores, armenta, greges, domos &c. quàm sonorem. vers. 3. Confer ad §. 3. Apoc. 12: 15. ad §. 4. Apoc. 13. & 14. ad §. 5. Apoc. 16.

6 III. in victoria regni. *Supra sonos aquarum multarum (ingentes sunt fluctus maris) ingens est in alto Iehova.* Sive principatus, sive totus mundus tumultuetur contra Ecclesiam, nihil tamen obtinebunt, sed succumbent; quia Deus major ipsis est, & thronum suum in cœlis habet, & curam gerit Ecclesiæ suæ, & potest angelos, qui Euphratem regunt, ligare, quando vult, & solvere, quousque vult. vers. 4.

7 IV. post victoriam. *Testimonia tua verificata sunt valde.* Talia sunt Revelatio decreti de salute nostra, de Mediatore vero, ejusque officiis ac beneficiis, Præceptum veræ fidei &c. Eorum veritas demonstratur & evincitur, non convellitur aut labefactatur, sed recipitur. *Domum tuam*, id est, Ecclesiam, quæ, devictis hostibus, erit templum, Apoc. 3: 12. templum scilicet Dei, in quo Deus habitat; *decet sanctitas*, id est, domus tua ornata est sanctitate ad omnem venustatem & elegantiam. Primò enim contaminationes sæculi per cognitionem veritatis effugerunt. 2. etiam verè templa Spiritûs Sancti sunt, si modò vera ipsorum sit professio. 3. etiam de omnibus speratur ex charitate, eos esse fideles & sanctos; & juxta promissionem creditur, inter profitentes esse electos. Quando hic & alibi, ut Es. 60: 21. sanctitas & justitia domui ac populo Dei tribuitur, potest hoc ratione externi cœtûs intelligi, quatenus repurgatur à falsis doctrinis hominum, à superstitionibus & idololatria, à scandalis, à tyrannide, ut vigeat veræ fidei secundùm verbum Dei professio & disciplina; & ejus repurgatæ in puritate ac sinceritate conservatio. Additur enim hic, *in longitudinem dierum*, id est, ad omne tempus, quo sæculum durabit, scilicet ut non invalescat seductio & tyrannis, qualis fuerat sub Antichristo. ℣. 5. Confer Ps. 46. inprimis ℣. 3—5.

PSALMUS XCIV.

Agit de judicio Improborum. Partes quatuor distingui possunt.

1 A. Judicis demonstratio. *Deus ultionum effulsit*, id est, apparuit, ἐπεφάνη, Jehova in carne, qui est Deus ultionum; apparuit, inquam, cum verbo absolutissimo, cum virtute & potentia operum immensa, cum potestate ad vindicandum & ad ulciscendum contemtores sui & oppressores Ecclesiæ. ℣. 1.

B. Imploratio judicii. Vide

2 I. Propositionem. *Efferte, judex terræ*; (Id judicium in distinctione suorum ab hostibus versatur, & in retribuenda afflictione illis, qui Dei amicos & filios affligunt.) *redde meritum illis, qui se extollunt* supra omnem ordinationem Dei, & se Deo, quantum in ipsis est, æquiparant, τοῖς ὑπερηφανοῖς. vers. 2. Additur stipulatio, continens argumentum à duratione istius superbiæ & felicitatis superborum. *Quousque improbi, ô Jehova, quousque improbi exultabunt?* Nota, postquam effulsit Deus, improbos, id est, illos, qui se opponunt regno Dei & justitiæ ejus, & inter eos maximè Idololatras, qui suam justitiam volunt constituere, diu exultaturos. Vide Ps. 2. 50. 92. Certamen igitur habitura erat Ecclesia & tentationem magnam, videns vigere & florere impròbos, ipsâ afflictâ. ℣. 3.

II. Ac-

II. Accuſationem. Ea eſt

1. de ſuperbia per doctrinam manifeſtata. *Scaturiunt*, *loquuntur*, id eſt, ex corde ſuo tanquam ſcaturigine proferunt ubertim ac ſine modo, pudore aut reverentia, *durum ac rancidum*, quaſi vetuſtate corruptum, id eſt, partim doctrinam falſam in commune; partim blaſphemiam in Deum, in Chriſtum, in ſanctos, quæ proficiſcitur ex iſta doctrina, & quâ afficiunt falſæ doctrinæ profeſſores veritatem.

Hæc omnibus falſis doctoribus, Phariſæis, Hæreticis, Papiſtis ex æquo conveniunt.

Seſe prædicant auctores, quorum teſtimonio fides noſtra debeat ſubſtringi; judices, quos debeamus revereri; ſanctos, qui per ſuam juſtitiam Deo placeant; *omnes operantes vanitatem*. ℣. 4.

2. de ſuperbia actibus demonſtrata. *Populum tuum, ô Jehova, conterunt, & hæreditatem tuam ſubigunt.* Populo Dei, qui eſt hæreditas ipſius, quæ ab ipſo alienari nequit, ſe præponunt, eum ſibi obedire volunt; renuentem minis terrent, faciunt, ut tum animis concidant & enerventur, (hoc דכא ת׳) tum viribus infirmentur, denique ita ὑποταγῶσι, (hoc ענה ת׳) ut ne mutire quidem contra ipſos audeant. ℣. 5.

3. de crudelitate & injuſtitia. *Viduam & peregrinum interficiunt, in pupillos latrocinantur.* Qui pios ob pietatem ſuam oderunt, nullo in reſpectu habere ſolent viduas, pupillos, peregrinos, ſive ſub his nominibus omnes miſeros, infirmos, deſertos, egenos opis; ſive inprimis eos, qui ſpiritualiter tales eſſe videntur, intelligas. Ita *peregrini* dicuntur, qui ſe fatentur peregrinos in terra, neque volunt eſſe de civitate illa magna: *viduæ*, *pupilli*, qui videntur Deo Sponſo ac Patre carere, quia in mundo non agnoſcunt patres aut magiſtros. ℣. 6.

4. de ſecuritate vel abnegatione divini judicii. *Et dicunt: Non videt Jah, & non attendit Deus Jacobi.* Deum ſibi cœcum & ſocordem fingunt. In triplex hominum genus competit iſta accuſatio. 1. in Atheos & Epicureos, qui cùm Deum omnem, vel ejus ſaltem providentiam, abnegant, id in Deum Jacobi redundat, qui eſt ſolus verus Deus. 2. in eos, qui falſos Deos colunt & veri Dei cultores inſectantur. 3. expreſſiùs & propiùs illorum eſt, qui Jehovam & *Deum Jacobi* verbotenus confitentur: quique fingunt ac docent, Eccleſiam debere habere caput viſibile, idque præter Chriſtum; (qui jam eſt in cœlis, neque cernitur) eique capiti viſibili tribuunt poteſtatem omnem regendi ac judicandi, quaſi Deus non videret, nec internoſceret. ℣. 7.

III. Reprehenſionem improborum, tanquam reorum. *Intelligite, bruti in populo*, qui cœtui Chriſtiano admixti eſtis ſecundùm formam externam & nomen; *&, ſtulti, quando conſiderabitis?* verſ. 8. Confutat illos, I. probans *Deum videre & audire*: à minori. *An plantans aurem*, (id ſignanter. Eſt enim auris quaſi altè radicata.) *an*, inquam, *non audiet? An formans oculum* (eſt enim organon artificio ſummo compoſitum.) *non cernet?* verſ. 9. II. Probans Deum arguere. *An erudiens gentes, an*, inquam, *non arguet?* Progreditur argumentatio. q. d. Concedis tu quidem, Deum audire & videre, ſed non arguere; verùm hoc reſignaſſe aliis. *Arguere* hic propriè pertinet ad convictionem de veritate & falſitate, juſtitiâ & injuſtitiâ, quod fit per verbum & Spiritum Dei. Unde non eſt, quòd alius eas partes ſibi aſſumat. Probatur hoc à duplici effectu. 1. quòd *corripiat gentes*, quæ ſunt extra politiam populi ſui, eas frenando legibus, inſtitutis huma-

nitatem redolentibus, à malis multis abducendo, ad virtutes aliquas ducendo, pudore, reverentiâ ſapientum eos regendo, dando ipſis principes & magiſtratus ad vindictam malorum & laudem bonorum, tribunalia, judicia, honeſtas diſciplinas ad directionem, eloquentiam, Philoſophiam ad παιδείαν, utiles artes ad occupationem honeſtam & mutuam adminiculationem vitæ, & omnia, quæ ad hominum civilem ſocietatem cum commodo ſervandam pertinent, ipſis largiendo. Deinde judicium quoque ſuum inter gentes peragendo, meliores tutando, deteriores puniendo; adeo ut & gentes de divina ultione loqui poſſint & eam confiteri cogantur. Hæc talia & tanta ſi Deus patrat inter ipſas gentes, eſtne cenſendum, ipſum curam Eccleſiæ, qui eſt populus ſuus peculiaris, abdicaſſe, & in manus hominum reſignaſſe. 2^dus^ effectus eſt communis. *Qui docet hominem ſcientiam* qualemcunque ſive rerum humanarum, ſive divinarum, earumque, per quas homo adducitur ad Deum. ℣. 10. III. Vindicans Deo notitiam vanitatis hominum. *Jehova novit cogitationes hominum, quòd illæ ſint vanitas.* Cogitationes ſcilicet illorum, qui, dum volunt, regimen Eccleſiæ traditum eſſe hominibus, Deo inſipientiam attribuunt. Cùmque neminem excipiat ab hac conditione, quomodo poſſit aliquis eſſe infallibilis? ℣. 11.

C. Conſolatio fidelium per tempus perſecutionis, dum exſpectatur divinum judicium. Hic

I. Declaratio, quid de piis in tentatione conſtitutis ſentiendum ſit, & quinam ii ſint. Eſt

1. Μακαρισμός. *Beatus homo, quem erudis, Jehova, & ex lege tua condocefacis.* Hic παιδεία & διδαχὴ: Illa per crucem & ſpiritum; hæc per verbum. Deus docet, cor adaperiendo, illuminando, flectendo. ℣. 12.

2 2. Ratio μακαρισμοῦ à fine παιδείας. *Ad quietem ipſi dandam à diebus mali*, id eſt, poſt dies mali, & ne dies mali obruant. Innuuntur *dies mali* eventuri ad deſtructionem impiorum. Inter illos quietem & tranquillitatem ſuis præſtabit Deus. ℣. 13.

3. Illuſtratio à contrario. *Dum foditur Improbo fovea.* ℣. 13.

3 4. Confirmatio rationis utriuſque à veritate judicii Dei. *Nam non omittet Jehova populum ſuum*, ut dominetur ei ſceptrum ſuperbiæ in perpetuum, *& hæreditatem ſuam non deſeret*, ut alienetur ab ipſo & fiat hoſtium. verſ. 14. *Sed ad juſtitiam redibit judicium*; hoc eſt, Deus tandem pronunciabit clariſſimam de veritate ac falſitate, de juſtitia & injuſtitia, de fide & hypocriſi ſententiam, & oſtendet, quinam ſint ſui. *Et poſt illud omnes recti corde erunt*, id eſt, omnes recti adſtipulabuntur Deo judici. Cæteri contabeſcent. ℣. 15.

II. Hypotypoſis diſcriminis & periculi piorum in violenta invaſione impiorum & divinæ opis ac conſolationis. Hic

4 1. Imploratio auxilii indicans in infirmitate & deſertione ſummum pavorem fidelium. *Quis ſtabit pro me contra maleficos? Quis conſiſtet mihi cum tractantibus vanitatem?* verſ. 16. Præmittatur hiſce verſ. 21.

5 2. Opportunitas divini auxilii. *Niſi Jehova auxilium mihi, mox procubuiſſet in ſilentio anima mea.* verſ. 17. *Si*, id eſt, ubi *dixi*, *Nutat pes meus*, *gratia tua ſuſtentavit me.* verſ. 18.

6 3. Efficacia divinæ conſolationis. *In multitudine cogitationum mearum in medio mei conſolationes tuæ oblectabant animam meam.* verſ. 19. Solatium exprimitur. Sumtum ſcilicet à recto judicio de Adverſariorum poteſtate, doctrina & factis.

Exple

Exple: Sic enim cogitabam: *An sociabitur tibi thronus nequitiæ? qui fingit ærumnam ultra id, quod statutum est?* Reverâ, qui dicit, se habere thronum in Ecclesia, & sedere, ubi Christus sedet, is se facit *socium* (*vicarium* vulgò appellant.) Christi, quia is solus est rex, & thronum suum associat Christi throno, quamvis subordinatum dicat. Nam & subordinatio est quædam sociatio. Et si maximè posset Christi throno subordinari, tamen non potest stare, quia est thronus non salutis & virtutis, sed miseriæ ac vitiorum. Non potest esse thronus vicarii Christi, à quo tot mala effusa sunt, tot vitia, quæ Christianismum inundarunt. Sed nota, non tantùm illum, qui sedet in throno isto, sed & ipsum thronum esse Deo abominabilem, & à conspectu ipsius removendum. Opera quædam istius throni hic specificantur. 1. *Qui fingit ærumnam ultra id, quod statutum est.* Id qoud scriptum est, quodque certum & ἀσφαλὲς, ipsi non sufficit. Fingit alia καττύματα assumenta doctrinæ, onerosa; legem ad servitutem, ad conscientiarum carnificinam comparatam, à salutari veritate ad perniciosos errores abducentem. Hoc unum est in doctrina. vers. 21. Alterum in judicio. Ibi rursus duo peccantur. Magnas *copias colligunt*, improborum scilicet, ut justum oppugnent, & præterea cum illis *expeditionem suscipiunt contra animam justi, & sanguinem innoxium damnant?* vers. 21.

D. Confessio liberationis cum judicio. *Et fuit Jehova mihi in arcem sublimem, & Deus meus in rupem receptûs mei.* vers. 22. *Et refudit in ipsos nequitiam suam, & in malitia sua profligabat ipsos. Profligabat ipsos Jehova Deus noster.* ℣. 23. 7

PSALMUS XCV.

INvitat Judæos ad obedientiam fidei in Christum. Invitatio illa est duplex

A. ad ipsum cultum fidei simpliciter. Ea habet

I. Propositionem. *Venite, Jubilemus Iehovæ*, id est, agnoscamus, Dominum regnum occupasse. *Clangamus petræ salutis nostræ*, ob victoriam & partam salutem ab hostibus, Christo regi nostro clangamus. Alluditur ad *jubilum regis*, Num. 23: 25. tum ad ἀλαλαγμὸν, quo solent victores in triumpho excipi. Pf. 47: 6. *Veniamus ante faciem ejus cum confessione*, id est, fideli gratiarum actione de donis omnibus spiritualibus, maximè de dono justitiæ. *Ante faciem* in Scripturis dicitur de παρουσίας vel in symbolo, veluti templo, vel in carne assumta. Hic propriè: videlicet in carne assumta, intelligitur. Præsupponit hæc Inhortatio, Christum salutem jam effecisse & comparâsse, ut in eo lætemur ac triumphemus. Et præsentem esse, ut adiri possit. Est igitur hic & avocatio à typis & umbris, à debilibus elementis, à cathedra, in qua sedebant dii nuncupati.

Jam vide Matth. 11: 28.

Cum cantibus clangamus ipsi, in concentu charitatis, in vera lætitia Spiritûs, in harmonia omnium virtutum.

II. Redditionem rationis. *Nam Deus magnus*, quantus nullus alius, *est Jehova*, is, qui sibi suo sanguine populum lucratus est, quem salvat ex peccatis & miseriis suis. *& rex magnus supra omnes deos*, non tantùm, quos homines, sed & quos ipse Deus appellavit deos, quos ipsos Christo subjectos esse oportet, in quantum ipsis habitabilis futura non debeat subjici, & ipsis æquentur fideles. Magnitudo illa Dei & regni ejus demonstratur à magnitudine potentiæ ostensæ in creatione omnium rerum, & à latitudine dominii ejus. *In cujus manu sunt per-*

vestigationes terræ, id est, tota terra, quàm longa lataque est. Si ad profunda referas, documentum dominii Christi est, quòd mortuos resuscitavit. *Et altissima montium ipsius sunt.* quos ipse fundavit; quosque solo nutu potest transferre de loco. Nulla gens tam aspera, vel tam munita, quæ regnum ejus excludere possit. vers. 4. *Cujus est mare, & ipse fecit illud, & cujus manus aridam formarunt. Cujus manus*, immediatè & proximè. vers. 5. Agitur hìc de regno gratiæ, quod diffusum est per totam *terram*, id est, omne genus Judaïcum, per *montes*, id est, regna terræ, per *mare*, id est, insulas; & per *aridam* sive continentem. Innuitur autem, quòd ab initio terra sit fundata propter regnum Dei.

B. ad maturandum cultum citra tergiversationem. Ea rursus gemina est:

I. Affirmata. Hic propositio & ratio uno filo orationis implicantur. Et est hyperbaton. *Venite, adoremus & incurvemur & ingeniculemus coram Jehova factore nostro* vers. 6. (*Nam ipse est Deus noster, & nos populus pastûs ejus, & oves manûs ejus,*) *hodie, si vocem ejus auditis.* vers. 7. Inculcatur rursus cultus cum summa demissione, ut non tantùm ipsum *demisso capite* honoremus, tanquam inferiores; sed & ipsi *incurvemur*, tanquam jugo ipsius colla præbentes; & *in genua prosternamur*, tanquam adorantes, & invocantes. Hic per יהוה significatur filius Dei in carne manifestatus. Hæc enim παραίνεσις ad dubitantes & tergiversantes habetur, ut apparet ex vers. 7. & 8. & hæc prædicata omnia tribuuntur *Rupi salutis*; illi scilicet *lapidi*, quem architecti rejecerunt, quique factus est in caput anguli.

Deinde præcipitur de tempore. *Hodie*, id est, statim, è vestigio. Conf. Heb. 4:7. ubi rectè Apostolus, Diem aliquem in futurum relinqui. Confer Ps. 2:12. Matth. 3:10.

Postmodùm ratio. *Factori nostro*, non tantùm secundùm id, quod sumus, sed etiam secundùm id, quod præ cæteris sumus, sive Israëlitæ, sive doctores legis, sive principes. Col. 1:16. 17. 18. Eph. 3:9. 10. R. David confert 1 Sam. 12:6. 2. *Nam ipse est Deus* noster, is, cui fides debetur, imò qui secundùm promissionem nobis factus est in Deum. 3. *Nos autem populus & oves. Populus* ejus peculiaris fuimus ex omnibus gentibus, adeoque & ipse fuit rex noster. Nunc sumus ipsius τοῦ Ἀρχιποίμενος, qui venit ad visitandum oves suas. *Oves* tum ratione termini, ad quem vocamur; & ratione ejus, quod fuimus, errantes, *Oves manûs ejus.* Alluditur ad id, quod exprimit Es. 40:11. 4. *Si ipsius vocem auditis*, id est, si ulla sit in vobis inclinatio ad audiendum atque obtemperandum ipsi, nolite γογγύζειν, quia brevis hora est.

II. Negata. Est hic

1. Præceptum. *Ne induretis corda vestra.* Hæc verba sunt ea vox Dei, quæ audienda. Confer Heb 3:13. Vis præcepti: Nolite esse ἄπιστοι, non obedientes cœlesti vocationi, ut rejiciatis donum Dei & justitiam ejus, & Rupem salutis, quæ vobis exhibetur, abnegetis.

2. Illustratio præcepti ab exemplo. *Ut in contentione, ut in die tentationis, in deserto.* Nota, quòd eisdem, quos hortatur ad fidem in Christum, impingit crimen tentationis & contentionis patrum in deserto. 1. quia est idem populus, licet patribus defunctis succedant filii. Naturaliter enim filii succedunt in omne jus patrum. 2. quia Deus vindicat peccata Patrum in filiis. vers. 8.

3. Suasio præcepti.

(a) à demonstrato patribus opere Dei, ad filiorum inexcusabilitatem & aggra-

van-

vandam culpam. *Nam tentarunt me patres vestri; periclitati me sunt & viderunt opus meum.* Quoties petiverunt panem, panem; aquam, aquam; carnem, carnem dedi illis. &c. tum etiam judicium meum experti sunt. vers. 9.

(b.) ab exemplo rejectionis. *Quadraginta annos nauseavi in generatione & dicebam: Populus errantium corde illi sunt, & illi non norunt vias meas.* vers. 10. *usque dum juravi in ira mea: si intrabunt in quietem meam*, id est, in locum, ubi requiem illis præstarem. vers. 11. Rejectionem præcedit nausea. Si clementia Dei non movet posteros, certè exemplum rejectionis. XL annos nauseans tulit, & tandem abjecit. Vide tu, ne non tamdiu in te nauseet.

Anni à Christi adscensu ad templi destructionem ferè coïncidunt. Vide Comment. Cl. COCCEJI ad h. l.

Dum proponit exemplum pœnæ rejectionem à quiete, ostendit, illis hoc εἰς τύπον *in exemplum* accidisse. 1 Cor. 10:6. Inde & conficitur, aliam quietem esse Novi Testamenti, quàm eam, in quam Josua introduxit Israëlitas. Heb. 4:8. Nam hæc dicuntur non illis, qui in deserto, sed in terra agebant, atque adeo jam in quietem terrestrem introducti erant à Josua. Nam, si nulla requies populo esset reservata in posterum, tanto tempore postquam Josua illos introduxisset in terram Canaan, David non fuisset locutus de requie, in quam non essent intraturi increduli. Quæ sine dubio est alius generis, ac illa, in quam eos introduxit Josua; estque cessatio à siti, ab exspectatione, à labore, à jugo ferendo, & à servitute elementorum mundi, à metu afflictionum & mortis, à subscriptione chirographi, & similibus oneribus.

PSALMUS XCVI.

KImchius hunc Psalmum refert ad tempora Christi. Nos ex ipso Psalmo videbimus, Jesum esse illum Christum, de cujus regno hic agitur. Partes:

A. Præceptum de prædicatione regni Dei. Illud est 1

I. Generale, & tanquam Propositio. *Canite Jehovæ carmen novum*, id est, gloriamini & gratias agite ipsi cum lætitia & concentu virtutum & charitatis inter plures, ob novum & magnum, supra omnia vetera, bonum datum & adeptum; ut est bonum filiationis; cum revelatione rerum à sæculis tacitarum & mensurâ Spiritûs pari ad saturam lætitiam. *Canite Jehovæ, omnis terra.* vers. 1. *Canite Jehovæ, benedicite nomini ipsius; Euangelizate de die in diem salutem ejus.* Veritas Euangelica est castigatissimi carminis instar, cui nihil addi demive potest, quin harmonia & concentus violetur. vers. 2. *Jehovæ*, id est, in laudem ejus, qui virtutem nominis sui Jehova reipsâ explicavit. *Tota terra.* Intelligitur hic conciliatio tribuum in uno capite Christo. *Benedicite nomini ipsius*, id est, Deo in Christo se talem tantumque exhibenti, qualem quantumque se futurum Patribus promiserat. Verbo *Salutis* tollitur servitus, maledictio, accusatio quotidiana per legem dogmatum, tolluntur sacrificia, pignora terrena, lex, quatenus cogit quærere salutem, vis nostra. De *Euangelio salutis* vide & Ps. 40:10. 11. 68:12. 69:30. 31. 98:2 Es. 52:7. Tempus sive duratio εὐαγγελισμοῦ indicatur, *de die in diem.* Est enim Euangelium æternum, quod supprimi & obscurari non debet.

II. Speciale triplex, quo

1. prædicandi officium injungitur populo credenti apud gentes. Est hic

(a.) Thesis. *Narrate in gentibus gloriam*, id est, præstantiam *ejus*, quâ fieri potest, & factus est justitia peccatoris, *in omnibus* sine discrimine *populis*, qui variis diis fictitiis serviunt, *mirabilia ejus*, qualia ponuntur 1 Tim. 3:16. ℣. 3.

(b.) Confirmatio Theseως & suasio

(α.) à Dei magnitudine & majestate. *Nam magnus est Jehova & laudari dignus valde. Timendus supra omnes deos. Magnitudinem Dei* in Gratia describit Moses Num. 14. 16. Nempe qui nobis fit in Deum, ut ipsi confidamus & credamus, est reverâ magnus. *Majestas* indicatur, quòd se timendum exhibet supra omnes *deos*, id est, angelos, principes ac potestates, quos partim subjecit sibi per sui reverentiam, partim abolevit. ℣. 4.

(β.) à gentilium deorum vanitate & Dei virtute. *Nam omnes dii gentium sunt Res-nihili. Sed Jehova cœlum fecit.* ℣. 5.

(γ.) ab instructione sive apparatu idoneo testium Dei, ad indicandum gloriam ipsius in gentibus. *Majestas*, omnis chorus regiarum virtutum, *& respectus*, id est, vis flexanima, quâ dura corda emollit, ad reverendum ipsum, *coram ipso sunt*, ad parandum ipsi viam; *Vis* Spiritûs Sancti, unde fides mundum vincens, *& Decus*, id est, omnis chorus virtutum dignarum filiis Dei, *in sanctuario ejus*, in vobis Apostolis meis, in quibus ego habito. Nolite ergo metuere, Euangelium vestrum frustra fore. vers. 6.

2. Gentibus imperantur diversa officia. Aliquot gradus hic.

2 I. Confessio veri Dei & roboris ejus. *Cedite Jehovæ, familiæ populorum, cedite Jehovæ gloriam & robur.*

Hæc confitentur gentes, dum partim relictis idolis convertuntur ad Deum, partim videntes se ei resistere non posse, mentiuntur ipsi. vers. 7.

3 II. Confessio veritatis in verbo revelatæ. *Cedite Jehovæ gloriam nominis ejus*, celebrate ipsum talem, qualem se revelavit in verbo suo.

Notum est, quantum laboratum sit in Ecclesia prisca ad hæreses extinguendas. Quod & tandem per Synodum Chalcedonensem sub Marciano Imperatore maxima ex parte effectum est.

4 III. Oblatio munerum. *Accipite munus & venite in atria ipsius.* vers. 8. Imperat gentibus, ut se adjungant populo Christiano, allato munere, id est, ut simul omnes suas facultates afferant, ad exornationem Ecclesiæ, & ad promotionem exercitiorum veritatis & pietatis.

5 IV. Adoratio cum sanctitate. *Adorate Iehovam cum ornamentis sanctis.* Existebant scilicet in hac periodo temporis, ad quam nos prophetia deducit, Homines, qui se adorari volebant, quique præcipiebant adorari idola. Contra illos præcipit Spiritus, *Adorent Iehovam* & neminem præter ipsum. *Ornamenta sanctitatis* sunt dona Spiritûs Sancti, quibus filii Dei notantur; quæ sunt fides veritatis, spes vitæ æternæ cum abnegatione hujus mundi, & charitas, quam ostendent patientiâ persecutionum & ipsius mortis.

6 V. Terror totius terræ coram Deo. *Terremini coram ipso, omnis terra*, scilicet ut à persecutione desistatis. *Terra omnis* hic vocantur pro conditione temporis, jam in superioribus descriptâ, quicunque ex Judæis & gentibus nomen Christi susceperunt. ℣. 9.

Factum hoc, cùm Persecutores pacem Ecclesiæ darent in Germania, Gallia, Belgio: alii etiam ad Ecclesiam accederent.

3. Man-

3. Mandatur de novo prædicatio inter gentes. *Gentes* hic reputat Scriptura 7
omnes, qui non pertinent ad Ecclesiam. Prædicatio triplex est.

(a.) Deum regem esse. *Dicite in gentibus*, vos, qui estis Dei populus, *Iehova rex factus est*.

Postquam gloria Dei in gentibus narrata, eaque concertatio in terra exorta esset, in qua Deus quasi de throno suo pronunciavit, & terram terruit, ut τοῖς δικαίοις pax concederetur, nova prædicatio Euangelii contra omnes errores & inprimis adversus Regnum hominis magnâ vi celebrari & peragi debebat. Neque major nobis cum Pontificiis est controversia, quàm illa: An Christus regnet sine socio aut vicario?

(b.) de firmitate Ecclesiæ. *Etiam firma est Frugifera, nequaquam nutabit*, vel *nutat*. Nullis violentiis aut fraudibus Satanæ opprimetur. Potest & ad optimam Ecclesiæ constitutionem referri, ratione regiminis & doctrinæ, ut sit, *aptissimè instruetur*. Potest & ad compositionem partium dissidentium, *Componetur*.

(c.) de judicio. *Iudicabit populos* adorantes Bestiam, id est, eos ulciscetur, 9
in rectitudine. ℣. 10.

B. Denunciatio adventûs Dei ad judicium. *Lætentur cœli*, id est, angeli, *&* 8
gaudeat terra, id est, fideles in terra, ob instans bonum; *tonet mare & plenitudo ejus*. Videtur motus significari, sed etiam potest lætitiæ esse significatio, quòd per hoc judicium etiam mundus à tyrannis sit liberandus. ℣. 11. *Exultet ager*, pars cultior Ecclesiæ, *& quicquid in ipso est. Tum cantent omnes arbores sylvæ*, principes mundi. vers. 12. *Coram Iehova. Quia venit*; *quia venit ad judicandum terram*.
Scilicet *judicabit Frugiferam in justitia*, id est, ab hypocritis repurgabit illam, & 8
manifestabit ipsis justitiam suam, quæ est in Christo. *Et populos in veritate sua*. Ut præstet ipsis promissionem patribus factam. vers. 13.

PSALMUS XCVII.

Et hic Psalmus de regno Dei in Christo agit. Hic

A. Propositio habens Regni Dei promulgationem cum præcepto Lætitiæ
ad *Terram* & ad *Insulas*, id est, Judæos & gentes. *Iehova Rex factus est*, id est, 2
thronum suum occupavit, dum evexit Filium suum ad dextram suam supra omnem
dominatum, potestatem, principatum. Confer suprà Pf. 93: 1. Præceptum
1. *Gaudeat terra*, id est, omnes Israëlitæ regem datum agnoscant & fide recipiant. 4
Et Deus effecit, ut multi ex omnibus tribubus crederent Euangelio. 2. *Lætentur* 5
insulæ amplæ, ad Occidentem terræ sanctæ. ubi maritimæ regiones, vel insulæ.
vers. 1.

Certè in Imperio Romano acta sunt pleraque, quæ de regno Christi in variis temporum climatibus sunt prædicta.

B. Exergasia & confirmatio præcepti de gaudio

I. Per tres antitheses Terroris ac Lætitiæ. Suntque

1. Speciei obscuræ & solidæ throni fundationis. *Nubes & caligo circa ipsum sunt*. 6
Nubium illa conglomeratio significat serenitatis & lucis absconsionem, inductionemque molestiæ & ærumnæ, & nihil nisi atrox minitans in politia.

Romani tum, cùm Christus ascendisset in cœlum, firmissimo imperio Judæos premebant, sub Cajo & Claudio. Procuratores Cæsaris in populo dominabantur. Hæc non poterant esse læta. Deinde plurimi

erant

erant contradictores veritatis. Ergo sive spectes Judæos, inter quos regnum Dei erat erigendum primò, jacebant in extrema servitute; sive discipulos & paucos fideles, in quibus regnabat Christus, totus mundus ipsos oppugnabat.

Oppositum: *Justitia & judicium est locamentum throni ejus.* Justitia significat perfectissimam obedientiam Christi, quâ effectum est, ut Lex Dei non obstaret saluti electorum; sed etiam certissimo & valido jure hæreditatem sibi vendicare posset. *Judicium* significat condemnationem peccati factam in carne Christi, quæ includit demonstrationem impotentiæ carnis, & legis ad justificandum peccatorem. (Rom. 8:3.) ℣. 2.

7 2. Consumtionis hostium & illuminationis ac tranquillationis Ecclesiæ. *Ignis* destruens & consumens *coram ipso ambulat, & inflammat circumquaque hostes ipsius,*
4.5 Judæos refractarios. vers. 3. *Illuminarunt fulgura ejus Habitabilem.* Lux affulget Ecclesiæ per verbum, per dona Spiritûs, per efficaciam verbi & Spiritûs apud electos, per signa & miracula, per charitatem & reliquas virtutes, & per de-
8 structionem hostium. *Vidit* fulgura Dei, *& conterrita est Terra*, populus Judaïcus, à persequendo. Habuerunt enim etiam Ecclesiæ tempore Apostolorum pacem. ℣. 4.

9 3. Abolitionis regnorum, & erectionis regni Dei. *Montes*, regna & populi, *instar ceræ liquefacti*, aboliti *sunt*, *coram Iehova*, *coram Domino totius terræ*, id est, cui omnes debent servire, tam gentiles, quàm Judæi. ℣. 5.

Talis est abolitio reipublicæ Judaicæ, & postea potentiæ gentilium in Imperio Romano.

9 *Indicarunt cœli*, Deus ex cœlo, missis Apostolis, & postea aliis Euangelii præconibus, *justitiam ejus*, quæ in Euangelio prædicatur, quâ ipse justus justificat eos, qui sunt ex fide Christi, eisque *jus* vitæ æternæ donat. Ita autem indi-
§.5 carunt, ut *& viderent*, id est, tam certò crederent, ac si vidissent *omnes populi*, multi ex omnibus populis, *gloriam* sive præcellentiam *ejus*, quam habet justificando impium ex gratia per & propter Christum. ℣. 6.

10 *Pudefiunt omnes colentes* externis gestibus *sculptile*, *qui gloriantur* & magna sibi promittunt *in diis nihili*. Vident enim, nihil sibi in illis esse opis; contrà Dei regnum magis magisque illustrari. Ita autem pudefiunt, ut 1. relinquant. 2. doleant, & saltem ore non audeant ampliùs asserere. *Adorarunt ipsum omnes dii*, non tantùm angeli in cœlo, sed & summi principes in populo Dei, quibus ad tempus minor fuerat. *Adorarunt*, id est, honorem summum ac Deo debitum ipsi detulerunt, ipsum pro æterno & perfectissimo ente & summo Domino habuerunt.

11 II. A vindicatione altitudinis Regis Christi. *Audivit & lætata est filia Sion*, id est, Ecclesia electorum fidelium ubivis gentium, quæ habet communionem cum iis, qui Sione Christum exspectarunt & viderunt, & ab eo donum Spiritûs acceperunt, *& gavisæ sunt filiæ Iudæ*, id est, Ecclesiæ particulares in certa parte orbis terrarum, analogæ ei tribui regnum Dei & sanctuarium retinenti, etiam situ, utpote versus Occidentem & Meridiem, ut in Africa, sitæ, *propter judicia tua*, *Iehova*, quæ scilicet peracta sunt à Spiritu tuo per verbum tuum, ut crederent homines & cognoscerent, te Deum summum esse. Unde judicia Synodorum pro deitate Christi nata sunt.) vers. 8. *Quod tu, Iehova, summus supra omnem terram*, id est, Ecclesiæ Catholicæ caput, *admodum exaltatus es supra omnes deos*,

deos, qui non sunt, neque vocari possunt Jehova, ut cognosceretis esse æqualis Patri. ℣. 9.

Hæc referenda sunt ad debellationem hæreseωn, Arrii, Sabellii, Photini, & aliorum, qui offenderunt in isto, quòd Deum noluerunt credere manifestatum in carne. Quarum hæreseωn debellatio magnum effecit gaudium in fidelibus ubique; & maximè in Occidente & Meridie, ut in Africa, ea veritas retenta fuit.

III. A liberatione piorum ex manu improborum. Intermiscetur adhortatio accommodata historiæ. *Diligentes Iehovam odio habete malum.* Ratio suasoria 15

1. à spe liberationis. *Conservans animas piorum suorum, ex manu Improborum eripiet eos.* Vetatur communio cum mendaciis & peccatis Antichristi, eo argumento, quòd Deus pios liberabit, qui conservat animas ipsorum ad vitam æternam, à fornicatione, à seductione, ab impietate; & ipsos quoque eripiet ex manu Improborum. ℣. 10. 12.13 14

2. ab exhibitione lucis & lætitiæ. *Lux sparsa est Iusto*, tanquam semen regenerationis. Est ea lux in agnitione justitiæ Dei ex verbo, in ruina tyrannorum & confutatione omnis falsitatis, in liberationibus, in pace & ædificatione Ecclesiæ; *& Rectis corde lætitia.* vers. 11. 14

C. Conclusio lætitiam & confessionem Ecclesiæ commendans. *Lætamini, justi, in Iehova, & confitemini*, dicite Næ ad testimonium Dei, quo virtutes & opera sua indicat, & Amen ad stipulationem fidei & amoris Dei, ut justam, & ad declarationem judicii ejus secundùm Euangelium, *Memoriali*, id est, nomini *sancto ejus.* vers. 12. 15

PSALMUS XCVIII.

Est cohortatio ad omnigenam lætitiam in exceptione Regis Christi, adventum suum ad judicium paulatim admoventis.

A. Propositio. *Cantate Iehovæ canticum novum.* Confer Apoc. 15: 3. §.4

B. Confirmatio. *Nam mirabilia fecit.* Ea opera specificat. In iis vide 1. medium: *Salutem ipsi præstitit dextra sua & brachium sanctum suum.* Significatur vindicta & ultio propriis viribus sumta. Testatur prophetia, fore ultimis temporibus, ut, Ecclesiâ oppressâ propemodum ab hostibus, destitutâque omni ferè ope, Deus mirabiliter per se ipsum sit pugnaturus pro Ecclesia adversus hostes vers. 1. Confer Es. 59: 16. Deut. 32: 36. 2. Rem. *Notificavit Iehova salutem suam ante oculos gentium*, cùm scilicet salvavit à manu hostium justos suos, secundùm verbum illud & promissionem, quæ in ore ipsorum est; Itaque cum salute *manifestavit justitiam suam.* vers. 2. 3. causam proëgumenam. *Meminit gratiam & veritatem suam domui Israëlis*, id est, filiis Israëlis. Refer hæc ad promissiones factas de Israëlitarum conversione. (confer Ps. 85.) 4. effectum consequens. *Viderunt omnes termini terræ salutem Dei nostri*, id est, omnes termini Ecclesiæ. Quicquid populi Dei nomen habet. ℣. 3. 1 2 7 3

C. Illustratio cohortationis. *Clangite Iehovæ, tota terra, fragorem edite & cantate & psallite.* ℣. 4. *Psallite Iehovæ in cithara, in cithara & voce cantici*, ℣. 5. *cum tubis & voce buccinæ.* vers. 6. p. p. id est. omnibus dotibus, quibuscunque ulla à Deo contigit, cum perseverantia & patientia voluntatem Dei & veritatem deprædicent. Idque summâ & indicibili lætitiâ ob regnum Christi manifestandum elati. 4

D. Ratio ſumitur

1. à fine, cui. *Coram Rege*, qui eſt *Jehova*, *quia Jehova* eſt & *Rex* noſter eſt, & regnum ſuum occupavit aſſertum à manu tyrannorum. ℣. 6.

2 à fine, cujus. *Tonet mare & plenitudo ejus*, *frugifera & habitantes in ea*, laudes Dei. verſ. 7. Item *fluvii*, populi & regna, *plaudant manus*, *etiam montes canant*. verſ. 8.

3. à divino propoſito. *Coram Jehova*; *quia venit ad judicandum terram*, ut tanquam ſummus Imperator Eccleſiam in toto mundo ordinet & regat. verſ. 9. p. p.

5.6 4. à ſubjecto recipiente illius boni. *Judicabit frugiferam in juſtitia*, *& populos*, qui hactenus non audiverunt nomen ejus, *in rectitudine*. verſ. 9. Judicium Dei vide Zach. 14. Eſ. 66.

PSALMUS XCIX.

ET hic Pſalmus agit de regno Dei. Commendatur id præcipuè à ſanctitate Regis demonſtrata in regni hujus adminiſtratione. Nam tribus vicibus concluditur, Deum ob ſanctimoniam ſuam eſſe glorificandum. Tres igitur partes facimus.

A. Demonſtratio ſanctitatis Dei circa regni ſuſceptionem. Vide

I. Opus Dei, quo magnitudo Dei probatur. Id eſt fides electorum ex Judæis &
1.2 gentibus. *Jehova rex factus eſt*; *commovebantur* (vel *iraſcebantur*) *populi*, tum
Judæi, tum Romani: Pſ. 2: 1. Act. 4: 25. 26. 27. Act. 7. & 8: 1. 12: 1. Matth.
§.1 24: 9. *Sedens* olim *inter Cherubinos*, quæ erant ſymbola ex formis quatuor animalium conflata, qualia deſcribit Ezechiel cap. 1. & 10 ſymbola nempe Eccleſiæ electorum, in quibus habitat Deus per Spiritum ſuum ſub Novo fœdere effuſum,
3 Apoc. 5: 8. Subintellige autem, rex factus eſt. *Nutabat terra*. Hoc igitur primum opus. Politia Judaica abſorbebatur à mari, propter regnum Dei. Cum mutatione throni divini & mutatio populi carnalis in merè ſpiritualem deſignatur. ℣. 1.

§.1 Secundum opus eſt. *Jehova Sione magnus eſt*. Sione effuſus eſt Spiritus S. atque ita Chriſtus in membris ſuis unctus eſt. Sione prædicatur Euangelium cum magna virtute. *Magnus in Sione* igitur, virtute Spiritûs, donis, celebratione nominis, fide
4 & fructibus fidei in civibus Sionis. *Excelſus ſuper omnes populos*. Omnibus populis, utut in unum coadunatis & in ſublationem & exſtirpationem regni ac populi conſpirantibus, invictus & inſuperabilis; imò omnes populos vincens, & invitis poteſtatibus, ubique in omnibus populis ſibi populum colligens & ſubjiciens. ℣. 2.

II. Recognitio nominis Dei ob opera illa: quæ vel imperatur vel indicatur.
5 *Confiteantur* (vel *confitentur*, vel etiam *confitebuntur*) *nomen tuum magnum & terribile*, id eſt, te recognoſcant tantum ac talem, quantus & qualis in verbo tuo manifeſtaris & operibus demonſtraris; talem te credant & prædicent, ſcilicet populi omnes. Ratio: *Sanctum illud eſt*, omni labe ac maculâ carens, nomen omnis virtutis ac perfectionis laude clarum. verſ. 3.

Votum id eſt Eccleſiæ, ut tandem omnes populi, abnegatis Idolis, in nomen Chriſti jurent.

B. Demonſtratio ſanctitatis circa regni provectionem. Vide rurſus

I. Operis narrationem. Quod eſt

1. Victoria cum judicio. *Et ſanè*, quemadmodum oravimus, (vide verſ. 3.) ita eſt ſive extat *Robur Regis*, id eſt, Rex victoriam obtinuit ab hoſtibus ſuis, &

omnes

omnes confitentur nomen ejus, *qui amat judicium*, id eſt, qui tyrannos proſter-
nit, oppreſſos erigit; ſaturos exhaurit, famelicos ſatiat & explet; ſapientibus
illudit, ſimplices regit; falſitatem odit, veritatem propugnat.
2. Confirmatio veritatis contra depravationem hominum. *Tu conſtabilivisti re-* 6
ctitudinem, non ſiviſti labefactari & convelli *veritatem* doctrinæ fidei in Chriſtum.
Notatur vindicatio veritatis per Chriſtianos à mendaciis hæreticorum.
Quæ doctrinam Eccleſiæ propemodum inundabant.
3. Judicii in Eccleſia exercitium. *Judicium & juſtitiam in Jacobo tu feciſti.* 7
Cum illuſtratione veritatis eſt *judicium*, quo ſeparantur falſatores cœleſtis doctri-
næ à cœtu credentium. Ex utroque ſequitur *fides* vera ad juſtitiam, & *charitas*
fratrum. verſ. 4.
II. Adhortatio ad glorificandum Deum. 1. *Exaltate* non vos ipſos, non bra- 8
chium carnale, non ullum hominem, ſed *Jehovam* ſolum, *Deum noſtrum*, cum
quo fœdus habemus per fidem, ſine ullo Mediatore aut capite, qui ſit non Deus.
2. *Et adorate* non ad imagines, non ad ſcabellum pedum Antichriſti, ſed *ad ſca-
bellum pedum ejus*, id eſt, ad templum, quo Deus venit ſcilicet, vel in quo reve-
lat ſe; nempe carnem Chriſti, in quo habitat omnis plenitudo Deitatis corpora-
liter, qui propoſitus eſt ἱλαστήριον propitiatorium, in quo habitat & invenitur
Deus: & ad eos, in quibus invenitur Chriſtus, quamvis illi pauci ſint. Ratio: *San-
ctus ipſe eſt.* Zelotes honoris ſui, rapti & oppugnati à dæmoniis; Zelotes veri-
tatis, judicii, & juſtitiæ; Zelotes honoris ſui rapti ab Antichriſto & à Beſtia. ℣. 5.
C. Demonſtratio ſanctitatis circa συντέλειαν τοῦ αἰῶνος in caſtigandis Eccleſiæ
Antiſtitibus. Hic
I. Per exemplum & tanquam typum ea caſtigatio indigitatur. *Moſes & Aharon* 9
inter ſacerdotes ejus, quales Melchizedek, Abraham, Iſaac, Jacob, &c. &
Samuel inter nuncupantes nomen ejus, celebrando, ſe ſubjiciendo & addicendo
ipſi & eum invocando. *invocabant Iehovam, & ipſe reſpondebat eis.* verſ. 6. *In co-
lumna nubis loquebatur ad ipſos*, Exod. 33: 9. *Obſervârunt teſtimonia ejus*; *ſtatu-
tum, quod dederat ipſis.* verſ. 7. De Moſe & Aharone. *Iehova, Deus noſter, tu
reſpondiſti eis. Deus condonans fuiſti eis & ulciſceris flagitia ipſorum.* verſ. 8. Sen-
ſus: Nemo indignè ferat, ſe ab altitudine ſua depelli, quâ hactenus in Eccleſia
eminuit. Non eſt melior, quiſquis eſt, Moſe, Aharone & Samuele: quibus &
ignovit Deus, & tamen peccatum ipſorum retaliavit. Nam Moſen & Aharonem
excluſit à terra Canaan. Samuelem ab officio Rectoris populi removit. Attamen
& in magna dignatione fuerant, & fideles in mandatis Dei. Quid igitur illi pumi-
liones, qui Deum auctorem ſuæ poteſtatis oſtendere non poſſunt; qui præcepta
ipſius non obſervant? Non cedent Deo?
II. Parænefis ad glorificandum Deum. *Exaltate* non vos, non quicquam car-
nale, ſed *Iehovam Deum noſtrum, & adorate eum ad montem ſanctum ejus*, id eſt, 10
in corpore ejus myſtico, quod jam *montis* inſtar habet: Ratio: *Quia ſanctus eſt
Iehova Deus noſter*, qui nos ſanctificat ſibi in populum, &, erroribus convictis &
confuſis, ſatis teſtatur, ſibi cum illis nihil commune eſſe. ℣. 9.

PSALMUS C.

Titulus argumentum explicat. Docet nos gratias agere Deo, & in eo omnem
ejus cultum conſiſtere. Eſt

A. Præceptum

I. Excipiendi Regem victorem cum jubilo, Dominum gratioſum cum lætitia,
1 Judicem cum cantu. *Jubilate*, acclamate, *Iehovæ*, Diaboli & mortis victori, *omnis terra*, tam gentes, quàm Judæi. verſ. 1.

Colite Iehovam, fide, ſpe, & charitate, *cum lætitia. Venite coram eo*, non ut placaturi, non ut damnandi, ſed *cum cantu*, ut juſtificati, & præmium certò reportaturi. ℣. 2.

II. De cognitione Dei & noſtri verâ accipiendâ. *Cognoſcite*

1. *Quòd Iehova ipſe eſt Deus* & non alius is ſcilicet, qui manifeſtatus eſt patribus, ipſe ſolus ſit Deus, in quem credamus, cui tutò confidamus ad ſalutem. Nomen *deorum* cum poteſtate hominibus detraxit.

> Ii, qui viderunt Deum in carne manifeſtatum, his verbis cohortantur fratres ſuos, ut ex rebus ipſis colligant, eum, qui manifeſtatur in carne, & verba Dei loquitur, eſſe reverâ Jehovam.

2 2. *Ipſe fecit nos (& non nos) populum ſuum*, quem elegit & redemit; *& oves paſturæ ſuæ*, peculium ſuum. neque poſſumus alterius eſſe, quàm ejus, qui nos fecit. Et quia ipſe nos fecit, ei vivimus & ei morimur.

> Pugnat hoc præceptum ambitioni, ſuperbiæ, fiduciæ in ſemet ipſo, præſumtioni legem ferendi Eccleſiæ, fiduciæ in arbitrio ſuo & operibus ſuis. Abducit etiam à ſervitute principum & elementorum mundi. verſ 3.

3 III. De vero cultu diſtinctius. *Venite in portas ejus cum confeſſione, atria ejus cum celebratione.* Jubilandum non in cœtu improborum, ſed, quantum fieri poteſt, in cœtu juſtorum, qui in terris ſunt, ſuntque velut atrium domûs Dei in comparatione eorum, qui in cœlis ſunt. Objectum: *Confitemini ei*, beneficia vos maxima ab eo accepiſſe. *Benedicite nomini ejus.* Laudes omnes ſummas & maximas ſecundùm verbum ejus ipſi attribuite, & virtutes ejus, à quibus denominari voluit, rebus ipſis demonſtratas, agnoſcite cum εὐλογίᾳ. ℣. 4.

B. Ratio præcepti. *Nam bonus eſt Iehova. In perpetuum gratia ejus:. & in ætatem ac ætatem veritas ejus. Bonitas* meretur jubilum. *Gratia perpetua*, ſive ſtudium æternum erga illos, quos dedit Filio, lætitiam. *Veritas*, ſive conſtantia amoris & promiſſionum exhibitio *in omnem ætatem* meretur cantum. Hic eſt verus cultus Novi Teſtamenti.

PSALMUS CI.

SUb perſona Davidis proponitur regimen Eccleſiæ, quod Chriſtus rex in ea, tanquam domo & urbe ſua, & circa eam exercet, partim per ſeipſum, partim per Spiritum ſuum, quo Eccleſiam ejuſque rectores ad hoc agendum animat. Partes

A. Propoſitio ſummatim officium regium complectens. *Pietatem*, id eſt, enixum ſtudium erga Deum, & qui ejus ſunt, *& judicium* ad diſcretionem bonorum à malis, *canam, Tibi, Iehova, pſallam*, id eſt, carmine & cantico explicabo, imò Deo promittam, qui me miſit ad regendum domum & urbem ſuam. ℣. 1.

B. Explicatio rei promiſſæ.

I. Studii. Id explicatur

2 1. Affirmatè. *Conſiderabo in via integritatis, quando venies ad me*, id eſt,

quando

quando tu, ô Pater, venies, & regnum occupabis, & eris omnia in omnibus, conſiderabo, ut id quàm rectiſſimè ſine ambagibus & anfractibus fiat. Illa *conſideratio* eſt ſpei ſe ad metam extendentis; tum prudentiæ ex ſignis antecedentibus adventum Dei appropinquantem animadvertentis; tum obſequii in patientia crucis; *verſabor in medio domûs meæ*, quam Deus mihi dedit fundandam, ædificandam, regendam, ei, inquam, adero, eam regam & ornabo, *cum integritate cordis mei*, ſine ulla hypocriſi atque claudicatione, nunquam ab illa via integritatis diſcedens. ℣. 2.

2. Negatè. Removet à ſe contraria eorum, quæ affirmaverat.

(a.) ratione finis & viæ. *Non ponam ob oculos meos verbum Belial*, id eſt, verbum Diaboli, vel nequitiæ, πονηρίας. Vide hoc Pſ. 18: 5. Id opponitur promiſſioni divinæ, quæ facit ſpem adventûs Domini. *Facere declinationes*, id eſt, 1
fornicationem adverſam veritati & puritati fidei, & ſanctitati cordis ac morum,

(Qualis declinatio erat in Pſeudoapoſtolis, qui cerimonias legis urgebant ad fidem Chriſtianæ juſtitiæ & libertatem Euangelicam maculandam; & in aliis, qui idolothyta edebant, ſeſeque mundo aſſimilabant.)

odi, non adhæreſcet mihi. Oppoſitum id viæ integræ. ℣. 3.

(b.) ratione animi & virtutis dirigentis. *Cor perverſum*, tortuoſum, duplex (oppoſitum integritati cordis.) *recedet*, longè aberit, *à me*. *Malum non agnoſcam*, non reſpiciam, non affectabo id, quod extra regnum Dei eſt, & ad viam, quâ pervenitur ad Deum, non facit. ℣. 4.

II. Judicii. Quod exerciturus

1. in hoſtium regno adverſantium profligatione. *Qui obtrectat in occulto proximo ſuo*, ut Judæi Chriſtianis, *illum exſcindam*, quemadmodum Judæi exciſi 2
ſunt. *Altum oculis & latum corde* (Tales erant Romani divinitatem affectantes 3
& Deum oppugnantes.) *non poſſum ferre*. (confer Hab. 2: 5.) ℣. 5.

2. in familiæ

(a.) conſtitutione. *Oculi mei erunt in fideles terræ*, quorum profeſſio verax & fide digna eſt, *ad habitandum mecum*. Subnotatur hic palearum in exploratione crucis abjectio. *Ambulans in via integritatis*, id eſt, cujus ἀναςροφὴ, *converſatio*, eſt bona ſecundùm verbum Dei, quique ab ea nec ſeductione, nec vanitate aut cupiditate abſtrahitur, *is miniſtrabit mihi*, ut ſit mihi propheta, ſacerdos & rex. verſ. 6. Hoc dicto reprobantur illi, qui deſcribuntur Eſ. 56: 10. 11. 12.

(b.) expurgatione

(α.) ab hypocritis. *Non habitabit* (ſive *manebit*) *in domo mea*, *qui facit dolum*, 4
qui nimirum ſub colore pietatis & verbi divini propinat hominibus falſitatem, hypocriſin, idololatriam, falſam juſtitiam, adorationem Beſtiæ, &c. quamvis etiam domum meam ingrediatur, & fidelibus ad tempus connumeretur. Excitatâ enim perſecutione tales non perſiſtent, ſicque illorum, qui in errore verſantur, fiet ſeparatio à rectis. Quod etiam fieri potuit illo modo, ut errantes eos, qui errores reprehendunt, à ſe excluderent, & perſequerentur. verſ. 7. p. p.

(β.) à mendaciloquis & ſeductoribus. *Loquens mendacium*, desertâ veritatis do- 5
ctrinâ, *non ſtabilietur coram oculis meis*, ut ſtet coram me ac miniſtret mihi. Per *non-conſtabilitionem* intelligitur Crebra concuſſio, Labefactatio, Caſus, Abolitio: ἀνάλωσις, καταργησις. ℣. 7. p. a.

3. in regni oppugnati & oppreſſi vindicatione. *Matutinis* (mane exerceban- 6
tur judicia. Vide Jer. 21: 12.) *abolebo omnes Improbos terræ*, id eſt, hoc erit

 opus.

opus meum primarium, coërcere & profligare Improbos, qui audaciam sumunt ordinem conturbandi, innoxios opprimendi, maximè leges convellendi; *ad exscindendum ex civitate Jehovæ*, ex Ecclesia, *omnes operarios vanitatis*, ut urbs Dei sit repurgata à scandalis doctrinæ & vitæ.

PSALMUS CII.

ORatio *inopis, quum se involvit*, id est, quum animo linquitur tenebrisque oborientibus involvitur, *& coram Jehova effundit querimoniam suam.* Significatur diligens & plena alicujus rei, præsertim molestæ ac gravis pertractatio; sive
1 apud animum patientis, sive in colloquio. Querimonia illa ad Ecclesiæ vastationem referenda est. Partes sunt:

A. Supplicatio, ℣. 2—18. Vide

I. Implorationem. *Jehova, audi*, approba ut justam, *orationem meam, & vociferatio mea*, sive imploratio à me fusa ob salutis periculum, *ad te veniat.* ℣. 2. *Ne occultes faciem tuam à me, quo die in arcto versor: Imò inclina ad me aurem tuam. Quo die clamo, celeriter responde mihi.* vers. 3.

II. Implorationis commendationem.

1. à sua impotentia. *Nam consecti sunt, ut fumus, dies mei.* Ut fumus evanescit, ita omnis mea gloria, quam in multos dies sperabam, &, quamdiu fuit, fumi instar fuit, & citò evanuit, *& ossa mea, ut focus, adusta sunt.* Omnis medulla ossium meorum exhausta est præ tristitia. ℣. 4. *Percussum est, ut herba* fulmine vel uredine, *& exaruit cor meum.* Stupet cor meum. *Quia oblitus sum comedere panem meum*, cibum spiritualem, verbum Dei. Tum nulla fruges boni operis, nulla incrementa, nullus flos aut vigor. ℣. 5.

Barbaries ea notatur, quâ lectio verbi divini fuit rara, & intellectus adhuc rarior; contrà quisquiliæ humanarum adinventionum in manibus hominum versabantur.

Præ voce gemitûs mei agglutinatum est os meum carni meæ. Ecclesia ruinam minitans ossium fulcra sibi liquata, & tantùm non in carnem versa conqueritur. vers. 6. *Assimilatus sum plateæ*, vel *pelecano deserti*; *extiti ut bubo desertorum.* non tantùm desertus ab omnibus, sed & abominabilis monstri instar inter homines sum. vers. 7. *Pervigilavi* totâ illâ nocte, *& factus sum ut passer solitarius super tecto*, sine lætitia, sine quiete aut humano solatio. ℣. 8.

2. ab hostium probro. *Omni die probro me afficiunt inimici mei, furentes in me, per me jurant*, me exemplum pœnæ indigitantes. vers. 9. Hujus rei occasio. *Quia pulverem instar panis comedo, & potum meum fletu temperavi.* Omnis mihi voluptas, imò refectio in tristitiam & mœrorem vertit. vers. 10. Hujus autem causa ira Dei. *Propter severitatem tuam & fervorem tuum. Quia extulisti me & projecisti me.* vers. 11. *Dies mei sunt ut umbra inclinata*, id est, ut vespera. Sensus: In tenebris vivo, & in tristitia, perplexitate & confusione. *Et ego ut herba areo.* Vis omnis mea & vigor elanguit, tum ad fructus ferendos, tum ad propaginem faciendam, tum ad standum denique. ℣. 12.

III. Erectionem sui in spem meliorem ex meditatione perpetui regiminis Dei per verbum suum. *Attamen tu Jehova in perpetuum sedebis* in Ecclesia, ut Rex. Verbum tuum nullâ ætate interibit, ejusque nullum jota in terram cadet, ejusque fides mundum vincens, semper futura est. Quod dicitur: *Memoriale tuum in*

æta-

ætatem & ætatem. Non tantùm nominaberis, sed & in recordatione eris. vers. 13.

IV. Petitionem. *O Tu* (blandientis hoc.) *surgas, miserearis Sionem*, civitatem illam sanctam, quam delegisti inhabitandam, Ecclesiam filiam & traducem sanctorum in Sione. ℣. 14. p. p. §. 2

V. Petitionis rationes.

1. à tempore. *Nam tempus est gratiâ prosequendi illam.* Sunt enim in prophetia signati certi rerum articuli, quibus animadversis confirmatur spes restitutionis Ecclesiæ. Hoc confirmatur

(α.) à *προθεσμίᾳ. Nam venit conditum tempus.* Jam exspirat tempus tolerantiæ tuæ, quod hostibus tuis admensus es, & tempus castigationis nostræ, quod definivisti. Ita regnum Bestiæ suum terminum habet. ℣. 14.

(β.) ab affectu servorum Dei erga ipsam. *Nam acceptos habent servi tui lapides ejus, & pulverem ejus miserantur*, id est, *servi tui*, qui alioquin à Jesabele seducti errabant, incipiunt abominari Babylonem, & respicere ad civitatem sanctam, sive Ecclesiam fidelium, quamvis dirutam & disjectam, & singulos ejus spiritualis ædificii lapides, omnem pulverem ejus, omnes reliquias indicibili amore complecti. Quod nobis signum est, horam tuam jam advenisse. ℣. 15. 2

2. à fructu. *Et timebunt gentes Nomen Jehovæ: & omnes reges terræ gloriam tuam.* Reverebuntur gratiam tuam, & verbum tuum, & eminentiam, quâ solus es caput Ecclesiæ. vers. 16. Declaratur hoc distinctius à triplici ratione timendi nomen Dei & gloriam ipsius. Quòd *Deus* 1. *Sionem* ita planè eversam ac dirutam *ex pulvere excitaverit*, & 2. *apparuerit in gloria sua*; quod factum, cùm Christus apparuit in carne, & in gloriam susceptus est. vers. 17. 3. quòd per bonitatem suam Deus respexerit ad vilissimorum hominum preces. *Respexerit ad orationem myricæ, & non spreverit orationem illorum.* ℣. 18. 3

Ex triplici hac ratione intelligitur, orationem, quæ in hoc Psalmo exponitur, primò quidem competere Israëlitis in captivitate Babylonica; sed deinceps etiam ab Ecclesia continuari, donec planè constiterit, Deum non abominari orationem ejus, quantumvis humilis, vilis, imbecillis & informis sit in mundo.

B. Glorificatio Dei ob exauditionem. Vide

I. Medium glorificationis. *Scribatur hoc in ætatem postremam, ut populus, qui creatur, celebret Jah.* quem Deus *creat*, id est, ex omni mundo facit novam creaturam, non ex antiquo fœdere, sed ex novo; non ex lege, sed ex promissione; non ex statu carnali, sed spirituali. Scriptura igitur est medium notificandi nomen Dei & decentiam ejus. vers. 19.

II. Objectum, *Quòd prospectaverit ex sublimi sancto suo*; ut quum divinitas se manifestavit in carne; *Jehova ex cœlo ad terram respexerit.* vers. 20. *ad audiendum gemitum vincti*, qui in carceribus, in compedibus, in tenebris, in pudore, in frigore, in deliquio animæ jacet; *ad solvendum* & liberandum ex potestate carnificum, *filios occidionis* damnatos & raptatos ad mortem. ℣. 21.

Talis erat Ecclesiæ status sub Cæsaribus Idololatris. Talis erat sub Antichristo.

III. Finem. *Ad narrandum in Sione*, urbe Dei vindicatâ à tyrannorum potestate, *nomen Jehovæ, & laudem ejus in Hierusalem*, vers. 22. *Quum congregabuntur populi unà & regna ad colendum Jehovam.* ℣. 23.

Factum id, Euangelio prædicato per Apostolos, quum multi ex multis popu-

populis obediverunt Euangelio, licet ipſi populi & regna repugnarent: proceſſit res ſub Cæſaribus Chriſtianis: ſed ſtatim apertæ ſunt fores hæreſibus & tyrannidi. Clariùs igitur poſt manifeſtatum Antichriſtum id impletur.

C. Conſolatio in nova anguſtia. Hic

4 I. Narratio illius anguſtiæ. *Debilitavit in via vim meam*, tum in adjumentis externis, tum in alacritate fidelium, *abbreviavit dies meos*. Sperabam enim dies longos pacis, ædificationis, propagationis, victoriæ, floris. Experta ſum paucos. verſ. 24. Confer Apoc. 3: 8.

II. Solatii explicatio. Ea habet verba ad Deum directa

§.4 1. in deprecatione: *Dico: ô Deus mi, ne tollas me in medio dierum meorum.* Noli ſufflaminare & ſiſtere curſum Regni tui; noli pati, ut Eccleſia tua tam ſubitò extinguatur. Ratio: *In ætatem & ætatem ſunt anni tui*, quibus regnes. verſ. 25.

2. in ratiocinatione, ſive collectione concluſionis ad ſolatium. Vide

(a.) Argumentum ſumtum

5 (α.) à cœli & terræ abolitione per Deum. *Antè* vel *olim terram fundaſti*, & *opus manuum tuarum eſt cœlum.* verſ. 26. *Illa peribunt*, & *tu*, quantus rex es Eccleſiæ, *permanebis*, adeoque & Eccleſiam tuam conſervabis, & *omnia illa*, *ut veſtimentum inveteraſcent*; *inſtar indumenti mutabis illa & mutabuntur.* verſ. 27. Sed & oportet cœlum & terram mutari propter filios Dei, ut pro miniſtris vanitatis fiant domicilium juſtitiæ & gloriæ. Myſticè ſignificatur, Vetus regimen Eccleſiæ abolendum, ſive à Deo inſtitutum ſit, ſive poſtea apud homines invaluerit, licet à Deo inſtitutum non ſit; Deum autem permanſurum, & novam regni formam exorſurum. Quæ eſt creatio cœli novi & terræ novæ in Apocalypſi.

(β.) à Dei immutabilitate, & æternitate regni ipſius. *Sed tu idem es* naturâ, decreto, nomine, officio, & *anni tui*, quibus ſcilicet tu rex es, *non finiuntur.* verſ. 28. Confer Hebr. 1: 10. 11. 12.

6 (b.) Concluſionem. *Filii ſervorum tuorum habitabunt* in templo Dei, in nova Hieruſalem; non ampliùs exagitabuntur, disjicientur, palabuntur; & *ſemen illorum coram te ſtabit.* Vide phraſin Pſ. 101: 7. verſ. 29.

PSALMUS CIII.

Eſt εὐλογία Θεοῦ propter bona in regno Chriſti præſtita. Vide

1 A. Propoſitionem, quâ declarat, deberi Deo omnem gloriam propter *nomen ejus ſanctum.* verſ. 1. id eſt, quia nomen ejus ſanctiſſimum eſt, quod tum verbo cognoſcitur, quo deſcribitur, qualis & quantus ſit, tum operibus, quibus teſtatur, ſe talem eſſe. Et propter *beneficia ejus ſumma.* Quæ conſummatio & plenitudo in Chriſto nobis exhibita eſt. ℣. 2.

B. Exergaſiam. Quâ

I. Narrantur beneficia Dei, quibus nos obligamur.

1. Remiſſio peccatorum. *Qui condonat omnem pravitatem tuam*, id eſt, omnem diſcrepantiam à recto, ſive regula nobis præſcripta in lege. Condonare tum dicitur, quando 1. dat fidem, quâ promiſſio gratiæ in Chriſto apprehenditur. Ita ſanctis ab ævo peccata ſunt condonata. 2. quando caſtigationes Eccleſiæ, quæ ex peccato originem ducunt, auferuntur. Mich. 7: 18. 19. Hic modus condonationis

in

in plenitudine eſt ultimi temporis. 3. quando tollit accuſationem & commemorationem peccati, ut in reatu fideles retinentis, necdum oblato digno ſacrificio. Ea condonatio eſt propria Novi Teſtamenti. Jer. 31 : 34.

2. Sanatio omnium morborum. *Medens omnibus morbis tuis.* Intelligenda eſt ea ſanatio morborum, quæ conjuncta eſt cum condonatione peccatorum, ea, quæ in promiſſione dicitur κατ' ἐξοχήν. Nempe quamdiu populus Iſraëliticus eâ *condonatione* (hoc eſt, nuncio Euangelii de expiatione peccati facta) caruit, etiam morbo & infirmitate multâ laboravit. Si ſpectes doctrinam, quæ in populo vigebat, non lux erat, ſed nox. Difficile fuit viam & legem juſtitiæ reperire. In quæſtionibus legalibus languebant. Jugum ferebant ægrè. Spiritus filiorum nondum erat datus. &c. verſ. 3.

3. Conſervatio *à deſtructione*, id eſt, morte æterna per meritum & efficaciam Chriſti. *Qui redimit ex corruptione vitam tuam.* verſ. 4.

4. Cumulatio gratiæ & miſericordiæ. *Qui te coronat*, circumfundit poſt certamen, *gratiâ*, id eſt, omni donatione ſignificante æternam dilectionem fidelium in Chriſto, quâ illi illuſtres fiunt in mundo, *& miſericordiâ*, id eſt, illâ lenitate & clementiâ, quâ non ſinit eos tentari ſupra id, quod poſſunt ferre. verſ. 4. 2

5. Exſaturatio per bona cœleſtia ad vigorem recentem poſt ſenium. *Qui ſatiat bono*, eſcâ ſpirituali, *maxillam tuam*, *ut innovetur*, *velut aquilæ*, *juventus tua*, rejuveneſcas poſt ſenium, poſt tenebras Antichriſtianas, poſt ſubtractam *boni* cibi alimoniam, adeo, ut cum aquilæ juvenis alacritate certare poſſis. ℣. 5.

In corpore Eccleſiæ poſt tenebras Antichriſtianas id apparuit, cùm, reddito cibo ſpirituali, ita exarſit plurimorum fides, ut frequentiſſima fuerint propter veritatem martyria; ut priſco tempore.

6. Juſtitia in afflictione, & judicium pro oppreſſis. *Facit juſtitiam Jehova*, dum patitur Eccleſiam affligi & opprimi, quo partim gloriæ Dei conſulitur, partim fides & omnis virtus Chriſtiana in lucem protrahitur, partim ſordes ſive peccati proprii, ſive communionis alieni, detergentur; *& judicium omnibus oppreſſis*, eos liberando & aſſerendo, tum injuſtos oppreſſores puniendo, tum in vicem oppreſſionis exantlatæ maximis beneficiis oppreſſos exornando. ℣. 6. 3 4

II. Oſtenditur nomen Dei dignum omni benedictione, idque

1. Notificatum per Moſen Iſraëlitis. *Notificabat vias ſuas*, id eſt, conſilium & opera ſua, quibus ſeipſum glorificare vult, *Moſi*, *filiis Iſraël facinora ſua.* ℣. 7. *Miſericors* ab eo, quòd homines miſeros & exitii reos vult per fidem ſalvari, *& gratioſus* ab eo, quòd vult liberali dono juſtitiæ gloriam ſuam demonſtrare, *eſt Jehova*; *longanimis* ex eo, quòd homines impios tolerat diu, & vocat ad pœnitentiam, antequam puniat, *& multus gratiâ*, quòd æterno amore & mirabili potentiâ electos perducit ad ſalutem, & eorum fidem non tantùm ipſorum æternâ beatitudine, ſed & miſeratione filiorum uſque in milleſimam progeniem, maximè eorum, qui ſunt ſecundùm promiſſionem, remuneratur. verſ. 8. *Non in perpetuum contendit. Contendit* quidem, & judicium exercet in peccatum, ſed non in perpetuum. Nam 1. peccatum noſtrum conjecit in Chriſtum. Deinde in iis, qui ſunt Chriſti, peccatum magis magiſque abolet. Denique *non in ſæculum ſervat iram*, quemadmodum in milleſimam progeniem ſervat gratiam, ſed ipſi ſatis eſt, nunc in filiis, nunc in nepotibus, nunc in pronepotibus demonſtrare juſtitiam & iram ſuam. ℣. 9.

2. Comprobatum ipſo facto. Inculcatur

(a.) Longanimitas cum insigni beneficentia conjuncta. *Non secundùm peccata nostra fecit nobis, & non secundùm pravitates nostras retribuit nobis*: vers. 10. *Sed quemadmodum alti sunt cœli supra terram, superevaluit gratia* sive beneficentia *ejus super timentes ipsum.* vers. 11.

Postquam Euangelium gratuitæ justificationis gentibus annunciatum, & ab eis receptum fuit, convenit eis hæc Scriptura; & ex eventu ea habet interpretationem.

Similitudo altitudinis cœli adhibetur ad ostendendum beneficiorum exaggeratam molem.

2, 3 (b.) Condonatio defectionum ex misericordia post lenem castigationem. *Quantum abest Oriens ab Occidente, elongavit à nobis defectiones nostras.* vers. 12. *Ut miseratur pater liberos, miseratus est Jehova timentes se.* vers. 13. Sensus: Quum Deus
2 propter peccata nostra & defectiones manum suam extendisset contra nos, ut per-
3 cuteret nos, nihilominus tamen miseratus timentes se, quanquam & ipsi agnoscerent, se gravissimas pœnas mereri, elongavit à nobis pœnas defectionum nostrarum, Additur ratio miserationis. *Nam ille novit figmentum nostrum*, quòd scilicet tantùm malum sit à pueritia, Gen. 8 : 21. Quòd homo totus sit mortuus in peccato, & cum peccato luctetur, quamdiu hic vivit; *memor, nos esse pulverem*, id est, etiam, postquam sanctificati sumus, tamen remanere in nobis reliquias peccati & legem membrorum, quæ captivos agit sub peccatum. vers. 14. Sumtum & hoc ex Gen. 3 : 19.

(c.) Gratia constans erga timentes Deum & posteros ipsorum: quæ comparatione humanæ caducitatis illustratur, idque ad commendandam gratiæ tum necessitatem, tum magnitudinem. *Homo* quidem, *ut graminis, sunt dies ejus*; *ut flos agri, sic floret.* vers. 15. *quum ventus transierit in illum, non est*, ἀφανὴς γίνεται; *nec agnoscit ipsum ampliùs locus ejus.* vers. 16. *Sed gratia Iehovæ*, id est, amor ille immensus, quo salutem dedit & procurat in Christo, *est à sæculo in sæculum*, id est, ad vitam æternam, *super timentes eum.* Is amor describitur 1. ab effectu, *Iustitiâ. Et justitia ejus in filios filiorum*, vers. 17. *Eorum, qui custodiunt fœdus ejus, & recordantur mandatorum ejus, ut ea faciant.* vers. 18. Intelligitur jus petendi vitam pro hæreditate. 2. à duratione duplici:

(a.) respectu *timentium Deum*, id est, verè credentium.,

(b.) *filiorum* sive posterorum. Nam in illos quoque redundat. Act. 2: 39. Mens promissionis est. 1. inter posteros habituros esse semen gratiæ, si generent. 2. alioqui fideles secuturi temporis ipsis dari in filios, Es. 56 : 5. Versu 18. dicitur, à parentibus bona in liberos devolvi. Ibidem explicatur timor Dei, quòd sit 1. *observatio testamenti & fœderis Dei*: quod facit, qui Deo stipulanti fidem ad justitiam astipulatur, & à Deo stipulatur justitiæ & salutis donum in bona conscientia. 2. *recordatio præceptorum ejus*, nempe fidei & charitatis, non speculativa & evanida, sed *ad faciendum ea.*

C. Nova exhortatio ad benedicendum Deo propter amplitudinem regni ejus. Vide

3 I. de regno Dei. *Iehova in cœlo disposuit thronum suum*; (vide Ps. 2 : 4. 110 : 1. 68 : 19.) Oppositum hoc *terræ*, in qua olim tabernaculum & templum habebat, quod dicebatur *Solium gloriæ. & regnum ejus in omnia obtinet potestatem.* Significatur regni dilatatio in omnia. Quod gradatim fit. Maximè igitur gradus hic ultimus innuitur. ℣. 19.

II. de

II. de officio benedicendi. Quod injungit

1. Angelis tanquam subditis. *Benedicite Iehovæ angeli ejus, præpotentes robore, facientes verbum ejus*, ad hoc unum parati, *ut audiatis vocem verbi ejus*, sive *verbum* ὑποστατικὸν, Christum, intelligere velis, sive quæ ille loquitur. Quo ipso Angelorum subjectio & abdicata regendi provincia, sive potius exaltatio fidelium in consortium angelorum, ut sint conservi, indicatur. ℣. 20.

2. *Omnibus exercitibus & ministris Dei.* Sunt exercitus cœlestes, beatorum animarum: sunt terrestres ex Judæis, ex gentibus; qui Deo militant, inprimis in militia contra hostes ejus. *Ministros* intellige Pastores, Doctores, Reges, Principes, &c. ℣. 21.

3. Omnibus operibus sive *facturis Dei*, *in omnibus locis dominatûs ipsius*, id est, creaturis rationalibus renovatis à Deo. Et τὸ *omnia loca* opponitur uni loco, in quo Deus celebrabatur apud Israëlitas. ℣. 22.

4. Sibi ipsi. *Benedic Iehovæ, anima mea.* ibid.

PSALMUS CIV.

IN sequentibus Psalmis continuatur Benedictio Dei, sive consideratio variarum causarum ad benedicendum Deo excitantium. In hoc Psalmo consideratur opus creationis & conservationis rerum ac gubernationis hominum in regno gratiæ. Universum considerat tanquam theatrum potentiæ, sapientiæ, bonitatis, gratiæ ac justitiæ Dei. Vide

A. Propositionem. *Benedic, anima mea, Iehova.* ℣. 1. p. p.

B. Confirmationem, quâ causæ benedicendi Deo explicantur. Hîc est

I. Argumentum à divina majestate in operibus naturæ manifestata. Distinguit hîc

1. Complexionem summariam hujus argumenti, ob quod Deus valde benedicendus. *Iehova, Deus mi, magnus es valde*, ratione perfectionis, virtutis ac potentiæ; & operum, item opum ac divitiarum; *majestatem induisti*, tum in creatione, quando creaturis tuis te demonstrasti regem & omni subjectione dignissimum: tum magis propriè in ascensione in cœlum, tanquam solium regium, post depositam servi humilitatem, *& reverentiam*, vim illam flexanimam in obsequium tui, *induisti*, scilicet misso Spiritu tuo. vers. 1.

2. Exergasiam in consideratione Creationis, vers. 2—26, & Conservationis rerum, vers. 27---30.

II. à divina gloria, manifestata in gubernatione mundi ad salutem electorum suorum. Hic adverte

1. Glorificationem Dei ob εὐδοκίαν ipsius, quâ in Christo genus humanum, & omnem creaturam, tanquam ejus peculium amplectitur. Tria hic:

(a.) Glorificatio. *Sit gloria Iehovæ*, glorificetur Jehova, *in sæculum.*

(b.) Gratiæ explicatio, quæ est glorificationis ratio. *Lætatur Iehova in operibus suis*, ℣. 31. id est, non ipsis maledicit; ut olim propter hominem maledicti; sed eis benedicit, & omnibus bonis cumulat, propter hominem benedictum in Christo.

(c.) Illustratio gratiæ per comparationem iræ. *Quo aspiciente terram, contremiscit*, indigna aspectu ejus; *tangente montes, fumat.* vers. 32.

2. Glorificationem Dei ob exauditionem precum & excidium Improborum. Hic

§ 5 (a.) Propofitum. *Cantabo Jehovæ in vita mea*; *Pfallam Deo meo*, abrenunciato omni nomine alio, *quamdiu ero* in hoc mundo. ℣. 33.

(b.) Ætiologiam.

2 (α.) *Grata enim ipfi eft meditatio mea*, quam fæpe in tribulatione ad ipfum effudi: *Ego lætor in Jehova*, qui me indicibilibus beneficiis affecit. Hæc caufa proëgumena, ut illa procatarctica. ℣. 34.

3 (β.) *Deficiunt Peccatores*, in emphafi, qui nilul nifi peccant, gentiles idololatræ, *ex terra* viventium Ecclefiâ, *& Improbi*, juftitiæ exfortes, & injuftitiæ do-
4 ctores, quorum caput Antichriftus, *non funt ampliùs*: fortè, ut Judæi, licet fint, tamen quafi non funt. Conjicientur enim in ftagnum ignis. Apoc. 19: 20. Sed Deus novit certam hujus prophetiæ expofitionem. ℣. 35.

5 C. Claufulam. *Benedic, anima mea, Jehovæ*: Privatum id. *Laudate* vel *Celebrate Jah*. Publicum id eft officium. ℣. 36.

PSALMUS CV.

HIc Pfalmus invitat indiftinctè homines ad varia officia fidei: tum nominatim pofteros Abrahami ad recordationem veritatis Dei in præftanda promiffione Abrahamo facta, quæ promiffione poffeffionis terræ Canaan obfignata & figurata eft. Eft hic

A. Parænefis indiftincta, verf. 1---4. Quam fi diligenter confideremus, facilè apparebit, in ea effe efficax Dei imperium, quo effecit, ut Filium fuum venien-
1 tem in carne.
Electi agnofcerent, eique fuam juftitiam *confiterentur* & beneficium juftitiæ
2 acceptum referrent;
3 Ipfiufque difcipuli & fervi & fideles effe & vocari gloriofum haberent;
Tum *inter gentes* annunciarent confilium Dei, quomodo is decreverit cum ho-
4 minibus agere, nimirum credentes in Chriftum juftificare, infideles damnare. ℣. 1.
5 Gaudium fuum fpirituale oftenderent coram toto mundo in martyriis & mutua charitate; itemque gloriam Chrifti divinam operibus ipfius manifeftatam affere-
6 rent contra ejus hoftes. verf. 2.
Nec non contra falfa Ecclefiæ capita *gloriarentur in Chrifto* folo, tanquam vero
7 Deo, & nomine ipfius, quod in verbo revelatum eft. verf. 3.
Infuperque quærerent Deum, feductione & tyrannide graffante, & invento, in verbo ipfius, gauderent toto corde; intenderent in omni tentatione Domino, & auxilium ejus expeterent, nec fe à veritatis divinæ ftudio ullo tempore dimoveri & depelli finerent, licet magna afflictio & varia Apoftatarum exempla eos follicitarent. verf. 4.
8 Ita in hac parænefi eft curriculum temporis Novi Teftamenti.

B. Parænefis diftinctè directa ad femen Abrahami. Eft hic

I. Propofitio: *Mementote mirabilia ipfius*, *quæ fecit* Chriftus; *prodigia ipfius*, hæc funt figna excitantia, declarantia, confirmantia cum quadam admiratione; *& judicia oris ipfius*, quæ ipfe pronunciavit, tam in monte Sinai, tum in deferto populorum. Ezech. 20: 35. verf. 5. *Semen Abrahæ fervi ipfius*; *filii Jacobi electorum ejus*. verf. 6.

II. Confirmtio five fuafio. 1. à lo-

1. à loquentis magnitudine & veritate. *Ipſe*, nempe Chriſtus, *eſt Iehova Deus noſter*. Igitur mementote mirabilia ejus & judicia oris ejus.

2. à judiciorum univerſalitate. *In tota terra* extant *judicia ipſius*. Nam patres veſtri judicati ſunt. Ita Romani, ingrati Chriſtiani, hæretici, defectores à fide, perſecutores, &c. verſ. 7.

3. à promiſſionum veritate. *Recordatus* eſt, id eſt, non pœnitet eum, jamque tempus ab ipſo definitum venit, ut hæreditatem terræ det ſemini Abrahami, *in ſæculum fœderis ſui*, quod contraxit cum Patriarchis, promittens eis, ſi crederent in ipſum, ſe hæc repræſentaturum; *verbi*, promiſſionis ſponte indicatæ, juramento confirmatæ, à nulla conditione ſuſpenſæ, *quod edixit in mille generationes*, id eſt, in omne ævum; verſ. 8. *quod pepigit cum Abrahamo*, declaravit ipſi per ſymbola fœderalia, ut quaſi ex pacto penderet veritas: *& juramenti ſui*, quo verbum ſuum fecit irrevocabile, *ad Iſaacum*; verſ. 9. Quodque *conſtituit in legem Jacobo*, *& Iſraëli in fœdus perpetuum*, id eſt, propoſuit ad credendum, & tanquam medium, per quod Deus ipſorum & illi populus ipſius futuri eſſent, verſ. 10. Hæc eſt promiſſio, quòd Dominus vellet eſſe Deus ipſius, & ſeminis ipſius poſt ipſum: Item, quòd in ipſo, & ipſius ſemine, gentes benedicendæ eſſent. Quod in Scripturis hæreditas mundi appellatur. Quam promiſſionem Deus ſancivit, *dicendo*, id eſt, *quum diceret: Tibi dabo terram Canaan*, *funem hæreditatis veſtræ*, tanquam figuram hæreditatis mundi, & ſignaculum veritatis meæ. verſ. 11:

4. à mirabilium varietate & præcellentia. Ea recenſentur,

(a.) cuſtodia & defenſio patrum in terra ut hoſpitum, verſ. 12—15.

(b.) præparatio ſubſidii in fame. verſ. 16—23. Hic *verbum Dei* verſ. 19. ſignificat illud verbum, quo Deus indicavit Pharaoni in inſomniis, quid ſequentibus annis futurum eſſet; *Dictum Dei* intelligitur ſomnium piſtoris & pincernæ. Quod Joſepho fuit inſtar cotis, vel inſtar ignis, quo *conflatus* eſt, id eſt, compertum eſt, ipſum eſſe Spiritu Dei præditum, & criminis, cujus arceſſebatur, reum non eſſe.

(c.) potens eductio ex Ægypto, verſ. 24—38.

(d.) deductio perbenigna per iter in terram Canaan, à verſ. 39. ad 45.

Verſu 45. finis omnium prænarratorum beneficiorum indicatur. *Propterea ut ſervarent ſtatuta Dei*, id eſt, veritatem illam cuſtodirent, quâ Deus ſe & voluntatem ſuam revelavit. Præcipuè crederent, quòd Deus ipſos ſanctificaturus eſſet, & hanc fidem teſtarentur ſanctitate novæ obedientiæ; *& leges ejus retinerent*. Intellige doctrinam cœleſtem, quâ ducimur ad metam. Hiſce adſtruitur, quòd datio terræ Canaan verſ. 44. fuerit ſigillum promiſſionum Dei, confirmandæ fidei Iſraëlitarum & omnium, ad quos promiſſiones pertinent.

C. Doxologia. *Celebrate Jah.* verſ. 45.

PSALMUS CVI.

PSalmus hic egregiè præcedenti ſubjungitur. Ut enim ibi eſt exhortatio Judæorum ad pœnitentiam; ita hic pœnitentia eorundem ſparſorum inter gentes, oſtenditur. Eſt autem exomologeſis peccatorum, & oratio ad conſequendam recollectionem ex gentibus directa. Partes

A. Animi præparatio ad orationem

I. Per excitationem ad celebrandum Deum. *Celebrate Jah. Conſitemini Jehovæ*,

væ, quòd bonus fit, quòd in fæculum fit gratia ejus. Notatur, 1. gratiam Dei effe conftantem erga fideles. 2. eam in pofteros quoque extendi. Qui fenfus huic loco maximè convenit, ubi agitur de Judæis, longo tempore rejectis, denuo affumendis. verf. 1. Verba funt eorum, qui mox confitentur peccata.

II. Per admirationem virtutum Dei. *Quis verbis exprimet virtutes Iebovæ, præconiabit omnem laudem ejus!* Eft fubjectio ad præcedentem excitationem. q. d. Nullus eft idoneus ad eloquendum præpollentias Dei, & mirabilia ejus. verf. 2.

III. Per μακαρισμὸν illorum, qui Deo femper adhærefcunt. *Beati, qui fervant judicium,* (illud in difciplina confiftit.) *qui facit juftitiam,* fidem & charitatem, *omni tempore*, in profperis, in adverfis. verf. 3. Hæc funt verba illorum, qui agnofcunt fuam miferiam, quòd toto tempore abfque judicio & juftitia fuerint.

B. Oratio habens

I. Petitionem. Quæ eft propofitio. *Memento mei inter benevolentiam*, five *acceptationem in gratiam populi tui*, id eft, dum Ecclefiam Chriftianam, quam agnofco effe populum tuum, à plagis commeritis, fub quibus diu gemuit, liberas, & in gratiam recipis: *Vifita me cum falute tua*, id eft, cum verbo Euangelii de falute per Chriftum parta & Spiritu fidei; verf. 4. Confequens bonum five effectus. I. *ad afpiciendum bonum electorum tuorum*, id eft, ut experiamur & perfentifcamus confolationem, pacem, gaudium, fiduciam, quam per fidem confequuntur, non qui ex Ifraële geniti funt, non omnes, qui vocati funt & Deum ore profitentur, fed *electi* ad gratiam hanc, ut credant Deo, & fructus ferant Deo; II. *addatandum in lætitia gentis tuæ*, id eft, ad exhilarandum me ob converfionem gentis meæ, quæ eft *gens tua* per regenerationem, propter benedictionem electorum in patribus; III. *ad gloriandum* in Domino *cum hæreditate tua*, id eft, cum tota Ecclefia, toto Ifraële, & plenitudine gentium, quæ eft hæreditas tua & peculium Dei & Chrifti, fanguine ipfius paratum. verf. 5.

II. Confirmationem five profecutionem iftius petitionis.

1. Per confeffionem peccatorum. *Peccavimus cum patribus noftris, pravè egimus, improbi fuimus*, id eft, focii & æmuli patrum in peccando effecti fumus. verf. 6.

2. Per rememorationem non tantùm inobedientiæ Patrum, fed etiam clementiæ Dei in vindicandis illorum peccatis. Planè convenit hæc pars cum Act. 7: 51. 52. ubi Stephanus oftendit commemoratione & exprobratione infidelitatis, Dei gratiam non effe alligatam certæ genti, fed falvari, quos Deus dignatus fuerit eâ gratiâ. Id jam in hoc Pfalmo Ifraëlitæ agnofcunt. Hic vide

(a.) Peccata patrum ante juratam eorum mortem in deferto, quæ fuit fanctio & obfignatio comminationis de diffipatione populi Ifraëlitici inter gentes; & moderationem Dei in eorum vindicatione. Nimirum

(α.) in Ægypto, verf. 7—12. per infidelitatem.

(β.) in deferto, per concupifcentiam, ℣. 13—15. per invidiam, ℣. 16—18. per idololatriam ad Horebum, verf. 19—23. per contemtum terræ promiffæ, verf. 24. 25. Ubi pœna propofita 1. in præfens. *Et extulit manum fuam ipfis, quod effecturus effet, ut caderent in deferto.* verf. 26. 2. in pofterum femini illorum. *Et quòd projecturus effet femen illorum inter gentes.* Impletum id in captivitate Babylonica. *Et diffipaturus in terris.* Cœptum id in Affyriaca, confummatum in Romana. ℣. 27. Quæ comminatio in hoc loco commemoratur, quamvis fit propofita

sita Lev. 26 : 38. 39. 41. 44. repetita Deut. 4 : 26. 27. 28 : 36. quia per consumtionem populi in deserto, ut similem, confirmata est.

Nota τὸ *Aharoni invidere* non tantùm fuisse invidiam fraternæ prærogativæ; nec tantùm indignationem adversus ordinem à Deo institutum: sed, quum sacerdos esset typus Christi, fuit rejectio Christi, cujus typus erat Aharon, &c, quum putarent, se satis sanctos esse ad offerendum Deo victimas, ostenderunt, se nec reatum peccati agnoscere, nec unicum illud sacrificium, quod Christus offerre debebat, nosse, seque in suis oblationibus ponere causam justitiæ suæ & remissionis peccatorum. ℣. 16.

(b.) Peccata commissa post negatam populo introductionem in terram Canaan.

(α.) in deserto. 1. per *copulationem cum Baal Pehor*, dum *comederunt sacrificia mortuorum*, in honorem scilicet divi, loco Pehor dicto (Num. 23 : 32.) patroni ac tutelaris, qui fortè, dum viveret, ibi habitaverat, oblata. vers. 28. 29. Vide hic plagam & moderationem ejus. *Et erupit in ipsos plaga.* vers. 29. *Et surrexit Pinchas, & judicium exercuit, & coërcita est plaga.* vers. 30. *Et reputatum est hoc*, quod fecerat ex fide, *ei in justitiam*, hoc est, in jus sacerdotii, *in ætatem & ætatem, usque in seculum*, id est, usque ad omne tempus, quo duraturus erat cultus Dei per manus sacerdotis Aharonici. ℣. 31. Implementum in eo est, quòd ejus posteritas in Tsadoco, typo Christi, apud Ezechielem, sacerdotium recuperavit & postea retinuit. Hæc remuneratio consideranda est ut bonum redundans ad totum Israëlem. Innuitur enim conservatio sacerdotii terrestris & ejus consummatio per verum sacerdotium Christi. 2. per murmurationem ob aquæ penuriam. vers. 32. 33. Moses & Aharon tulerunt hujus exacerbationis pœnam.

(β). in terra Canaan. Per inobedientiam, ℣. 34. Connubium cum gentibus: Per imitationem gentilium. ℣. 35. 36. 37. 38. Nota, omne institutum & doctrinam, & quicquid religionis causâ suscipitur & creditur, si non est à Deo, esse à dæmone: & eo dæmones honorari, quantamcunque habeat speciem. Itaque *profanata* sive hypocriseos rea facta est terra, *sanguinibus*, non evomens illos homines, sed illis victum & amictum præbens. ℣. 38. *Et impurati sunt operibus suis*, id est, tales evaserunt, ut apud domum Dei, & in terra ejus non possent ferri. Denique *& fornicati sunt in operibus suis*, id est, omni studio se à Deo averterunt. vers. 39.

Iram Dei, & ejus effecta præcedanea explicat vers. 40. 41. 42. Quòd *dederit eos in manum gentium, & dominati sint in ipsos osores ipsorum* &c. Exempla in Scripturis varia, inprimis sub Judicibus.

Clementiam intervenientem. *Vicibus multis eripiebat eos.* Vide 1 Sam. 12 : 7. & seqq. vers. 43.

Peccati redintegrationem. *At illi rebelles erant consilio suo.* nempe consilio constituendi regis. Duplex autem illud est consilium de regno, quod Scriptura culpat. 1. in Saule. 2. quum defecerunt à domo Davidis. Unde consecutum est consilium pejus, de cultu Dei in fanis Bethelis & Danis: itemque in excelsis. Denique de admittendo cultu gentilium. Accessit, quòd visitati plagis divinis, nunc Assyriis, nunc Ægyptiis auxiliis sunt confisi. vers. 43.

Iræ effectum severiorem. *Et attenuati*, id est, ad summam vilitatem redacti, *sunt in pravitatibus suis.* Innuitur captivitas Babylonica. vers. 43. Confer vers. 46.

Clementiam, quâ pœnam abstulit. *Et aspexit, quum arctum illis esset, quum audi-*

audiret clamorem illorum. vers. 44. *Et recordatus est ipsis fœdus suum*, id est, promissionem, quam patribus fecerat de ipsis. *Et pœnituit ipsum, secundum amplitudinem gratiarum suarum.* vers. 45. *Et dedit ipsos in miserationem coram omnibus, qui ipsos habebant captivos.* vers. 46.

Intelligitur mirabilis illa populi restitutio ex captivitate Babylonica, quæ non gladio, non arcu, sed Spiritu Domini confecta est, qui flexit 1. Evilmerodachum, ut exaltaret Jechoniam. 2. Cyrum, ut liberos dimitteret, restitutis omnibus vasis templi, adjuvarique juberet, tum ad iter faciendum, tum ad templum reædificandum. 3. Xerxem ad Hamanis & aliorum furorem compescendum. 4. Darium Nothum ad absolvendum templum. 5. Artaxerxen Mnemonem ad reliquias submittendum, & muros instaurandos.

3. Per petitionem magis specificantem medium boni consequendi & finem. *Serva nos, Iehova Deus noster*, qui non minus noster Deus es, & fœdus nobiscum habes, ac cum patribus nostris habuisti in captivitate Babylonica, *& congrega nos ex gentibus.* Hæc est illa *visitatio*, de qua vers. 4. Intelligitur enim collectio non civilis ad constituendam politiam, sed spiritualis, ad fidem in Christum. Finis: *ad confitendum nomini sancto tuo*, id est, ut tibi in Sacris Literis nominato, in Christo manifestato, miraculis & omni divinâ gubernatione comprobato reddamus secundùm stipulationem tuam in verbo per astipulationem fidei & professionis confessionem & laudem veritatis & omnis bonitatis; *ad gloriandum in celebratione tui*, id est, ut nihil boni de nobis prædicemus, nullam laudem nobis attribuamus, nisi quòd Deum magnificemus fide in eum. ℣. 47.

C. Doxologia. *Benedictus Jehova Deus Israëlis à sæculo ad sæculum: Et dicet omnis populus, Amen. Hallelujah.* Tales doxologiæ sunt frequentes in Apoca-
10 lypsi, maximè circa ultima tempora. Prænunciatur fore, ut totus populus dicat, *Amen*, id est, approbet tanquam bonam & justam stipulationem benedictionis Dei. ℣. 48.

PSALMUS CVII.

BReviarium prophetiæ de regno Christi & statu Ecclesiæ Christianæ hic continetur.] Summa est, Deum congregaturum esse populum suum ex omnibus locis dispersionis suæ post multas angustias. Populum autem ita congregatum hortatur ad gratiarum actionem. Partes:

A. Propositio excitans ad confessionem & gratiarum actionem. Vide

I. Confessionem imperatam & commendatam omnibus. *Confitemini Jehovæ, quòd bonus sit*, id est, beneficus; nec tantùm, sed etiam *quòd in sæculum duret gratia ipsius*; quòd scilicet sit perseverans in suo amore, neque telam suæ gratiæ ullo tempore interrumpens, quo minùs omni tempore sint, qui ipsi ob summa beneficia gratias debeant. ℣. 1.

II. Ministerium ad omnium confessionem comparatum injunctum certis iisque maximo beneficio obligatis. *Dicant*, vel *Dicent.*

III. Subjectum ministerii illius, habens commemorationem beneficii obligantis ad hoc ministerium libenter obeundum: Quod beneficium etiam ratio est, quâ demonstratur veritas ejus, quod ad confessionem omnium prædicandum injungitur. *Dicant* 1. *asserti Domini*, per Christi meritum scilicet è nexu peccati & captivitatis.

vitatis. 2. *quos asseruit* sive *vindicavit ex manu Hostis*, per potentiam suam, *ex manu Hostis* Diaboli, & emphaticè ex manu illius Hostis, qui regnum Christi publicè per vim oppugnabat, id est, Antichristi. 3. *& ex terris congregavit, ab Oriente, & ab Occasu; ab Aquilone & à Mari. Congregatio* significat 1. collectionem ad gregem Dominicum per fidem. Quæ collectio opponitur exclusioni à regno cœlorum. 2. sanationem schismatum & libertatem congregandi in cœtibus, qualis libertas sequitur liberationem ab hoste. 3. continuationem Ecclesiarum per terras, in subjectione gentium, ut non velut ἐν διασπορᾷ habitent, sed una Ecclesia alterius terminum attingat. In designatione partium mundi hic ים *mare* adhibetur insolentiùs. Nam hoc occasum notare solet. Hic *meridiem* notare videtur. Intelligitur Oceanus, ejusque insulæ & terræ ad Austrum. Africa ferè tota mari cincta, Indiæque insulæ, America, & quicquid mari coronatum ultra æquinoctialem circulum est, vel saltem extra solis vias, Tropicum scilicet Capricorni. ℣. 2. 3.

B. Confirmatio constans

(α.) narratione exemplorum prioris temporis. In quibus exemplis observanda est sapientia divina in hominibus regendis, ipsorum invocatio, Dei exauditio & consequens liberatio, tum gratitudo à liberatis exercita. Est igitur Exemplum

I. Errantium in deserto. Eorum

1. Necessitas. *Qui errabant in deserto* populorum, id est, in mundo gentili, extra terram Israëlis, & tribus ejus, *in vasto viæ, urbem habitationis*, sive eam faciem & conditionem Ecclesiæ, quâ publicos cœtus liberè & in pace ageret, ordineque legitimo regeretur, iis, qui præsunt, suum, qui audiunt, suum agentibus, *non reperiebant*, vers. 4. *famelici atque etiam sitibundi, quorum anima in ipsis convolvebatur.* vers. 5. 4

Primi Christiani in populo Judaïco & in gentilitate ita versabantur, ut in deserto, & ignari, quò ipsis eundum esset, ubi Deus quietem illis dare vellet, ubi Ecclesiam suam plantari & propagari, ubique prædicabant Euangelium, ingenti fame & desiderio affecti, videndi eum statum Ecclesiæ, ut in magna copia alicubi frequentaretur, & conspicua esset toti mundo. In eo labore & frequentibus itineribus sine dubio sæpe delassati fuissent, nisi à Deo fuissent sustentati. Præsertim accedentibus variis tentationibus & persecutionibus. Sit pro exemplo S. Paulus 2 Tim. 3:11. Et fuerunt, qui aliquando terrerentur & languescerent, ut Demas & alii. 2 Tim. 4:10. 16.

2. Oratio. *Et clamarunt ad Jehovam, quum ipsis arctum esset.* Confer Ps. 121:1.

3. Exauditio. *Ex angustiis ipsorum eruebat eos.* vers. 6. *Et faciebat, ut viam rectam insisterent*, (Apoc. 6:2. ἐξῆλθε νικῶν. Deus ipsos monuit, quò irent, ut sæpe in Actis, & verbo ipsorum ostium apertum præbuit, alicubi etiam congregari per aliquot annos passus est, ut Antiochiæ.) *quà irent ad urbem habitationis*, id est, quà tandem suo tempore profecturi erant ad constituendæ Ecclesiæ aliquod evidens in mundo corpus. vers. 7. Confer Apoc. 12:6. 14. Es. 14:2. Deut. 33:7. 7

4. Gratiarum actio. *Confitebantur Jehovæ gratiam ejus, & mirabilia ejus filiis hominum*; vers. 8. *quòd satiasset animam debilem & animam famelicam implesset bono.* vers. 9. *Bono*, ut Ps. 103:5. 104:28.

II. Carcere clausorum. Vide horum

1. Statum. *Habitantes tenebras & umbram mortis, vincti inopiâ & ferro.* De- 10

ſcriptio incarceratorum, quales Chriſtiani per aliquot ſæcula, dum per decem perſecutiones quotidie rapiebantur ad carceres & ad mortem. verſ. 10. Confer Apoc. 2:10.

2. Cauſam ſtatûs. *Quia inobedientes fuerunt dictis Dei, & conſilium Altiſſimi ſpreverunt.* verſ. 11.

Conſtat, nullas ferè perſecutiones invaſiſſe Eccleſiam, niſi in moribus Chriſtianorum corruptis per pacem præcederent præſagia. Quod & ab Euſebio eſt annotatum. Et ante eum Cyprianus ea de re conqueritur.

3. Gradum miſeriæ. *Et quorum cor ærumna deprimebat*, qui *offendebant* ſeu *cadebant*, *nemine auxiliante.* verſ. 12. *Cadere*, ut Dan. 11:33. 34. de frequentibus piorum cædibus accipi poteſt.

4. Clamorem. *Et clamabant ad Jehovam, quum arctum ipſis eſſet.* ℣. 13.

4 5. Exauditionem. *Quos ex anguſtiis ſuis ſalvabat*, verſ. 13. *& educebat ex tenebris & umbra mortis, quorumque vincula dirumpebat.* ℣. 14. Gentes ante lucem Euangelii & illuminationem Spiritûs Sancti cœcæ erant: & in regno Draconis, tanquam in tetro carcere, continebantur concluſæ. Sed & anguſtiæ & tribulationes illuminatorum ex gentibus hic ſignificantur. Et Chriſtus venit ad omnem poteſtatem contrariam confringendam.

6. Εὐχαριστίαν. *Confitebantur Jehovæ gratiam ejus, & mirabilia filiis hominum*, id eſt, prædicabant Euangelii veritatem. verſ. 15. *Quòd fregiſſet valvas æneas, & vectes ferreos incidiſſet*, id eſt, vim tyrannorum. ℣. 16.

Evidens exemplum eſt, quum Imperii Romani firmitas diſſoluta eſt, & Licinii potentia à Conſtantino confracta eſt, ut Chriſtiani liberi Deum prædicare poſſent.

III. Ægrotantium ad nauſeam cibi. Vide

5 1. Statum & ejus cauſam. *Stulti.* Levitas mutandi doctrinam in gratiam hominum indigitatur. *qui ob viam defectionis ſuæ*, dum parere Chriſti verbo negligerent, & Chriſtum regem verum Deum non agnoſcerent;

quale quid contigit Eccleſiæ Chriſtianæ, dum Ariani & Photiniani & alii, qui vel veritatem divinitatis vel humanitatis in Chriſto negabant, illam exercuerunt;

& ob pravitates ſuas debilitabantur, id eſt, ad inopiam ſive ἀσθένειαν & impotentiam redigebantur, ut vita ipſorum in periculo verſaretur, quòd eſſent κακοσύμμαχοι, & cibi ſalutaris appetitus in ipſis non eſſet, propter ratiocinationes & diſceptationes, quibus intricabantur. verſ. 17. *Quorum anima omnem cibum* ſalutaris doctrinæ *abominabatur.* quod apparet ex varietate opinionum, ex neglectu verbi Dei & doni linguarum ac ἑρμηνείας, ex ſtudio panegyricæ doctrinæ & philoſophiæ profanæ; *& acceſſerant ad portas mortis.* nihil propius erat, quàm ut naufragium circa fidem facerent. verſ. 18. Confer Apoc. 8:10. 11.

2. Implorationem. *Et clamabant ad Jehovam, cùm arctum ipſis eſſet.* ℣. 19.

6 3. Exauditionem. *Ex anguſtiis ipſorum ſervabat ipſos.* verſ. 19. *Mittebat verbum ſuum & ſanabat eos, & evadere faciebat ex foveis ipſorum.* verſ. 20. Deus *verbo ſuo* ut regenerat, ita & *ſanat*; nempe 1. gratioſo beneplacito ſecundùm promiſſionem. 2. verbi ſui prædicatione & demonſtratione veritatis ex illo. *Foveæ* ſunt cœtus hæreticorum.

4. Εὐχαριστίαν. *Confitebantur Jehovæ gratiam ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.* verſ. 21. *Et ſacrificabant ſacrificia laudis*, id eſt, laudem, quæ

grata

grata eſt Deo, plus quàm ſacrificia, *& enarrabant opera ejus cum cantu.*
verſ. 22.

IV. Navigantium. Vide

1. Statum. *Deſcendentes in mare in navigiis, facientes negotium in aquis mul- 7*
tis. Significatur Eccleſia ad nundinationem converſa, per totum mundum diffuſa,
recta per diœceſes & monarchas διοικητὰς tanquam Naucleros. verſ. 23. *Illi vide- 8*
runt opera Jehovæ, & mirabilia ejus in profundo, id eſt, fideles in iſta conſtitu-
tione Eccleſiæ obſervarunt Dei potentiam, tolerantiam, mira Dei judicia, &
alia, quæ plenis foliis de hoc ſtatu Eccleſiæ in prophetis extant. verſ. 24. *Et fecit*
exſurgere ventum procelloſum, qui extulit fluctus ejus, id eſt, magnis tumulti-
bus ipſos implicuit. verſ. 25. *Aſcendebant in cœlum, deſcendebant in abyſſos: ani-*
ma ipſorum malo liquebat, id eſt, in iis tumultibus vario in ſtatu fuerunt, & à
ſummo culmine ſæpe ad extremam humilitatem pervenerunt, ita ut Eccleſia flu-
ctibus operienda eſſe videretur. verſ. 26. *Rotabantur & agitabantur inſtar ebrii, &*
omnis ſapientia illorum perierat, id eſt, illis vires & conſilium deerant. ℣. 27.

2. Implorationem. *Et clamabant ad Jehovam, cùm arctum ipſis eſſet.* 9

3. Exauditionem. *Et ex anguſtiis ipſorum educebat ipſos.* verſ. 28. *Ponebat pro- 10*
cellam in lenem auram & conticuerunt fluctus earum ſcilicet aquarum. verſ. 29. *Et*
lætati ſunt, quòd conticuiſſent, & duxit illos ad terminum voluntatis ſuæ, id eſt,
ad locum, quò dirigebant curſum: id eſt, compoſitis tumultibus effecit, ut tota
res exiret ad Eccleſiæ veræ liberationem ex confuſione Babylonica, tanquam ja-
ctatione marina. ℣. 30.

4. Εὐχαριστίαν. *Confitebantur Jehovæ gratiam ejus, & mirabilia ipſius filiis ho-*
minum. verſ. 31. *& exaltabant eum in cœtu populi*, id eſt, in Eccleſia Chriſto ca-
piti per verbum ejus collecta, & inter ſe ſpiritu charitatis devincta, libera à
tyrannide & monarchia humana; *& in conſeſſu ſeniorum celebrabant ipſum*, in Ec-
cleſia ſcilicet recta ſecundùm præſcriptum Chriſti, in qua ſeniores præeunt de-
monſtratione & exemplo ſub monarchia Chriſti. verſ. 32.

Talia contigerunt Huſſitis.

(β.) Expoſitione recentiorum beneficiorum. Eſt hîc

I. Judicium Dei antegreſſum beneficia. *Ponebat flumina*, politicam potentiam, 1
& ubertatem populorum, *in deſertum, & ſcaturigines aquarum in ſiticuloſam.*
verſ. 33. *terram frugiferam*, id eſt, Eccleſiam, *in ſalſam, propter malitiam ha- 12*
bitantium eam. ℣. 34.

Intelligimus cùm Chriſtianorum in Græcia, Aſia, Palæſtina oppreſſio- 11
nem per Turcam; tum Eccleſiæ inprimis Romanæ corruptionem in- 12
dies ingraveſcentem poſt tempora Huſſi, à Concilio ſcilicet Conſtan-
tienſi uſque ad Lateranum Concilium ſub Leone X. conſummatum. In-
terceſſerunt peſſima tempora. In Conſtantienſi Concilio jam decretum
erat, Eccleſiam Reformatione indigere. Indictum eo fine Concilium
Baſileenſe: Eugenius id fruſtratus eſt, & omnes Papæ uſque ad Lu-
therum. Interim totus mundus Reformationem deſiderabat. Hoc ſatis
indicii eſt, qualis tum Eccleſiæ ſtatus fuerit.

II. Beneficium Reformationis. *Ponebat deſertum in ſtagnum aquarum, & ter- 13*
ram aridam in ſcaturigines aquarum, id eſt, partes quaſdam Eccleſiæ in deſertum
transformatæ & illuminavit doctrinâ veritatis, & potentiâ munivit contra hoſtes.
verſ. 35. *Et fecit ibi habitare famelicos*, id eſt, eſurientibus juſtitiam, & cogni-

tionem veritatis quærentibus & ad libertatem communionis fanctorum fub perfecutione gementibus dedit afylum.

ut in Germania, Dania, Suecia, Scotia, Anglia, Gallia, Belgio, &c. *Et conftituerunt urbem habitationis*, id eft, Ecclefiam Euangelicam, nihil commune habentem cum regno Papiftico, ornatam presbyterorum confeffu inftituerunt. verf. 36. *Et conféverunt agros & plantârunt vineas, & fecerunt fructum pro-*
14 *ventus.* verf. 37. Similis metaphora Ef. 65: 21. *Et benedixit ipfis & creverunt valde, & armenta ipforum*, id eft, eos, qui laborant in Ecclefia, vel qui eam propugnant, *non minuit.* verf. 38.
15 III. Afflictio. *Et diminuti funt & depreffi funt ob vim* five *imperium* aut *tyrannidem, malum & mœrorem.* Tres mali caufæ. Tyrannis principum, corruptio fæculi, & vexatio. ℣. 39.
16 IV. Vindicatio. 1. *Fundebat ignominiam fuper principes, & faciebat ipfos errare in inani fine via.* Intelliguntur *principes* tum apud Ecclefiam, tum extra illam. Pertinent huc fortaffis illi principes, qui alicubi tenent locum feniorum. Vide Ef. 24: 21. 23. Deus enim vult humanam potentiam, fapientiam, & auctoritatem peffumdare. verf. 40.
17 2. *Et fublimabat egenum*, cui parva aut nulla potentia, *ex inopia* & paffione.
18 3. *Et ponebat* (vel *pofuit*) *inftar ovium familias.* verf. 41. Multiplicatio Ecclefiæ liberatæ ex fua anguftia. Confer Pf. 65: 13.
19 4. *Vident recti & lætantur.* Pf. 94: 14.
20 5. *Et omnis Injuftitia claudit os fuum.* verf. 42. Vide rem Zach. 14: 12.
21 Hifce fubjiciatur ex ordine principium Pfalmi.

C. Epiphonema commendans horum operum Dei obfervationem. *Quis fapiens? Et obfervet hæc, & animadvertant gratias Jehovæ.* Sapientis eft obfervare figna temporum, & de iis rectè judicare, & exferto capite exfpectare ea, quæ Deus fe facturum promifit, non moveri hominum fententiis, & in omnes occafiones intentum divino confilio fubfervire. verf. 43. Simile Hof. 14: 10.

PSALMUS CVIII.

Compofitus eft ex Pfalmi 57. & 60. partibus, illius à verf. 8. 9. 10. 11. 12. hujus à verf. 7. ad finem. Videtur de induftria fubjectus præcedenti. Ut enim præcedens imperat recollectis gratum præconium; ita hic Ecclefia alacritatem & promtitudinem oftendit, deinde admiratur Dei auxilium, inque gloriatione de eo finit. Partes:

22 A. Declaratio promtitudinis ad celebrandum Deum. *Paratum eft cor meum, ô Deus; Canam & Pfallam, etiam gloria mea*, id eft, optimum mei, fpiritus meus, qui eft in me. vel Spiritus Sanctus. verf. 2. *Excitare, Nablium; & Citharam excitabo matutinò.* verf. 3. *Confitebor te in populis*, (Apoc. 11: 11.) *ô Jehova:* non leges, non ftatuta populorum, non vis, non multitudo & auctoritas me abfterrebit, quo minus abnegem omnia præter te, & te folum Deum meum confitear. *Pfallam te in nationibus*, id eft, in omni hominum genere: Judæi, Gentes, Sapientes, barbari fuerint. verf. 4. *Quia magna eft fupra cœlos gratia tua, & veritas tua ad nubes.* verf. 5. Confer Pf. 36: 7.
23 B. Oratio. *Effer te fupra cœlos, Jehova, & fupra totam terram erit gloria tua*, id eft, colloca te fupra omnes principes & præpofitos, eofque tibi fubjice; ut

in tota Eccleſia agnoſcatur veritas Euangelii, per quam tu glorificaris. verſ. 6. Altera petitio. *Ut liberentur dilecti tui, ſalva dextrâ tuâ, & reſponde mihi.* Indigitatur aliqua neceſſitas Eccleſiæ, ex qua eripi poſtulat. Obſervetur, nullam eſſe ſine certamine Reformationem, & cœlum vetus aboleri ſine magno motu non poſſe. verſ. 7.

C. Admiratio auxilii divini. Vide

1. Verbum Dei. *Deus locutus eſt in ſancto ſuo*, in Scriptura, ſcilicet ut reſpondeat mihi. Reſpondet autem, quando dat intelligentiam Scripturæ, aut quando id, quod prædictum eſt, in re geſta conſpicitur. *Exultabo!* 24

2. Effectum in ſucceſſu & quaſi victoria. *Diſtribuo Sichem*, tanquam coloniam militibus meis; *& vallem Succoth* (ultra Jordanem erat prope Gilead.) *metior*, ut hæreditatem dividam. verſ. 8. *Mea eſt Gileaditis*, ad ortum æſtivum; *meus Manaſſes*, ultra & cis Jordanem; *& Ephrajim eſt arx capitalis mea. Juda Legiſlator meus.* verſ. 9. Hi de populo. Extra populum: *Moabitis eſt pollubrum meum; ad Edomum projicio calceum meum.* Idumæa mihi viliſſimum ſervitium præſtat. *Super Palæſtina jubilo.* verſ. 10. Multi populi ſervient Eccleſiæ.

D. Καυχήσις de futuro. Hic

I. Communicationis figura exponens ſollicitudinis & fidei examen. *Quis deducet me in civitatem munitam*, ut Babylonem. ad expugnandam eam? *Quis deduxit me uſque ad Edomum?* Eſt hæc quaſi correctio. q. d. Quid quæro, quis me deducturus ſit in urbem munitam? Idem ille hoc faciet, qui deduxit ad Edomum. verſ. 11. *Nonne, Deus, qui rejeceras nos, neque exibas in exercitibus noſtris?* ℣. 12. idem nempe Deus, qui Hieroſolymam defectricem, Chriſtique & ſanctorum interfectricem, veritatis blaſphematricem, pedibus Eccleſiæ ſubjecit.

II. Poſtulatio. *Da nobis auxilium ab Hoſte. Nam vana eſt hominum ſalvatio.* Innuitur vanus hominum conatus, & vana ſpes de regibus & principibus. verſ. 13.

III. Gloriatio. *In Deo*, vel *cum Deo rem geremus, & ipſe conculcabit hoſtes noſtros.* Ne curemus ampliùs, quis nos deducturus ſit ad urbem munitam. Nos tantùm ſtrenuè officium prædicandi & Chriſti præceptis obediendi faciamus. ℣. 14. 25

PSALMUS CIX.

HIc Pſalmus graviſſimas continens in Improbos ſententias, Chriſto, ut judicii, judicium petenti convenit. Partes ſunt quatuor:

A. Actio in hoſtes. Hic

I. Compellatio Dei, ut judicis. *Deus gloriationis meæ*, in quo ego glorior, ut à quo præceptum habeam deponendi vitam meam, eamque reaſſumendi, & hæreditatem poſtulandi, *ne ſileas*, conniveas, diſſimules, contineas te. Significatur, tempus ἀνοχῆς *tolerantiæ* præteriiſſe. ℣. 1. 3

II. Accuſatio adverſariorum,

(a.) de improbitate & dolo in accuſatione ſui. *Nam os improbi* (ſive *improbitatis*) id eſt, ſceleſti, Judæ proditoris apud ſacerdotes, *& os doli*, apud me, *contra me aperuerunt.* verſ. 2. 1

Similiter Judæi *os improbi* aperuerunt, quum ad mortem damnarunt; *os doli*, quum tanquam obſervatores legis cum ipſo diſputarunt.

(b.) de falſitate doctrinæ. *Locuti ſunt mecum linguam falſitatis.* ℣. 2.

Conveniunt hæc in Judæos optimè. Sed & Pseudoapostoli urgentes legem noxii fuerunt Ecclesiæ.

(c.) de calumniis ex odio. *Et verbis odii circumdederunt me.*

Calumniati sunt Judæi Christianos & Apostolos, quòd ἀποστασίαν à lege docerent.

(d.) de immerita excommunicatione. *Et bellum gerunt in me sine causa.* ℣. 3.

(e.) de vi impediente cursum Euangelii. *Pro amore meo*, quo ipsos conor convertere ad Deum, *infestant me. At, me* quod attinet, *oratio est*, tantùm invoco Deum pro ipsis. vers. 4.

(f.) de veritatis & justitiæ condemnatione in ipso & discipulis ipsius. *Et posuerunt super me malum pro bono.* Quod bonum est, imputârunt mihi pro malo; *& odium pro amore meo*, quo amo Deum, & homines fideles ex omni gente. vers. 5.

3 B. Rogatio sententiæ in hostes. Quæ habet expressionem pœnarum. Suntque

1. Oppressio per tyrannos. *Præpone ipsis Improbum.* vers. 6.

Qualis erat Tiberius Cæsar, Cajus, Claudius, Nero, eorumque ministri Pilatus, Felix, Gessius Florus.

2. Traditio in manus Satanæ, ut Accusatoris. *Et Satanas stet ad dextram illius*, ℣. 6. id est, audi & admitte ipsius accusationem, illique in nexum trade.

Ab hac traditione consecuta sunt varia Judæorum scelera. Notabiliter tamen, cùm ab ipso impulsi sunt, ut Christum abnegarent & interficerent. Luc. 22:53.

3. Condemnatio. *Quum judicabitur*, vel *disceptabit*, *exeat condemnatus.* ℣. 7. Quum defendet factum suum in Christum & Apostolos, & justitiam suam stabilire nitetur, demonstretur, tum verbis Apostolorum ex lege & prophetis, tum judicio tuo, ipsum esse damnatum & maledictum.

4. Abominatio cultûs ejus & orationis. *Et oratio ejus sit in peccatum.* Reputetur ipsi pro peccato, quia non in nomine Christi facta. ℣. 7.

Demonstrata est hæc abominatio, cùm vocatæ gentes incircumcisæ ad fidem, quum juge sacrificium cessavit, quum sanctuarium multis probris fieret obnoxium, ut, quum miles nudas nates ad templum convertisset.

5. Festinatio pœnæ, sive Brevitas tolerantiæ. *Sint dies ipsius pauci.* ℣. 8.

6. Translatio officii ad alios. *Et curationem ejus accipiat alius.* ℣. 8.

Factum hoc, quum se fideles à Judæis ipsorumque doctoribus & rectoribus separarunt. Tum enim à curatione, quam obtinebant in Ecclesia, dimoti sunt; & Apostoli ac ministri Ecclesiæ in locum eorum successerunt. Exemplum vide Act. 19:9. & seqq. & Act. 1:17. 20. 21.

7. Abolitio principum hujus sæculi. *Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua.* vers. 9.

8. Mendicitas pupillorum. *Et palando palentur filii ejus & mendicent*, ab uno impostore salutem promittente ad alium deferantur; *& quærant ex locis desolatis suis*, id est, loca sua desolata relinquentes, quærant, ubi habitare, ubi salvi ac sospites esse possint. vers. 10.

9. Omnium rerum direptio. *Excutiat creditor*, Romanus, à quo plurima beneficia acceperant, *omnia, quæ habet, & diripiat hostis laborem ejus.* ℣. 11.

10. Exclusio à miseratione post cladem. *Ne sit ipsi trahens* vel *impertiens benigni-*

nignitatem , *neque ſit*, *qui gratiâ proſequatur orphanos ipſius.* Contrà factum in prima captivitate. verſ. 12.

11. Iterata excifio. *Sit ipſius finis ad exſcindendum : in ætate alia deleatur nomen illorum.* verſ. 13. ne cenſeantur inter populos, vel reſpublicas.

Factum id ſub Adriano Cæſare.

12. Perpetua rejectio. *In recordatione ſit pravitas patrum ipſorum apud Jehovam*, *& peccatum matris ipſorum non deleatur.* verſ. 14. *Sint coram Jehova ſemper*, *& exſcindat ex terra memoriam ipſorum.* verſ. 15. *Patres* hic intelliguntur Cajin, Sodomitæ, Amorræi, Cananæi, Chittæi, & alii impii. *Recordatio pravitatis* ſignificat longam iram & perſeverantiam non miſerendi. Quòd ſi convertantur, non Judæi ampliùs, ſed Chriſtiani vocabuntur.

III. Juſtificatio ſententiæ.

1. à merito ſive ſcelere admiſſo. *Propterea quòd non recordatus eſt facere gratiam*, pietatem & charitatem, maxima regis poſtulata; *& perſecutus eſt virum expertem virium & egenum & cruciatum corde ad occidendum.* Ut in Chriſto & Eccleſia apparuit. verſ. 16. §.1

2. à legis, rejecto Euangelio, prælatione: unde ſequitur, ipſos ſub maledicto eſſe. *Et adamavit maledictionem*, legem maledicentem, & maledictionem ipſam, ſpretâ fide benedictionis in Chriſto, *& obvenit ei*; *& non delectatus eſt benedictione*, *& elongata eſt ab ipſo.* verſ. 17. &c. verſ. 18. 19. Verſ. 18. indicatur pertinacia in retinenda lege maledicente, ſive quærenda juſtitia tanquam ex operibus. Ubi comparatur pertinacia amplectendi 1. *togæ talari* ad ornatum & decus. 2. *potui* ad voluptatem. 3. *unctioni* ad ſanitatem & alacritatem. Verſ. 19. induratio juſta in cupiditatibus illorum, ut maledictionis effectus, indicatur, ut ſcilicet non poſſint ad Chriſti juſtitiam reſipiſcere, velo oppanſo ipſorum oculis: quod velum hic *veſtis* appellatur. *Cingulum* autem, quia & perpetuò adhæret, & accingit ad ſeditiones & bella. §.3

IV. Rogationis concluſio. *Hæc merces adverſariorum meorum à Jehova*, *& qui loquuntur malum contra animam meam.* verſ. 20.

C. Poſtulatio auxilii,

I. ad ſuſtentandum & eripiendum ex periculis. *Sed tu*, *Jehova Domine*, *effice mecum* omnia: niſi malis, *fac mecum*, id eſt, partibus meis adſis. *Quia bona eſt gratia tua*, *eripe me* ex periculis. verſ. 21.

Suadetur à tenuitate virium. *Nam imbecillis*, nullâ humanâ potentiâ præditus, *& egenus*, omnibus bonis & copiis deſtitutus, *ego ſum*, *& cor meum confoſſum eſt in medio mei.* Dolor Chriſti varius, inprimis ex condolentia & indignatione ſignificatur. verſ. 22. *Ut umbra*, *quum inclinat*, *cogor abire*, *& excutior*, *ut locuſta.* Primum colon pertinet ad brevitatem temporis, quo Chriſtus docuit; (confer Cant. 4 : 6.) alterum ad receſſionem Chriſti in hortum, vel ad omnem Chriſti toto tempore officii inſtabilitatem. verſ. 23. *Genua mea lapſarunt præ jejunio*, *& corpus meum emaciatum eſt ab opimitate.* Accommodatiſſimum eſt, ultimam Chriſti ἀγωνίαν hic intelligere, quum in horto cecidit in faciem, & grumos ſanguinis profudit. *Jejunium* autem graviſſimi mali, æſtûs iræ Dei, tolerantiam notat ſine refectione. verſ. 24. §.1

II. ad liberandum ex morte. Vide

1. Statum indigitatum ex facto Adverſariorum. *Et ego factus ſum illis probrum*, damnatus; *vident me*, *ſιντειζόμενοι*. In ipſa crucifixione id factum. verſ. 25.

2. Pe-

§ 2. 2. Petitionem salutis & finem. *Adjuva me, Jehova, Deus mi, serva me ex* morte *secundùm gratiam tuam*, id est, immensum amorem tuum. vers. 26. *& cognoscant, quòd manus tua ea sit: tu, Jehova, feceris illud.* vers. 27. *Manus* Act. 4:28.

D. Εὐχαριστία, quâ

4 I. Commemorat mutationem status sui cum pudore Judæorum. 1. *Illi maledicunt*, blasphemant nomen meum & damnant fideles meos; *sed tu benedicis* Ecclesiæ meæ. 2. *Surrexerunt*, partim contra regnum meum, partim contra Romanos, *& pudefacti sunt, at servus tuus lætatur* incremento Ecclesiæ. vers. 28. 3. *Amiciuntur adversarii mei ignominiâ, & operiunt se, ut sago, pudore suo*, destructâ politiâ, urbe, & templo. ℣. 29.

II. Promissio laudis. *Confitebor Jehovam valdè ore meo, & in medio plurimorum celebrabo illum. Multi* est indigitatio Ecclesiæ Christianæ, Es. 53:12. 54:1. Ps. 22:26. Ps. 89:8. ℣. 30. *Quòd stat ad dextram egeni ad salvandum à damnantibus animam ejus*, Diabolo, principe hujus mundi, & omnibus tyrannis, quique ipsos, sedentes in templo Dei, damnant. ℣. 31.

PSALMUS CX.

Agit de Christi exaltatione. Pro qua summatim gratias agit Ps. 109:28. 29. 30. 31. Partes:

A. Prosopopœïa perfecta, quâ Deus Pater ad Filium loquens introducitur,

1 ipsumque in throno suo collocans. vers. 1. *Dixit Jehova*, is, qui hoc agendo se probat eum esse, qui *fit, quod est*, id est, se exhibet talem, qualem ut se exhibeat, dignum ipso est, *Domino meo*, cujus ego sum emtum peculium, Deus Pater Filio suo, post exinanitionem & servilitatem ejus: *Sede* (potestatis id est.) *ad dextram meam*, (honoris, quo summo ac divino eum affectum velit.) regni administrationem capesse, ℣. 1.

Honor hic θεανθρώπῳ, Deo in carne manifestato datus est, cùm post exinanitionem ei in carne per ascensionem in cœlum summa dignitas & potestas omnis coram multis testibus, qui scilicet agnoscerent, Patrem hæc Filio dixisse, evidentissimisque effectis, assignata, vindicata, & comprobata est.

Effectus sessionis ad dextram: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, id est, usque ad illud tempus, à quo subjectis tibi omnibus illis, qui obstant gloriæ divinæ in beatitudine fidelium consummandæ, ut Satanâ & semine ipsius, in specie Judæis refractariis, gentibus sese opponentibus veritati & veritatem per injustitiam detinentibus, carne, omnique dominatu, potestate & principatu, ac denique ipsâ morte, de illis triumphabis in æternum vers. 1.

B. Est apostrophe ad Filium, quâ David in spiritu videns ea, quæ sub Christo rege eventura erant, de subditis regni Christi vaticinatur. ℣. 2. 3. Vide hic

2 1. Efficaciam regis. *Jehova emittet virgam roboris tuam*, id est, verbum Euangelii, quod est sceptrum irresistibile & vincens, per missos in toto mundo prædicabit, & per vim atque efficaciam Spiritûs Sancti illud verbum comitantem faciet illud magis magisque proficere. vers. 2.

2. Metropolin regni, unde id debuit exire & propagari. *Ex Sione.* Nam ex Sione,

Sione, Hierosolymâ adhuc stante & templo, missi sunt Apostoli in totum mundum. Quod à nullo ampliùs fieri potest. vers. 2.

3. Locum regni. *Dominare in medio hostium tuorum*, hoc est, 1. collige Eccle- 3
siam tuam inter hostes, sive illi repugnent, sive non. Hoc fit omni tempore. Atque ita hostes sunt Judæi & gentes. 2. noli pati, ut hostes tui sceptro tuo resistant, sed partim frena illos per potentiam tuam, ne impediant Euangelii cursum, partim comprime per ipsorum pœnam ac destructionem. Extat exemplum in Judæis. vers. 2. Sunt verba orantium pro Ecclesiæ successu.

4. Populi ingenium. *Populus tuus* tibi ut Imperatori ac Regi suo sacramento 4
dicatus militiæ causâ, *voluntariæ oblationes sunt*, munera, quibus oblatis coleris, te amantes ex liberrimo & suavissimo impulsu intus excitato à Spiritu Sancto, adeo, ut se tibi sacraverint totos, & animam suam libenter pro honore nominis tui effundant; *in die strenuitatis tuæ*, cùm tibi res est cum hoste. vers. 3.

5. Populi excellentiam & abundantiam. *In ornamentis sanctitatis*, id est, ornati 5
& induti ornamentis sanctitatis, sive iis charismasin Spiritûs Sancti, & fructibus Spiritûs, quibus probatur, Deum habitare in illis, *præ rore uteri auroræ tibi est ros juventutis tuæ*, vel *partûs tui*. ℣. 3.

C. Est repetitio promissionis de Christi Sacerdotio. *Juravit Jehovah*, atque 6
adeo promissionem vel declarationem juramento confirmavit, *neque pœnitebit eum: Tu es sacerdos in sæculum, secundùm ordinem Melchizedek*, id est, Tu es Mediator inter me & homines, ad me propitiandum, ad expiandum peccata, ad adducendum justitiam. *Tu*, inquam, solus, & unus ex omnibus peculiariter & propriè es sacerdos. Sedes autem ad dextram meam tanquam sacerdos, id est, ut coram me compareas & sistas te mihi, postquam unum sacrificium obtulisti pro peccato, quod nemo præter te præstare potuit, adeoque *Tu es sacerdos* solus & unicus, sine successore.

Declaratio hæc illustratur ab indicatione Typi. *Secundùm ordinem*, id est, similitudinem *Melchizedek*, qui typus Christi tum secundùm ea, quæ de ipso dicuntur, tum secundùm ea, quæ de ipso non dicuntur. Ita ut non dici de Melchisedeco significet de Christo dici non posse. Vide Heb. 7.

Opponenda hæc pars Scripturæ illis, qui post amplificatam Ecclesiam Christi sacerdotium invadunt.

D. Apostrophe ad Deum Patrem exponens judicia Christi, & passiones atque exaltationem. ℣. 5. 6. 7. Vide hîc

I. Judicis indigitationem. *Dominus* absolutè, qui suprà Dominus Davidis, id est, is, cui omnia serviunt, estque hæres peculii à se emti. Spectatur hoc titulo blasphemia illorum, qui negant, Christum per se posse fungi illis, quæ sunt capitis Ecclesiæ; contrà hominem aliquem è grege suo faciunt Dominum fidei, cùm Christi solius, ut *Domini*, sit fidem & obedientiam exigere.

II. Causam proëgumenam judicii. *Ira filii*, id est, voluntas justa vindicandi peccatum superbiæ, blasphemiæ, persecutionis in Judæis, Regibus persecutoribus, &c.

III. Tempus vocatur *dies iræ ipsius*, quod opponitur tempori tolerantiæ. Confer Apoc. 11: 18.

IV. Partes judicii in diversis subjectis.

1. *Reges defligere. Dominus ad dextram tuam*, unico nutu ex cœlo, *deflixit in die iræ suæ reges*. ℣. 5. Potest hæc pars judici intelligi de coërcitione Re- 7
gum

gum se opponentium regno Christi, ut cogantur Ecclesiæ dare pacem.

8 2. *Judicium peragere inter gentes. Judicat in gentibus.* vers. 6. Potest intelligi hoc de judicio disceptationis, reprehensionis, accusationis, convictionis, quod Christus per verbum suum agit inter homines hujus mundi, sive illi Ecclesiæ accenseantur, sive ab ea alieni sint.

9 3. Strages magnas passim facere. *Plenum est cadaveribus.* Ad hunc actum pertinent hodiernæ strages, quæ unum locum Christiani orbis post alium opplent. vers. 6.

10 4. *Defligere caput super terram amplam. Caput* dicitur vel de superba affectatione in antithesi Christi veri capitis Ecclesiæ, vel de principe aliquo amplæ terræ domino. Confer Ps. 68 : 22. ℣. 6.

11 V. Judicis exaltationem & causam ejus. *De torrente in via bibit*, id est, torrens ipsum in membris ejus, implentibus reliquias afflictionum ejus, inundat & tantùm non suffocat in cursu justitiæ & progressu ad regnum. Magna afflictio Eccle-
12 siæ intelligitur. *Iccirco extollit caput.* Emergit Ecclesia, & superat omnes miserias. ℣. 7. Sed de hoc plena est omnis prophetiarum pagina.

PSALMUS CXI.

Divinas virtutes memorat. Sequens, qui etiam acrostichin habet, singula cola inchoante novâ ex ordine Alphabeti literâ, felicitatem piorum deprædicat & impiorum miseriam. Versus versibus, membris membra respondent. Fortè, si ad hypothesin respiciamus, etiam temporibus conveniunt. Partes:

A. Propositio, quæ continet votum confessionis. *Celebrate Jah.* Est veluti vox præconis, quâ populus excitatur ad celebrandum Deum. *Confitebor Jehovam*, eum nempe, qui extitit memor promissionum suarum, easque in Christo implevit, *ex toto corde*, me ipsum toto corde abnegans, nihil mihi tribuens, ad Dei verò opem anhelans, *in congressu rectorum*, qui Deum quærunt secundùm verbum ejus, quorum congregatio est planè ἀδελφικῇ, *& in cœtu convocato* per evocationem ex multis, id est, inter illos, qui peculiaribus donis ministeriisque ornati, vocationeque divinâ ex plebe conciti consident unà ad docendum ac regendum: vel in cœtu rectorum separato à mundo, qui jacet in malo, per vocationem internam. ℣. 1.

B. Expositio sive confessio reipsâ peracta: de

I. Operum Dei magnitudine & amabilitate. *Magna sunt opera tua, quæsita ob omnes amabilitates eorum.* Id nullo fuit tempore evidentius, quàm in παρουσίᾳ & apparitione Servatoris nostri. ℣. 2.

II. Majestatis demonstratione & justitiæ æternitate. *Majestas* regis nostri, quà effulsit, quum in cœlum ascendit, ac in solio consedit, *& reverentia*, sive vis flexanima ejus, qui accepit Spiritum Sanctum, quem donat, quibus vult, *est opus ejus, & justitia ejus*, id est, omnes virtutes Dei in Christo demonstratæ, maximè autem justitia, quam exercuit in judicio, quo condemnavit peccatum, & Christum justificavit, demonstrans se justum, & justificantem eum, qui est ex fide Christi, *manet in æternum*, id est, immutabilis, insuperabilis & irrefragabilis est. ℣. 3.

III. Mirabilium Dei revocatione in memoriam per singularem misericordiam. *Memoriam fecit mirabilibus suis*, id est, Deus talia ac tanta & tam numerosa per

Apo-

Apoſtolos paſſim edidit miracula ad demonſtrandum, quòd Jeſus ſit Chriſtus, ut eorum fama interire non poſſit: aptiſſimo quoque modo effecit, ut mirabilia ipſius negari & ignorari in poſterum non poſſint. Teſtimonium enim hoc curavit ſcribendum, non ſine teſtibus Eccleſiis & præcipuis fidelibus. *Gratioſus & miſericors eſt Jehova*, qui ſcilicet donat liberaliter nihil merentibus, imò non quærentibus ſe obvium offert, & non rogantibus reſpondet, & quidem juſtitiam ſuam indignis peccatoribus parat ac donat. verſ. 4.

IV. Nutritione Eccleſiæ, juxta fœdus ſuum. *Cibum dedit timentibus ſe*, nempe conſolationem Spiritûs Sancti, tum fratres & ſpiritualem ſobolem, denique & ἀνάψυξιν, refrigerium & refectionem ſive per fratres, ſive etiam gratiam invenirent in oculis perſequentium ipſos. Quantumvis enim longo tempore duraverit perſecutio gentilium, tamen ea non fuit continua, verùm aliquoties pace Chriſtianis conceſſa à Cæſaribus interpolata; *recordatur in ſæculum fœderis* & *juramenti ſui*. verſ. 5.

V. Gentium plurimarum adductione ad Eccleſiam per efficaciam ſuam. *Vim operum ſuorum indicavit populo ſuo, ad dandum ipſis hæreditatem gentium*. ℣. 6.

Ut quum Euangelium in mundo receptum eſt, & gentes barbaræ ſummâ devotione ſe Eccleſiæ aggregarent, & hoſtes Chriſti mentirentur ipſi.

VI. Conſervatione veritatis ejuſque aſſertione contra fucum mendacii. *Opera manuum ejus ſunt veritas & judicium*, nimirum vera Euangelii intelligentia & fides, tum veritatis defenſio contra falſam doctrinam, ſunt effecta divinæ potentiæ. Effectus, quòd *permanent mandata ejus*, quæ continent pietatem, ad quam deſtinata eſt veritas omnis; at mandata Adverſarii non permaneant. verſ. 7.

VII. Mandatorum Dei tutelâ & exſecutione. *Suſtentantur in æternum, per ſæculum*, q. d. veritas luctatur cum mendacio, &, licet mendacium ſit forte & violentum, nihilominus veritas ei non cedit, quæ apodixi ſpiritûs roboratur & ſuſtentatur ac defenditur apud tribunal omnis conſcientiæ: *patrantur in veritate* ſine adulteratione ſermonis, *& rectitudine*, ſecundùm verbum & voluntatem Dei, in bona conſcientia. verſ. 8.

VIII. Liberatione populi. *Redemtionem miſit populo ſuo*, ſcilicet à vi perſequentium.

IX. Inculcatione fœderis divini diutinâ. *Præcepit in ſeculum fœdus ſuum*, id eſt, fœdus ſuum ſive Teſtamentum & amicitiam in perpetuum addixit populo ſuo, tum & verbum fœderis promulgavit cum juſſione parendi.

X. Sanctificatione nominis divini. *Sanctum & metuendum eſt nomen ipſius*. Deus ſanctificat nomen ſuum, quando id à profanatione vindicat, caſtigandis ſuis, purgandâ Eccleſiâ, terrendis hoſtibus. verſ. 9.

XI. Veræ ſapientiæ impertitione per timorem ſui. *Principium* vel *præcipuum ſapientiæ eſt timor Domini*, id eſt, ſubmiſſio animi, unde naſcitur propoſitum quærendi Deum, & voluntatem ejus faciendi, Joh. 7: 17. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm abnegatio propriæ ſapientiæ & juſtitiæ, cum vera fame ac ſiti juſtitiæ Secundò eſt ſubmiſſio animi ad amplectendum & conſervandum hoc omne, quod Deus docet, quodque conſtat Dei verbum eſſe. Videtur Pſalmus tale tempus deſignare, quum, ſepoſitis figmentis cerebri humani & auctoritate humanâ, hoc agetur, ut, quæ ſit vera ſapientia, ex ſolo verbo Dei pleniùs & ſtudioſiùs inquiratur. verſ. 10.

XII. Adjumento cultoribus Dei exhibito. *Benevolentia* ſive lubentia cor-

dis, *δόξα*, *δίκαια*, confertur à Deo *omnibus facientibus* illa, um & ipsis studium & favor multorum conciliatur. ibid.

XIII. Triumpho Dei supra omnem blasphemiam. *Laus* sive gloriatio, celebratio *ejus perstat in æternum.* vers. 10.

PSALMUS CXII.

HIc in *μακαρισμῷ* fidelium celebratur Deus. Habes

A. Propositionem. *Beatus vir*, id est, Christus, *timens Iehovam*, *in præceptis ejus se oblectans valde*, neque propterea præcepta fidei & charitatis observans, ut Deum habeat minùs terribilem, sed ex amore Dei, eum ut præmium & hæreditatem nostram quærendo. vers. 1.

B. Expositionem illius beatitudinis.

I. in benedictione seminis. *Victoriosum erit in terra semen ejus*, multos habebit discipulos in terra Israëlis, dum in carne erit, & postquam ascenderit in cœlum; sed non tam numero, quàm operibus divinis & Spiritûs Sancti demonstratione prævalebunt hostibus. *Prosapia rectorum*, Christi & primorum fidelium, *benedicetur*, id est, amplificabitur. vers. 2.

II. in abundantia omnium bonorum spiritualium ad certitudinem possessionis justitiæ æternæ. *Opes & divitiæ sunt in domo ejus*, id est, Ecclesia Christi accipit, quod satis est ad corporis Christi ædificationem, nempe Spiritum Sanctum cum excellentissimis plurimisque dotibus. Postquam ea doctrina confirmata est, fides ipsa per se & fructus suos sufficit ad arrhabonem. In eaque est *sufficientia*, quia consummatio; & *divitiæ*, quia justificatio sive donatio justitiæ: *& justitia ipsius*, quam affert ac donat Christus, *stat in æternum.* Est enim justitia sæculorum. ℣. 3.

III. in luce, quæ oritur ipsis in tenebris. *Orta est lux rectis in tenebris*, in dirissima persecutione Deus rectis alluxit, *gratiosus*, quia gratuitò offert justitiam, *& misericors* erga miseros irretitos laqueis Diaboli, tum etiam erga filios suos cum multiplici calamitate conflictantes, *& justus*, per hoc postremum genus misericordiæ, quatenus est ex justitia, quam habet Christus. vers. 4.

IV. in patrocinio sive obtentione justæ causæ. *Beatus largiens & mutuò dans.* Quæcunque pii faciunt ex charitate, sive verbum Dei doceant cum labore, cum periculo, sive jacturam rerum suarum patiantur, sive beneficium conferant, sive injurias ferant & condonent, si animum eorum spectes, est *largitas*: si obligationem accipientis aut ejus, cui ea impenduntur, est *mutui* datio: quia obligantur ad paria, & Deus exiget ab illis; *Stabiliet verba sua in judicio*, etiam humano. vers. 5.

Ex gr. notum est, quantâ vi oppugnata fuerit doctrina Christiana à Judæis & gentibus eorumque philosophis: quanta item passi sint, quantum laboraverint Athanasius & pauci alii pro veritate divinitatis Christi, atque ita pro fundamento fidei nostræ. Deus ipsis pro labore & ærumnis concessit, ut probaverint verba sua, tum Christiani gentibus, tum Catholici & Orthodoxi in publicis Conciliis, quum haberent adversarios callidissimos, doctissimos, potentissimos, & ipsa veritas tanti mysterii esset, ut ratio humana id penitus concipere non posset: quam demonstratione testimonii divini ad conscientiam in assensum subjugârunt. Eadem est vis Euangelii etiam in posterum.

V. in

V. in permanſione ſive firmitate perpetua. *Nam in ſæculum non cogetur nutare.* Chriſtus habebit perpetuò, qui credant in ipſum, atque ita *in recordationem ſæculi erit juſtus.* ℣. 6.

VI. in fiducia excludente pavorem. *A fama mala non timet.* Hæc eſt fama adventùs Antichriſti; *paratum* ad certamen *eſt cor ejus*, ut credat veritati, & judicium exerceat de falſitate, *fretum Jehovâ.* ℣. 7.

VII. conſtantiâ in hoſtili oppugnatione. *Fultum eſt cor ejus* in conflictu; *non timet* ab hoſtibus & oppugnatoribus: *donec adſpiciat* cum voluptate *hoſtes ſuos*, id eſt, donec videat miſſam redemtionem populo Dei. verſ. 8.

VIII. liberalitate. *Spargit, dat pauperibus.* Dum non timet, & liberationem exſpectat, interim operam dat charitati, laborem, ſtudia, bona, patriam, vitam, cognatos, fratres, domum, agros, præter eleëmoſynas quotidianas, impendit *pauperibus*, quibus & Chriſtus Euangelium prædicavit. verſ. 9.

IX. inconcuſſâ conſcientiæ perſeverantiâ. *Iuſtitia ejus ſtat in perpetuum.* Nam neque fides aut doctrina fidei convellitur.

X. exaltatione ſupra hoſtes. *Cornu ipſius exaltatur in gloria.* Quamvis enim ſuos caſtiget, ut à ſcoriis repurget, tamen ita cum ipſis agit, ut emendatos exaltet, & hoſtes eorum pudefaciat. verſ. 9.

C. Illuſtrationem ex oppoſitione Improborum. De quibus tria exponit:

I. Iram. *Improbus videt & iraſcitur*, vel *ægrè fert. Videt* omnia illa bona juſtorum. Dolor hic iram concitans eſt pœna.

II. Conſumtionem. *Dentibus frendet* ex cupiditate vindictæ, & conatu exſtinguendi veritatem. Pœna eſt, quòd *colliqueſcit*, conſumitur.

III. Fruſtrationem & pudorem. *Concupiſcentia improborum perit.* Et hæc fruſtratio ipſis indicibilem dolorem, invidiam, pudorem & ignominiam affert. verſ. 10.

PSALMUS CXIII.

PErtinet etiam ad celebrationem nominis divini in Chriſto. Eſt

A. Præconis vox excitans ad laudes dicendas. *Celebrate Iah; celebrate, ſervi Iehovæ*, qui hactenus jugum Domini portaſtis, quibuſque nunc ſingularis gra- 1
tia diu exſpectata, exhibetur, *celebrate nomen Iehovæ*, id eſt, ipſius virtutes re atque opere ipſo demonſtratas. verſ. 1.

B. Exſecutio celebrationis.

I. Per benedictionem. *Sit nomen Iehovæ benedictum*, omnibus laudibus cumulatum, *a nunc uſque in ſæculum.* Aptiſſimum hoc eſt novo Cantico, novæ gratiæ antea non exhibitæ, deinceps per omne tempus memorandæ. verſ. 2.

II. Per narrationem exaltationis divini nominis.

1. in extenſione prædicationis ejus. *Ab ortu ſolis ad occaſum ejus celebratur* 2
nomen Iehovæ. verſ. 3. Confer Mal. 1:11. Notatur gentium fides.

2. in regni univerſalis publicatione. *Excelſus ſupra omnes gentes eſt Iehova;*
ſupra cœlum eſt gloria ejus. non tantùm quum aſcendit in cœlos, ſed etiam tum 3
maximè regnum Chriſti univerſale fuit evictum, quum dirutum eſt templum. Tum enim conſtitit, Chriſtum non eſſe quærendum in ullo loco ſub cœlo, ubi invocetur magis, quàm in alio loco. verſ. 4.

3. in omnium magnorum ceſſione & humilitate. *Quis eſt ſicut Iehova Deus* 4

 noſter,

noster, qui altissimam sedem occupavit? Notat omnium deorum, sive angelorum, sive principum partim subjectionem, partim cessionem. vers. 5.

4. in providentia & judicio, cum exploratione cordium & renum. *Qui demississimè speculatur in cœlo & terris*, id est, qui intimas cogitationes animadvertit. vers. 6.

5. in tenuium exaltatione. Ea habet aliquot gradus.

5 (a.) ex pulvere & fimeto erigere. *Erigens ex pulvere tenuem, qui ex fimeto*
elevat egenum. vers. 7.

Audivimus Patrum ætate Ecclesiam ferè pedibus à tyrannis & pseudoprophetis fuisse conculcatam. Eandem vidimus erectam.

6 (b.) collocare cum principibus. *Ad sedere faciendum cum principibus, cum*
principibus populi sui. vers. 8.

Deus, libertate Ecclesiis concessâ, effecit, ut regimen Ecclesiæ maximè conveniens secundùm institutionem Christi multis in locis formaretur. Ibi pastoribus & presbyteris cura Ecclesiæ tradita est: &, si rem dicere volumus, principes alicubi non majorem auctoritatem, quàm Collegia Seniorum in Ecclesiæ partibus habuerunt. Certè quidem magna est Ecclesiæ exaltatio, neminem tam humilem esse in Ecclesia, qui subjaceat cujusquam hominis potestati, sed vel, ut æquè pretiosam fidem habens, confideat cum illis, qui in Ecclesia propter ministerium & voluntarium studium (hæc enim notat נדיבים עמ׳) videntur esse columnæ & primi habentur; atque omnes tanquam fratres & æquè liberi confideant coram Domino.

(c.) prole augere orbam domo. *Ponens orbam domo matrem filiorum lætam. Hal-*
7 *lelujah.* Ecclesia postquam educta est ex Babylone, quum imminuitur per apo-
stasiam multorum & per locorum multorum devastationem, similitudinem habet
8 matris orbæ, ac solitariæ, & quodammodo sterilis. Ostenditur autem, Bestiam
imminutum iri; Ecclesiam verò pacandam, constituendam, amplificandamque esse
denuò. ℣. 9. Confer Es. 49: 13—23.

PSALMUS CXIV.

IN hoc Psalmo comparatur exitus Israëlis ex Ægypto & profectio ad occupandam terram Canaan cum adventu Domini ad occupandum regnum. Partes sunt:

A. Narratio adventûs Israëlis ad hæreditatem suam. ℣. 1—4.

B. Extenuatio illius rei. *Quid tibi, Mare, quòd fugiebas?* &c. id est, nulla tibi ratio, quòd fugeres, ad demonstrandum, quòd Israël esset populus electus ex omnibus gentibus, in quem Deus solus haberet dominium, cùm majus quidpiam cum potentioribus signis veniat. ℣. 5. 6.

C. Denunciatio adventûs Domini, & gloriæ majoris. *Coram Domino terrere, ô Terra*, aliàs anathemate percutienda; *coram Deo Iacobi.* vers. 7. Ibi agebatur de dominio Israëlis vindicando, & asserendo Juda in populum peculiarem; hic agitur de asserenda gloria illius, qui est *Dominus*, habens imperium in omnia, & cujus peculium est Israël fidelis & omnis Ecclesia; quique est *Deus Iacobi*, qui adjuravit Jacobum, ut in se crederet, quem Jacobus coluit, à quo promissiones maximas accepit, quique filiis Jacobi fit in Deum. Additur effectus eam præstantiam

tiam probans. *Qui mutat petram*, cor lapideum, *in ſtagnum aquarum*, ut ex eo fluant fluvii aquæ vivæ. Significatur datio fidei per Spiritum Sanctum; nec tantùm, ſed & converſio gentium, patribus promiſſa, per Chriſtum præſtanda. ℣. 8.

PSALMUS CXV.

VAnitatem omnis religionis, Chriſto regnum adepto, manifeſtatam docet; & hortatur Deo verâ fide adhæreſcere, benedictionemque cultoribus Dei ſpondet: tum, Reproborum accuſatâ pertinaciâ, piorum conſiderationem ac conſpirationem ad laudandum Deum proponit. Partes ſunt duæ.

A. Comparatio religionis veræ & falſæ. Ea continet

I. Fidelem orationem piorum oppoſitam irriſioni & blaſphemiæ Gentium. *Non nobis, Iehova, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam, propter gratiam tuam, propter veritatem tuam.* q. d. minimè hoc nobis in votis eſt, ut nobis & noſtro nomini detur gloria, quaſi nos noſtris operibus juſti ſimus, noſtrâ voluntate elegerimus Deum, noſtris operibus eum faciamus glorioſiorem, noſtris divitiis auctiorem, aut aliquid omnino nobis tanquam noſtrum poſſit imputari, aut nos cupiamus cum ſapientia noſtra & bonitate ac virtutibus noſtris in mundo celebrari ac nominari. Agitur hic de *gloria* Dei, quæ in Euangelio docetur. Contraria huic abnegationi eſt arrogantia illorum, de quibus eſt Eſ. 66: 5. *Dat Deus nomini ſuo gloriam*, quando ea facit, quæ ipſius naturæ, virtuti & nomini, quod extat Exod. 34: 7. ſunt conſentanea. Inter ea maximè hoc loco intelligenda eſt exhibitio Filii Dei in carne ad expiandum peccata & juſtificationem æternam afferendam. *Propter gratiam tuam*, promiſſam & juratam & ſperatam patribus, *propter veritatem tuam*, id eſt, immutabilitatem illius gratiæ, & veritatem promiſſionis ac omnis ſignificationis antecedaneæ. ℣. 1. 1

Cauſa extra Deum exhibendi hanc gratiam eſt Inſultatio gentium. *Quare dicent gentes; Ubinam eſt Deus ipſorum?* q. d. Deus, quem illi colunt, non eſt Deus; verbum, cui credunt, non eſt verbum ipſius; bonum, quod exſpectant, nullum eſt: nominatim adventus Meſſiæ, Dei in carne fruſtra ab illis exſpectatur. verſ. 2. Confer Eſ. 40: 9. Etiam illi tempori convenit hæc petitio, de quo eſt Deut. 32: 37.

II. Contentionem Dei veri & falſorum deorum. Hic

1. de Deo vero. *At Deus noſter eſt in cœlo.* Nam Deus ex cœlo venit ad nos, 2
& ſpectantibus iis, quorum fides in dubium revocari non poteſt, in cœlum aſcendit, & de cœlo emiſit Spiritum ſuum, &, *quicquid voluit, fecit*, miſſo verbo ſuo in mundum. ℣. 3.

2. de falſis diis. *Idola illarum* gentium

(a.) *argentum & aurum*, nihil aliud, cùm Deus in illis non habitet,

(b.) *opus manuum hominis*; Homo autem auctor religionis non eſt; ℣. 4.

(c.) membra humana habent, & quidem inutiliter, cùm nullos effectus edant vel Deo vel homine dignos, quales ſunt *loqui*, docendo: *audire* preces: *odorari* ſacrificia boni odoris, ut fidem, timorem Domini: *attrectare manibus*, id eſt, opera potentiæ edere vel in beneficium vel in judicio: *ambulare*, id eſt, præſentem omnibus eſſe: *ſpirare*, dando vitam & pietatem. Hæc enim Dei ſunt. Quæ cùm ipſi homines præſtare non poſſint, quorum illæ imagines habent ſimilitudinem, patet tam homines, quàm imagines illorum, ſi quid divinum illis tribua-

buatur, esse idola, neque hominem, nedum figuram corporis ejus, objectum religionis esse posse. vers. 5. 6. 7.

3. de operam dantibus veræ & falsæ religioni, quorum discrimen intelligitur ex hominum superstitiosorum exsibilatione. *Qualia illa, sunt factores illorum; omnis, qui confidit ipsis.* Sunt æquè bruti. Contrà cultores Dei ad imaginem Dei renovantur, & manifestum faciunt, Spiritum Dei habitare in illis. ℣. 8.

3 III. Cohortationem ad fiduciam in Deo. *Israël, confide Iehovæ*, innitere ipsi, apprehende arcem salutis ejus. *Israëlem* nominans significat populum electum ex omnibus gentibus. Ratio confidendi: *Auxilium eorum*, qui eos vivificat, radicat, ducit, conservat ad salutem, *& clypeus ipsorum*, qui ipsos defendit ab omni malo. *ipse est.* vers. 9. Eadem cohortatio dirigitur ad *domum Aharonis*, id est, populum Dei sanctificatum ad fiduciam accedendi ad Deum in Mediatore cum spiritualibus sacrificiis. Nam Christus nos fecit Deo sacerdotes. vers. 10. & ad *timentes Deum.* Id determinat, quinam pro vero Israële ac domo Aaronis debeant haberi, nimirum omnes credentes ex quavis gente. vers. 11.

IV. Fructum veræ religionis. *Iehova 1. memor est nostri*, nunquam obliviscitur nostri: 2. *benedicit, benedicit*, inquam, *domum Israëlis*, hoc est, gentem electam omnibus bonis cumulat, maximè spiritualibus, in Christo: *benedicit domum Aaronis*, veros adoratores lætitiâ spirituali & donis Spiritûs cumulat. ℣. 12. *Benedicit timentes Iehovam*, id est, omnes credentes. Et quidem citra distinctionem, *parvos cum magnis*, omnem ætatem, ne infantibus quidem exclusis, ad quos etiam hæc benedictio pertinet, quia parentes Deum timentes in illis benedi-
4 cuntur, & quia idem spiritus timoris in utrisque habitat. vers. 13. 3. *Addet Iehova super vos, & super filios vestros.* Fructus tertius est lucrifactio proximi, &
5 multiplicatio seminis Ecclesiæ. vers. 14. 4. *Benedicti vos Iehovæ, qui facit cælum & terram.* vers. 15. q. d. Si hi, qui tanquam Sol aut Luna aut Sidera videntur fulgere in orbe Ecclesiæ, vos exsecrantur, nolite timere. Deus enim benedicit vobis, qui vos & illos fecit; imò, qui aliud cœlum & aliam terram, atque illi nôrunt, condidit: imò, inquam, qui facit, ut illud cœlum, quod hactenus visum est esse cœlum hominum, sit revera *cælum* ab hominibus non occupandum, ita ut hæc auctoritas & locus regni, & dignitas regis ac legislatoris Dei, nullos in posterum admittat socios, sed soli Domino proprium ac suum esse noscatur, cadentibus astris ex cœlo, & antiquâ facie cœli abolitâ. Ut fiat, quod dicitur vers. 16.
6 *Cælum, cælum*, inquam, *Iehovæ est.* Cui respondet alterum colon. *Terram autem dedit filiis hominum*, id est, homines omnes, quâcunque sint cum dignitate & sapientia & auctoritate, fecit subditos, pares conditione, stantes ad scabellum pedum ejus, ut nemo unus in Ecclesia in alterius fidem dominetur, sed solus Dominus exaltetur.

Hoc incepit fieri in Reformatione, & perficietur porrò.

7 B. Confœderatio piorum ad celebrandum nomen Domini. *Non mortui celebrabunt Iah, & non omnes descendentes silentium.* vers. 17. *At nos*, qui scilicet vivimus, *benedicamus Iah à nunc & usque ad sæculum. Hallelujah.* vers. 18. Sensus planus: Animadvertimus, illos homines, qui celebrare Deum nolunt, spiritualiter mortuos esse; alios autem, repudiatâ cognitione veritatis, descendere in locum ἀναισθησίας & ἀκινησίας. Quin etiam apparet, Deum ventilare populum suum, neque velle, ut hypocritæ & inimici ipsius ampliùs fœdus ipsius profanent. Ne igitur moremur ipsos. Nos videmus & cernimus, quid sit verum & salutare. Eja,

igitur,

igitur, age, nos *benedicamus Deum*, profiteamur & enarremus virtutes ejus, qui nos tranſtulit ex tenebris ad admirabilem ſuam lucem. Confer Mich. 4: 5. *A nunc uſque in ſæculum*, ut, qui nunc benedixerimus Deo in ſpe, benedicamus etiam ipſi in viſione.

PSALMUS CXVI.

EUchariſticus eſt hic Pſalmus, quo Eccleſia gratias Deo agit ob liberationes ex diverſis anguſtiis. Eſt hic

A. Declaratio amoris ardentiſſimi cum voluntate prædicandi omni tempore ob 1
certitudinem amoris divini & exaudiendarum precum. *Amo.* Id ſic abſolutè non tam amandi actum, quàm amantis affectum & ſtatum, quo amore totus abreptus & quaſi abſorptus eſt, ſignificat, q. d. plenus ſum amore. Is affectus eſt donum Spiritûs filiationis. Opponiturque affectui δειλίας & φόβου formidinis & metûs, quem habebant Veteres. Conſiſtit autem in eo, quòd quis amet cum lætitia & gratiarum actione, cum abnegatione ſpei terreſtris, etiam cum gloriatione in afflictionibus. verſ. 1.

Finis doni ſpiritûs charitatis additur verſ. 2. *Et per dies meos*, per totam vitam, *prædicabo* virtutes Dei.

Cauſæ amoris interſeruntur. *Quia audit Jehova vocem meam, ſupplicationem meam.* verſ. 1. q. d. Deus tam benignè erga me affectus eſt, ut certus ſim, ſi quid ab ipſo petam, me non fruſtra rogaturum. Habeo jam ſacerdotem, qui obtulit ſacrificium boni odoris Deo, qui accipit dona in hominibus, in cujus nomine poſſum petere, quicquid filii Dei ſecundùm promiſſionem poſſunt petere, quæ in Veteri Teſtamento non dabantur. Alterum nomen ſignificat petitionem gratiæ, quales ſunt petitiones fidelium, quas certò exaudit Deus, nimirum eæ, quæ fundantur in Chriſti gratia, ſuntque à Spiritu gratiæ. Cogebantur contrà Veteres non ſine ſacrificiis adire Deum, ad fructum aliquem externum & terrenum, ad ſpem futuræ veræ expiationis confirmandam. Unde autem eſt, quòd certus ſim de exauditione? *Quia advertit ad me aurem ſuam*, id eſt, quia, obliterato omni peccato & reatu, placatus propitiatuſque eſt nobis, atque hoc unicè operam dat, ut preces meas exaudiat.

B. Promiſſio piæ & gratæ Deo converſationis ob liberationem ex anguſtia corporali & tentatione ſpirituali. Hic eſt

I. Narratio 2

1. Anguſtiæ. *Ingruebant mihi dolores mortis, & anguſtiæ inferni occurrebant mihi: anguſtiam & mœrorem obvium habebam.* Statim poſtquam Chriſtus in cœlum aſcendit, varias excitavit Diabolus perſecutiones. Idque, ut redigeret homines ad Dei abnegationem, ad deſperationem ſalutis æternæ, & omnino fidei exſtinctionem, quæ eſt mors animæ. Deinde ut Chriſti in cœlo ſedentis regnum tanquam impotens obſcuraret & diffamaret, & mortuos in erroribus & peccatis immanitate ſuâ à via veritatis appetenda abſterreret, atque ita eos ſub imperio ſuo retineret. Hîc orta ſæpe ἀπορία & ἀμηχανία, itemque mœror. Quorum illud reſolutioni ſive promtitudini & alacritati fidei, hoc gaudio ſpirituali inimicum eſt. verſ. 3.

2. Precum. *Et nomen Jehovæ appellabam.* Deum compellabam, & quidem eum, qui ſe nominavit & manifeſtavit in verbo ſuo: *Obſecro, Jehova, fac evadere*

dere animam meam, ne periculis & metu gravata à morte & poteſtate Inferni abſorbeatur. ℣. 4.

3 3. Exanditionis cum cauſæ proëgumenæ in Deo agnitione. *Gratioſus eſt Jebova*, qui ſemper gentes frementes contra Euangelium vocatione dignaretur, & ſemper aliquos ex pereuntibus lucraretur. & *juſtus*, qui filios ſuos ab hoſtibus vindicaret. & *Deus noſter miſeratur*, qui 1. non deſereret ſuos, credentes in ipſum, ſed ipſis alluceret lux in tenebris Pſal. 111. unde & *Deus ipſorum* appellatur. verſ. 5. 2. *cuſtodit ſimplices*, qui non eſſent eo ingenio, ut probare & examinare omnes fallacias Diaboli poſſent, quos tamen non paſſus eſt decipi. 3. *Attenuatus ſum*, & *me ſervavit*, ſuſtentavit, & extra omne periculum in tuto collocavit. verſ. 6.

II. Reductio hujus liberationis ad uſum veræ fidei in ſolo Deo collocandæ,

4 1. Per alloquium animæ ſuæ. *Redi, anima mea, ad quietem tuam.* Agnoſce, quòd non poſſis requieſcere, niſi in illo, qui non eſt merus homo, ſed verus ac ſummus Deus. Quare? *Quia* is eſt *Jehova*, *qui omnia ſua beneficia in te effudit.* Qui eſt ſanctificator tuus, redemtor tuus, juſtitia tua, rex tuus & dominus tuus.

Oppoſita hæc ſunt dubitationibus diſceptationibusque hæreticorum de perſona Chriſti, quibus corda plurimorum fuerunt exagitata.

2 2. Per conceptionem propoſiti, & quaſi nuncupationem voti. *Quia liberaſti animam meam à morte*, id eſt, regeneraſti me ad fidem, & conſervaſti, ne à ve-
3 ritatis cognitione deficerem; *oculum à lachryma*, dum potentia hoſtium Eccle-
4 ſiæ everſa, & omnis illorum opulentia Eccleſiæ facta eſt expoſita; *pedem meum ab impulſione*, ne à ſtatu ſuo verſutiâ Satanæ depelleretur, & in alium vellet, quàm in verum Deum, cum Photino, Ario, Neſtorio, Eunomio, Eutyche, aliumque
5 omnino, quàm revelatus eſt in carne, credere; verſ. 8. *Ambulabo coram Jehova*, id eſt, in fide Chriſti, ut Dei, ut glorificem mediatorem meum & ejus beneficia abnegando non excidam gratiâ, in charitate & omnium præceptorum obſervantia, in conſpectu ejus, ut inſpectoris cordium & renum ambulabo, quærens gloriam per tolerantiam operis boni; *in terris viventium*, illorum, qui participes facti ſunt reſurrectionis primæ, nimirum per Spiritum vivificantem & ſanctificantem, in quos *mors ſecunda*, nempe obduratio in peccatis poſt agnitam veritatem, poteſtatem non habet. ℣. 9.

Si evidens aliquod exemplum publici hujus voti ſive propoſiti cupias, erit in Chalcedonenſi Concilio.

C. Promittit gratitudinem ob divinam opem in certamine cum falſa doctrina & humanis adinventionibus in Eccleſia ſeminatis. Vide

6 I. Demonſtrationem fidei in certamine, vel narrationem tentationis. *Credo, quia loquor*, ſcilicet pro veritate contra falſitatem, & doceo, & reprehendo mendacia & peccata antiſtitum meorum, licet potentiorum. Probatur fides ex effectu ſuo, parrhelia, ſive libertate loquendi. Quòd autem ea libertas loquendi ſancta ſit, probatur ex eo, quòd non ſit orta ex fiducia carnis. Nam ſecundùm carnem *ego debilitatus*, oppreſſus *ſum valde*. Contrà hoſtes veritatis ſolent niti malis artibus, aut copiâ, aut potentiâ, aut ſapientiâ aliâve humanâ gloriâ. ℣. 10.

Hoc in quale hominum genus magis conveniat, atque in Waldenſes, equidem ignoro. Opponendum eſt hoc magno præjudicio illorum, quibus illorum loqui ſuſpectum fuit. Qui putabant, poſt ſanguinem Chriſti

fuſum

fuſum fieri non potuiſſe, ut maxima orbis pars in errores & infidelitatem rurſus incideret. Inter quos fuit Bernardus Claræwallenſis, hoc uno præjudicio factus damnator libertatis loquendi fidelium.

Locutionem, ſive redargutionem & reprehenſionem ſequitur judicium: ſed interveniente ſupra debilitatem feſtinationis ſive præcipitationis periculo. *Ego dixi in præcipitantia mea, Omnis homo eſt mendax.* 1. Quum jam non tantùm ad ſummam impotentiam redactus eſſem, ſed etiam profligarer & palarer, nullibi ſubſiſtendi locum habens, (ſic & Kimchi.) tum & fides mea mihi ſuggeſſit, ne ruerem & ſic ſecundùm ſpiritum præcipitarer, omnem hominem mendacem eſſe, & ſoli Deo credendum eſſe, qui eſt mentiri neſcius. Etiam hoc eò majori animo profeſſus ſum & pro ſententia dixi, Nihil verum eſſe, & credendum, quod Deum non haberet auctorem & teſtem, nullumque hominem eſſe errandi periculo exemtum. Poteſt etiam ſignificari tentatio humanæ cogitationis, & perſuaſio de pleriſque hominibus, quaſi vix ulli reſtarent, qui non mentirentur, id eſt, vel docerent mendacium, vel mendacio crederent, vel omnino eſſent hypocritæ. verſ. 11.

Extitit illud tempus, quo quæſitum eſt & quæritur, utrum illud tantùm ſit fide recipiendum, quod Scripturâ, tanquam certo Dei verbo, continetur, & an ipſa ſui debeat eſſe interpres & judex omnium controverſiarum: an verò omni tempore ſint certi quidam homines apud Eccleſiam, qui ſint ἀψευδεῖς, *falli neſcii*, qui ſive tradant & dictent aliquid non ſcriptum, ſive ſcripturam interpretentur, ſive loquentes & non loquentes judicent, errare non poſſint, ut propter illos dicendum ſit, non omnes homines mendaces eſſe, ſcilicet ἐν τῷ λαλεῖν, loquendo, docendo, judicando.

II. Deliberationem de officio ſuo ob maxima beneficia à Deo accepta. *Quid reddam Jehovæ? Omnia maxima ipſius beneficia ſunt ſuper me.* Illa nempe, quæ hactenus expoſita ſunt; illa me conſtituunt reum gratitudinem demonſtrandi. verſ. 12. 9

III. Concluſionem ſive decretum duplex, patiendi & prædicandi. *Calicem ſalutarem accipiam, & nomen Jehovæ nuncupabo.* Reddam vitulos labia mea, reddam præconium linguæ, non pudeat me nominis ipſius. Atqui, ſi hoc facis, vides tibi amarum calicem bibendum eſſe. Eja age, accipiam & bibam lubens, licet carni amarus ſit. Non *poculum* mortis, ſed *ſalutis* illud eſt, quod me dedecet non modò horrere, ſed non avidiſſimè appetere. *Poculum* inde dicitur, quòd in conviviis ſua ſingulis diſtribuitur portio vini ad communionem aliquam lætitiæ. Vel reſpicitur ad ritum ſacrificiorum. Qui edebat & bibebat de oblata victima & libato vino, communicabat ſacramentotenus ſacrificanti & ſacrificio & altari. Ita paſſio noſtra eſt communio paſſionum Chriſti. ℣. 13.

IV. Confirmationem decreti à voto & ſpe bona. *Vota mea Jehovæ exſolvam coram, age, toto populo ipſius*, q.d. non tantùm debitor ſum Domino propter beneficia ipſius, ſed etiam propter vota mea, & propter populum ipſius, coram quo vota nuncupavi, & quem debeo exemplo meo confirmare. Id verò utile erit ad liberationem populi Dei. *Precioſum* enim *eſt in oculis Jehovæ ad mortem* uſque rem redire *piis ſuis*. Quorum fructus & merces ſequitur ipſos. ℣. 15.

V. Supplicationem ſive Implorationem. *Obſecro, Jehovah, habe rationem mei, ſerva me, quia ego ſum ſervus tuus.* Nos nomen tuum invocamus, ejura- 8

vimus dominos alios, nolumus servi hominum esse, tibique sacramento diximus. vers. 16.

VI. Recognitionem divinæ opis valentis testimonium de sua vocatione. *Ego sum servus tuus, filius ancillæ tuæ. Solvisti vincula mea.* Non tam gloriatur sibi de solutis vinculis, quàm gloriatur, quòd Deus sit testatus, eum cœtum, quem liberare dignatus esset, esse cœtum servorum suorum, & eorum, qui in priorum fidelium locum successerint, id est, haberi à se pro Ecclesia Christiana nata ex Apostolica Ecclesia, filia cœlestis Hierusalem. ℣. 16.

VII. Promissionem gratitudinis.

9 1. *Tibi sacrificabo sacrificium confessionis*, &

2. *Nomen Jehovæ nuncupabo*, Per primum intellige gratissimum illud sacrificium Dei, quo nos omnesque vires & justitiam nostram abnegantes, gratiam Dei humiliter, tanquam unicam causam salutis nostræ, profitemur.

Id sacrificium Deo per Ecclesiam hoc etiam extremo tempore palam ut offerretur, multis gratiæ hostibus murmurantibus, neque sine certamine, divinâ procuratione effectum est.

10 Alterum notat constantiam in excutiendo jugo hominum, ut Ecclesia à solo Christo nominetur, ipsique soli serviat.

11 3. *Vota mea Jehovæ solvam*, quoties cum sincero animi proposito Deum invocabo, quoties ad sacras epulas accedam, quoties pœnitentiam spondebo, quoties me ad cultum Dei sartum tectum servandum confœderabo, quoties officium in politia vel in Ecclesia tanquam προστάτης, vel regendus adibo.

Utinam hæc de nobis in veritate dicere possimus!

(a) *coram, age, toto populo ejus.* ℣. 18. Vide ℣. 14.

(b.) *in atriis domûs Jehovæ*,

(c.) *in medio tui, ô Hierosolyma*; tum publicè in cœtu, tum privatim & domatim.

Clausula est. *Hallelujah, celebrate Deum* in sua pulchritudine ac decentia cognitum. ℣. 19.

PSALMUS CXVII.

Est prædicatio fidei per Apostolos & reliquos fideles perpetuò peracta ad omnes gentes. Eorum enim est hæc prædicatio, qui agnoscunt gratiam & veritatem Dei super ipsos evaluisse. Vide

3 A. Propositionem. ℣. 1. *Celebrate Iehovam*, id est, agnoscite & dicite, Deum esse maximum bonum; eique rei fame & siti attestamini; omnia verò alia abnegate, *omnes gentes.* Significatur prædicatio universalis suo tempore futura: *Laudate eum, omnes nationes.* In eo absolvitur officium justificandi Deum & sapientiam ejus. Quod hactenus Judæi non faciunt, neque agnoscunt, in Christo omnes promissiones esse impletas. Quibus hoc officium injungitur.

B. Confirmationem. *Quia*

1 1. *exuberavit super nos gratia ipsius.* Ea abundantia gratiæ spectatur in magnitudine boni præparati, in magnitudine impensæ, in subjecti indignitate & incapacitate, in claritate revelationis, in latitudine communicationis, in certitudine obsignationis, in lenitate deductionis, in potentiæ adversantis debellatione, in facilitate adeptionis per fidem eamque donatam, in firmitate destinationis, in illu-

illuſtratione donationis ſive per inſignia chariſmata, ſive per ineffabile gaudium in cruce, ſive per mirabiles opitulationes & liberationes, ſive per horribilia mundi judicia & glorioſam mundi ſubjectionem. *Super nos.* Verba ſunt credentium. Atque ita primò Judæorum. Deinde & gentium fidelium ad Gentes & Nationes. ℣. 2.

2. *Et veritas Iehovæ eſt in ſæculum.* Hæc ratio potiſſimùm videtur ſpectare ad Nationes & *laudationem* ſive juſtificationem Dei. Juſtificate Deum, quia fecit, quemadmodum promiſit. ℣. 2. 2

PSALMUS CXVIII.

Est excitatio ad confeſſionem, ob multiplicem liberationem, & manifeſtationem regni Dei. Partes:

A. Propoſitio παραινετική, quâ certa formula præconii præſcribitur Iſraëli, Aharonidis, timentibus Deum, quâ homines excitent ad confitendum Deum: additâ ratione, cur iis hoc injungatur. Perſonarum diſtinctionem eandem vide Pſalmo 115. Officium injunctum piis eſt *Dicere*, id eſt, confeſſionem aliis hominibus verbo & exemplo ſuadere & commendare; Gentibus, *Confiteri Iehovæ, quòd bonus ſit*, id eſt, corde, ore, opere atteſtari Jehovæ, in veritate nominis ſui teſtanti, quòd *bonus* ſit, id eſt, ſervator omnium, maximè fidelium. Ratio, cur hoc dicere debeant, eſt, *Quia in ſæculum eſt gratia ipſius*, id eſt, quia ſe oſtendit memorem gratioſi fœderis ſui cum Patribus facti & Teſtamenti ſponſorem, ſive mediatorem ex gratia dedit, qui & morte ſuâ gratiam impetravit, & reſurgendo à mortuis eam certam reddidit in æternum. ℣. 1. 2. 3. 4. 1

B. Confirmatio exaggerans bonitatem Dei multis modis.

I. à liberatione ex anguſtia. *Ex anguſtia invocavi Jah, reſpondit mihi in latitudine Jah.* Verba ſunt Chriſti teſtantis, Deum ſe ex morte revocâſſe ad vitam æternam & regnum. ℣. 5. 1

II. ab adjutorio contra hoſtes. Hic eſt

1. Declaratio fiduciæ ob præſidium Dei poſt factam reconciliationem. *Jehova eſt meus. Non timebo. Quid faciet mihi homo?* Verba ſunt Chriſti & Eccleſiæ. ℣. 6. 3

2. Prædicatio auxilii prima adverſus Judæos, contra quos Deus fuit pro Eccleſia, cum *auxiliatoribus* Eccleſiæ Romanis, quanquam neſciis: qui regnum Chriſti à jugo & velo liberarunt. Hinc documentum, Deo, non hominibus, neque *principibus* hujus ſæculi, quales Pontifices Judæorum, *fidendum.* ℣. 7. 8. 9. 4

3. Prædicatio auxilii altera contra potentiam omnium *gentium circumdantium* 5.6.&
ſeſe, idque in quatuor gentium congregationibus contra Chriſtum & Eccleſiam in 7.8
ſpecie differentibus. 1. Sub Imperatoribus Romanis Idololatris. 2. Poſt Conſtantinum Arianorum populorum; quò pertinent & Sarraceni. 3. Sub Antichriſto in emerſione ejus. 4. Poſt reformationem Eccleſiæ, ab Antichriſto inſtar Pharaonis liberatos perſequente, qui *extincti* dicuntur, *ut ignis ſpinarum*, citò & ſine prunis ſuperſtitibus. ℣. 10. 11. 12. Hæc in ſeqq. plenius explicantur.

(a.) Primum auxilium contra gentes *trudentes ad caſum*, id eſt, gentiles Imperatores, hoc agentes omni vi, ne homines ex morte peccati ſurgerent, atque etiam eos qui ſtabant, ad labendum adigentes, ut à Deo deſciſcerent. ℣. 13. 5

Auxilium 1. in conſervatione, ne caderet, verſ. 13. 14. 2. in ſubactione adverſariorum, & converſione gentium. ℣. 15. 16.

(b.) Contra gentes falſâ doctrinâ in *mortem* ſecundam retrahentes. verſ. 17. 18. 6

Coërcitio, quam dicit Eccleſia ſe paſſam, eſt in triſtitia ex multorum hominum diſceſſione à veritate.

7 (c.) Contra gentes portam, id eſt, viam juſtitiæ occludentes. Hic eſt

1. Expoſtulatio cum claudentibus portam juſtitiæ, ejuſque indigitatio. ℣. 19. 20. Summa eſt: fore aliquando tempus, ut, poſt alias tentationes, habeat Eccleſia concertationem cum ſuis doctoribus de natura juſtificationis.

8 2. Gratiarum actio de ope Dei, in ſalvanda Eccleſia è manu perſequentium, &
9 aſſerta auctoritate Chriſti contra eum, qui ſibi arrogat, quod eſt Chriſti, ita ut illius auctoritas in poſterum non obſcuretur ampliùs. verſ. 21—24. Convenit prædicatio *Euangelii æterni* cum verſ. 24. Eſ. 57: 19. *Pax, pax longinquo & propinquo.*

(d.) Contra gentes libertatem Eccleſiæ invidentes & eripere conantes. Hic eſt
10 Imploratio, ex qua facilè intelligitur anguſtia. *Obſecro, Jehova, ſerva, age*, ex
11 anguſtia & periculo: *Obſecro, Jehova, proſpera, age*, id eſt, benedic Eccleſiæ ad victoriam, & progreſſum reformationis. ℣. 25.

III. à Chriſti adventu ſive manifeſtatione. Quæ inſinuatur

1. per exceptionem venientis in nomine Domini, & regis, & populi. ℣. 26.
12 Implebitur hoc, cùm Chriſtus rex recipietur ab iis, quibus ſe falſus rex obtruſerat, vel qui Chriſtum ſolum regem non agnoverant.

2. per prædicationem potentiæ & gratiæ Dei, à qua ſcilicet eſt *illuminatio*, quâ ipſum recognoſcant. ℣. 27.

3. per inſtitutionem de officio fidelium: *Vincite victimam* feſtivam unamquamque *funibus uſque ad cornua altaris*, id eſt, quemvis hominem, qui ſeſe offert Deo victimam rationalem, qui piè vult vivere, demonſtratione juſtitiæ ex Scriptura ducite ad altare Dei, quod eſt Chriſtus, ut Deus in ipſo glorificetur. ℣. 28.

4. per δοξολογίαν. ℣. 29.

C. Epilogus conveniens principio Pſalmi. ℣. 30.

PSALMUS CXIX.

Agit de Verbi Dei efficacia in Eccleſia erigenda, regenda & conſervanda. Quamobrem nullus ferè verſus eſt, in quo non aliquod vocabulum reperire ſit, quod verbum Dei notet. Talia ſunt decem, quæ per totum Pſalmum reciprocantur. Quo innuit Spiritus Sanctus, verbo Dei omnia illa vocabula in ſua proprietate & omni ſuo valore convenire. Eſt quippe תורה *lex* doctrina demonſtrans viam juſtitiæ, quâ homo adducitur ad Deum. Idem verbum eſt עדות *teſtimonium* & *obteſtatio* ſive indicatio eorum, quæ Deus decrevit facere, & fecit ad gloriam ſuam manifeſtandam in juſtificatione peccatoris, & interrogatio atque excitatio omnis conſcientiæ ſuper divina indicatione & rei indicatæ divinitate, veritate, æquitate. Dicitur etiam דרך יהוה *via Jehovæ*, quia continet typum conſiliorum & actionum Dei, quæ ad hoc comparata ſunt, ut finis ſummus obtineatur: itemque typum obedientiæ & paſſionum Chriſti, quæ nobis ad ſequendum proponuntur, ut conformemur imagini filii Dei. Sunt in verbo Dei פקודים *mandata* & quaſi depoſita ac fidei commiſſa, quæ à nobis repoſciturus eſt. Sunt חקים *ſtatuta*, certum definitumque modum & circumſcriptam rationem habentia. Eſt in verbo Dei מצוה *præceptum*, & מצות *præcepta*, nempe id, quod à nobis Deus ſtipulatur, ut fœdus & communionem cum ipſo habeamus: quod eſt præceptum fidei & cha-

charitatis. illud ad justificationem, hoc ad salutem & lætitiam bonæ conscientiæ in Deo. Sunt in verbo Dei משפטים *judicia*, id est, promissiones & comminationes, & formula atque exemplar disciplinæ ab hominibus agendæ. Est דבר *verbum*, sive sermo perfectæ instructionis ducens potenter & captivans cogitationes in obedientiam. Est אמרה *dictum*, habens certam expressionem mentis & consilii divini. Et quidem est *sermo* & *dictum Jehovæ*, non aliter, quàm ut à Deo & ex ore ipsius auditum accipimus. Est אמונה *veritas*, *fidelitas*, promissionis Dei constantiâ, mutabilitate, veracitate nixum.

Hujus igitur verbi efficacia ita per totum Psalmum celebratur, ut ostendatur, Ecclesiam omni tempore omnique suarum tentationum periodo in eo solo fundari, ad illud respicere, & per illud ad fidem, variarumque virtutum exercitia & victoriam mundi à Spiritu Sancto aptari. Quæ virtutes & victoria in prophetiis delineantur. Adeo ut si velimus hunc Psalmum cum aliis prophetiis conferre, in singulis octastichis typum quendam prophetiæ finius fortasse reperturi. Sed nos breviter sententiam explicabimus.

OCTASTICHON I. א.

OMnem statum Ecclesiæ prophetico more complectitur. Siquidem

1. *Lex Jehovæ*, in qua ambulantes rectam *viam* sequuntur ad *beatitudinem*, est doctrina Christi, quam audiverunt ipsius discipuli, quæque sonat & viget omni tempore in Ecclesia. vers. 1.

2. *Qui retinent testificationes Dei*, id est, verbum Dei roboratum maximis divinitatis argumentis, quod continet seriam contestationem de benigna ipsius voluntate in Christo, & avidè recipiunt, & fideliter retinent, neque ab eo ad aliud verbum & aliam auctoritatem se transferri patiuntur: *quique toto corde quærunt ipsum*, id est, Deo ut doctori attendunt; exemplum habeant in illis, qui primo tempore Ecclesiæ Euangelio crediderunt certi pro eo depugnare usque ad mortem. ℣. 2.

3. Qui *non parant* animi consilio vel molitione externâ *injustitiam*, hoc est, abnegationem Dei & Christi, & *in viis Domini ambulant*, consiliis Dei se accommodant, sequuntur Agnum, quocunque vadit; illorum exemplum extiterit in Ecclesia martyrum. vers. 3.

4. Qui revocant in memoriam *mandata Dei*, id est, depositum doctrinæ, cui ab initio credidit Ecclesia; Deumque ea *præcepisse custodiri valde*, & absque omni adulteratione ac mixtura falsæ doctrinæ conservari, sint illi, qui ad Scripturæ cotem examinarunt hæreses, vel Scripturas in controversiam vocantes, vel spuria subjicientes, ut traditiones non scriptas, vel veram sententiam corrumpentes. vers. 4.

5. Qui optant, *certas & expeditas esse vias suas ad servandum statuta Dei*, ℣. 5. sint illi, quorum via seductionum illecebris ac scandalorum obicibus facta est non expedita, non certa, sed obscura, difficilis, confragosa & ambigua, quique in eo loco constituti ad Reformationis desiderium excitantur 1. exemplo primorum fidelium & beatitudinis illorum, ex vers. 1. 2. 3. & 2. mandato Dei, ex ℣. 4.

Voti hujus ratio. *Tunc non confunderer, dum respicerem ad omne præceptum tuum.* Scandala enim doctrinæ & vitæ, quæ regnant in Ecclesia, accedente tyrannide ea jubente, faciunt, ut pii pudore suffundantur, dum communicant cum illis, qui non respiciunt ad omnia præcepta Dei. vers. 6.

6. Qui

6. Qui *confitentur Deum in rectitudine cordis*, id eſt, qui atteſtantur Deo in verbo ſuo teſtanti, quòd is ſit, qualem ſe nominat, præ ſeque ferunt, Deum ſuum eſſe, & ſe illius, idque ſincerè citra obtentum, ut quum homines ſolis vocabulis ſe oſtentant; *dum diſcunt judicia juſta ejus*; ſint illi, qui diſcunt ex verbo Dei 1. judicium, quo peccatum in carne Chriſti condemnatum, & ſic princeps mundi judicatus eſt. 2. judicium, quo deſtruuntur inſtrumenta maledictionis, & omnia, quæ accuſationi peccati inſerviebant ſub Veteri Teſtamento, atque ita urbs, templum, politia Judæorum exſcinditur. 3. judicium, quo ſeparantur fideles ab infidelibus Judæis, & hi traduntur in duritiem cordis ſui, regno ab ipſis ablato. 4. judicium, quo in gentibus idololatria coarguta & abolita eſt, & Chriſto traditum regnum in gentibus. 5. judicium de mentientibus Chriſto; nominatim quòd ii, qui impugnaverant Chriſti divinitatem, ab Eccleſia ſeparati ſunt, quòdque alii, qui amorem veritatis non receperunt, ut ſalvarentur, per operationem ſpiritûs mendacii ſeducti crediderunt mendacio. Quòdque inpræſentiarum vident 6. judicium de Antichriſto, qui revelatur, damnatur, deleritur & confunditur. Tandemque 7. experiuntur caſtigationes Eccleſiæ & variorum populorum varias, ſicque ad confeſſionem Dei ſolius, ut omnis ſalutis auctoris, & ſeveri vindicis peccati, ſinceram excitantur. verſ. 7.

7. Qui divinam opem implorant, *ne ſe derelinquat admodum*, cum eo voto, quòd *ſtatuta Dei ſervaturi ſint*; ſint illi, qui in magna anguſtia conſtituti auxilium à Deo expetunt, voventes, ſe *ſtatuta* Dei in doctrina, regimine, dictis factiſque obſervaturos. verſ. 8.

OCTASTICHON II. ב.

1. PUeri verbum Dei, id eſt, diſcipuli Chriſti, & fideles tum ex Judæis, tum ex gentibus, ſermonem Euangelii non aliter recipiunt, ac pueri, partim ſcilicet intellectum, partim non, ut pueri Philoſophiam audire ſolent, qui miris interim cogitationum phantaſmatibus fluctuant. 1 Cor. 3: 1. Igitur ſtudioſè circumſpiciunt ac deliberant, *quomodo iter ſuum caſtum* ſimplex & ſincerum *ſervent*, ne à recta via in avia diſcedant. Ac poſt deliberationem agnoſcunt, tantùm opus eſſe, ut *obſervent* omnia, quæ audiunt, quæ vident, *ſecundùm verbum Dei*, utrum ſcilicet doceantur à Spiritu Sancto. Quod verò cum eo verbo conjungere non poſſunt, tanquam inde profectum & inde exſurgens, id ne recipiant, ſed ſuſpectum habeant, &c. verſ. 9.

Sic diſcipuli Chriſto dicebant; *Quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Joh. 6: 68.

2. Pii habentes propoſitum *non peccandi Deo* verſ. 11. *ex toto corde quærunt ipſum*, id eſt, animo non præoccupato aut nutante ad eum magiſtrum accedunt, parati omnia credere, quæ ille doceat. verſ. 10. Igitur orant Deum, *ne ſe patiatur aberrare à præceptis ſuis*, ne cum Judæis quærentes legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non perveniant, vel ne ſe tradat in reprobum ſenſum, veluti Judæos juſtè in duram & reprobam mentem tradidit. verſ. 10. Denique *in corde ſuo recondunt dictum Dei* jam apprehenſum ſcilicet ex verbo Dei, ne illud derelinquant, ut ſtare poſſint in die malo. verſ. 11.

Hæc fuit oratio martyrum ac noſtra quotidie debet eſſe.

3. Eccleſia confitetur cultum Chriſto, ut ſoli vero Deo debitum. *Benedictus* vel

vel *benedicendus es tu, Jehova.* Tibi ſoli debetur *εὐλογία.* Apoc.5:12.13. Nullus præter te adorandus aut glorificandus. Nulli honor capitis, fides, amor, reverentia & gratiarum actio reddenda eſt, niſi tibi ſoli. verſ. 12. p. p.

Hiſce Eccleſia ſe ſeparat ab iis, qui Chriſtum verum Deum non agnoſcunt.

4. Eccleſia petit *condoceſieri ſtatuta Dei.* verſ. 12.

Pertinet hæc petitio ad illud tempus, quo inſtituta hominum divinis præferebantur.

Quid autem interim fecerit Eccleſia, dum inſtituta humana vigerent, poſthabitis divinis, exponit: 1. quòd *labiis ſuis enarraverit omnia judicia oris Dei.* videlicet contra eos, qui judicia Dei non reveriti, judicia humana introducebant. verſ. 13. 2. quòd *alacris fuerit in via teſtificationum Dei tanquam pro omnibus opibus*; quòd nempe opes totius mundi & vitam ſuam poſthabuerit huic curriculo. 3. quòd *de mandatis Dei* ſive *depoſito ejus*, verbo ejus ſcilicet *meditata ſit*, de eoque locuta ſit, & *reſpexerit ad itinera* ſive opera *Dei*, quibus mundum plectebat, viamque ſibi parabat ad regnum. ℣. 15.

5. Teſtatur lætitiam ac *deliciationem ſuam in ſtatutis Dei*, ſcilicet dum Deus ea facit hominum ſtatutis prævalere. Oratque, *ne verborum Dei obliviſcatur* in poſterum, ſed ea retineat uſque ad finem. ℣. 16.

OCTASTICHON III. ג.

Deſiderat Eccleſia Veteris Teſtamenti præſtationem promiſſionum, nimirum ſalutis & ſanctificationis. *Benefac plenè ſervo tuo*, vindicando ſcilicet per gratiæ effuſionem in libertatem ſerviendi non egenis mundi elementis, diis non-diis, ſed Deo viventi: *vivam* vitâ æternâ, quâ amem te in lætitia, neque occuper ampliùs in elementis mundi, quæ miſeria quædam & mors erat; & *cuſtodiam verbum tuum*, non hominum, principum vel poteſtatum hujus ſæculi, quibus ſubjectus ſum. verſ. 17. 1

Deſiderat quoque *revelari oculos ſuos, ut cernat mirabilia ex lege Dei*, id eſt, oculos mentis revelet & liberet à præjudicio & opinione propriæ ſapientiæ ac juſtitiæ, ad videndam legem juſtitiæ fidei, & ad cognoſcendum ea mirabilia Dei, ſine quibus ea juſtitia conſiſtere non poteſt: qualia ſunt deſcenſus Filii Dei de cœlo, ejuſque in carne apparitio & humiliatio, ut factus fuerit obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, atque ita peccatum & exſecratio fuerit factus; itemque ipſius reſurrectio ex mortuis, & aſcenſio in cœlum, cum effuſione Spiritûs Sancti, &c. quæ olim in ænigmatibus fuerant propoſita, & figuris adumbrata. In eum finem tollat velum, id eſt, ſententiam, quæ declarat, quæ ſint ſtatuta Dei, quæ qui facit, in eis vivit: & maledictionem ob oculos ponit, & reatum cogit fateri, & ſacrificia pro peccato & reatu exigit, &c. per quæ homini carnali difficile eſt legem juſtitiæ fidei reperire, ut non juſtitiam operibus aliquibus tribuat. Præterea Spiritu Sancto ſuo omnia ſtercora removeat ex corde, idque aperiat, ut attendat ad ea, quæ Deus dicit, & cognoſcat in iis Dei ſolius ſufficientiam ad juſtitiam & ſalutem, & ut factus ſit peccatori in Deum, &c. ℣. 18.

Reſignat terreſtrem hæreditatem & civitatem, cœleſtem verò eligit, cujus pignus ſunt præceptorum Dei perpetua memoria, & conſtans etiam in media morte intuitus. *Peregrinus ego ſum in terra. Ne occultes à me præcepta tua.* ℣. 19. 2

Et patres olim se dixerunt peregrinos atque inquilinos: ostendentes, se patriam quærere. Quamvis autem Israël accepisset terrestrem hæreditatem, tamen sciebat, eam non mansuram esse; sed tantùm considerabat eam, ut pignus melioris hæreditatis & ut terram Dei, in qua is elegerat nomen suum patefacere; donec Christus appareret in carne, & justitiam, libertatem ac salutem afferret, & Israëli hæreditatem gentium daret. Ecclesia autem Christiana coacta est exire ex medio urbis & terræ & populi propter duritiem Judæorum. Atque, etiamsi multus ex gentibus proventus accederet Ecclesiæ, nihilominùs diu non reperit ea urbem habitationis, aut locum, ubi nutriretur à gentibus. Ibi omnium contradictiones experta est, gentium, Judæorum, & ab utrisque rejecta est, tanquam aliena ab humano genere. Nemo illam recognovit. Omnes puduit eam suam vindicare. Itaque etiam illa non potuit ad quemquam in terra accedere tanquam suum & necessarium aut cognatum. Singulorum etiam fidelium ea sors fuit, quum hæretici in medio fratrum surgerent & perversa loquerentur, alii etiam dominationem in Ecclesia erigerent, & inanibus verbis ac ritibus eam replerent. Tum enim coacti etiam sunt conqueri de fidelium & rectorum paucitate ex Psalmo 12. Eòque ardentiùs implorare Deum, *ne præcepta ejus ab ipsis occultarentur*, id est, ne Scriptura corrumperetur, vel omnino absconderetur, aut fides ex mundo exiret; sed verbum Dei sincerum & integrum servaretur in ore ipsorum, & Spiritus Dei non auferretur ab ipsis.

3 Ecclesia identidem & maximè primitùs magnis & diuturnis vexationibus obnoxia consolatur sese Dei judiciis verbo ipsius denunciatis, per quæ hostes adversariosque erat increpiturus. *Comminuit se anima mea præ desiderio ad judicia tua omni tempore.* ℣. 20.

Ita primò Judæos adversarios experta est, & pseudoapostolos, qui Judaïcis ritibus Ecclesiam nitebantur subjicere. Vidit verò judicium, quo Deus illos coërcuit, & illorum insaniam publicavit. Gentium reges, sacerdotes, & improbissimi quique ganeones, artifices fanis inservientes & impietati, Christianæ religioni contradixerunt. Deus per verbum Ecclesiæ eis demonstrationem fecit.

4 *Protervos*, qui non per ignorantiam, sed per malitiam peccant, solâ pertinaciâ armati adversus testificationes Dei, nulli convictioni cedere volentes, *qui aberrant à præceptis Dei*; quæ sunt præceptum fidei & charitatis, in quibus κεφάλαιον consistit; atque ita impingunt in Christum ejusque deitatem, & per consequens Christi gloriam & regnum infestant & impetunt sive vi sive dolo; *Deus increpat.*

Ita Judæi, ita Hæretici, Judæorum propago, quum non invenissent legem justitiæ, & justitiæ Dei se non subjecissent, impetum in Christi deitatem fecerunt. Spiritus Sanctus per verbum suum in ore rectorum eum glorificavit, etiam omnium vaframenta fecit evanescere. vers. 21. Ii *maledicti*. Vide Gal. 3:10.

5 Post increpitos priores protervos maledictos, non desinunt alii Ecclesiam infestare & *probro afficere*, id est, non tantùm sordibus & scandalis Ecclesiam deturpare, sed etiam sententiis probrosis, condemnationibus, infamationibus eam gravare. ℣. 22.

Hic

Hic jam proclive fuit orare, ut Deus *auferret ab Eccleſia convicium & ignominiam.*

Rationes ſuaſoriæ hujus petitionis deſumuntur 1. ab auctoritate divinæ veritatis ſecum damnatæ. *Nam teſtificationes tuas tenui*, humanas verò traditiones rejeci. verſ. 22. 2. ab adverſariorum auctoritate, unione, conſilio. *Etiam conſident* 6
principes, de me colloquuntur. Sedere auctoritatis eſt & poteſtatis; *colloqui* conſenſus & communicationis. De Eccleſia colloqui eſt judicantium & contra eam conſilia ineuntium. Clarè dicitur, Eccleſiæ rem fore cum principibus & poteſtatem judicandi ſibi arrogantibus: Eccleſiamque eò deventuram eſſe, ut inter principes & in thronis ſedentes aut non aut vix habeat patrocinium.

Waldenſes inter principes aliquando nullos, aliquando paucos admodum aſſertores habuerunt. Raimundus Toloſanus eos ad tempus defendit De Bohemis actum eſt in Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi. In diætis Imperii, in aulis & curiis regum ac regnorum de Proteſtantibus ſæpe actum eſt. In Concilio Tridentino cum nunciis Papæ & Epiſcopis Imperatoris regumque legati conſederunt. Inter reges Galliæ & Hiſpaniæ de exſcindendis Reformatis conſilia habita ſunt; quorum dirus admodum effectus fuit. Imperator & Pontifex de reſtauranda Germania deliberarunt, & ſævum bellum, ut ſua conſilia exſequerentur, excitarunt. Omitto alia. ℣. 23. p. p.

3. à conſtantia verbi divini meditandi & prædicandi. *Servus tuus*, qui nemini homini ſe ut domino ſubjicit, ſed te ſolum dominum fidei agnoſcit, *meditatur ſtatuta tua*, verſatur in meditatione verbi tui, nullo alio facto iram principum excitans. ℣. 23. 4. à voluptate & lubenti obſequio Eccleſiæ circa verbum Dei. *Etiam* 7
teſtificationes tuæ oblectamentum meum ſunt, conſiliarii mei publicè & privatim. verſ. 24.

Utinam tam beati eſſemus, ut conſiliis noſtris publicis & privatis appareat, Dei eloquia eſſe conſiliarios noſtros! nempe ut Civitatum & Rerumpublicarum rectores id unicè propoſitum habeant, ut Deus in civitatibus regnet; ut eadem patrumfamilias ſit cura & ſollicitudo.

OCTASTICHON IV. ד.

1. Eccleſia Veteris Teſtamenti ſedet quaſi in umbris mortis. Nam &, quòd propitiatio peccatorum nondum facta erat, id eos habebat anxios, & diutina ipſos exſpectatio & gravis ſervitus, & prophetarum ſilentium, & ſectarum diverſitas, præter profanitatem vulgarem & reipublicæ ἀταξίαν & ſervitutem gentium, illos valde premebat. Itaque fatetur, *animam ſuam eſſe agglutinatam pulveri*, id eſt, in eo ſtatu verſari ſe, qui ſimilis ſit hominis in pulverem proſtrati, qui ſe erigere non poteſt, & in pulvere vivus & animam trahens contabeſcit: Et orat, Deus ipſam *vivificet* ac *ſalvet ſecundum verbum ſuum*, nimirum à peccatis & maledictione, per Chriſtum. ℣. 25.

Confitetur quoque & exponit Deo miſeriam ſuam, *enarrat ipſi omnes vias ſuas*, quarum nulla ipſam poſſet ad vitam deducere, ſive Phariſæos, ſive Sadducæos ſectaretur. verſ. 26. p. p.

2. Deus *reſpondet Eccleſiæ*, ut Auctorem vitæ & ſalutis ipſi daret, ſive, ut vivificaret ipſam. *Statuta ſua* promulgat quoque, quæ certiſſimam viam vitæ deſcribunt.

bunt. Igitur orat, *Deus ipſam ſtatuta ſua doceat*, id eſt, ipſam illi viæ per Spiritum ſuum aſſuefaciat ac docilem reddat. ℣. 26.

3. Diabolus excitat pſeudoapoſtolos. Ubi ſpiritu diſcretionis opus eſt. Igitur orat Eccleſia, *Deus ipſam faciat intelligere*, vel *internoſcere viam mandatorum ſuorum, ut meditetur mirabilia ejus*. verſ. 27.

4. Eccleſia dolet à vexatione & infirmatur poſt longas tribulationes. Petit igitur conſtantiam & ſuperſtitationem, verbis: *Stillat anima mea præ mœrore: Stabili me ſecundùm verbum tuum*. verſ. 28.

5. Tribulationem ſequitur ſeductio & apoſtaſia. Quæ eſt *via falſitatis*. Eam petit *amoveri à ſe*, id eſt, ſeductores ab Eccleſia tolli. Petit inſuper, *Legem Dei*, id eſt, prædicationem Euangelii ſibi non negari, ſed ex gratia *indulgeri*; quemadmodum multos populos videmus hanc pœnam incurriſſe, ut Deus ipſos non ſit dignatus lege ſuâ. ℣. 29.

6. Eccleſia tandem variè agitata gloriatur coram toto mundo, & coram Deo, ſe, ſpretâ viâ falſitatis, quam laudant apoſtatæ, prætuliſſe *viam veritatis*; & abrogatis judiciis humanæ iniquitatis, *judicia Dei*, id eſt, diſciplinam ſecundùm verbum Dei *reſtituiſſe*. verſ. 30.

7. Subſequitur tempus quoddam vehementis tentationis, dum *adhæreſcentes teſtificationibus Dei* oppugnantur. Igitur petit *averti pudorem*, ne ſinat ſe vel defatigari ac deſperare de ope divina, vel derideri deluſâ ſpe de propagatione regni Dei. verſ. 31.

8. *Dilatatio cordis*, id eſt, ſtatus Eccleſiæ plenus lætitiâ, fiduciâ, ſpe bonâ, charitate. Unde fit, ut ſibi magno animo proponat Eccleſia *decurrere viam præceptorum Dei*. verſ. 32.

OCTASTICHON V. ה.

1. Quum doctrina juſtitiæ & legis divinæ interpretatio in ore doctorum, Scribarum & Phariſæorum, non reperiretur, non potuerunt non contrita corda Scripturas reverentium & ex iis promiſſionem divinæ viſitationis animadvertentium anhelare ad Dei apparitionem, qui ipſos *doceret viam ſtatutorum ſuorum*, nempe fidei & charitatis, ut *eam tenerent ſemper*, vel *in finem*, id eſt, in ea impræpeditè & conſtanter ambularent. verſ. 33.

2. Petit Eccleſia prudentiam ad dijudicandum differentia. *Fac me prudentem, & tenebo legem tuam*, ut eam non obliviſcar, *& obſervabo eam*, ut ſequar eam *toto corde*. verſ. 34.

3. Objecto terrore & periculo ab Ethnicis ac idololatris, Eccleſia petit Deum, *faciat ipſam incedere in tramite præceptorum ſuorum*, ut ſit roborata non tantùm ad agendum, ſed etiam ad patiendum omnia pro nomine Chriſti. *Eo enim delectari ſe*. verſ. 35.

4. Soluto periculo, major tentatio eſt ab illecebris mundi, à divitiis, gratiâ hominum, blandimentis potentiæ mundanæ, voluptatum, quæ faciunt hypocritas & amorem Dei labefactant. Igitur petunt fideles, *Inclinet Deus cor ſuum ad teſtificationes ipſius, & ne ad lucrum*. verſ. 36.

Adverſus tentationem falſæ doctrinæ itidem orat Eccleſia. *Averte oculos meos à videnda* cum affectu amoris ac fidei *Vanitate*, idolo, ſive falſo Chriſto & falſa doctrina: *in viis tuis vivifica me*, id eſt, corrobora ad conſtantiam & animoſitatem decertandi, tum conſerva & protege. verſ. 37.

5. Ec-

5. Eccleſia petit *repræſentari ſibi dictum Dei*, dictum ſcilicet promiſſionis de hæreditate terræ, id eſt, hoſtium Dei peſſundatione & erectione vexilli Euangelii ad congregandum omnes gentes in regnum Chriſti. *Servum Dei* ſe vocans, ſeparat, qui ſerviunt hominibus & aliis dominis, præterquàm Chriſto. *Timorem* dicit reverentiam erga verbum Dei ad obediendum ei. verſ. 38.

6. Poſtea caſtigationem Dei juſtificat, ſed opprobrium deprecatur, ne ſcilicet ſua caſtigatio in opprobrium veritatis & blaſphemiam Dei redundet. *Amove opprobrium meum, quod metuo. Nam judicia tua bona ſunt.* verſ. 39.

7. Denique, cùm Deus ipſam percuſſiſſet & vulneràſſet ob peccata ad mortem, orat, ut Deus *concupiſcentem mandata ſua reducat ad vitam propter juſtitiam ſuam*, quam donat ipſi. ℣. 40.

OCTASTICHON VI. ו.

Singuli verſus incipiunt à copula. Neque abſurdè ſingulos hujus Octonarii ſingulis præcedentis connexueris. Habent enim inter ſe ſpecialis argumenti communionem.

1. Petit Eccleſia ſibi exhiberi gratiam Dei & ſalutem ſecundùm promiſſiones. *Et veniant mihi* hoc tempore *gratiæ tuæ*, id eſt, pleniſſima illa gratia promiſſa, ſperata, exſpectata, *Jehova*, ut virtus nominis tui appareat, quæ in nomine tuo continetur; *Salvatio tua* à reatu, à ſervitute peccati, à timore mortis, à ſervitute legis, *ſecundùm dictum tuum*, quod dixiſti Adamo in Paradiſo, Abrahamo & Patriarchis, & per Prophetas propagaſti. verſ. 41. Hinc magis patet mens verſ. 33.

2. *Et*, poſtquam ſcilicet Deus ipſam prudentem fecerit, (ex verſ. 34.) *reſpondet convicianti ipſi verbum*, hoc nimirum, *quòd confidat verbo Dei*, certa pro eo depugnare uſque ad mortem. ℣. 42.

3. Interim patitur Eccleſia, & *judicia Dei ſperans* contra hoſtes ſuos, hoc unicè petit, ut *ex ore ſuo non tollatur verbum veritatis*, id eſt, ne Satanas perſecutionibus, quas excitat contra Eccleſiam, eam perducat eò, ut abneget aut non profiteatur veritatem. ℣. 43.

4. Deinde Satanas, quum videret, ſe non poſſe verbum veritatis & ſermones Euangelicos ex ore hominum eripere, id agit per fraudem, ut *legem Dei*, quæ eſt lex fidei, corrumpat. Orat igitur Eccleſia videns hoc agi, ut ſibi detur *obſervare legem Dei in ſæculum perpetuò*, id eſt, ut per Dei gratiam habeat illuminatos oculos mentis, vt nulla ſeductio ipſi & filiis ipſius imponat, ut, deſertâ lege Jehovæ, ad aliam legem tranſeant, aut doctores illis aliam legem proponant. verſ. 44.

5. Poſtea, quum Eccleſia in arcto verſaretur, contrà falſa Eccleſia in lato, petit vincula ſua relaxari, darique ſibi oſtium fidei apertum, & libertatem loquendi, verbis: *Et ambulem in latitudine. Nam mandata tua quæro* ſive *curo*. verſ. 45.

6. Poſtea ſeſe videt Eccleſia Chriſtiana præter ſpem & inopinatò ſubjectam *regibus*, cum meretrice magna ſcortantibus; coram quibus fideles coacti ſunt reſpondere de fide ſua, & teſtificationes Dei defendere. *Et loquar de teſtificationibus tuis coram regibus, & non pudebit me.* ℣. 46. Confer §. 5. Lit. 2.

7. Poſtquam verò Deus amoverit opprobrium Eccleſiæ Reformatæ, verſ. 39.

eamque vivificaverit. vers. 40. *deliciatur in praeceptis Dei*, *quae diligit*, vers. 47. *& extollit manus suas ad praecepta Dei*, id est, prae amore ambabus ulnis ea amplectitur, *& meditatur statuta ejus*. ℣. 48.

OCTASTICHON VII. ז.

1. Ecclesia, ut suprà, petit repraesentationem promissionum. *Recordare verbi tui ad servum tuum, de quo mihi spem fecisti*. vers. 49.

2. *In infirmitate*, cùm scilicet stare per se non posset, multò minùs resistere vel potentiae adversariae vel astutiae, multò minùs vincere aut subigere ὑψώματα & ἰσχυρώματα in obedientiam Dei: itemque *in passionibus* sese consolatur Ecclesia à vita spirituali adepta per verbum Dei. *Haec est consolatio mea in debilitate & afflictione, quod dictum tuum vivificavit me*. ℣. 50.

3. *Protervi*, Judaei, elatâ manu Deo se opponentes, blasphemantes Christum & sanctos ejus, *illudunt Ecclesiae valde*, ut impiis, ut stultis. Ecclesia autem *à lege Dei non deflectit*. vers. 51.

4. Interimque *recordatur judiciorum Dei antiquorum*, *atque* ita *solatur se*. vers. 52.

Innuitur judicium novum veteribus par Ecclesiae contigisse. Quale est judicium in blasphemos Judaeos, & gentiles persecutores, & blasphemos haereticos.

5. *Improbi*, qui justitiae Dei se non subjiciunt, *relinquunt legem Dei*, id est, à fide deficiunt, inprimis à doctrina justificationis. Idcirco *horrent pii*. vers. 53.

Quin etiam narrant, se *peregrinatos* fuisse, & quasi in exilio vixisse, scilicet in Babylone spirituali: attamen in eo exilio *decantasse statuta Dei* cum laetitia. ℣. 54. Confer Apoc. 14: 2. & 8.

Tum etiam *in nocte* sive tenebris doctrinae & persecutionis, *memorem fuisse nominis Jehovae*, *& custodivisse legem ejus*. vers. 55.

6. Insignis benedictio vel liberatio datur Ecclesiae in remunerationem constantiae, de eaque sibi gratulatur. *Hoc evenit mihi*, *quia mandata tua arctè retinui*. vers. 56.

OCTASTICHON VIII. ח.

1. Christo in carne manifestato, fideles, qui in ipsum speraverant, & hactenus umbrae carnalis haereditatis serviverant, abdicant omnem haereditatem, & à mundo Christum non agnoscente & alia omnia eligente, se separant, & donum illud coeleste, Filium Dei in carne revelatum in fide agnoscunt & accipiunt, verbis: *Portio mea est Jehova*. vers. 57. p. p.

Verum medium unionis cum bono illo indicat: *Dixi*, *Observaturum me verba tua*, id est, decrevi, me tibi crediturum & servaturum verba tua, quae sunt verba vitae, eaque semper meditaturum & ob oculos habiturum. vers. 57.

2. Ecclesia credens in Christum & considerans prophetias de regno Christi seriò exoptat donum Spiritûs Sancti, & *haereditatem terrae*, hoc est, conversionem omnium gentium ad Christum, verbis: *Supplex tibi fio ex toto corde*: *Gratiosus mihi esto secundùm dictum tuum*. vers. 58.

3. Dum eò enititur Ecclesia & anhelat, ut sibi exhibeatur plenè illa gratia sive triumphus de mundo; variè impeditur & tentatur. In his tentationibus seipsam explo-

explorat, & conſcientiam ſuam coram Deo ſiſtit, ut tandem plenam & conſummatam victoriam obtineat, verbis: *Computavi vias meas, & retuli pedes meos ad teſtimonia tua.* verſ. 59.

Nempe inciderant in Eccleſia prima divaricationes ſententiarum & ſchiſmata, ut alii Judaïcè, alii gentiliter vivere vellent. Deſtructâ politiâ Judaïcâ, vanitas pſeudoapoſtolorum apparuit. Eccleſia ex præſcripto teſtimoniorum Dei in libertate & charitate ambulare porrò perrexit.

4. Eccleſia crucem Chriſti ex charitate ferens, de obſervatione præceptorum Chriſti gloriatur, verbis: *Feſtinavi, & non cunctatus ſum, obſervare præcepta tua.* Quorum maximum eſt diligere, & pro nomine ipſius mortem oppetere. verſ. 60.

5. *Caterva*, id eſt, varii cœtus, *Improborum*, qui expertes juſtitiæ fidei, doctrinam quoque fidei adulterant, Phariſæorum, Sadducæorum, Ebionæorum, Samoſatenianorum, Arianorum, Neſtorianorum, Papiſtarum, &c. *ſpolia agunt ex corpore Eccleſiæ*, id eſt, leviſſimos quoſque, quos quævis aura doctrinæ, vel etiam terror aut cupiditas carnis ab agnita veritate tranſverſos agit, à corpore Eccleſiæ avellunt.

Cœtus juſtorum interim *Legem Dei non obliviſcitur.* ℣. 61.

6. Eccleſia verſatur in *nocte* Cognitionis, per Errorem & Impietatem; & Libertatis, per Tyrannidem. ℣. 62.

7. *In media* tamen *nocte ſurgit ad confitendum Deo de judiciis juſtis ipſius*, quæ obſervat & prædicat, oſtendens eorum juſtitiam ex verbo Dei. ℣. 62.

8. *Aſſociat ſe omnibus, qui timent Deum, & obſervantibus mandata ipſius*, atque ita ſecedit à cœtu improborum. verſ. 63.

9. *Impletur terra gratiâ Dei*, id eſt, tum beneficiis divinis cumulatur Eccleſia, tum etiam toto orbe ſe exſerit gratia Dei in converſione multorum electorum ex omnibus nationibus, atque adeo regnum gratiæ diffunditur per totum mundum verſ. 64. p. p.

Convenit huic tempori orare, ut *Deus nos condocefaciat ſtatuta ſua*, ut nomen ipſius in perpetuum per nos celebretur. ibid.

OCTASTICHON IX. ט.

1. DEus *facit bonum*, id eſt, promiſſum bonum, omnes ſcilicet benedictiones in cœleſtibus in Chriſto, perficit ac præſtat, *cum ſervo ſuo*, id eſt, cum Eccleſia redemta ad ſerviendum, non elementis mundi debilibus, non hominibus aut principibus nuncupativis, ſed Deo vivo, in libertate, *ſecundùm verbum ſuum*, nimirum verbum promiſſionis. verſ. 65.

2. Eccleſia, *quia præceptis Dei*, id eſt, iis, quæ præcepit per Moſen, Prophetas & Apoſtolos, *credidit*, petit & fructus fidei, ut ſcilicet *bonitatem judicii*, id eſt, ſenſum animi bonum, rectum judicium, rectum ἦθος, mores amabiles, quibus commendetur & quaſi ſaporem gratum habeat inter gentes, & *ſcientiam doceat ipſam.* verſ. 66.

3. *Errat* Eccleſia magnum *errorem*, quum illi, qui crediderant in Chriſtum, nimis tenaces fuerunt ceremoniarum legis. Unde factum, ut & pſeudoapoſtoli egrederentur Hieroſolymâ & gentium fidelibus ſuaderent, ut eaſdem ceremonias admitterent. Quæ cauſa fuit, ut & Apoſtoli, præſertim Paulus, cogeretur illis contra-

contradicere. Qui propter eam cauſam inſignem illam ad Hebræos Epiſtolam ſcripſit; per quam eos admonet, ut ad perfectionem contendant, quæ conſiſtit in uſu libertatis Euangelicæ, & plenitudine ſpei. verſ. 67.

4. Hæc aberratio non potuit tolli, niſi per *humiliationem* Eccleſiæ. Quæ facta eſt *amotione candelabri ex loco ſuo*, id eſt, politiæ Judaïcæ & urbis & templi ablatione de medio. Quâ re coacti ſunt Chriſtiani Synagogæ & templo ac cerimoniis valedicere. verſ. 67.

Poſt eam humiliationem didicit *obſervare dictum Dei*. Neque enim deinceps fuit dubitatum, quin Apoſtoli Pauli doctrina eſſet in hac etiam parte divina. Pauciſſimi remanſerunt, qui cum Chriſtianiſmo Judaïſmum retinerent. ℣. 67.

5. *Deus bonus eſt & beneficus.* verſ. 68.

Ab hoc tempore petit Eccleſia, ut Deus *ipſam condocefaciat ſtatuta ſua*, id eſt, ut vigeant ſemper apud eam Dei ſtatuta, non humana placita. ibid.

6. *Conſarcinant ſuper Eccleſiam*, ut jugum ipſi imponant, *mendacium Protervi*. nimirum 1. de iis, quæ per ſe ſunt indifferentia, leges condunt. Quæ leges ſunt mendacia. Et quum homines in talibus procederent ad Imperium, deinceps in talibus non ſubſtiterunt, ſed & de juſtitia & judicio perverſa locuti ſunt. Imò & eouſque progreſſi ſunt, ut peccata fieri imperarent, perverſas doctrinas Eccleſiæ propinantes, & veritatem anathematiſantes. verſ. 69.

Eccleſia contrà ea *depoſita Dei ex toto corde retinet*, & aſſerit. ibid. *Illorum cor tanquam adipe obeſatur*, id eſt, magis magiſque induratur contra veritatem; *Eccleſiâ legem Dei delicias faciente.* verſ. 70.

7. Deus animum præfractum & altos ſpiritus in ipſis veritatis diſcipulis edomat, ut ſubſidant, atque ad ſtatuta Dei dociles fiant. Quod fatetur Eccleſia verbis: *Bonum mihi, quòd depreſſus & humiliatus ſum, ut diſcam ſtatuta tua.* ℣. 71.

8. Eccleſia magnam jacturam facit bonorum temporalium, idque ut lege Dei & verbo ipſius, nemine impediente, liberè fruatur. Quod dicit: *Bonum mihi eſt doctrina oris tui præ millibus auri & argenti.* verſ. 72.

OCTASTICHON X. י.

1. EO ſtudium ſuum referunt ſinguli fideles, ut timentes Deum videant opus Dei in ipſis, & lætentur. verſ. 73. 74.

2. Deus per caſtigationem *humiliat Eccleſiam*, ſive facit ipſam עניה inopem & exhauſtam viribus, dum facit ipſam recognoſcere, ſuam ſapientiam, ſuas vires, ſuam juſtitiam, ſua facta nihil eſſe. Confitetur ergo Eccleſia, quòd *juſtitia ſint judicia Jehovæ*, id eſt, quòd ſint digna Deo facere in filiis ſuis, quos juſtificavit, ut in illis aboleatur vetus homo; quòdque *fideliter humiliaverit ſe*, cùm non ex ira, ſed ad ſalutem ipſam caſtigaverit. verſ. 75.

3. Deus pro eo, quòd Eccleſiam ſuam humiliaverit, *ipſam proſequitur gratiâ ſuâ, ad conſolandum ipſam*, idque *ſecundùm dictum ſuum ad ſervum ſuum*, id eſt, repræſentat ipſi bonum promiſſum, per ἀνάψυξιν, refrigerium. ℣. 76.

4. Cùm deinde mors ſecunda, ſive defectio à veritate agnita, paſſim invaleſceret, orat Eccleſia, *veniat ſibi miſericordia Dei & vivat*, id eſt, conſervetur in vita ſpirituali, ne à Diabolo vincatur, & ampliùs non ſit. *Legem enim Dei*, non temeraria dicta, *delicias ſuas eſſe.* ℣. 77.

5. *Protervi Eccleſiam per mendacium contorquent*, id eſt, 1. opprimunt, ne poſſint

poſſint pii erecti ſtare,& in via pietatis recto talo incedere. Ea oppreſſio ſæpe habet prætextum, verbi cauſâ, criminationem hæreſeôs, ſchiſmatis, rebellionis. Ea verò cauſa *falſa* eſt. 2. corrumpunt doctrinam converſationemque ac viam Chriſtianorum, eoſque vexant per lites, diſputationes ac damnationes injuſtas. Cujus contorſionis inſtrumentum eſt *mendacium*, ſive quicquid non fluit ex mandato Dei, eſtque præter illud. verſ. 78.

6. *Confunduntur Protervi*, dum fruſtra ſunt ipſorum conſilia & ſpes & doli & conatus; dum Eccleſiam in captivitate retinere non poſſunt, ſed ea, invitis ipſis, exit ex medio ipſorum, & à jugo ipſorum liberatur ac pace donatur, ut poſſit *meditari de mandatis Dei* apud Eccleſiam depoſitis, & de iis colloqui ſine perturbatione. ℣. 78.

7. Eccleſia, poſtquam ex Babylone exivit, & protervorum jugum excuſſit, iique pudefacti ſunt, ſperat, etiam multos adhuc pueros in Chriſto in Babylone ſupereſſe, qui *timeant Deum*, id eſt, Deum quærant, Chriſtum Dominum dicant, & in eo quærant inveniri, non habentes juſtitiam ſuam, ſed Dei; denique parati ſint credere omnibus, quæ in mandatis Dei continentur, & renunciare omni errori & mendacio, etiamſi quoſdam errores habeant pro veritate. Tales vocat *cognoſcentes*, ſive *recognoſcentes teſtificationes Dei*, eaſque in pretio habentes. Pro iiſque orat, ut à ſuis erroribus convertantur & *ad* veram *Eccleſiam redeant*. Et per conſequens, pro quibus orat, tales etiam invitat, ac talibus pandit oſtium. Petit etiam, ut *redeant* pro levibus paleis, quas hæc ventilatio abſtulit, veri fideles, converſi Spiritu Dei, ex gentibus, quæ Deum non norant. ℣. 79.

8. Denique piâ reſolutione decernit Eccleſia, *integrum facere cor ſuum in ſtatutis Dei*, id eſt, omne alienum & adventitium, quod non eſt ex ſtatutis Dei, à doctrina, ſermone, fide, factiſque removere, *ne pudefiat*. verſ. 80.

OCTASTICHON XI. כ.

1. VEteres pii enixo ac longo deſiderio contendunt ad *ſalvationem Dei*, quæ eſt Redemtio per ſanguinem Teſtamenti & effuſio Spiritûs Sancti ac datio Spiritûs Filiationis, conjuncta cum illuminatione gentium, & ſic regno ac hæreditate in mundo dandâ. Itaque Pſalmiſta: *Deficit ad ſalvationem tuam anima mea*; *ad verbum tuum*, Teſtamentum tuum & juramentum, *ſpero*. verſ. 81.

2. Poſtquam ſalus apparuit, luctus ingens fidelibus eſt, quòd nec Judæi in Chriſtum crederent, & gentes ei recalcitrarent, & deditâ operâ perirent, ac nomen Dei blaſphemarent. Igitur exſpectant *conſolationem*, *ſecundùm dictum Dei*, ſtantes in ſpecula ac præſtolantes regnum Dei & lætitiam pro mœroribus ac ægritudinibus ſatis diuturnis. *Defecerunt oculi mei ad dictum tuum: dicendo, Quando conſolaberis me?* verſ. 82.

3. Hunc luctum excipit æſtus tribulationis. Quo tempore maxima fuit in Eccleſia conſtantia in exercenda diſciplina & ædificatione ad pietatem. *Quum factus ſum ut uter in fumario*, exſuccus, macer, ater, *ſtatuta tua non ſum oblitus*. ℣. 83.

4. Recreatur interim Eccleſia, ſed paucis diebus, ita ut rurſus ingruant perſecutores alii, Deo differente judicium ſuum. *Quot ſunt dies ſervi tui? Quando facies in perſequentibus me judicium?* verſ. 84.

5. *Protervi, qui non ſunt ſecundùm verbum Dei*, adeoque ſunt hypocritæ, *fodiunt Eccleſiæ* foveas, in quas incidat, ut pereat, nec emergere poſſit.

Tales foveæ sunt Traditiones, ineptæ explicationes Scripturarum, omissio veritatis fundamentalis & tractationis prophetiæ, Dominatus, leges humanæ, sapientia carnalis, Tyrannis, Errores, Superstitiones, Idololatria, doctrina justitiæ. Omnia comparata ad generalem defectionem, & veritatis cognitionem ac professionem excludendam. Hierarchia, quam homines necessariam putant ad unitatem & puritatem Ecclesiæ, est inter foveas, quibus capitur & illaqueatur. Quando enim certis hominibus traditur judicium, (sive unus sit, sive plures) ita ut id abdicet Ecclesia, neque luctus sit communis propter peccata eorum, qui vocantur fratres; & ii habeantur pro non-fratribus, quos illi homines non dignos eo honore judicaverint. propter ipsorum sententiam: porrò etiam consequens est, ut ea doctrina approbetur, quam illi approbant. Quum autem doctrina approbatur vel improbatur ex sententia hominis, is assensus fidei non est. Fides enim divinam testificationem sequitur & in eam propriè fertur. Rursus, quando falsa doctrina proponitur tanquam lex, si eam legem sequor, fio apostata; si non sequor, incido in persecutionem. Laqueus igitur & fovea est omnis principatus in Ecclesia, omnis jurisdictio, omne imperium, omnis humana legislatio.

6. Apostatæ *persequuntur pios falso* crimine, quasi abnegarent veritatem; quum tamen illi profiteantur, *omnia præcepta Dei* vera esse & *fide* digna. Proinde orant *Dei auxilium*, ne devorentur & exstirpentur: contrà exeant & effugiant manus illorum. vers. 86.

Quemadmodum & Ecclesiæ datum est, fractis Antichristi laqueis, tutò congregari.

7. Diminutio summa Ecclesiæ libertatæ. *Propemodùm confecerunt me in terra*, ut parum mei reliquum sit in mundo. vers. 87. p. p.

Atque in hoc discrimine constituta Ecclesia testatur fidem suam. *At ego non deserui mandata tua*, ut aliam legem audirem, admitterem, adoptarem. vers. 87. p. a. Confer Apoc. 3 : 8.

Tandem etiam vivificationem à Deo petit, & observantiam promittit. *Secundùm gratiam tuam vivifica me: & servabo testificationem oris tui.*

OCTASTICHON XII. ל.

1. Ecclesia glorificat Deum ob Verbum ipsius constabilitum in cœlis. *In seculum, Jehova, verbum tuum stat in cœlis.* Sensus: Quum Filius tuus ascenderit in cœlum, qui est Verbum illud æternum, Verbum tuum, id est, Euangelium, sceptrum regni tui, summam obtinet auctoritatem, agnitum, quòd sit verbum, non hominum, sed Dei, & imperat in tota terra, non in una gente tantùm, subjicitque sibi totum mundum & omnes hostes suos pessumdat. ℣. 89.

2. Ob fidelitatem exercitam constabilitione *terræ*. *In ætatem & ætatem est fidelitas tua: fixisti terram & stat*, id est, agnosco fidelitatem tuam nullis ætatum lapsibus labefactatam. Regnum tuum in mundo propagasti, homines à vanitatibus, ab idolis, à peccatis ad te convertisti &c. vers. 90.

3. Ob conservationem novi cœli ac terræ per judicia Dei. *Ob judicia tua*, quæ exerces per afflictiones, *stant hodieque*, tum cœlum novum, quatenus Filius Dei tanquam Rex in eo, tanquam throno, stat, depositis & exutis tribus illis pastoribus,

bus, qui tanquam ſidera Dei antè fuerant; tum terra nova, quatenus tum pſeudoapoſtoli, qui ex populo Dei libero populum ſervum falſorum doctorum & doctrinæ dæmoniorum facere ſatagunt, tum inſinceri, tanquam leves paleæ à frumento, per eas afflictiones, ceu ventilabrum quoddam, ſeparantur. Ratio: *Quia omnes ſunt ſervi ipſius*, id eſt, quia ipſius eſt regnum, non Satanæ, non hominum. verſ. 91.

4. Ob recreationem in afflictione & inopia. *Niſi lex tua oblectamentum meum fuiſſet, tum periiſſem in afflictione mea.* verſ. 92.

5. Ob vivificationem ſui per verbum Dei, additâ promiſſione memoriæ perpetuæ. *In ſæculum non obliviſcar mandata tua. Nam per ea vivificaſti me*, atque ita effectum eſt, ut in foveas iſtas (ſuprà verſ. 85.) non inciderim, atque ita mortem ſpiritualem effugerim. verſ. 93.

6. Nec tantùm Deus fideles ex morte peccati, ſeductionis & erroris eripuit, verùm etiam procedente vi perſecutionis *ſervavit* orantes verbis, quæ præivit Spiritus. *Tuus ſum*, redemtus à te, ac tuas partes ſequens, tibique credens. *Serva me. Nam mandata tua curo.* verſ. 94.

7. Improbi nihilominùs deſiderium perdendi & exſtirpandæ fidei conſilium non deponunt, ſed *exſpectant* omnes opportunitates, parati in horam, in diem, in menſem, in annum, *ad perdendum fideles*, id eſt, ut illos vel exſcindant, vel ſaltem fide & juſtitiâ Dei privent per ſeductionem. verſ. 95. p. p.

Eccleſia interim *teſtimonia Dei conſiderat.* ibid. p. a.

8. Atque etiam latitudinem præcepti divini omnibus commendat: *Omni perfectioni vidi finem: latum eſt præceptum tuum valde*, id eſt, omnia in eo continentur, quæ ad ſapientiam & prudentiam ſpiritualem & ſalutarem pertinent. Id præceptum Chriſtus edixit Joh. 15:12. Confer 1 Joh. 3:23. Eſt igitur & fidelium ad veram ſapientiam ac prudentiam proficere; præceptis autem reliquis, quæ ſunt humanæ adinventionis, valedicere. verſ. 96.

OCTASTICHON XIII. ם.

1. DEus ſuam doctrinam patefacit, & tanquam magiſter publicè præſidet, docens non tantùm ad notitiam, ſed etiam ad amorem ſui. Qui amor non ſit languidus, ſed habeat vivos effectus, nimirum ut hominem totum occupet, ut, ſive ſolus ſit, ſive cum aliis, indeſinenter doctrinam Dei tractet. *Quàm diligo legem tuam! Toto die illa eſt meditatio mea* (vel *colloquium meum.*) verſ. 97.

2. Diſcipuli Chriſti in omne momentum præceptionibus, id eſt, non tantùm verbo ſcripto, ſed & compellationibus Spiritûs Sancti inſtincti atque eruditi, fiunt ſapientiores inimicis ſuis Judæis ac Pſeudoapoſtolis, & Philoſophis Magiſque. Itaque impletum eſt, quod dicitur: *Præ inimicis meis ſapientem me faciunt præceptiones tuæ. Nam hoc*, nempe ductus tuus aſſiduus, & perpetua compellatio atque præceptio, *mihi ſemper obtingit.* verſ. 98.

Legantur Acta.

Accedebat & hoc magis vulgatum Eccleſiæ beneficium per verbum, quòd, *quia teſtificationes Dei ipſi eſſent meditatio, præ omnibus docentibus ſe*, id eſt, Pædagogis, ſub quibus hactenus in pueritia fuerat, quique ipſi quotidie legem κατηχῶντες ſine magna efficacia occinebant, *proficeret*, cognitione, lætitiâ & felicitate, ſive

 incre-

incremento & propagatione doctrinæ, idque propter majorem ſpiritûs comitantis efficaciam & perſuaſionem. verſ. 99.

3. *Plebs, mandata Dei retinens, præ Senioribus ſuis*, id eſt, Rectoribus populi Chriſtiani, Epiſcopis, *prudentes fuerunt*, vel *prudentiâ uſi ſunt*, in veritate à falſitate diſcernenda, illis ſeſe ſuâ ſapientiâ in exitium præcipitantibus. verſ. 100.

Extant etiam exempla in hiſtoria Eccleſiaſtica, ubi populus fuit retinentior depoſitorum Dei, & in veritate à falſitate diſcernenda prudentior ipſis Epiſcopis, etiam in Synodum collectis: &, quod aliquando dictum eſt, *Sanctiores fuerunt aures populi, quàm lingua Epiſcopi.* Sed & tum maximè, quando ſeniores voluerunt eſſe pædagogi, & inſtituerunt hierarchiam & thronum beſtiæ introduxerunt in Eccleſiam, prudentiores fuerunt plebeji, qui beſtiam ab Eccleſia diſtinxerunt, & ſignaturam Beſtiæ non receperunt, atque etiam prudentiam in ſe majorem, quàm in Epiſcopis deprehenderunt, de qua Deo gratias egerunt.

4. Sunt, qui deviant à verbo primitùs audito, atque aliud verbum eligunt. Quod verbum aliud ſive adverſum ſive diverſum ſit, aliud *iter* commonſtrat. Quod cùm ſit diverſum ab itinere illo bono & unico, quod in Sacra Scriptura monſtratur, *malum* ſit, neceſſe eſt. Atque adeò invaleſcit Apoſtaſia.

Sunt rurſus, qui *ab omni itinere malo abſtinent pedes ſuos, ut ſervent verbum Dei*, ſicque abſtinent à communione Apoſtaſiæ. ℣. 101.

5. Atque etiam *judicia Dei*, relictis humanis, conſtituant in Eccleſia. verſ. 102. Confer verſ. 30.

6. Sunt etiam poſtea, qui *à judiciis Dei* in Eccleſia Reformata conſtitutis, *diſcedant*, ad contraria ſcilicet judicia, humani tribunalis, ſecundùm proſopolepſian humanam, & falſæ doctrinæ hypotheſes. verſ. 102.

Eccleſiâ interim *à judiciis Dei non diſcedente, quia* ſcilicet *Deus ipſam docuerit* in verbo ſuo. ibid.

7. Tempus adeſt, quo, apertis ſeptem ſigillis, liber decretorum Dei, hoc eſt, prophetia pandatur, & Eccleſia, tanquam cibo ſpirituali, eo cibetur, & cum ſumma voluptate veſcatur. Apoc. 10:10. Unde teſtatur: *Quàm ſuavia ſunt palato meo dictum tuum. Præ melle ſunt ori meo.* verſ. 103.

8. Plenè inſtruitur Eccleſia ex verbo Dei ad odium omnis viæ malæ. *Ex mandatis tuis intelligo* (vel *prudenter dijudico.*) *Idcirco odi omne iter falſitatis.* verſ. 104.

Deus faxit, nos illam vocem verè ex ore omnium membrorum Eccleſiæ jam adhuc multis in partibus errantium audire.

OCTASTICHON XIV. נ.

1. Eccleſia prædicat illuminationem divinam, umbris Veteris Teſtamenti diſparentibus, ut jam nulla in verbo Dei obſcuritas ſit relicta, ſit autem primò ut *Lucerna pedi noſtro*, dum ex tenebris enitimur: ſecundò *Lux viæ noſtræ compendiariæ*, dum in via vera ambulamus, conſcientiam noſtram tranquillans, ut ſciamus, nos in via bona eſſe, & quò eamus, & quò perventuri ſimus. verſ. 105.

Id eſt verbum Novi Teſtamenti, quod Chriſtus locutus eſt primus, & quidem locutus eſt, ut *Iehova*, plenitudinem virtutis nominis ſui demonſtrans.

2. Ec-

2. Eccleſia ei, cujus verbum audivit, quod ob claritatem deprædicavit, jurat, ut regi & Deo ſuo, quòd *ſervatura eſſet judicia juſtitiæ ejus*, id eſt, quòd ita judicatura ſit, quemadmodum ipſe judicaverat, ac diſtinctura fratres à non-fratribus, ut ipſe diſtinguit, non ſecundùm aſpectum oculorum, aut ullam prærogativam carnis, neque ſecundùm audita aurium, ex Eſ. 11:3.4. *Jurat* autem Eccleſia Chriſto primò per ſerium propoſitum; ſecundò per propoſiti illius profeſſionem: quæ fit in ſuſcipiendis Eccleſiæ ſacramentis. Atque etiam illud juramentum ſive votum ſe *impleviſſe* teſtatur Eccleſia, id eſt, ſe id ſibi promiſiſſe in plenitudine ſpei in poſterum. Non enim jurat quippiam Eccleſia implendum à ſe ipſa: Sed quicquid promittit Deo, à gratia ipſius promittit & à ſanctificatione Dei, quam ſe expertam teſtatur. ℣. 106.

3. *Infirmatur* Eccleſia *valde*. Perſecutio notatur. Igitur orat, *Deus eam vivificet ſecundùm verbum ſuum*, id eſt, confirmet & roboret, ne abjiciat aſſenſionem ſpei, ne ab ipſo deficiat: tum conſoletur ipſam & lætificet ac faciat triumphare de hoſtibus ſuis. verſ. 107.

4. Eccleſia contra hoſtes veritatem defendit confeſſione ingenuâ & liberali, quam Deo offert in Chriſto, petitque, ut Deus eam gratam habeat, ut donet ipſi, quod petit: tum etiam ut regat ipſam Spiritu ſuo, ut vigeant in ipſa judicia ſecundùm veritatem Euangelii, non judicia hypocriſeôs ſecundùm legem injuſtitiæ. *Sponſiones oris mei gratas habe, Jehova, & judicia tua doce me.* ℣. 108.

5. Eò res deducta, ut verbum fidei ſine periculo vitæ dici non potuerit. *Anima mea in manu mea ſemper.* Quotidiana pericula ſignificantur.

Conſtat, iis temporibus pios coactos fuiſſe confugere ad latebras, ad montes & inhoſpita teſqua, ad luſtra ferarum: deprehenſos autem occiſos fuiſſe confertim.

Neque hìc *legem Dei ſunt obliti* fideles. verſ. 109.

6. Poſt perſecutiones, liberam confeſſionem Chriſti, quotidiana pericula eſt *laqueus ab Improbis poſitus*. Intellige ſpecioſas errorum defenſiones, ſcandala pravorum dogmatum ſeminata in Eccleſia; ſpeciem conciliationis; diſſimulatas perſecutiones ſub alio colore. Huc pertinet admonitio Apoc. 14:9. 18:4.

Eccleſia *à mandatis Chriſti non aberrat.* verſ. 110.

7. Tandem etiam Eccleſia *hæreditat teſtimonia Dei in ſæculum*, id eſt, obtinet poſſeſſionem verbi Dei non perturbandam, ſed ad omne tempus retinendam. Medium victoriæ hujus, *quia per ea exhilaratur* & ad alacritatem incitatur in difficultatibus. verſ. 111.

Tum etiam *inclinat cor ſuum ad faciendum ſtatuta Dei in ſæculum.* verſ. 112.

OCTASTICHON XV. ס.

1. CHriſtus homines *ancipites*, δίψυχους, ὑποκριτὰς *odit*, quales Judæi, quorum tota religio eſt hypocriſis. Nam eligunt partem divinæ legis, cupientes εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκὶ, Gal. 6:12. partem verò meliorem omittunt. Unde & Chriſtus, cùm diſceptationem inſtituit cum Judæis, plerumque eos nominat ὑποκριτὰς, ſimulatores. Contrà Chriſtus, ut & Pſalmus 40. oſtendit, *diligit legem Dei.* Idem ſenſus in ovibus Chriſti fuit. verſ. 113.

2. Eccleſia ſe Deo, *ut latebra & clypeo* committit, qui eam defendat ab omni accuſatione & condemnatione, cùm apud ipſum ſit Angelus Teſtamenti, non tan-

tantùm ut sponsor, sed etiam ut sacerdos oblatione suâ perfunctus & advocatus sive intercessor. Confer Rom. 8: 32—34. Tum etiam *sperat ad verbum Dei*, id est, verbum Dei libenter audit, & cum patientia, sperans se ex eo sapientem fore ad salutem: deinde & exspectat cum patientia, quæ ipsi promisit Deus in verbo suo. vers. 114.

3. Judæi Christianos retrahunt ad deos nominatos, Gentes ad falsos. Ecclesia utrisque nuntium mittit, verbis: *Recedite à me malefici, & servabo præcepta Dei mei.* vers. 115.

4. Pestilentiâ hæreseos & Bestiâ secundâ invalescente, petit Ecclesia: *Tene me, secundùm dictum tuum, & vivam*, ne in mortem secundam, sive apostasiam à Christo, incidam: *& ne finas me cum pudore excidere spe meâ*, spe scilicet hæreditatis mundi & vitæ æternæ in regno Christi consequendæ. ℣. 116.

5. Tantùm non succumbit Ecclesia, dum apostasia ad summum culmen proficit, dum Bestia sanctos vincit & opprimit. Orat igitur: *Fulci me & salvabor; & respiciam ad statuta semper*, charagma autem Bestiæ non recipiam. ℣. 117.

6. *Calcantur*, sive deprimuntur ac in solum dejiciuntur, *omnes aberrantes à statutis Dei*, qui se in cœlum extulerant. Dum scilicet larva illis detrahitur, & apparet, *mendacium ipsorum esse in fraude*, id est, sub extrema professione nominis Christi & cortice verborum ejus tectum & occultatum. vers. 118.

Intelligitur hic non tantùm Imminutio auctoritatis apud pios, sed etiam Coërcitio tyrannidis. Exemplum est in Carolo V. Philippo II. Henrico II. Carolo IX. Henrico III. Maria Angliæ & Maria Scotiæ regina: qui coacti sunt dare pacem Ecclesiæ.

7. Repurgatur Ecclesia ab Improbis corrumpentibus doctrinam & ordinem divinum, per Dei castigationes, partim per judicia Ecclesiæ exercita secundùm verbum Dei. Quod dicitur: *Scorias abolevisti omnes Improbos terræ. Ideò diligo testificationes tuas.* vers. 119.

8. Deus judicat horribiliter hostes suos *Horret à pavore tui caro mea, & judicia tua timeo.* ℣. 120. Hæc ogdoas valde illustris est. Vide CL. COCCEJUM ad h. l.

OCTASTICHON XVI. ע.

1. CHristo per mortem ad gloriam suam abeunte, hæc convenit credentibus oratio: *Feci judicium*, dum Ancipites odi, *& justitiam*, dum legem tuam dilexi, (ex vers. 113.) sed sunt, qui me ut Iniquum & Injustum damnant & in judicium rapiunt, nimirum isti Ancipites. Tu abis à nobis; sed *ne deseras nos fraudatoribus nostris.* scilicet secundùm promissionem, Matth. 10: 16. Joh. 14: 18. vers. 121.

2. Dum Ecclesia egressa Hierosolymâ terrestri in mundum fugit, quærens locum præparatum, in quo nutriretur, Judæi indurantur & abjiciuntur. Gentes omnibus modis repugnant, neque apparet *salus* utrorumque tam plena, tam lata, quàm quidem exspectaverat. Igitur verbis prophetiæ Ecclesia intercedit pro se. *In fidem tuam suscipe servum tuum in bonum, ne me opprimant protervi*, id est, Tu, qui in cœlum ascendisti, ut apud Patrem pro me intercederes, Tu, inquam, siste te patronum meum, & asseras causam meam, apud thronum Patris hoc postula, ut Diabolus privetur regno suo, quod habet in mundo. vers. 122. Additur instantia à longa exspectatione. *Oculi mei deficiunt ad salutem tuam & ad dictum justitiæ*

juſtitiæ tuum. verſ. 123. Continuantur duæ Periodi. Perſecutio Judæorum in prima Euangelii prædicatione, & Gentium, deſtructâ Hieroſolymâ.

3. Falſis prophetis alium Deum & alium Chriſtum Eccleſiæ obtrudentibus, orat Eccleſia: *Fac cum ſervo tuo ſecundùm gratiam tuam*, id eſt, da nobis patrare opus, in quo verſamur, quod eſt ædificare regnum tuum & gentes convertere; *& ſtatuta tua doce me*, meque ſerva liberam à ſtatutis hominum. ℣. 124.

Præterea petit doceri *prudentiam ad internoſcendum teſtimonia Dei* ab illis, quæ non habent divinam auctoritatem. verſ. 125.

4. Eccleſia poſitis calculis concludit, jam *tempus* divinæ patientiæ, quod indulſerat Jezabeli, ut reſipiſceret, finitum eſſe, jamque opportunum eſſe, *ut Deus faciat* ſive peragat, quæ acturum ſe antè per Prophetas ſuos locutus eſt; quandoquidem *legem Dei irritam fecerint*, & legem juſtitiæ veræ, cui obediendo fœdus contrahitur cum Deo, cum lege juſtitiæ falſæ commutaverint, & hanc imperent omnibus, illam verò anathemate feriant ac damnent. ℣. 126.

> Habuit Eccleſia hujus rei occaſionem, quando Tridentini juſtitiam fidei anathemate notarunt, & legem juſtitiæ in operibus tulerunt. Neque hi tamen ſoli hujus culpæ rei ſunt. Nam & Sociniani, & qui ipſis favent, in eodem hærent luto.

5. Effectus judicii, ſuprà verſ. 119. deſcripti, Amor præcepti divini præ omnibus opibus mundi. *Propterea* (quia ſcilicet ſcorias abſtuliſti Improbos terræ,) *diligo præcepta tua præ auro, eoque ſolidiſſimo.* verſ. 127.

6. Effectus judicii, ſuprà verſ. 120. expoſiti, Rectificatio ſive ὀρθοτομία mandatorum omnium Dei de omnibus rebus; & averſatio omnis viæ falſitatis. *Propterea omnia mandata omnium rectificavi*, id eſt, omnia mandata omnium examuſſim comparavi & inter ſe compoſui, ut in illis harmonia, concordia & congruentia noſcatur. Cum recto omnia comparavi. Omnia depoſita ad æternam veritatem, ad nomen Dei, ad fundamentum exegi, & rectitudinem, quæ in omnibus ineſt, in apertum produxi. Atque ita verum à falſo diſtinxi, dum deprehendi, aliud dictum cum veritate, cum recto convenire, aliud autem cum eo non convenire, neque ex eo eſſe. Fundamentum hujus explicationis eſt in loco 1 Reg. 6: 35. De falſo dicit: *Omne iter falſitatis odi.* Illud autem eſt gloriatio in non-deo; quæſtio non-bona, electio ejus, quod homine ac Deo indignum eſt. verſ. 128.

> Poteſt etiam verſus hicce ſic legi, *Propter Hoc, propter Hoc*, illud ſcilicet, quod Deus facturus eſt, quod quidem prophetia non exprimit, ſed piis ac fidelibus ſuo tempore ſit clarum ac notum.

OCTASTICHON XVII. פ.

1. Deus apparens in carne id verbum profert, quod continet myſteria incomprehenſibilia, quæ utut promiſſa, nunquam fuerint narrata vel audita. Igitur laudantur *divinæ teſtificationes*, quarum ſcilicet veritas Deo teſte comprobata eſt, ab eo, quòd *ſint mirabiles*. Nam quid admirabilius, quàm Deum fieri hominem, peccatum, exſecrationem, ut fiat homini peccatori ſalus, juſtitia, Deus? Ac teſtatur Eccleſia, quæ in Chriſto veritatem Dei & mirabilia ejus viderat, *ſe illas retinere animâ ſuâ*, id eſt, teſtificationes Dei de iis ſummo cum ardore & cum jucunditate ſumma accepiſſe, neque voluptatem alibi quæſiviſſe. ℣. 129.

2. *Claritas verborum Dei* in primitiva Eccleſia ad hoc comparata, ut etiam *fatui*,

tui, qui antè idolorum ſacerdotibus & philoſophis crediderant, ea intelligerent & vera eſſe agnoſcerent & crederent. verſ. 130.

3. Chriſtiani, relictâ Hieroſolymâ & omnibus bonis terræ, in mediis perſecutionibus quaſi in æſtu torrente conſtituti, *os ſuum aperiunt & anhelant*, ut *præceptionibus Dei* ſatietur anima ſua, teſtantes, ſe verum cibum vidiſſe, ſe ſanos eſſe & rectum appetitum habere. verſ. 131.

4. Fideles *ſecundùm jus diligentium nomen Dei*, quod habent apud Deum ſe gerendi pro filiis, & omnia ſibi donata reputandi, orant Deum, ut *reſpiciat ad ſe*, *& gratioſus ſit ſibi*, & hæreditatem gentium repræſentet. verſ. 132.

5. *Vanitas*, id eſt, id, quod loco Dei amatur, & in auctoritate ac fide eſt, non-Deus, is, qui in templo Dei ſedet ut Deus, tum falſa doctrina, quæ non eſt ad pietatem, ſed ad interitum, *dominatur* ſpiritualiter, ſeductione; corporaliter, tyrannide. verſ. 133.

In hoc ſtatu petit Eccleſia conſervationem à malo. *Veſtigia mea fac certa in dicto tuo, & ne permittas in me dominari ullam vanitatem.* verſ. 133.

6. Eccleſia *redimitur ab oppreſſione Hominis*, illius nempe, qui in negotio conſcientiæ ſtatuebat homines coram ſe, ut judice, tanquam qui accepiſſet poteſtatem docendi. Igitur *ſervat mandata Dei*. verſ. 134.

• 7. Deus avertit faciem ſuam ab Eccleſia, quòd non obſervaret ſtatuta ſua. Igitur orat: *Faciem tuam illumina erga ſervum tuum*, ſereniore vultu me aſpice, *& doce me ſtatuta tua*. verſ. 135.

8. Conqueritur etiam de neglectu legis Dei, teſtans eo ipſo deſiderium regni Chriſti & hæreditatis mundi in communione ſanctorum. ℣. 136.

OCTASTICHON XVIII. צ.

1. DEus apparet *juſtus*, & rectè ac decenter juſtificans peccatorem propter meritum & obedientiam Chriſti; *& apparent judicia ipſius*, quibus Judæos induravit & à facie ſua abjecit, humiles verò & fideles recreavit, *recta*. ℣. 137.

Deinde & *præcipit Deus juſtitiam teſtificationum ſuarum*, id eſt, accuratiſſimè præcipit juſtitiam, quæ juſtos conſtituit peccatores apud Deum, & oſtendit, eam juſtitiam in teſtificationibus ſuis contineri, alibi verò non reperiri. ℣. 138.

Quibus poſitis, ſequitur, primum juſtum, rectum & bonum opus peccatoris eſſe, eam juſtitiam credere, eamque ſeriò velle habere ſive ſitire ac eſurire. Quod dicitur, Præcepiſti juſtitiam, *& fidem* valde. verſ. 138.

2. *Zelus* fidelium, ſive fragrantiſſimus affectus, regnum Dei propagandi, juſtitiam Dei aſſerendi, falſam verò deſtruendi, ac confutandi errores, excitat perſecutiones *hoſtium*, primò Judæorum, deinde & gentilium. ℣. 139.

3. Sunt dein, qui pernicioſas hæreſes introducant. Ii omnes ex verbo Dei deprehenſi & damnati ſunt. *Purum* enim *eſt dictum Dei admodum*, nihil habens adulterini admixtum, neque ullo modo patrocinans mendacio. ℣. 140.

Oſtendit etiam hic verſus Eccleſiæ amorem erga verbum Dei. *Et ſervus tuus illud amat*, nihil habet carius, & omne hominum dictum præ illo aſpernatur.

4. Eccleſia ad *parvitatem* & *contemtum* redigitur, in confirmata tyrannide Antichriſti. ℣. 141. •

5. Confitetur Eccleſia Euangelica contra Antichriſtum, juſtificationis, quæ ſit per fidem in Chriſtum, irrevocabilitatem, ut contrà juſtitia operum ſit imperfecta

fecta & incerta: deinde ſolius doctrinæ Dei veritatem in oppoſitione doctrinæ hominum omniumque traditionum. *Juſtitia tua eſt juſtitia perpetua, & lex tua eſt veritas.* verſ. 142. Ita conjunguntur fundamentum & principium.

Pontificii juſtitiam Dei negant eſſe perpetuam. Putant enim eam amitti poſſe, & credentibus neceſſarium eſſe ſacrificium quotidianum, quod offeratur pro peccatis ipſorum, & meritum proprium, & ſatisfactiones, & alias cauſas juſtificationis.

6. Sequitur confeſſionem perſecutio. *Arctum & coarctatio*, talis, unde exitus non apparet, *occurrunt Eccleſiæ.* verſ. 143.

Hicque *præcepta Dei ſunt oblectamenta ejus.* ibid.

7. Eccleſiæ ultima & fixa ſententia, eorumque, qui ex ſpiritualiter mortuis reſurgent, confeſſio exponitur: *Juſtitia teſtimoniorum tuorum eſt in ſæculum.* Juſtitia Euangelii eſt æterna juſtitia. Itaque demonſtrabitur hujus ſententiæ veritas ultimo tempore in regni Dei vindicatione & mundi ſubjectione. ỳ. 144.

Petit denique Eccleſia *ſe erudiri* ad veram prudentiam, *ut vivat*, id eſt, ut verè in Deo vivat, ipſum amet, in ipſo delicietur, ſanus ſit in omnibus cogitationibus, ſermonibus, converſatione, ut & alios ad Deum convertat, ac tandem æternorum gaudiorum ſatietatem in conſpectu Dei conſequatur. ibid.

OCTASTICHON XIX. ק

1. PIi Veteris Teſtamenti, deſiderantes adventum Chriſti, orant: *Vocavi toto corde. Reſponde mihi, Jehova.* q. d. Dic mihi, Adſum. (ex Job. 38:35.) *Statuta tua cuſtodiam*, nempe fidem & charitatem. ỳ. 145.

2. Auditis *teſtimoniis Dei*, ſive Chriſto, *τοῦ μάρτυρος τοῦ πιστοῦ*, qui omnem voluntatem Dei ediſſeruit, viſo & audito, eodemque mortuo & ad cœlos evecto, fidelibus aggredientibus prædicare Euangelium omni creaturæ neceſſaria erat *imploratio Dei*, ut induerentur virtute ex alto; & quia ipſis imminebant graviſſimi conflictus à Judæis & gentibus, ut Deus ipſos *ſalvaret* ex iis. *Vocavi te: Serva me; & ſervabo teſtimonia tua.* verſ. 146.

3. Quum deinde Eccleſia verſaretur in maximo & præſentiſſimo periculo, ac præ foribus eſſet Antichriſtus, & myſterium iniquitatis operaretur, ſicque reverâ immineret nox, tum & *in crepuſculo* illo veſpertino *prævertit & imploravit, ad verbum Dei*, & ἐπαγγελμάτων promiſſorum ejus, *ſperans.* verſ. 147.

4. Quumque exinde in ipſa nocte verſaretur Eccleſia, creſcente principatu in Eccleſia, mox incumbentibus plagis ingentibus in Imperium Romanum, gentibus barbaris in id effuſis, in alia parte Sarracenicâ dominatione & aberratione proveniente, alibi Antichriſtianâ defectione ac tyrannide, hactenus Eccleſia in iſta nocte ad ortum Phoſphori anhelavit, narrans, *prævertiſſe oculos ſuos vigilias, ut* interim, dum adveniat dies, *loquatur de dictis Dei*, quod & quale tempus regni Eccleſiæ Spiritus Sanctus in iis deſignaret. ỳ. 148.

5. Quum deinde alii gloriarentur de meritis, Eccleſia *implorat gratiam*, præſertim cùm ira atque excandeſcentia Dei in homines, qui amorem veritatis non receperant, ut ſalvarentur, magis magiſque pateſceret. Quumque in multos invaleſceret mors ſecunda, fidei fuit à gratia expetere *vivificationem*, id eſt, conſervationem regni Chriſti & populi Dei & ſingulorum in vita ſpirituali, & conſolationem lugentium & in anguſtia verſantium. Idque *ſecundum judicia Dei*, hoc eſt,

1. secundùm sententias, quas Deus in verbo suo tulit, qualis est 2 Thess. 1: 5.6.7. 2. secundùm potestatem, quam dedit Filio suo. 3. secundùm judicium, quo condemnatum est peccatum, & princeps salutis justificatus, & ipsi omnes petitiones addictæ sunt. vers. 149.

6. Mox *persecutores scelerati*, qui quum sciant, quòd, qui talia faciunt, sint digni morte, tamen & ea faciunt, & condelectantur facientibus, *accedunt*, impetum faciunt: *qui à Lege Dei longè recesserunt*, aliam justitiam, aliud verbum substituentes. vers. 150. Hæc sunt tam emphatica, ut videantur ob oculos ponere egressionem multi & magni exercitûs, qui impetum faciat in innoxios. quemadmodum Apocalypsis dicit de Equestri illo exercitu, cap. 9. & de regibus in bellum congregatis, & Gogi ac Magogi turbis, civitatem sanctam & castra sanctorum obsidentibus, cap. 20: 8. 9.

7. Signis à Christo indicatis jam extantibus, incipit Ecclesia videre, *ipsum esse propinquum*, & ante fores, cum regno suo, quum scilicet se præsentem, ad eripiendum eam ex manu scelerate persequentium, incipit ostendere. Et se meritò expectare dicit adventum Christi. Ipsum enim oportere regnare: *Quia præcepta ejus sint veritas*, sive nitantur veritate. Dominationem autem hominum oportere interire: quia præcepta hominum sint mendacium, hoc est, falsam rationem ac fundamentum habeant. ℣. 151.

8. Tandem etiam docet, *testificationes Dei in sæculum fundatas esse*, in summa mansuras auctoritate, Verbum autem hominum interiturum & veritati cessurum esse. ℣. 152.

OCTASTICHON XX. ר.

1. PIi Veteris Testamenti petunt se liberos fieri à jugo dominantium, puta principum prioris sæculi, & omnibus vinculis, reatu, servitute, metu, siti, quibus intricati atque implicati, vel potiùs inclusi erant. Veni, de cœlo descende, *vide* & experire *afflictionem meam*, *& libera me*. Ratio, quæ additur, est accommodatissima: Quòd *legis ipsius non sit oblitus*, id est, quòd doctrinam, quæ monstrat viam justitiæ, ex ore ejus auditam ad montem Sinai, non abjecerit ex animo & memoria sua. vers. 153.

2. Pseudoapostoli, ut & Judæi blasphemi, & Gentiles persequentes, Ecclesiæ Christianæ, jam à jugo & lege iram operante liberatæ, & Spiritu promissionis sancto, qui est Spiritus filiationis ac libertatis, donatæ, se opponunt; illi oppugnantes libertatem, hi regno resistentes. Hic igitur tria à Christo liberatore petit. 1. ut *agat causam ipsius* contra adversarios, id est, ut ei det apertionem oris, ut possit loqui, quemadmodum oportet, ad mundum redarguendum de peccato, de justitia ac judicio. 2. ut eam *asserat*, id est, ostendat adversariis, rem suam & peculium suum, atque etiam causam suam ab ipsis impugnari. 3. petit se *vivificari*, hoc est, in vita conservari, ne intereat; tum corroborari ad opus Dei; denique & exhilarari. Idque *secundùm dictum Dei*. Promisit enim Deus, se fideles vivificaturum. vers. 154.

3. *Improbi*, id est, Judæi refractarii contra prædicationem justitiæ Dei, *elongantur à salute*, id est, à fonte salutis Christo, à justitia, à gratia Dei, ideoque ab omnibus benedictionibus Dei. Traditi enim illi in manum interfectoris, & disjecti inter gentes, reprobati à Deo. Ratio: *Quia statuta Dei non curarunt*, id

id eſt, non attenderunt iis, quæ Deus in lege & Prophetis ita deſcripſit ac definivit, ut nihil illis addi demive poſſit. verſ. 155.

4. Eodem tempore, quum Judæi à ſalute elongarentur, atque etiam poſtea patuit *miſericordiæ divinæ amplitudo*, quæ miſeras gentes in tota habitabili ac in toto mundo amplexa eſt, Euangelio magis magiſque increbeſcente in gentibus, quæ idola deſeruerunt ad fidem converſæ. verſ. 156. p. p.

5. Diabolus ſatagit omnibus modis homines in morte retinere, & in mortem præcipitare. Ideoque Eccleſia conſiderat Dei *judicia*, nimirum juſtum eſſe apud Deum, ut fidentibus ipſi det refrigerium, perſecutores autem coërceat. Et *ſecundum hæc* ſe petit *vivificari*. verſ. 156.

6. *Multi perſecutores & hoſtes* hoc agunt, ut Eccleſia *à teſtificationibus Dei recederet*. Quorum tamen perſecutionibus & minis non ceſſit. verſ. 157. Hi externi hoſtes.

7. Rurſus cogitur *rixari cum perfidis* & fallacibus, qui, cùm fratres appellentur, & verba quædam fœderis cum diſcipulis Dei in ore habeant, tamen *non obſervant dictum Dei*, ſed veritatem produnt, mendacium ſub bonis verbis tegunt, & veris dictis falſa admiſcent. verſ. 158. Hi ſunt hoſtes domeſtici Eccleſiæ.

8. Magnâ quâdam affictione probatur Eccleſia, an *mandata Dei amet*, omniaque ſit parata relinquere ob regnum Dei, ejuſque verbi veritatem. Igitur ſe excutit Eccleſia, & coram Deo teſtatur, ſe amare mandata Dei: Atque ita in bona conſcientia petit *ſe vivificari juxta gratiam Dei*. verſ. 159. Confer Apoc. 3:8. & 3:10.

9. Agnoſcit tandem Eccleſia & teſtatur, omnia, quæ Deus dixit in verbo ſuo, eſſe vera, & nullum verbum in terram cecidiſſe, & judicia Dei juſta ſemper in mundo & in Eccleſia peracta eſſe, verbis: *Summa verbi tui eſt veritas: & in perpetuum eſt judicium tuum*. Quæ conteſtatio vel maximè eſt medium confutandorum omnium errorum & convertendarum gentium. verſ. 160.

OCTASTICHON XXI. ש.

1. PRincipes *populi* Iſraëlitici *perſequuntur* Chriſtum & diſcipulos ipſius, *ſine cauſa*, cùm ille nulli eorum malè feciſſet, contrà omnes volentes beneficiis affeciſſet; hi non niſi viſa & audita narrarent, & nihil extra Moſen & Prophetas loquerentur. verſ. 161.

Neque tamen, qui in Chriſtum credebant, metuebant eos, qui perſequebantur, ſed *metuebant à verbo Dei*, id eſt, cum fide illud recipiebant, & cum ſollicitudine id audiebant, ne præterflueret, atque auditum non prodeſſet, metuentes. ibid.

2. Dum affligitur Eccleſia à Judæis & gentibus, *alacris eſt propter dictum Dei*, quo ipſi hæreditatem terræ, propagato regno per totum mundum, addixit, *ut inveniens ſpolia multa*. verſ. 162.

3. *Falſum*, id eſt, falſam doctrinam Judæorum & Pſeudoapoſtolorum, tum Philoſophorum gentilium & hæreticorum, *odit* Eccleſia *ac abominatur*: Contrà ea *legem Jehovæ diligit*. verſ. 163.

4. *Judicia* eduntur in hoſtes, Eccleſiâ Deum *ſepties die*, id eſt, jugiter ob ea *celebrante*. verſ. 164.

Illi proſtrati per Conſtantinum. Quo tempore *pax ampla fuit diligentibus legem Dei*. verſ. 165. p. p.

5. Removentur hæreſe« ſcandala. *Et non eſt ipſis offendiculum*. ℣. 165. p. a. Hæ coërcitæ per Concilia & demum Chalcedonenſe.

6. Poſt pacem & ſublata ſcandala Eccleſia in nova incidit mala, ex quibus *ſalvari ſperat*; & in novam tentationem, quâ ad non faciendum præcepta Dei, vel ad alia omnia faciendum tentatur. verſ. 166.

Eccleſia verò, *præcepta Dei*, non hominum, *ſe facere* gloriatur. ibid.

7. Rurſus, quaſi poſt novam tentationem & explorationem, gloriantur fideles, *ſe conſervaſſe teſtimonia Dei, eaque dilexiſſe valde*. verſ. 167.

8. Atque ita rurſus verſ. 168.

OCTASTICHON XXII. ת.

1. Pii ſub Veteri Teſtamento exſpectant & petunt, ut Jehova *docens ad juſtitiam* tandem ipſos viſitet, & viam veritatis & juſtitiæ doceat populum. *Appropinquet clamor meus ante te, Jehova: ſecundùm verbum* promiſſionis *tuum fac me prudentem*. verſ. 169.

2. Sunt, qui Eccleſiam viſitatam à Deo, & per ipſum veram ſapientiam ac prudentiam edoctam, perſequantur, eo fine, ut redeat in ſtatum ſervorum. Igitur *ſupplex* petit Eccleſia, *eripiat ipſam* Deus à manu perſequentium, *juxta dictum ſuum*, quo promiſit regnum, adeoque & ſubactionem omnium hoſtium. verſ. 170. *Coram Deo ſupplicat*, qui appropinquat Deo, non habens ſtationem ad tabernaculum. Heb. 9:8. 10:19. 23. 22.

Gloriatur quoque Eccleſia ab hoc tempore, *quòd Deum habeat doctorem*, ideoque à nullo homine accipiat vel verbum, per quod credat, vel clavim cognitionis, ſed omnem ſuum profectum, quem ex verbo Dei haurit, fundamento in Scripturis clarè expoſito, & in Chriſto verificato, & palàm propoſito, inædificet, adeo ut omnia quæ diſcit, Deo doctore diſcere videatur. Docet autem Deus Eccleſiam *ſtatuta ſua*, ea, quæ additionem omnem ac detractionem ſpernunt; opponunturque ſtatutis, falſis ſermonibus, ac præceptis hominum. ℣. 171.

3. Eccleſia adverſus perverſitates hæreticorum *reſonat dictum Dei. Nam omnes præceptiones ejus*, quibus nos juſſit credere in Chriſtum, eumque adorare, ut verum Deum, *juſtitiam eſſe*. verſ. 172.

4. Eccleſiæ cum adverſariis, in quorum manu eſt, eſt controverſia & certamen de mandatis Dei & vera juſtitia. Ibi ergo orat: *Sit manus tua ad auxiliandum mihi, quia mandata tua elegi*, repudiatis mandatis hominum, qui, quæ ipſis videntur, non tantùm ſuadent, ſed & præſcribunt & urgent, & ſecundùm ea judicant, iiſque non parentibus bellum indicunt. verſ. 173.

5. Salus Eccleſiæ præſtatur, de qua ſibi accepta gratulatur. *Appetivi ſalutem tuam Jehova*. Tum etiam oblectat animum per legem Dei. *Et Lex tua eſt oblectamentum meum*. ℣. 174.

6. Diſcrimen magnum & afflictio magna incumbit Eccleſiæ ab hoſtibus, quos judicari petit, ut ſibi ſubveniatur, ut anima ſua vivat vel reviviſcat, atque exhilaretur, ut celebret Deum. *Vivat anima mea, ut laudet te, & judicia tua auxilientur mihi*. verſ. 175.

7. Tandem, ultimo tempore, Eccleſia eò perducitur, ut confiteatur, ſe *erraſſe*,

rasse; quanquam putaverint, se non errare, & alii aliis de errore admonentibus non crediderint vel auscultaverint.

Est quorundam adhuc præsumtio, quæ antiquitùs dicta & facta sunt, sive nemo sive pauci id reprehenderint, id ad errores non pertinere: quippe quum fieri non possit, ut tota Ecclesia erret communiter.

Addit, *instar ovis perditæ se errâsse*, ut quæ non haberet eos pastores, de quibus est Jer. 3: 15. ut Apostolos & eorum συνεργοὺς. Quibus paulatim successerunt alii minùs diligentes, dormitantes & tantâ charitate non præditi, & potestati magis, quàm ministerio intendentes: donec ingressus est ille *pastor nihili*, de quo est Zach. 11: 15. 16. *non visitans*, *non quærens*, *non sanans*, *non sustentans* Sub quo non est mirum, Ecclesiam esse instar ovis perditæ, & errare.

De illis autem speramus, qui, licet errent, tamen habent bonam conscientiam, quòd sint peculium Dei & *servi ipsius*. Quippe parati demonstrationi veritatis parere, & ei se non contumaciter opponere. Igitur hic introducuntur Jehovam compellantes: *Quære servum tuum*, qui se non subdidit jugo hominum, qui tuus est. *Nam præceptionum tuarum non sum oblitus.* Adhuc retineo veritatem tuam & verbum tuum. Charagma Bestiæ non recepi. Condona errores meos fratrumque meorum in toto mundo errantium variè, qui nesciunt, se errare, aut ad veram viam suspirantes non possunt eam invenire, dum in varios seductores incidunt. Tu miserere gregis tui & collige nos.

PSALMI GRADUUM QUINDECIM.

Veteres Hebræi *Psalmos ascensionum* interpretantur. Eos autem referimus ad Ecclesiam Christianam, quæ gradibus aliquot ad metam suam pervenit & ascendit.

PSALMUS CXX.

1. Confitetur Ecclesia credentium, se in Christo ἀνάπαυσιν invenisse. *Ad Jehovam in arcto mihi*, sive quum mihi arctum esset, utpote per totam vitam constitutus in timore mortis & iræ divinæ, *clamavi*; *& respondit mihi*, id est, ostendit sese mihi propitium in Christo. ℣. 1.

2. Eâ confessione excitantur certamina *falsiloquorum*, hoc est, gentium, falsos deos & falsam religionem docentium, & falsum judicium Judæorum de Christianis sequentium; quos illi falsatores verbi vocabant & in odium gentium variis criminationibus adducebant. Apoc. 2: 9 Liquet ex Actis: tum etiam *linguæ fraudulentæ*, hoc est, falsum loquentium sub specie veri; Judæorum nempe, loquentium verbum Dei quoad syllabas, non quoad mentem. Igitur petit Ecclesia se liberari ab iis. *Jehova*, *eripe animam meam à labio falsiloquo*, *à lingua fraudulenta.* vers. 2.

3. Deus *tela* sua in linguâ fraudulentâ utentes, omnipotenti suo brachio, ut *herois*; tum & *prunas* vivacissimas (an streperas?) ut *juniperorum*, nimirum malam conscientiam, iram in Deum & regem ejus Christum, invidiamque crescentis & florentis regni ejus, cum strepitu blasphemiæ, conjicit, fructum linguæ fraudulentæ. vers. 4. 3.

4. Ecclesia, sub nomine Christiano, gentibus alienis à fœdere, qualis *Mesech* sextus Japheti filius, Genes. 10. unde fortè Moschi, Sarmatæ, miscetur, & pro tentoriis Semi *tentoria Kedar*, filii Ismaël, Gen. 25: 13. nati scilicet secundùm car-

 nem,

nem, ex ancilla, id est, falsorum Christianorum natorum secundùm externam institutionem, non secundùm virtutem, circa se habet. ℣. 5.

5. Excutit societatem Mesechitarum & tabernaculorum Kedar. Id ex deploratione illa liquet. *Hei mihi! quia inquilinus fui* apud *Mesech*, *habitavi apud tentoria Kedar*. ℣. 5.

6. Exutis Mesechitis & Kedarenis, rursus Ecclesiæ res est cum *pacis osore*, id est, iis, qui illos, qui verè effugerant consortium errantium, conantur inquietare, atque in similes errores reducere. 2 Pet. 2: 18. 19. 20. inprimis non admittentes pacem conscientiæ doceri ab Ecclesia. vers. 6.

7. Hos pertæsa Ecclesia tandem excutit. Tædium illud exprimitur. *Multùm habitavit sibi anima nostra cum osore pacis*. ibid.

8. Tandem etiam imponitur Ecclesiæ culpa schismatis, à falsis fratribus, & religionum Conciliatoribus Contra hos protestatur, se cupidam esse, salvâ veritate, cum omnibus servandæ pacis: seque ab omnibus impeti, etiam bello, quia *loquatur veritatem*. *Ego*, inquit, *pacatus sum*, &, *quia loquor*, *illi ad bellum* se convertunt. vers. 7.

PSALMUS CXXI.

1. Ecclesia jussa *montes*, id est, regna mundi à Diabolo obsessa, magnâ potentiâ armata, magnâ cordis duritie contra veritatem obfirmata, aggredi ac demoliri, cum promissione victoriæ, *attollit oculos suos ad montes*; atque ad auxilium idoneum circumspiciens, agnoscit *auxilium suum à Jehova*, id est, Christo, qui est Jehova, eodem nempe illo, qui jussit & promisit, *factore cœli & terræ*. vers. 1. 2.

Promittit etiam Spiritus Sanctus in prosopopœia per modum consolationis, sustentationem & curam Dei perpetuam. *Neutiquam dabit nutationi pedem tuum: neutiquam dormitabit custos tuus*. vers. 3.

2. Deus experimento manifestum facit, se *non dormitare*, *multo minùs dormire*, sed memorem esse populi sui. ℣. 4.

Id evidens fuit in excidio populi Judaïci, & in coërcitione persecutionis gentilium.

3. *Jehova*, Christus, rex Ecclesiæ, *custodit eam*, Ecclesiaque ad agnoscendum Jehovam custodem suum excitatur verbis Spiritûs Sancti: *Jehova est custos tuus*. q. d. noli id unquam oblivisci. vers. 5. p. p.

Magnæ tentationis initium innuitur.

4. Quumque essent multi adversarii & hostes Ecclesiæ, ipsam impetentes, *Jehova umbraculum ejus*, protegens eam, *est ad manum dexteram ejus*, ipsi, dum pugnat, hyperaspistes est. vers. 5.

5. Nec tantùm, verùm etiam præstat ei refrigerium à *Sole feriente de die*, & *Luna in nocte*, id est, à molestiis ei incumbentibus à principibus Ecclesiasticis & Politicis. vers. 6.

Tum etiam Deus *conservat eam ab omni malo*, etiam *animam ejus conservat*, ne emoriatur, ne mors secunda in eam habeat potestatem. vers. 7.

6. Denique etiam dat ipsi libertatem ad eundum & intrandum, eamque ipsi in posterum sartam tectam conservat. *Jehova conservabit exitum tuum & introitum tuum a nunc & in sæculum*. vers. 8.

PSAL-

PSALMUS CXXII.

HAbet hypotypoſin lætitiæ fidelium accedentium ad Eccleſiam. Comparatur ea cum veteri Hieroſolyma, & accedentes ad eam cum frequentantibus feſta. Exhibetur

A. Lætitia excitata cohortatione aliorum ad accedendum. *Lætatus ſum propter dicentes mihi: Domum Dei accedamus*, id eſt, quæramus ſocietatem electorum fidelium. verſ. 1.

B. Acceſſus. *Evenit, ut ſtarent pedes noſtri in portis tuis, Hieroſolyma*, id eſt, credidimus in Chriſtum, portam illam, per quam ſolam cœleſtis Hieroſolyma intratur, quæque omnibus hominibus ab omni plaga mundi aperta, tanquam tribuum omnium porta eſt, & ab Apoſtolis Chriſti duodecim monſtrata eſt; ſicque corpori ipſius inſerti ſumus, & habemus communionem cum cœleſtibus. ℣. 2. Confer Heb. 12: 22. 23. 24.

C. Urbis ſanctæ, ſive potiùs Civitatis ſanctorum elogium dictum ab accedentibus.

I. De ſtructura. *Hieroſolyma exſtructa.* Habet fundamenta, murum, domos ſive manſiones; habitatores Deum, Chriſtum, ſanctos Angelos, & Spiritus beatos. verſ. 3.

II. De partium junctura. *Ut urbs, quæ compoſita eſt ſibi unà*, id eſt, cujus nulla pars deeſt, nullæ partes hiant. verſ. 3. Confer Eph. 4: 15. 16.

III. De frequentia & nobilitate civium. *Quò aſcendunt tribus, tribus Jehovæ*, ii, quos Deus elegit in hæreditatem ſibi. verſ. 4.

IV. De opere ſive occupatione & ſtudiis civium. *ad confitendum nomini Jehovæ*. Confer 1 Pet. 2: 9. Fit hoc, cùm Jehovæ à nobis poſtulanti gratiarum actionem & celebrationem nominis ſui, dicimus Amen. verſ. 4.

V. De jure & lege civitatis, quæ fundat ac dirigit hunc aſcenſum. (*Teſtimonium id Iſraëli.*) Deus hoc jus dedit Iſraëli, ut accedant domum ſuam, & nomini ſuo confiteantur. Deus item conteſtatus eſt Iſraëlem, ut hoc faceret. ℣. 4.

VI. De judiciis. *Nam ibi inſidentur throni ad judicandum, throni domûs David.* Aſcendunt tribus Dei cum gaudio, quia ibi ſunt throni domûs Davidicæ, id eſt, Chriſtus filius David ibi regnat & judicium gratiæ exercet: & cum illo regnant, qui ſunt ejus. Illi cernunt hæreditatem gentium, illi judicant mundum, & judicium illorum non eſt fruſtra, illi coarguunt mendaces, ſeparant à ſe ſcandaloſos & ſepeliunt eos in valle Gogi. verſ. 5.

D. Εὐφημία. Eſt hic

I. Excitatio mutua viſitantium eam ad ei bona comprecandum. *Optate pacem Hieroſolymæ.*

II. Comprecationes. Comprecatur

1. Pacem amatoribus ejus. *Tranquilli ſint, qui diligunt te.* Nempe quia omnes, qui eam diligunt, ſolent perſecutionem pati, optat illis tranquillitatem. verſ. 6.

2. Incolumitatem & tranquillitatem ipſi Hieroſolymæ. *Sit pax in antemurali tuo, tranquillitas in palatiis tuis.* Ceſſet foris bellum, intus miſeria, ruptura, calamitas, fames, mortalitas, diſſidium. verſ. 7.

E. Apologia ſtudii in illam duplicis. Quod eſt

I. Loqui

I. Loqui pacem, charitate fratrum & amicorum. *Propter fratres meos & amicos meos loquar pacem in te.* Pacem nempe animi, id scilicet, quo credito ea fundatur; tum etiam id, in quo omnes salvâ conscientiâ consentire possint. ℣. 8.

II. Quærere bonum Hierosolymæ amore domûs Dei. *Propter domum Jehovæ Dei nostri quæro bonum tibi*, & malum tuum extermino. ℣. 9.

PSALMUS CXXIII.

INstantissima precatio est præstolantis gratiam Dei. Est hic
1 A. Protestatio ad Deum de affectu precantis. *Ad te attollo oculos meos, qui sedes in cœlo*, id est, qui, postquam evectus es in cœlum, in eo te ostendis regem, caput, salvatorem, principem ac ducem sanctorum, omnium verò judicem, quique eò tanquam prodromus noster venisti, ut parares nobis locum, id est, ut haberemus jus plenum & causam perfectam tecum possidendi æternam hæreditatem. vers. 1.

B. Protestatio ad homines de spei perseverantia. *Ecce, ut oculi servorum ad manum domini sui, ut oculi ancillæ ad manum heræ ipsius*, dum observant, quid faciant domini, ut similiter faciant, dum exspectant, quid pensi à sese fieri velint, ut & munera & cibum ab ipsorum liberalitate accipiant: *sic oculi nostri ad Jehovam Deum nostrum*, qui quoniam Deus peccatoris fieri voluit, videri olim quodammodo voluit in monte Sinai & in tabernaculo, & postea hominem visitare in carne; in illum, inquam, Deum spes nostra est firma, neque ullo modo se avertit aliò, dum differt effusionem plenissimam gratiæ, *donec gratiosus sit nobis*, id est, donec gratiâ suâ & impromeritâ benevolentiâ sanet omnia nostra mala, & nos ex omnibus miseriis liberet, nosque omnium egenos omnibus maximis beneficiis ditet: simul etiam, ut respicientes ad illum ὑπογραμμὸν, quem Christus nobis reliquit, ipsum imitemur in patientia. vers. 2.

C. Imploratio. Continet ea

I. Petitionem. *Gratiosus esto nobis, gratiosus esto nobis.* Iterum iterumque *gratiam*, id est, liberalem Dei donationem ac sui susceptionem expetunt. Ea petitio respicit divinas promissiones. Promissa autem est Ecclesiæ non tantùm liberatio, sed & regnum & hæreditas mundi omniumque gentium subjectio, & Diaboli ac Pseudoprophetæ & Bestiæ conjectio in stagnum ardens igne & sulphure, ad quam succedat multorum ex peccatis & erroribus resurrectio. ℣. 3. p p.

Hoc perseverat Ecclesia petere, orans, ut veniat regnum Dei.

2 II. Confirmationem tum à satietate contumeliæ. *Nam multùm satiati sumus contumeliâ.* Tum enim vel maximè sperat Ecclesia, se consecuturam ea promissa, quum diu admodum & enormiter & ad saturam plenamque mensuram fuerit vexata ignominiâ: utquando pro sceleratis & infamibus tractati sunt. vers. 3. tum *sannâ securorum*, hoc est, eorum, qui Deum non timent, imò doctrinâ suâ Dei timorem minuunt, dum docent, humanæ potestatis esse, pium esse & salvari, vel non; ac interim sunt felices & fortunati; & rursus *ignominiâ superborum*, id est, eorum, qui conditione ministerii non contenti ὑπερέχονται & volunt in grege dominico dominari. ℣. 4.

PSALMUS CXXIV.

EST gratiarum actio pro divina ope in omnibus periculis. Eſt hîc
A. Enumeratio periculorum & opis
I. in hominum iratorum inſurrectione contra Eccleſiam. *Abſque Jehova, qui* 1
fuit noſter, (dicat Iſraël. verſ. 1.) *Abſque Jehova, qui fuit noſter, quum ſurge-*
rent adverſum nos homines: verſ. 2. *Tum vivos abſorpſiſſent nos, effervescente irâ*
ipſorum in nos. verſ. 3. Hîc primus agon Eccleſiæ Chriſtianæ indigitatur cum Ju-
dæis & Gentibus. Significatur autem, Deum ſtetiſſe à partibus Eccleſiæ, & iccirco
non potuiſſe obtinere vota ſua homines.
II. in exundatione aquarum & torrentis. *Tunc aquæ inundaſſent nos, torrens* 2
tranſiviſſet per animam noſtram. Per *fluvios* intelligi ſolent commotiones populo-
rum, exercitus educti ad terras, populos, civitates occupandum; atque etiam in-
nocentes redigendum in poteſtatem. ℣. 4.

Satanas in imperio Romano etiam bella excitavit, quibus homines idolo-
latræ hoc egerunt, ut Chriſtianos haberent in poteſtate, eoſque ex-
tinguere vel ſaltem exagitare ac diſſipare poſſent. Jam confer Apoc. 12.

III. rurſus in inundatione protervorum. *Tunc tranſiviſſet ſuper animam no-* 3
ſtram noſque ſuffocaſſet, *aquæ, protervi*, πλημυταὶ, temeraria loquentes & è po-
pulo ſe elevantes ad opprimendum gregem, verbis Scripturæ depravatis, judiciis,
ſententiis, pœnis. ℣. 5.
IV. in eorundem protervorum laniatione. Benedictus *Jehova, qui non dedit* 4
nos prædam dentibus ipſorum. ℣. 6.

Et eum animum, ut cuperent veritatis amatores diſcerpere dentibus, ſæ-
pe oſtenderunt protervi multis occaſionibus ſuperioribus ſæculis & pro-
ximis temporibus. Attamen ſenſit Eccleſia Dei beneficium, & aperta
res eſt, defuiſſe ipſis facultatem piis nocendi.

V. in aucupum illaqueatione. *Anima noſtra, ut avicula, evaſit è laqueo au-* 5
cupum. Laqueus ruptus eſt, & nos evaſimus. verſ. 7.

Laqueos Eccleſia multos ſenſit hiſce temporibus. Inprimis dolo nunc
omnia aguntur. Nemo oppugnat religionem ſcilicet. Ibi auctoritas
Imperatoria, horum & illorum cauſæ politicæ, modò bona Eccleſia-
ſticorum, mox pacificatio obligans ad vindices libertatis profligan-
dos; alibi ſparſa ſemina diſſenſionum per nova dogmata, alibi fucus
conciliaturæ; quum id agitur, ut ſub communibus vocabulis diverſæ
ſententiæ occultentur, & leges fiant, quibus aſtringatur virtutis profeſ-
ſio, quæ nullâ lege coërceri poteſt. Omnes hi laquei Dei beneficio
rumpuntur, & evadit Eccleſia, ſed ut avicula jam capta & jam jam
jugulanda.

B. Epiphonema. *Auxilium noſtrum in nomine Jehovæ factoris cœli & terræ.* 6
Nomen Jehovæ eſt hîc Jehova nominatus, invocatus & celebratus, ut ex Scripturis
agnitus, & omni humanæ auctoritati oppoſitus. Idem verò eſt is, qui & fecit cœ-
lum, & facit cœlum novum ac terram novam, atque adeo ſapientiâ & potentiâ
ſuâ ſubvenit Eccleſiæ. ℣. 8.

PSALMUS CXXV.

FIrmitatem & præeminentiam Eccleſiæ Novi Teſtamenti prædicat. Ea
A. Explicatur
1 I. Comparatione fidelium cum monte Sione myſtico. *Qui confidunt Jehovæ, ſunt ut mons Sion, qui non commovetur, in ſæculum habitatur.* Spiritus Sanctus hic oſtendit, fore tempus, quo *confidentes in Jehova*, indefinitè, ex quacunque gente, civitate, origine ſint, id eſt, qui credunt Deo teſtanti de gratia, & monſtranti rupem ſalutis, eique, abnegatis ſuis viribus, ſuâ juſtitiâ, ſuâ ſapientiâ, animas ſuas committunt; etiamſi non accedant ad Sionem terreſtrem, eo loco habeantur & eodem jure & conditione aliquo modo ſint, quo illi, qui quum in terris ad Sionem aliquando acceſſiſſent, & Jehovæ adventum inibi exſpectaſſent, atque interim ſe ſpectaculo typorum & figurarum oblectaſſent, obtinuerunt cœleſtem civitatem, quatenus ſcilicet credentes in Chriſtum habent juſtitiam & libertatem cum illis communem, qui in cœlo ſunt. ℣. 1.
2 II. Comparatione populi Dei cum Hieroſolyma terreſtri. *Hieroſolyma! Montes ſunt circa illam: ſed Jehova eſt circa populum ſuum à nunc uſque in ſæculum.* Spiritus *populum Jehovæ*, qui in eo gloriatur, quòd Jehova ſolus, abdicatis diis nuncupatis, ſit rex ſuus, legiſlator & judex, qui nimirum conſtat ex iis, qui ipſi confidunt, præfert habitantibus Hieroſolymam illam terreſtrem. Montes enim circumjectos ei pro arcibus fuiſſe. Attamen valles expleri, arces ſuperari & complanari potuiſſe, cùm deſtrueretur Hieroſolyma. Contrà eodem tempore Deum circumvallare populum ſuum, eumque in perſecutionibus conſervare & ex iis liberare. ℣. 2.
B. Confirmatur adverſus objectionem de ſceptro improbitatis. *Nam non quieſcet ſceptrum improbitatis ſuper ſorte juſtorum, ne porrigant juſti ad injuſtitiam manus ſuas.* Dixerat ſcilicet, Deum eſſe circa populum ſuum omni tempore, id eſt, Deum habere regnum in populo peculiari, & illud regnum, eumque populum non iri alienatum ab ipſo. Subjicitur ætiologica, *nam.* Subintelligitur obje-
3 ctio: Fore tamen *ſceptrum improbitatis*, id eſt, poteſtatem, quæ imperet hoc, per quod juſtitia non obtinetur, ſed potiùs reatus contrahitur; & communio Dei & ſanctorum amittitur. Quod vocat *injuſtitiam*, id eſt, abnegationem ſufficientiæ ὑπακούματος & meriti, quod eſt in Chriſto, quod faciunt ii, qui non credunt in Chriſtum ut perfectum ſalvatorem, & juſtitiam propriam conantur ſtabilire. Sicque exiturum regnum Antichriſti. Quomodo igitur verum ſit, Eccleſiam non deficere aut abalienari à rege ſuo, & Deum ſemper habere populum peculiarem? Reſpondet Venturum quidem Antichriſtum, & regnaturum, ſed
4 *juſtos*, hoc eſt, juſtificatos per fidem, non recepturos ſceptrum ejus, ac tandem
5 etiam manifeſtatâ improbitate, excuſſuros illud, *ne juſti porrigant manum ad injuſtitiam*, id eſt, eam apprehendant, aſſumant, veritatique præferant. ℣. 3.

Antichriſtus ab ignorantibus profunditates Satanæ recipiebatur ut miniſter Chriſti & Epiſcopus vel pædagogus in Chriſto, ita ut crederent verbo Dei, quod prædicabat, & errores illius & peccata ſæpe reprehenderent. Hinc etiam ante Lutherum totus mundus clamabat, Eccleſiam reformandam eſſe in capite & in membris: eamque reformationem inſtituendam eſſe ſecundùm Scripturas. ut ex Concilio Conſtantienſi patet. C. Oſten-

C. Oſtenditur cum apprecatione omnis boni. *Benefac*, *Jehova*, *bonis & rectis* 6
in cordibus ſuis. Oſtendit *bonos* & *rectos* corde (ſortem juſtorum) manifeſtos fa-
ctos, abjecto ſceptro improbitatis, & probatos in catino ignis. Zach. 13. Nunc
igitur benefac illis, eoſque aſſere & vindica ex manu opprimentium & vexantium. 7
verſ. 4.

D. Illuſtratur contrariâ tortuoſorum pœnâ. *Sed eos*, *qui deflectunt tortuoſita-* 8
tes ſuas, *abire faciet Jehova cum tractantibus vanitatem.* verſ. 5. 9

Sunt etiam in Eccleſia, ſive in numero eorum, qui videntur boni & recti, 8
nomen habentes, quòd vivant, cùm ſint mortui: qui beneficiorum
externorum participes, *declinant tortuoſitates ſuas*, id eſt, qui non
rectè incedunt ſecundùm tramitem Euangelii, ſed vel ſua dogmata aut
modos loquendi cum Scriptura obtrudunt, vel temeraria aliorum facta
imitantur, vel verba Scripturæ & inprimis fundamenti, enervant, &
hæreſes exitiales docent. In quibus ſunt & illi, qui, quum effugerint
eos, qui in errore verſantur, & inquinamenta mundi, & viam juſti-
tiæ cognoverint, *libertatem* promittunt carnalibus hominibus & vetu-
ſtis erroribus denuò implicantur. 2 Pet. 2: 20. 21. Alii verò paleam &
ſtipulam parturiunt, Eſ. 33: 11. erigere aut confirmare dominatum ſtu-
dentes, & errantes ac ſcortantes in unum cum fidelibus ſatagentes con-
gregare. aut ſi qua alia *tortuoſitas* in quibuſdam eſt, per quam à recta
via abeunt. Eorum partem cum idololatris & defectoribus conſtituit 9
Deus.

E. Obſignatur promiſſione pacis. *Pax ſuper Iſraëlem.* ibid. Intelligitur verus 10
Iſraël, cui poſt omnes pugnas & afflictiones tandem datur victoria & pax, ut equitent in arcibus terræ, & omnes gentes ei ſerviant. Comprehenditur autem etiam in eo Judæorum, qui Chriſto hactenus rebellarunt, ſemen. Ita parallelum erit Pſ. 85: 9.

PSALMUS CXXVI.

Duplicem Eccleſiæ reſtitutionem in integrum prædicat.

A. Primam à jugo Legis & miſeria, in quam redacti erant per illam, Deo peccata vindicante. Deſcribit hanc

I. ab Eccleſiæ infirmitate minimè proportionata tantæ ſaluti. *Quum Jehova* 1
reſtitueret Sionem in integrum, id eſt, Eccleſiam, Deo, in Sione, ubi erat arca & templum, ſervientem, viſitaret, excitando regem verum & juſtum ex domo Davidica, qui haberet regnum in totum Iſraëlem Dei, & in totum mundum, quique auferret legale pactum, cujus non ſervati effecta fuerant abjectio decem Tribuum; deſtructio regni Davidici & abductio populi in captivitatem Babylonicam, corona non ex domo Davidis Aſſamonæorum; deſtructio etiam hujus coronæ per Romanos, eorumque ſervum Herodem; &c. *eramus ut ſomniantes*, ac ſpectra videntes. Non credebamus, tantam ſalutem datam eſſe. Ea enim videbamus & audiebamus, quæ nobis incredibilia videbantur, atque ita hæſitabamus & ſtupebamus, quaſi ea non videremus & audiremus, ſed ſomniaremus nos ea videre & audire. Rem ipſam videntes partim alia ὠνειροπολῦμεν; quippe ad fabulas & quæſtiones converſi, intentique obſervationi rituum & traditionum, neque ſcrutantes Scripturam, ut Chriſtum & regnum Dei ac juſtitiam ejus cognoſceremus:

 par-

partim propter ſpeciem tenuem & exilem diffidebamus noſtræ ſpei. verſ. 1.
2 II. à conſecuta lætitia & lætitiæ ſignificatione. *Tunc implebatur os noſtrum riſu
& lingua noſtra jubilo.* Non ſemper fuimus ut ſomniantes, ſed & vidimus ſalu-
tem Dei & virtute ex alto induti ſumus, & gaviſi ſumus, & lætitiam noſtram
Euangelii prædicatione palàm fecimus. ℣. 2.
3 III. à fide gentium. *Tunc dicebant in gentibus: Magna fecit Jehova erga hos.* No-
bis Euangelium prædicantibus fuerunt inter gentes, qui agnoſcerent maxima Dei
beneficia in Eccleſiam collata. ℣. 2.
4 IV. à divina benedictione & gratia. *Magna fecit Jehova erga nos: extitimus
læti.* Quatuor inſignia ſunt Dei beneficia. 1. conſervatio Eccleſiæ in maximis
perſecutionibus, ut fideles non deficerent, & plures converti non deſinerent.
2. judicium in Judæos blaſphemos, atque ita liberatio Eccleſiæ à jugo, & verbi
Euangelici retectio, ablato velo, ejuſque confirmatio. 3. deſtructio idololatriæ
gentilium. 4. Eccleſiæ conſervatio à corruptelis pernicioſis. Ita, qui fuerant
ſomniantes, tandem facti ſunt *lætantes*. ℣. 3.
B. Circa ſecundam Eccleſiæ reſtitutionem eſt
5 I. Imploratio. *Reſtitue nos in integrum, ut lacus in meridionali plaga.* Com-
parat Eccleſiam implorantem cum *lacubus Auſtralibus*, æſtu Solis exſiccatis. Oc-
caſio hujus implorationis eſt paucitas fidelium præ multitudine hypocritarum
Chriſto mentientium. ℣. 4.
II. Conſolatio per promiſſionem. *Qui ſeminant cum lachrymis, cum jubilo
metent.* Oportet per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum, atque etiam
adipiſci id regnum, quod Abrahamo tanquam hæreditas promiſſum eſt. ℣. 5.
6 III. Gratulatio. *Eundo ibat & flebat ferens ſementem ſeminis*, id eſt, ſator ſe-
minis, hoc eſt, verbi Dei, paſſionum, bonarum actionum, laboris, hominum
7 ipſorum, quos perdit & quaſi in terram abjicit: *intrando intrat cum jubilo ferens
manipulos ſuos*, id eſt, accedebat ad Eccleſiam pacatam cum comitatu ingenti fra-
trum Chriſto lucrifactorum. verſ. 6. Confer Amoſ. 9: 13. 14. 15.

PSALMUS CXXVII.

Ædificationem & propagationem Eccleſiæ Deo ſoli adſcribit, irridens vanos la-
bores hominum ſibi aſſumentium gloriam Eccleſiæ ædificandæ & conſer-
vandæ.
A. Labores hominum ſeparatos à benedictione Dei elevat.
4 I. Laborem ædificandi. *Si Jehova non ædificet domum, fruſtra laborarent ædi-
ficantes in ea.* Quemadmodum ruit ſtructura illorum architectorum, qui Chriſtum
rejecerunt: contrà Apoſtolorum labor non fuit fruſtra in Domino. ℣. 1.
II. Sollicitudinem excubandi. *Si Jehova non cuſtodiat civitatem, fruſtra vigilat
excubitor.* Ædificant, qui ſe ipſos & alios adjungunt lapides vivos lapidibus vivis,
ut fiant domus & ſanctuarium Dei. Sed eos lapides vivificat Deus, & per unum
Spiritum conjungit, & baptizat in unum corpus. Conſervant Eccleſiam, civita-
tatem Dei, qui ſeipſos caſtos & immaculatos ſervant à mundo; quique fratres ob-
ſervant, ut admonitionibus ſuis eos retrahant à malo. Sed Deus facit, ut id ver-
bum in iis ſit efficax, ut ad id attendant, ut in via bona incedant. Nihil igitur fa-
ciunt, qui ædificant & excubant, niſi Deus ædificet & cuſtodiat. Nec ædificant
ædificantes, nec cuſtodientes cuſtodiunt: Solus Deus ædificat & conſervat.
Homo

Homo solum verbum Dei habet, quod non, ut auctor, sed ut minister, narrat. Habet & virtutes & patientiam, sed à Spiritu Dei. Ædificant ergo & custodiunt tantùm ut ministri. Neque id unius officium est, sed multorum. Qui igitur id sibi sumit ad Ecclesiam ædificandam & conservandam, quod non est ministrorum, & quidem omnium ministrorum, imò & fratrum, is sibi sumit, quod est Dei; neque ii ædificantes quidem aut vigiles vocari ullo modo possunt. Quales sunt, qui verbo, quod auditur, auctoritatem divinam addunt suâ declaratione; verbi sensum edunt cum imperio; verbum proponunt non auditum omnibus; leges dant; absolvunt; damnant; benedicunt; maledicunt, tanquam ex potestate. ℣. 1.

III. Victum durum, ærumnosum, vigilias. *Frustra vobis est, qui mane surgitis, in serum sedetis, editis panem dolorum.* vers. 2. Confer Col. 2: 21. 23.

B. Contrà gratiam Dei, liberalem & exuberantem sine laboribus hominum, explicat.

I. Dationem somni. *Sic*, quemadmodum scilicet Deus sine labore vestro ædificat & conservat, quamvis putetis vestram in his operam esse primariam, *dat* Deus *dilecto suo*, Filio suo unigenito, Christo, *somnum*, permittit ipsum mori, quamvis vos putetis, eum vestris manibus interfectum jacere, datque ipsi requiem à laboribus suis, excitaturus eum suo tempore. ℣. 2. 1

II. Dationem filiorum. *Ecce hæreditas Jehovæ filii, & merces* pro labore animæ jure pacti, *fructus ventris.* Sunt nempe generatio divina. ℣. 3. 2

III. Benedictionem filiorum. *Ut tela in manu herois, sic filii juventutis*, qui à Christo nunquam effœto aut sene per Spiritum ipsius gignuntur, fortes sunt in Domino, Spiritu Dei agitante & vivificante. ℣. 4. 3

IV. Epiphonema, quo μακαρίζεται, qui se armat potiùs communione filiorum Dei, quàm filiorum mundi. *Beatus vir, qui implevit pharetram suam illis*, qui socios adscivit in pugna cum Diabolo & mundo tales, qui in acie possint stare, ipsique esse parastatæ ut tela pharetræ. *Non pudefient* filii Dei, *quum loquentur cum hostibus in porta*, id est, quum causam Dei tuebuntur apud tribunalia. Norunt enim, quid, & cui crediderint. Quod qui novit, potest rationem reddere suæ spei. ℣. 5. Sermo fidelium repræsentatur §. 4. suprà.

PSALMUS CXXVIII.

Μακαρισμὸς timentium Deum. Est hîc

A. Propositio. *Beatus omnis* ex quocunque populo ac gente, *qui timet Jehovam, ambulans in viis ejus.* vers. 1. 1

B. Confirmatio

I. à benedictione laboris. *Laborem manuum tuarum*, id est, cibum, pro quo laborasti, qui non est cibus periens & non satians, sed manna absconditum & arbor vitæ, *quando comedis, beatus es & benè est tibi.* vers. 2.

II. à fœcunditate uxoris. *Uxor tua*, illi ex gentibus quibuscunque, qui sese fœderi tuo adjungunt, frugiferi in plurimas propagines, *est ut vitis frugifera* accedens *lateribus domûs tuæ*, eaque tegens undiquaque palmitibus & ramis. vers. 3. p. p. 2

III. ab εὐτεκνίᾳ. *Filii tui*, doctrinâ & typo vitæ tuæ acquisiti, crescent & adolescent, *ut plantæ olearum*, abundantes oleo Spiritûs Sancti, dum cibabis illos de pane tuo *circa mensam tuam.* vers. 3. p. a.

 IV. à rei

3 IV. à rei evidentia. *Ecce! Nam ſic benedicitur vir timens Jehovam*, id eſt, Eccleſia tota, ut alii invideant & iraſcantur. ℣. 4.

V. à Dei præſentis apud Eccleſiam voluntate & efficacia

4 1. ad benedicendum ampliùs. *Benedicet tibi Jehova ex Sione.* Deus adeſt Eccleſiæ ſuæ, ab eaque non recedet unquam in poſterum, quam videbatur ad momentum reliquiſſe. verſ. 5. p. p.

2. ad bonum Hieroſolymæ per totam vitam oſtendendum. *Et aſpice bonum Hieroſolymæ omnibus diebus vitæ tuæ.* Siſtitur res ipſa, & excitatur quivis fidelis, ut comparet ſe ad bonum cœleſtis Hieroſolymæ adſpiciendum toto vitæ tempore, id eſt, & in hac & in futura vita. verſ. 5. p. a.

5 3. ad dandam multiplicem progeniem. *Et vide filios filiorum tuorum.* ℣. 6.

6 4. ad dandam pacem. *Pax ſit ſuper Iſraële.* ibid.

PSALMUS CXXIX.

INfelicitas hoſtium Eccleſiæ exponitur contra beatitudinem timentium Deum. Gradatim agit

1 A. Oppugnantes non prævalent. *Multùm arctarunt me à pueritia mea (dicat, age, Iſraël* verus, hoc eſt, veri imitatores fidei Abrahami, non tam ſecundùm carnem, quàm ſecundùm ſpiritum filii ipſius.) verſ. 1. *Multùm arctarunt me à pueritia mea*, id eſt, toto illo tempore, quo fui conſtitutus ſub curatoribus & tutoribus, donec ad jus filiorum, ſervitute depoſitâ, admiſſus ſum. Notoriæ ſunt

2 coarctationes Eccleſiæ toto illo tempore. *Etiam non prævaluerunt mihi.* ℣. 2.

Non Pharao Iſraëlem potuit detinere, aut impunè eum perſequi. Non defuerunt populo Judices, per quorum manus liberarentur ab affligentibus. Et, quum viderentur eſſe planè victi à Philiſtæis, Deus ipſis & regem dedit, &, devicto rege mandatorum Dei oblito, dedit ipſis virum ſecundùm cor ſuum, felicem, victorioſum, & cum eo fœdus pepigit de æterna gratia & perpetuo regno filii ipſius. Nec in Aſſyriaca, nec in Babylonica captivitate oppreſſus eſt Iſraël. Nam propter ipſos & Aſſyriacum & Babylonicum imperium diſſolvit, & dedit illis Cyrum dominum, qui, ex imperio Dei, toti populo concederet libertatem redeundi in patriam & Deum colendi in loco, quem ipſe elegerat. Et, non obſtantibus conatibus inimicorum & dirâ perſecutione Antiochi & bellis vicinorum, & ſceleribus propriorum ſacerdotum, tamen Iſraël retinuit legem Dei & cum ea promiſſionem, fuitque inter ſe conjunctus, omnium tribuum hominibus in nomen & ſpem tribûs Judæ conſpirantibus, ac eam in multitudinem crevit, ut eſſet velut ſabulum maris, & ſub toto cœlo habitaret, denique magis exaltaretur, quàm patres eorum exaltati fuerant. Maxima vero liberatio eſt, quum Iſraël ex ſervili conditione tranſlatus eſt in ſtatum filiorum, ut non ampliùs cogeretur reſpicere ad principes illius ſæculi, & terram illam & ſanctuarium illud & politiam illam; ſed poſſet liber in omni loco puras manus ad Deum in cœlum tollere, & ab eo juſtitiam & vitam petere, & hæreditatem mundi exſpectare.

3 B. Arantium in tergo Iſraëlis funis ſolvitur. *In dorſo meo araverunt arantes, prolongarunt ſulcum ſuum.* Statim atque libera facta eſt Eccleſia, datum eſt tergum

gum ejus perarandum, id eſt, membra ejus dantur torquenda & occidenda ho-
ſtibus. *Longus ſulcus* notat afflictionem diuturnam. verſ. 3. *Jehova juſtus concidit* 4
funem improborum, id eſt, ademit ipſis facultatem nocendi. ℣. 4.

C. Confunduntur oſores. *Pudefacti ſunt & retrocesserunt omnes oſores Sionis*, id 5
eſt, qui regnum Chriſti, id eſt, Dei in carne manifeſtati, oderunt, Chriſtum ne-
gando Deum, vel ejus loco ponendo hominem regem. ℣. 5.

D. Iidem virentes retorreſcunt. *Fiunt ut gramen tectorum, quod, antequam* 6
falcem quis *evaginaverit*, *exareſcit*. Antequam Deus eos judicet, apparet, eos
eſſe mortuos, qui Chriſto mentiti fuerant, & odium ejus abnegaverant, neque
revixiſſe. ℣. 6.

E. Aridi abjiciuntur & benedictionis exſortes ſunt. *Quo* gramine *non implet ma-* 7
num ſuam meſſor, multo minùs ſinum ſuum manipulos faciens, nemo curat eos
pro fructu terræ decoro & vivo inferre in granaria, id eſt, nemo eos pro fratribus
in Chriſto habere ſuſtinet. verſ. 7. *Neque dicunt tranſeuntes: Benedictio Jehovæ ſit
ſuper vos. Benedicimus vobis in nomine Jehovæ*. verſ. 8. Confer Eſ. 66 : 24. Nulla
enim benedictio extat in Sacris Literis, quæ illis poſſit applicari.

PSALMUS CXXX.

Dialogiſmus Eccleſiæ & Spiritûs Sancti: illius gratiam Dei ad ſalutem animarum implorantis; hujus ſpem confirmantis.

A. Imploratio habet

I. Præfationem, quâ indicat

1. Statum ſuum & objectum implorationis. *Ex profundis invocavi te, Jehova*. q. d. tempus adeſt, quo te in nomine tuo יהוה manifeſtes. ℣. 1.

2. Relationem ſui ad Deum, ex qua oritur jus cum fiducia Deum petendi. *Domine*, cujus ego ſum peculium, quique es hæres omnium, *audi vocem meam*. verſ. 2.

3. Qualitatem petitionis. Supplicatio eſt. *Sint aures tuæ attentæ ad vocem ſupplicationis meæ*. Gratiam tuam, non merita mea, tibi inculco. ibid.

II. Rem petitam cum ætiologia petitionis. *Si pravitates ſerves*, id eſt, eas animadvertas & ad animum revoces, *Iah*, qui omnia facis decentiſſimè ad gloriam tuam, ne fruſtra homines condidiſſe videare, *Domine*, cujus eſt regnum in omnia, quod ſanè non exerces in nobis, ſi iram exerceas, *quis ſtabit?* verſ. 3. *Nam apud te eſt condonatio, ut timearis*. Finis ſcilicet occupandi regni gratiæ in hominibus eſt, ut *timearis* & convertantur homines à peccatis ſuis. Sed ſine venia non poteſt fieri, ut timearis. Juſtificandis enim ſanctificationem deſtinaſti & paraſti, cujus initium eſt timor tui. Ergo ſi regnaturus ſis in nobis per ſanctificationem noſtri, ut timearis, condona peccata noſtra. *Nam apud te eſt condonatio*, id eſt, tu decreviſti peccata condonare, *ut timearis*. verſ. 4.

III. Vice concluſionis indicationem ſpei ſuæ & exſpectationis continuæ ſecundùm verbum Dei. *Exſpectavi Iehovam*, id eſt, certò apud me ſtatui, Jehovam venturum eſſe cum gratia & veritate ſua, cum regno, cum condonatione & ἀπολυτρώσει ſive perfecta liberatione, quæ pendet ex pretii virtute, & fit per potentem manum; *Exſpectavit anima mea*, id eſt, exſpectatio mea fuit conjuncta cum tenerrimo deſiderio & aviditate; *& ad verbum ejus præſtolatus ſum*, id eſt, ſuſtinui animam meam, dum veniret verbum ejus, hoc eſt, verbi divini effectus & veri-

veritas: verſ. 5. *Anima mea eſt ad Dominum, præ excubitoribus matutinis obſervantibus matutinum.* Magis, quàm illorum anima eſt intenta ad lucem!, anima mea eſt intenta ad Deum, geſtiens voluntatem ejus, & ſigna adventûs ejus cognoſcere, & ipſum adventum ejus videre. ℣. 6.

B. Confirmatio ſpei habet

I. Præceptum. *Spera, ô Iſraël, ad Jehovam.* Noli deſperare, ſed cum ἐπιμονῆς, tanquam ſuccinctis lumbis, & jam jam futurum certò exſpecta, cum patientia, quod tamdiu dilatum eſt.

II. Rationem præcepti. *Quia cum Jehova eſt gratia*, reverâ decrevit Deus uti miſericordiâ, & finietur aliquando excandeſcentia, *& multa cum ipſo redemtio*, ea non reſtricta eſt. verſ. 7.

III. Promiſſionem. *Et ipſe redimet Iſraëlem ex omnibus pravitatibus ſuis.* Vi redemtionis Chriſti liberabit Iſraëlem ab omni pravitate, tum verò donabit ipſi ſperatam hæreditatem gentium. ℣. 8.

PSALMUS CXXXI.

ALius διαλογισμὸς. *Iſraëlem* ſpiritualem jubet Spiritus tandem ſperare. Quaſi neceſſe fuerit antè humiliari Eccleſiam, & ab omni ſuperbia repurgari, quàm exaltari potuerit.

A. Proteſtatur quivis fidelium de humilitate cordis

1 I. In judicio de ſemetipſo. *Jehova, non extulit ſe cor meum*, ut illorum cor eſt altum, qui ſe juſtos diviteſque autumant. Ut Phariſæi, ſancti apud homines, ſibi in obſervatione cordis ſui benedicentes, dicendo: Pax mihi erit; & in ſuis operibus bonis, imò peccatis putantes ſe placere Deo. Contrà me ipſum abnegavi, & juſtitiæ divinæ me ſubjeci.

2 II. In abnegatione celſitudinum terreſtrium. *Neque extulerunt ſe oculi mei* contra Chriſtum, ad eum privandum regno & populo ſuo, contra Deum percutientem nos, ut Θεόμαχοι Ἰουδαῖοι, ὑποστελλόμενοι, ad clivum ſubducentes ſe, & in vano nomine Templi & Populi evaneſcentes.

3 III. In non ſcrutatione rerum magnarum & incomprehenſibilium. *Et non ambulavi in magnis & incomprehenſibilibus præ me*, ut ea ſcrutarer ſcilicet & ex ingenii mei modulo definire præſumerem, quæ Deus revelavit, credenda, quamvis intelligi non poſſint. Qualia ſunt ἡ τριὰς, ἡ ἐνανθρώπησις τοῦ υἱοῦ, ἡ ἀναγέννησις, ἡ πρόνοια, ἡ ἐκλογὴ καὶ κλῆσις &c. Contrà quidam αὐθάδεις & inflati carnali ſapientià in illa ingrediuntur, quæ ſcrutari eſt nefas, turbantque Eccleſiam, & propter ἀκαταληψίαν ſuam divinorum myſteriorum fidem labefactant. Imitantes in ea re ſuperbos Judæos. ℣. 1.

4 IV. In motibus animi. *Si non ſedavi & compeſcui animam meam. Si non*, mentior ſcilicet. Ablato ſchemate eſſet, *Reverâ. Ponere* vel *ſedare animam* eſt 1. δυσφοροῦντος, ægrè ferentis adverſitates: qui animum frenat, ne per impatientiam peccet, aut deſperet de divina conſolatione. 2. ejus, qui abſtinet bonis promtis. Qualis abſtinentia & צום *jejunium* appellatur Eſ. 58:6.

5 V. In appetitu & fiducia. *Ut infantis ablactati*, à lacte materno depulſi, *apud matrem ſuam*, qui, ubi ubera præſto ſunt, maximè appetit illud lac, *ut ablactati eſt anima mea apud me.* Ita in Eccleſia comperta eſt cibi ſpiritualis & verbi Dei appe-

appetitus poſt diutinas tenebras Papatûs, inter quas vix dabatur verbum Dei legere. ℣. 2.

B. Alloquium Spiritûs. *Spera, Iſraël, ad Iehovam à nunc & in ſæculum. A modò.* 6
Scilicet poſt exploratam toties & tot modis Eccleſiæ humilitatem, poſtquam ſuperbia publica omnes coinquinans in doctrina & regimine abolita fuerit, ſperanda ſunt Eccleſiæ bona tamdiu dilata, peſſundatio hoſtium, pax, converſio gentium longinquarum, converſio Judæorum. *Spe* tamen opus erit etiam tum, quia non ſine terrore fient, quæ ad rei iſtius præſtationem ſunt neceſſaria. Quale quid innuitur Eſ. 33: 15—18. ℣. 3.

PSALMUS CXXXII.

VErba ſunt Synagogæ ſibi gratulantis de reſtitutione cultûs publici in Iſraële per Davidem, & ſignificantis deſiderium & ſpem ſuam de Chriſti adventu.

A. Introducitur populus orans pro Davide operam dante reſtitutioni cultûs pu- §. 3
blici, cujus præcipuum inſtrumentum erat Arca ſub Veteri Teſtamento. Significabat enim Dei viſitationem, quam Deus promiſerat populo, & Chriſti tanquam *ἱλαστήριον* propoſitionem in medio Iſraële, ut accedentes ad eum & in eo ad Deum, juſtitiam, pacem, vitam, ſapientiam ac lætitiam invenirent. Ergo dicitur *quæſiviſſe locum Iehovæ*, id eſt, conatu omni id egiſſe, ut Arcam, ſuper qua Deus dicebatur habitare reddens reſponſa è nube, quæ erat inter Cherubinos, deduceret in eum locum, ubi deinceps conquieſceret, & non cogeretur de loco in locum cum notabili diſpendio cultûs publici migrare. ℣. 1---5.

B. Introducuntur fideles ſe cohortantes ad exercitium cultûs in loco Arcæ. verſ. 6. 7.

C. Eorum oratio apud Arcam repræſentatur.

I. Pro occupatione tabernaculi hujus, ſive perpetuitate præſentiæ Dei in loco hoc. *Surge, Iehova*, (compellat habitantem ſupra Arcam) *ad locum quietis tuæ*, in quo promiſiſti te præſentiam tuam continuaturum, & preces exauditurum, *tu & Arca roboris tui. Arca roboris* dicitur, quòd eſſet ſignum præſidii Dei potentiſſimi omnibus quærentibus ipſum: quæ potentia ſæpiùs demonſtrata eſt in hoſtibus, in profanantibus illam Iſraëlitis; tum quòd in ea continerentur tabulæ, in quibus verba fœderis, quod Deus pepigerat cum Iſraële in monte Sinai, ubi ſe Deum Iſraëlis vocaverat, ſcripta erant. Quod fœdus erat robur & gloriatio Iſraëlis. ℣. 8.

II. Pro dono juſtitiæ ad lætitiam amantium Deum. Vide

1. Petitionem. *Sacerdotes tui induantur juſtitiâ*, ut non in ſervitute & metu §. 4
mortis, & in accuſatione reatûs, miniſtrantes peccato & condemnationi, offerant, ſed, cum omnibus fidelibus, ad Deum accedere poſſint in juſtitia & libertate, eique ſacrificium laudis & confeſſionis offerre, unde ſecuturum eſt, ut *& amantes te* (vel *ſtudioſi tui*) *jubilent.* ℣. 9.

2. Confirmationem à fide Davidis in promiſſionem.

(a.) Fides Davidis. *Propter Davidem ſervum tuum. Ne avertas faciem uncti tui.* Ne fallas fidem ejus, qui tibi credidit. Patres fide ſuâ promiſſionem fecerunt irrevocabilem. ℣. 10.

(b.) Promiſſio. *Iuravit Iehova Davidi verum, à quo non recedet.* (Pſ. 89: 36—38.)

(α.) de ſemine ipſius in throno collocando. ℣. 11. ı

2 (β.) de regno familiæ, ſub conditione obedientiæ. verſ. 12. Confer 1 Reg. 9: 4. 5. 6. 7.

3 (γ.) de electione Sionis ad bona ſua demonſtrandum in ea. Nempe 1. inhabitationem in perpetuum, verſ. 13. 14. ut ſcilicet electio Sionis eſſet primò argumentum electionis certorum hominum Tribûs Judæ ad ſalutem; deinde & exemplar electionis Eccleſiæ ex toto mundo. 2. benedictionem in ſubſidiis vitæ corporalis & ſpiritualis. v. 15. 3. ſalutem conſervatione cultûs cerimonialis (licet in-
4 terrupti) obſignandam. *Sacerdotes ejus induam ſalute*; quando ſalvabitur Iſraël à peccato & reatu, à peccati & reatûs accuſatione, à condemnatione, à timore, à ſervitute, tum & ſacerdotes ejus induentur ſalute, neque ampliùs neceſſe habebunt quotidie pro peccatis offerre, quemadmodum antehac fecerunt. Ita *& pii ejus* Sionis *jubilando ambulabunt*. verſ. 16. 4. Chriſtum. *Ibi progerminare faciam cornu*, id eſt, regem potentem & ſatiſſimi dominatûs, *Davidi*, *diſpoſui lucernam uncto meo*, ne memoria Davidis intereat, ſed gloria Davidis in ſemine amplificetur ad lucem gentium. *Cornu* ad ſalutem, *Lucerna* ad illuſtrandas tenebras. verſ. 17.

Nota, debuiſſe Chriſtum, ſtante politiâ & ſacerdotio in Sione, naſci, & in urbe ac templo Hieroſolymitano dominatum incipere.

5 5. regnum Chriſti, tum reſpectu hoſtium. *Inimicos ipſius induam pudore*. Inter hos & Iſraël ſecundùm carnem: tum reſpectu ipſius. *Et ſuper ipſo florebit corona ejus*. Immarceſcibile erit regnum ejus & minimè obſcurabile: & magis magiſque illuſtrabitur, donec reges videant & ſurgant, & obſtupeſcant ſuper ipſo, & omnis injuſtitia claudat os ſuum. ℣. 18.

PSALMUS CXXXIII.

COmmendat congregationem fidelium ad audiendum verbum Dei in charitate & libertate.

A. Propoſitio. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres* non tantùm in pace ſingulos domi ſuæ, ſed *etiam unà* in congregatione, coram Domino, ad auſcultandum & attendendum Deo in verbo ſuo loquenti. *Sedere* autem *unà fratres* notat 1. charitatem. 2. ſtudium ædificationis mutuæ. 3. ſtudium communionis ſanctorum & participandi donis Eccleſiæ corpori collatis. 4. paritatem. Omnes enim ſedent coram Domino. Unus omnibus doctor, unus præceptor. ℣. 1. Confer Matth. 23: 8. Eſ. 54: 13. Jer. 31: 33. 34. 1 Joh. 2: 27.

B. Illuſtratio bonitatis & jucunditatis per duplicem ſimilitudinem.

I. Olei ſacri à capite Aharonis in barbam & togæ oras deſcendentis. *Ut oleum illud optimum ſuper caput deſcendens in barbam*, *barbam*, inquam, *Aharonis*; *quod deſcendit in oram togæ talaris ipſius*. Comparatur Chriſtus tanquam caput Eccleſiæ & membra ipſius cum Aharone togâ talari induto: & communio ſpiritûs, quâ Chriſtus & omnia membra ſociantur, cum defluxu olei à capite in barbam & totam togam. Hâc autem communione nihil præſtabilius, aut jucundius eſſe poteſt. Rurſus hic beneficium Novi Teſtamenti indicatur. Effuſio Spiritûs in omnem carnem, hoc eſt, omnia membra Chriſti ſine diſcrimine. verſ. 2.

II. Roris ſimul in *Hermonem* & *montes*, id eſt, juga montis *Sionis* cadentis. *Ut ros Hermon*, id eſt, quem Hermon & Hermonis germina bibunt, qui non tantùm bibitur à montibus Sion, ſed etiam qui *deſcendit in* illos, propter quos ſimul deſcen-

deſcendit in Hermonem & montes vicinos; ita etiam ros cœleſtis irrigat fratres ſedentes unà. Innuitur hic multiplicatio Eccleſiæ per vocationem gentium. verſ. 3.

C. Confirmatio à ratione, nimirum Beneplacito Dei, quo deſtinavit Eccleſiæ duo maxima bona:

I. Benedictionem. *Nam ibi*, nempe in conſeſſu fratrum, *præcepit Iehova eſſe benedictionem*, id eſt, affluentiam omnium eorum, quæ ad pietatem & vitam faciunt, eamque verbo Dei & decreto Eccleſiæ addictam.

II. Vitam æternam. *Vitam in ſæculum.* Adjungitur hæc benedictioni per appoſitionem, ut intelligamus, eam in benedictione contineri. *Benedictio eſt vita.* Nam nihil noſtrum eſt, niſi id, quo vivimus, id eſt, operatio mentis & voluntatis noſtræ jucunda. Ita vita eſt cognoſcere Deum, aſpicere Chriſtum, videre Arrhabonem, diligere proximum, habere bonam conſcientiam, ſperare, confidere Deo & in eo ſecurum eſſe. Hæc *vita æterna* eſt. Neque tollitur per mortem corporis. Incipit autem in iis, qui tanquam fratres ſedent coram Domino.

PSALMUS CXXXIV.

HIc Pſalmus Levitas ſolatur de miniſterio ſuo, à benedictione Dei ex Sione exſpectanda. Poteſt accommodari fidelibus Novi Teſtamenti per noctes variarum tribulationum Deo ſervientibus & benedictionem in manifeſtatione regni Chriſti præſtolantibus. Eſt

A. παραίνεσις ad benedicendum Deo in Chriſto, qui per ſanctuarium terreſtre 1
ſignificabatur. *Ecce, benedicite Jehovæ, ſervi Jehovæ, qui ſtatis in domo Jehovæ in noctibus*; verſ. 1. *Tollite manus veſtras ad ſanctuarium, & benedicite Jehovæ.* ℣. 2. Debebant Iſraëlitæ & ſacerdotes, qui per omne tempus vitæ gravi jugo premebantur, quod neque noctibus ceſſabat, (Num. 1 : 53 . 18 : 1.) *Deo benedicere* in ſpe Chriſti ſcilicet & ipſi gratias agere, quòd remedium iræ tantæ & tam juſtæ promiſiſſet, quòdque ipſos dignatus eſſet admovere ad miniſterium ſuum, gentibus abercitis.

B. Promiſſio, quæ eſt παραινέσεως confirmatio. *Benedicit tibi Jehova ex Sione,* 2
qui fecit cœlum & terram. Dabit Deus vobis, ſtante adhuc miniſterio veſtro, Redemtorem omnis benedictionis auctorem, & cum ipſo dabit hæreditatem mundi. Quod ipſi facillimum eſt, qui cœlum terramque fecit, quodque ipſi convenit, quia cœlum & terra ipſius ſunt. ℣. 3.

PSALMUS CXXXV.

PAræneſis ad celebrandum nomen Dei, & ad benedicendum Deo.

A. Ad celebrandum nomen Dei, id eſt, ad corde credendum & ore confitendum Deo revelato in verbo ſuo. Vide hic

I. Celebrationis objectum. *Celebrate Jah, celebrate nomen Jehovæ.*

II. Celebrationis ſubjectum. *Servi Jehovæ.* verſ. 1. *Qui ſtatis in domo Iehovæ.* Vera domus Dei ſunt Chriſtus & membra ejus. In Veteri Teſtamento qui in domo ſtabant, erant ſacerdotes. Nobis officium in domo peragendum eſt confeſſio, gratiarum actio, lux cognitionis, ſatietas; *in atriis Domini Dei noſtri.* Id atrium in Novo Teſtamento ſunt ii, qui ad Eccleſiam acceſſerunt hactenus, ut verbum

Dei audiant, & facta fidelium videant, & ſacramentis utantur, atque ita externorum ſint facti participes. In eo miniſterium eſt circa eos, qui accedunt ad offerendam hoſtiam Deo, ut eorum oblatio ſit accepta ſanctificata in Spiritu Sancto. Rom. 15: 16. ℣. 2.

III. Celebrationis cauſas. Hic eſt

1. Propoſitio bipertita.

(a.) *Celebrate Iah, quia bonus eſt Iehova.* Reſpicit ad primam partem verſûs primi.

(b.) *Canite nomini ejus, quia ſuave eſt.* verſ. 3. Reſpicit ad ſecundam partem verſûs primi.

2. Expoſitio item bipertita.

a. Bonitatis Dei Jah.

1 (α.) ab electione populi peculiaris. *Quia Iacobum elegit ſibi Iah, Iſraëlem in peculium ſuum*, id eſt, quòd per maximam miſericordiam elegit ſibi Eccleſiam, quæ ſub nomine *Iacobi* & *Iſraëlis* indigitatur. Quum *peculium* dicitur, conſignificatur redemtio. Omnes Iſraëlitæ quidem quodammodo fuere peculium Dei, quatenus ad hoc aſſumti, ut peculiaria quædam præ cæteris gentibus haberent: Unicè verò peculium illius ſunt, quibus Spiritum ſuum dedit, redemtis ſuo ſanguine. Qui autem peculium ipſius ſunt, eos oportet nomen & virtutes ejus celebrare. ℣. 4.

2 (β.) à comprobata magnitudine Dei Redemtoris. *Nam ego cognovi, quod magnus ſit Iehova, & dominus noſter præ omnibus diis.* Loquitur hic perſona Apoſtolorum, qui miſſi ſunt primò ad Iſraëlem, ut ei indicarent magnam illam ſalutem, quæ eſt in Chriſto. *Cognovi* experimento: ſcilicet effuſione Spiritûs ipſius. verſ. 5.

Magnitudo Domini (ejus, cujus eſt peculium,) definitur, vel etiam proba-
3 tur ab operibus. *Omnia, quæ vult Iehova, fecit in cœlo, & in terra, & in omnibus abyſſis.* Habet omnem poteſtatem in cœlo & in terra, ut ipſe dominus dixit. Nempe Spiritum ex cœlo dedit, Angelos miſit. In terra colligit Eccleſiam, idola peſſumdat, hoſtes judicat. ℣. 6.

Opera domini Iſraëlis quædam enumerantur. 1. Ordinariæ providentiæ in abyſſis, in terra, in cœlo. *Evehens vapores à fine terræ: qui fulgura in pluviam facit*, id eſt, mutat: *educit ventum ex theſauris ſuis*, verſ. 7. 2. Specialis gubernationis, tum in judicio hoſtium Eccleſiæ in Ægypto, verſ. 8. 9. tum in expulſione non-hæredum ex poſſeſſione hæreditatis, verſ. 10. 11. tum in datione hæreditatis. verſ. 12. In exemplum hæc proferuntur eorum, quæ ſimiliter iſtis fecit Deus in Novo Teſtamento.

(b.) Nominis Dei ſuaviſſimi à nominis illius efficacia ad fidem faciendam in
4 Deum, ut ſemper ſint, qui ipſum nominent. *Iehova, nomen tuum eſt in ſæculum; Iehova, memoria tui in ætatem & ætatem.* ℣. 13. Non poteſt non amœniſſimum nomen ejus eſſe, cujus memoria non ſubtrahetur ſæculis, cujus prædicatio & fides in perpetuum conſervabitur. Confirmatur hoc duobus modis. 1. à judicio Dei pro
5 Eccleſia & clementia erga ſervos ſuos. *Nam judicio aſſeret Iehova populum ſuum*, id eſt, quòd Deus non ſit paſſurus Eccleſiam opprimi, regnantibus in ea nominibus blaſphemiæ; *& ſuper ſervis ſuis pœnitudine afficietur*, redditâ ipſis mercede operis ſui. verſ. 14. 2. à vilitate idolorum & colentium ea. Unde apparet, Eccleſiæ certamen fuiſſe cum cultoribus imaginum. verſ. 15—18. Confer Pſ. 115.
6 B. Ad benedicendum Deo, ſive ad gratias ei agendum. ℣. 19. 20. Adjungitur

Epi-

Epiphonematis vice formula benedicendi Deo: aut quaſi antiphonema Iſraëlis, domus Aharonis & timentium Jehovam, ad præmiſſam exhortationem. *Benedictus Iehova à Sione, habitans Hieroſolymam.* Qui non tantùm in Sione habitat, ſed etiam in tota Hieroſolyma. *Hallelujah.* ℣. 21.

PSALMUS CXXXVI.

Ὁμολογία, quæ redditur Deo, ut domino dominantium, verſ. 1. 2. 3. &c. & ereptori Eccleſiæ ab omnibus hoſtibus, verſ. 23. 24. &c.

Excitat ad *confitendum Iehovæ*, (hic præſupponitur teſtimonium Dei in verbis & factis.) *quòd bonus ſit, quòd in ſæculum ſit gratia ipſius.* Hæc materia confeſſionis. Talis confeſſio quadrat Euangelio. *Gratia* enim eſt amoris gratuiti ad maximum bonum conferendum enixa & conſtans ἐνέργεια, quæ in Euangelio prædicatur. Et in voce לעולם conſtantia indicatur. Boni magnitudinem indicat τὸ *Bonus*, & eam præſupponit τὸ *confiteri.* verſ. 1.

His ſubjunguntur elogia gloriæ Dei verſ. 2. 3. (Ubi nota bonum regni Dei indicari titulo Dei, *Deus deorum & Dominus dominantium.*) & operum Dei, quibus ſcilicet illa elogia confitenda meritus eſt. Omnibus autem additur, *Quia in ſæculum eſt gratia ipſius*, ut ſignificetur, omnia iſta opera à gratia eſſe & ad eam demonſtrandam facere.

PSALMUS CXXXVII.

PRæfert perſonam illorum, qui fuerunt in captivitate Babylonica poſt deſtructionem Hieroſolymæ. Duo continet:

A. Declarationem triſtitiæ in exilio. verſ. 1—6. Ex his intelligitur, qualis fuerit conditio piorum Veteris Teſtamenti, nimirum abductionem ex terreſtri hæreditate pro ſigno iræ Dei reputare, ideoque maximè contriſtari. Compenſari potuiſſet illud damnum, ſi populi, ad quos veniebant exſules, ipſis dati fuiſſent hæreditandi. Atqui hoc negant verſ. 4. *Quomodo caneremus carmen Iehovæ in terra aliena?* Nondum enim acceperant mandatum prædicandi verbum Dei omni creaturæ.

B. Imprecationem judicii in auctores everſæ Hieroſolymæ.

I. in Idumæos inſtigatores hoſtium ad penitùs exſcindendam Hieroſolymam. *Memento, Iehova, filiis Edom diem Hieroſolymorum: qui dicebant, Nudate, nudate, uſque ad fundamentum, in ea.* verſ. 7.

II. in Babylonios. *Filia Babelis deſolata; beatus, qui tibi rependet, quod feciſti nobis.* verſ. 8. *Beatus, qui apprehendet & affliget, ut diffluant, pueros tuos ad rupem.* verſ. 9.

Babelem vaſtatam & penitùs everſam tandem vidit mundus. Confer Eſa. 13.

PSALMUS CXXXVIII.

A. PRoteſtatur Eccleſia Novi Teſtamenti de confeſſione ſua, & confeſſionis ſinceritate. *Confiteor te* (Jehovam, ut ex verſ. 4. patet.) *ex toto corde meo,* 2
id eſt, aſtipulor tuo teſtimonio, & te agnoſco eum, quem nobis te declaraſti

verbo & opere, ſine hypocriſi, neque quia id videtur convenire meis concupiſcentiis, ſed quia amo juſtitiam tuam, & ſervitutem juſtitiæ tuæ, & communionem
3 tui; *coram diis cano te.* Subinnuitur, pios à diis nominatis, principibus populi
ſedentibus in cathedra Moſis, vocari ad tribunalia & in judicium rapi. Ideoque
eum, quem pii confitentur, à diis abnegari. Ibi verò Deum *canebant*, id eſt,
confitebantur cum lætitia. verſ. 1.

Vide Act. 5: 41.

§. 2 *Adoro ad templum ſanctum tuum*, Chriſtum, in quo plenitudo Deitatis habitat corporaliter, id eſt, in quo reperitur ad fidem & ſalutem, quicquid Deus & in Deo eſt; *& confiteor nomen tuum*, id eſt, confiteor te manifeſtatum talem ac tantum, qualis quantuſque ad ſalutem noſtram & ad gloriam tui manifeſtari & credi voluiſti. verſ. 2. p. p.

B. Confeſſionis ratio eſt

1 I. Exhibitio gratiæ & veritatis. *Propter gratiam & veritatem tuam*, quæ ſcilicet eſt in Chriſto, Joh. 1: 17. *Gratia* eſt amor merus & impenſiſſimus ad ſummum hominis bonum cum abolitione omnium iræ effectuum; quales accuſatio, petitio ſatisfactionis, ſubſcriptio chirographi &c. opponiturque Legi iram operanti; *Veritas* eſt gratiæ conſtantia & clariſſima demonſtratio, opponiturque umbris. verſ. 2.

II. Magnificatio dicti Dei. *Magnificâſti ſuper omne nomen tuum dictum tuum.* Patres quidem audiverunt *nomen tuum*, & ſperaverunt in te; ſed quæ tu nobis *dicis*, Fili Dei, qui verba Dei loqueris, exſuperant omne nomen tuum, quod hactenus nobis innotuit, auditum & pronunciatum ab hominibus. verſ. 2.

4 III. Exauditio & animatio & cooperatio. *Quo die clamavi, reſpondiſti mihi; facis me animoſum*, das mihi ſpiritum δυνάμεως, ἀγαλλιάσεως, παῤῥησίας; vide Act. 6: 10. *in anima mea robur eſt*, amor fortis, nullâ re retuſus aut imminutus, ſuperans omnes difficultates & ad habendum retinendumque amatum indefatigabiliter connitens. ℣. 3.

5 IV. Subactio regum terræ ad confitendum Dominum. *Confitentur te omnes reges terræ, quia audiverunt dicta oris tui.* Poſt Eccleſiæ prima certamina tandem hucuſque vicit, ut omnes reges & magnates in omnibus partibus, ubi Eccleſia fuit, agnoſcerent, Chriſtum eſſe regem ſuper omnia. Id effectum eſt per Euangelium, ſive ea dicta, quæ Deus ſuo ipſius ore locutus eſt in carne, & per Apoſtolos fecit narrari inter gentes. ℣. 4.

8 V. Vindicatio gloriæ Dei. *Et canunt in viis Iehovæ, quòd magna ſit gloria Iehovæ.* Reges ipſi, de quibus verſu præced. *canunt in viis Iehovæ*, id eſt, in via juſtitiæ quærunt vitam & ſalutem, Domini viis ſe accommodant & Dominum ſequuntur, loquentes de gloria Domini cum lætitia; *quòd magna*, quippe verè divina, & ad plurimos extenſa, *ſit gloria* ſive præſtantia omni laude, honore & gratiarum actione digna *Iehovæ*. Hæc eſt gloria gratiæ & veritatis. ℣. 5.

7 Magnitudo gloriæ divinæ illuſtratur duabus rationibus. 1. *Nam præaltus eſt Iehova* & excedit omnem altitudinem creaturæ. 2. *Deus videt humilem*, id eſt, eo delectatur, humilibus dat gratiam. 3. *& altum è longinquo noſcit*, & abomina-
6 tur Luc. 16: 15. Indigitatur hic dolus & oſtentatio, qua utuntur illi, qui apud
homines alti eſſe volunt, & gloriam Dei opprimunt, ut ſe juſtificent & glorificent
apud homines. Fore autem aliquando, ut gloria Dei aliquamdiu imminuta & obſcurata tandem aſſeratur. ℣. 6.

VI. Vi-

VI. Vivificatio in anguſtia & ſalvatio ab hoſtibus. *Ubi ambulo in medio anguſtiae* 9
vivificas me, id eſt, vivum conſervas, ne moriar: *in iram inimicorum meorum*
mittis manum tuam, id eſt, compeſcis, frenas, moderaris iram eorum; *& ſal-* 10
vat me dextera tua, percutiens inimicos meos iratos, & mihi faciens pacem, illis
debilitatis, territis, cohibitis. ℣. 7. Intelligitur, etiam, poſtquam reges Dominum
confeſſi ſunt, reges & populos, inter quos agit Eccleſia confitens Deo, aliquo
tempore Eccleſiæ *anguſtiam* facturos. Ea eſt ϑλῖψις.

VII. Benedictio luculenta. *Jehova totus eſt circa me.* Magno quaſi ſtudio be- 11
nefacit mihi & protegit me, tanquam aliis rebus omiſſis hoc unicè agens. ℣. 8.

Liberati ab hoſtibus indicibilem clementiam experti ſumus.

C. Oratio pro conſtantia. Vide

I Argumentum ſuaſorium ab æternitate gratiæ. *Jehova, gratia tua eſt in ſæculum.* Eſt ἀμεταμέλητος. Eſt enim *gratia*, in qua eſt propoſitum miſerendi & omni benedictione cumulandi, quod propoſitum eſt immutabile, quia ipſe Deus æternus eſt, & non mutatur. Eſt in eadem gratia vocatio, quæ non poteſt non ſiſtere id, quod vocat.

II. Petitio. *Opera manuum tuarum ne omittas.* Ne patiaris deſtrui, quod ædificâſti; opprimi, quod in lucem protraxiſti. Fideles, qui ſunt in manu tua, ne patiaris eripi tibi. Regnum, quod exorſus es, ne omittas, quin id conſummes & ad omnium ſubjectionem deducas. ℣. 8.

PSALMUS CXXXIX.

DUas habet partes:

A. Confeſſionem, quòd Deus omnia hominis præſciat. verſ. 1—4. quòd omnem motum hominis limitet, ut nihil poſſit agere, Deo non permittente. ℣. 5. quòd homo ſine Spiritu Dei non moveatur. Cum hypotheſi omnipræſentiæ Dei. verſ. 6—10. Quòd denique ipſe fidelis expertus ſit fructum omniſcientiæ & omnipræſentiæ divinæ in gratiæ Dei conſtanti & efficaci operatione. Hic eſt

1. Exomologeſis ſuæ infirmitatis. *At ego dixeram, Certè tenebræ comminuent* 11
me: & nox fiet lux, quæ eſt circa me, id eſt, ego metui, ne tenebræ me extinguerent & à facie tua abolerent: ne lux mea in noctem verteretur.

Nullum aptius exemplum eſt hujus tentationis, quàm quum Eccleſiam Chriſtianam Cimmeriæ tenebræ doctrinæ peccati circumvallarunt. Ubi fatetur, ſe deſperatione tentatam eſſe, non ſatis conſideratâ divinâ omniſcientiâ & omnipræſentiâ, atque ita metuiſſe, ne Eccleſia periret inter tot hypocritas, & ne ſua lux in tenebras verteretur, contagione multorum ſerpente ad ſingulos. ℣. 11.

2. Explicatio gratioſæ conſervationis Dei. *Etiam* (nihilominus tamen) *tenebræ non obtenebrabant à te: & nox ut dies lucebat: perinde erant tenebræ & lux.* verſ. 12. *Quia tu acquiſiveras renes meos, occultaveras me in utero matris meæ.* verſ. 13. Beneficia, quòd 1. non immiſerit in ſe, ut in alios, efficaciam erroris, ut deficeret à Deo. 2. quòd in nocte, quâ Deus punivit quoſdam homines, nihilominus operoſa & efficax fuerit gratia per lucem. 3. atque ita effecerit Deus, ut æquè propagaretur Eccleſia & conſervarentur electi in tenebris mundi, ac ſi totus mundus Euangelii doctrinam puram putam reciperet & nemo ei contradiceret. verſ. 12. Ratio beneficii 1. ſanctificatio. *Tu acquiſiviſti renes meos*, id eſt, inſpi-

inſpirâſti fidem & timorem intimis meis, atque cor reneſque meos indito ſpiritu tuo feciſti tua. 2. conſilium Dei in ipſo conditu de quovis homine, inprimis hæredibus vitæ. *Tu me recondideras in utero matris meæ*, id eſt, tu me feceras exiſtere, & continueras & confoveras me in latebris uteri, ut naſcerer, qui natus ſum, non minùs, quàm complexus es aquas ad formandum ea, quæ formata ſunt.

3. Gratiarum actio 1. pro electione ac redemtione. *Confiteor te, quia tremendis modis ſeparatus ſum* à numero mortuorum in Adamo; quo concurrit profundiſſimum & inexplicabile myſterium conſilii & providentiæ divinæ, quâ permiſit hominem labi & humanum genus reum fieri, ordinavit Sponſorem, & ex nihilo deterioribus quoſdam rejecit. Eſt enim in hâc ſeparatione בחירה *ἐκλογὴ*, *electio.* Alterum, pro quo gratias agit, ſunt *opera Dei mirabilia*, ea nimirum, quibus ſalus homini parta eſt, incarnatio, paſſio, mors & reſurrectio Chriſti; miracula, quæ fecit; effuſio Spiritûs Sancti, vocatio gentium, Judæorum rejectio. Tertium eſt donum notitiæ. *Et anima mea agnoſcit valde*, Salvatorem ſcilicet & ei cum fiducia innititur. ℣. 14. Quartum eſt ſingularis providentia & cura circa productionem ſui. ℣. 15. 16.

4. Glorificatio Dei propter conſilia Dei maxima & numeroſiſſima operibus teſtata. Id dicit

(a.) in genere. *Et mihi quàm difficiles ſunt cogitatus tui; quàm numeroſæ ſunt ſummæ eorum!* verſ. 17. *Si memorem eos, præ ſabulo abundarent.* verſ. 18. p. p. Conſilia Dei, quæ ſpectant gubernationem Eccleſiæ & mundi, ſingulorumque hominum, cumprimis electorum, denotat, quæ in *ſummis* & *κεφαλαίοις* expoſita ſunt in Sacris Literis; in particulari noſcuntur per experientiam.

(b.) in ſpecie duobus exemplis verificat.

2 (α.) mirabilis conſervationis fidei in magnis tentationibus & quaſi ſomno ignorantiæ & erroris. *Evigilavi, & adhuc fui tecum.* ℣. 18.

Non ſtatim omnes, qui ante Concilium Tridentinum, quum adhuc Eccleſia haberet communionem cum cœtu Papæ, iique cœtus diſcreti non eſſent, quique multos errores, tanquam veritatem receperunt, damnandi ſunt, quòd defecerint à Deo. Eò enim uſque eos illuminavit Deus, ut fundamento adhæreſcerent, neque aliud fundamentum præter illud, quod poſitum erat & publicatum inter omnes, ponerent. Confer Apoc. 2: 24.

3 (β.) occiſionis Improbi. *Quum occideres, ô Deus, Improbum* gladio verbi tui, & à communione ſanctorum ſegregatum ad mortuos relegares. ℣. 19. p. p. Confer Eſ. 11: 4.

4 5. Profeſſio gratitudinis in rejectione Improborum. *Et* (hoc eſt, *Ergo*) *homines ſanguinarii*, qui me ad ſanguinem uſque perſequuntur, *recedite à me.* Nolo mihi quicquam vobiſcum eſſe commune. verſ. 19. *Qui Te dicunt*, id eſt, nomen tuum in ore habent, *per aſtum*, ad tegendum aſtum ſuum. Non enim quærunt regnum tuum, ſed regnum ſuum; deinde ſeductores ſunt. Nam *extulerunt ad id, quod temerariè colitur*, ad mendacium & falſam auctoritatem, cui temerè creditur, *urbes tuas*, id eſt, cœtus hominum à te denominatorum, qui ubivis locorum in nomine tuo conveniunt, & ſocietate initâ cohabitant, & ſeniorum regimini ſe ſubjecerunt, in quibus eſt ſemen promiſſionis. ℣. 20.

B. Orationem. Ea tria habet membra:

I. 'Ἐπι-

I. Ἐπιρρώμα de ſinceritate ſeparationis à cœtu maligno, poſt explorationem ſui ipſius. *Annon oſores tuos, Jehova, odio habeo, & cum iis, qui inſurgunt contra te, rixor?* verſ. 21. *Perfecto odio odi ipſos. Et extiterunt mihi Hoſtes.* verſ. 22. q. d. Quare igitur permittis, ut affligant nos? 5

II. Permiſſionem explorationis ſui. *Serutare me, ô Deus, & cognoſce cor meum: explora me, & cognoſce cogitationes meas.* verſ. 23. *& vide, an via doloris ſit in me?* verſ. 24. p. p. id eſt, fac nobis manifeſtum, an ſimus in via conſolationis & lætitiæ, cujus nos nunquam pœniteat. 6

III. Orationem, ut ſe ducat in viam rectam, quæ non perit. *Et duc me in viam perpetuam*, id eſt, repurga me ab omnibus ſordibus, & duc in viam ſtabilem, certam, quæ & in hoc ſæculo fructus, & in altero ſæculo finem æternæ vitæ affert. Amen. ℣. 24. p. a.

PSALMUS CXL.

IN forma orationis oſtendit perpetuam Dei curam circa Eccleſiam, ejuſque liberationem à variis hoſtibus.

A. Petit liberationem à lingua malorum. *Libera me, Jehova, ab homine malo,* 1
fac, ut liber ſim & expeditus à conjunctione & complicatione cum hominibus Deo & hominibus πονηροῖς; *à viro violentiis utente retine me*, ne in manum illorum tradar. verſ. 1. Deſcribit autem, quomodo 1. mali ſint in ſe ipſi. *Qui cogitant mala in corde*, & propterea *omni die metuunt bella.* Poſtquam receſſerunt à Deo & regem ſuum rejecerunt, metuunt iram ejus, exagitante ipſos conſcientiâ ſuâ, metuunt ſcilicet, ne Romani tollant & locum & gentem. Joh. 11: 48. ℣. 2.

Id accidit Judæis. Qui & hoc crimini ſuo addiderunt, ut ſervos Dei & regem à ſe rejectum in odium gentium adducerent; ne per ipſos ſcilicet ſanguis innoxius in ipſorum capita devolveretur. Vide Act. 5: 28. *Et vultis in nos ſanguinem hominis hujus deducere.* Sed quod voluerunt cavere, in id inciderunt.

2. quomodo injurii & noxii ſint erga innocentes: nempe linguâ acutâ & venenatâ. *Acuerunt linguam ſuam inſtar ſerpentis. Venenum aranei eſt ſub labiis ipſorum*, id eſt, in theſauro cordis, ex quo verba venenata depromuntur per labia. *Selah.* verſ. 3.

Vide Act. 9: 23. 13: 50. Apoc. 2: 9. Ita Act. 14: 2. 19. 17: 5. 18: 12 19: 33. 21: 27. 22: 22. 23: 12. 24: 5. 1 Theſſ. 2: 14. 15. 16. Rom. 15: 31. & ſimil.

B. Petit conſervationem è manibus Improbi. *Conſerva me, Jehova, è manibus Improbi; à viro violentiis utente arcte retine me: qui cogitant impellere veſtigia mea,* ut Deum abnegem. verſ. 5. 2

Deſignat omnes tum Judæos tum gentes conjunctim juſtitiam Dei rejicientes & fidem Eccleſiæ violentiâ ſubvertere ſatagentes.

C. Narrat, quomodo à Superbis ſit ereptus. Exponit

I. Factum Superborum. *Occultarunt Superbi laqueum mihi, & funes: Expanderunt rete juxta orbitam: decipulas poſuerunt mihi.* ℣. 6. 3

II. Suam confeſſionem & preces. *Dixi Jehovæ, Tu es Deus meus. Auſculta, Jehova, vocem ſupplicationis meæ.* verſ. 7. 4

III. Dei opem. *Jehova, Domine, robur ſalutis meum, texiſti caput meum in die* 5

armorum. verſ. 8. *Superbi* dicuntur duplici ferè nomine. 1. Ambitioſi, cupidi honorum & poteſtatis in alios, aucupantes auram vulgi & ſtudentes trahere poſt ſe diſcipulos. 2. Qui fiduciâ ingenii ſui teſtimonium Dei contemnunt & falſam doctrinam invehunt. *Laquei*, *funes*, *retia*, *muſcipulæ* ſunt pernicioſa dogmata colore verbi Dei incruſtata & contecta, à Chriſti agnitione & fide homines abducentia; αἱρέσεις ἀπωλείας. Frequentatio iſtorum vocabulorum ſignificat frequentiam tentationis. Unâ ſuperatâ, nata eſt alia.

3 Photinus, Samoſatenſis Paulus, Ebion Chriſtum negabant eſſe aliud, quàm merum hominem. Sabellius Filium Deum faſſus eſt, ſed non diſtinctum à perſona Patris. Arius Deum factitium introduxit. Macedonius Spiritum Sanctum negavit Deum. Neſtorius negavit incarnationem. Eutyches confuſionem naturarum excogitavit. Omnia hæc in illud centrum coïbant, Chriſtum hominem non eſſe Deum noſtrum.

4 Confeſſio Eccleſiæ omnibus tendiculis Satanæ oppoſita eſt.

5 Indicat autem Chriſtum *in die armaturæ*, id eſt, ſpiritualis prælii contra nequitias in ſupercœleſtibus, ſibi fuiſſe pro galea & clypeo, qui non tantùm eſſet efficax ad perſuadendum veritatem, ſuppeditandumque argumenta ad refellendam doctrinam falſam, ſed etiam qui ſuos conſervaret per ſuam potentiam ab omni malo.

D. Orat contra τὸν ἄνομον καὶ ὑπερήφανον. Eſt hic

6 I. Petitio negandi ſucceſſus. *Ne des*, *Jehova*, *cupiditates Improbi*; *propoſitum ejus* (vel, *quod propoſuit ſibi*,) *ne ſinas exire* in rem. verſ. 9.

7 II. Querela. *Efferuntur. Selah.* verſ. 9. *Caput circumagentium me* extat. *Malitia laborum ipſorum operit ea*. verſ. 10.

8. 9 III. Imprecatio. *Devolvantur ſuper ipſos prunæ*; *in ignem injiciet ipſos*: *in*
10. 6 *ſcrobes*, *ne ſurgant*. verſ. 11. Petit Eccleſia *primo* contra ἄνομον, qui legem peccati & injuſtitiæ fert, ut Deus non det cupita ejus. Cupit autem ille dominari omnibus ſub ſpecie regendi & judicandi Eccleſiam. Non poteſt autem dominari ut caput Eccleſiæ, niſi docuerit & perſuaſerit priùs, Chriſtum nunc non poſſe eſſe caput Eccleſiæ immediatum, quia nunc non eſt in terra.

7 Querela explicat tria diſtinctè. 1. τὴν ἔπαρσιν *elationem* in commune. nimirum quòd ſe ſupra Eccleſiam extollant & ſupra ordinationem Dei & locum ſuum. Data illis eſt terra, & volunt de cœlo loqui. 2. quòd *avertentes* Eccleſiam *caput fecerint*. 3. quòd pleno ore labia ipſorum deſpument falſam doctrinam, quæ non affert conſolationem, ſed ærumnam, moleſtiam, & miſeriam.

8 Imprecatio approbat judicia Dei: Quæ ſunt 1. *injectio prunarum in ipſos*, id eſt, dolor & cruciatus ex veritatis propalatione & plurium à regno Improbi ſe-
9 ceſſione. 2. *ipſorum injectio in ignem*. Tormenta ea majora ſunt ex incrementis
10 Eccleſiæ & fruſtratione conatuum eam opprimendi. 3. *in barathra*. Significatur extrema humiliatio ſub pedes Eccleſiæ per potentiores facta. Eſ. 26: 5. 6.

11 E. Viro linguæ & Viro violentiæ eliminationem è terra & ruinam prædicit. *Vir linguæ*, qui non nititur verbo Dei, ſed ſapientiâ ſuâ, neglecto, quid Spiritus Sanctus in Scriptura dictet, & per εὐλογίαν ſeducit corda ſimplicium, *non ſtabilietur in terra*: *Virum violentiæ malum* quod attinet, *venabitur cum ad præcipitia*. verſ. 12.

Fortaſſe non unus *Vir* hic notatur, & convenit id ἰσχύει ἐπιλέγειν, quoties aliquem videmus immanitate & crudelitate graſſari.

F. Ex-

F. Experientiam præconceptæ ſpei de judicio piorum teſtatur. *Noveram, quòd* 12
a Burus eſſet Jehova judicium inopis, judicium egenorum. Quod olim ſperavi, id
nunc video in hoſtibus Eccleſiæ completum. Significatur, aliquando Deum vin-
dicaturum eſſe inopem & egenum aperto judicio. ℣. 13. Confer Eſ. 25: 4.

G. Clementiam erga Eccleſiam deprædicat. *At certè juſti* per fidem *confite-* 13
buntur nomini tuo: ſedebunt recti, in quorum corde non eſt dolus, *ante faciem tuam,*
ut coram magiſtris ſuis diſcipuli. Deus verò ipſis præſens erit, & faciem ſuam
intuendam ipſis præbebit, & ipſos curabit ac diligenter cuſtodiet. ℣. 14.

PSALMUS CXLI.

ET in hoc Pſalmo eſt idea votorum Eccleſiæ Novi Teſtamenti in vario cli-
mate.

A. Petit

I. Exauditionem cum ſtipulatione de acceptatione precum tanquam ſuffitûs &
muneris veſpertini. *Jehova, te invoco, propera ad me,* id eſt, properè ſuccurre 1
mihi; *auſculta vocem meam, quum invoco te.* verſ. 1. *Diſponatur oratio mea ſuffi-*
tus coram te, & elevatio palmarum mearum munus veſpertinum. Apparet, precan-
tem hic in eo ſtatu eſſe, ut ſuffitu & munere Deum colere non poſſit. Sed loco
ſuffitûs preces ex vero cordis affectu prodeuntes, loco agni palmæ puræ & caſtæ,
ſpirituale & rationale ſacrificium, Deo offertur. Appoſitio hic, ut & Hoſ. 14: 3.
unius cum altero commutationem notat. verſ. 2.

Referimus hæc ad Eccleſiam in deſertum gentium deductam, abrogato ceremoniali cultu.

II. Conſervationem ſui à peccato linguæ, cordis & operis, proprio, & à
communione alieni. *Pone, Jehova, cuſtodiam ori meo; retinaculum ad fores la-* 2
biorum meorum. ℣. 3. *Ne inclines cor meum ad rem malam,* vel verbum malum, ut
ſcilicet id mihi blandiatur, & ad id attendam, ſepoſito verbo tuo, *ut faciam ope-*
ra in improbitate: Suntque omnia, quæ ad ſuperſtitionem pertinent & ἐθελοθρησκείαν:
deinde omnis perſecutio veritatis & juſtitiæ, qualia opera habent in mundo ſpe-
ciem ſapientiæ in cultu voluntario, Col. 2: 23. deinde & zeli pro Eccleſia: *cum*
viris operantibus vanitatem, Deum deferentibus & verbum ejus, id autem, quod
nihil eſt, proſequentibus, quorum via perit: *& ne veſcar de cupediis ipſorum,* qua-
lia ſunt ea, quibus rex ultimi temporis Deum quendam peregrinum, quem non
recognoverunt Patres ipſius, honoraturus erat. Dan. 11: 38. 39 ℣. 4.

III. Integritatem parrheſiæ non frangendæ: ubi interim gratias agit pro coër-
citione per malos, & unctione afflictionem & redargutionem comitante. *Tundat*
ſanè me Juſtus, Chriſtus, juſtus ille, coërceat me; *gratia eſt,* à gratia id pro-
venit: *& redarguat me; unguentum capitis.* Ejus coërcitionis & redargutionis
agnoſco fructum ſpiritualem lætitiam, Deo Spiritum ſuum dante illis, quos tun-
dit & redarguit. Orat tamen, *ne frangat quis caput ſuum.* ne ſinat Deus illud debi-
litari, quo minùs id in fiducia erigat. Fiduciam ſuam integram teſtatur ex eo,
quòd & *in malis illorum,* improborum ſcilicet operantium vanitatem, ex verſ. 4.
oratio ſua duret ex fide & charitate profecta. Nam ego me de eorum malis affli-
cto, tanquam ſi eſſent mala mea. verſ. 5.

IV. Conſervationem in vita. Hic eſt

1. Narratio de

3 (a.) occaſione afflictionis. *Lubricati ſunt per latera petræ judices ipſorum* operariorum vanitatis, ut qui conabantur aſcendere in petram, qui connitebantur ad apicem ſummum auctoritatis in Eccleſia, lubricatis greſſibus præcipitarentur: *&*, hoc caſu facto, *audiverunt*, judicum iſtorum populus, *dicta mea*, Eccleſiæ fidelium. *Nam ſuavia ſunt*. verſ. 6.

4 (b.) afflictione. At inde extitit perſecutio. *Tanquam arans & findens eſt in terra*: *ſparſa ſunt oſſa noſtra juxta infernum*. verſ. 7.

2. Oratio. Quippe Eccleſia ſciens fidem ſuam oppugnari, in bona conſcientia
5 ad Deum confugit, eumque orat, *ne velit animam ipſius evacuare*, id eſt, ſeſe interficere, vel ſe privare voluptate ſuâ, quæ eſt in lege Dei. ℣. 8.

6 V. Cuſtodiam à laqueo & laqueis. *Cuſtodi me à manibus tendiculæ, quâ aucupantur me*: *& laqueis operantium vanitatem*. verſ. 9. Novam tendiculam, ſuperſtites laqueos deſignat; ſive ſint decipulæ doctrinarum, hominis linguoſi, Pſ. 140: 12. ſive homines violenti & mali. ibid.

B. Gratulatio

7 I. de judicio Dei. *Cadunt in retia illius improbi.* Qui retia paraverant piis, ii irretiuntur & capiuntur per alios. verſ. 10.

8 II. de pace & congregatione Eccleſiæ perpetua. *Ego unà ero*, (Oppoſitum hoc diſperſioni, ſeparationi, diviſioni.) *dum tranſeam* ex hac militia in locum triumphi, hoc eſt, beatitudinis æternæ. ℣. 10.

PSALMUS CXLII.

ORatio Davidis eſt, cùm eſſet in ſpecu. Hiſtoriam vide 1 Sam. 24.

Afflictiones Davidis tanquam præludia ac typi repræſentantur paſſionum Chriſti, & jactationum populi ejus, dum vagantur extra terram per totum mundum, donec hæredes totius mundi fiant.

In fine hujus Pſalmi David meditatur partes ſuas & negotium ſuum, quod geſturus erat, quum rex factus, & ab omnibus hoſtibus liberatus eſſet. Nempe *confeſſionem nominis Dei*. Hujus voti memorem ſe oſtendit Pſ. 18: 1—4. Et ut omnes juſti cum ipſo ovarent, in ipſo coronati. In Davide patre David filius coronatus eſt. Nam exaltatio Davidis erat pignus exaltationis filii ipſius. Rurſus coronatio filii David, juſti ſervi Dei, eſt coronatio omnis populi ipſius, in ipſo juſtitiam conſecuti per fidem. Neque alios *juſtos* novit David, quàm qui in fide Abrahami juſtificantur.

PSALMUS CXLIII.

HAbet

1 A. Orationem Eccleſiæ ſub jugo conſtitutæ pro revelatione Gratiæ & Juſtitiæ Dei in Chriſto. Hic eſt

I. Propoſitio petitionis

1. Affirmata. *Iehova, audi orationem meam, auſculta ad ſupplicationem meam; in veritate tua reſponde mihi in juſtitia tua.* Hoc petit, quod à veritate Dei, ut promittentis, & à juſtitia Dei, ut abſolventis peccatores in Chriſto, exſpectari poteſt. Significat autem, ſe cupere audire verba Dei convenientia juſtitiæ ipſius, & videre opera ei conſentanea. verſ. 1. *Reſponde in juſtitia mihi*, id eſt, juſtifica me.

2. Ne-

2. Negata, quæ illuſtrat affirmatam. *Et ne venias in judicium cum ſervo tuo.* Hæc eſt *juſtitia* Dei *non venire in judicium*, nempe *cum ſervo ſuo*, ſed juſtificare impium converſum ad ipſum per fidem. verſ. 2. p. p.

II. Petendi rationes. 1. nullitas humanæ juſtitiæ. *Nam non juſtificatur apud te ullus vivens.* Nulla eſt noſtra juſtitia ſecundùm Legem; tuam deſideramus. Quam ſi non des, ſed iræ tuæ frenos laxes, periimus omnes. verſ. 2. Confer Act. 13: 39. 2. iræ Dei effectus tradentis homines in manus Inimici, hoc eſt, Satanæ. *Nam perſequitur Inimicus animam meam: contrivit in terram vitam meam: poſuit me in tenebricoſis locis, ut mortuos olim.* verſ. 3. *Et convolvitur apud me ſpiritus meus; in medio mei ſtupet cor meum.* verſ. 4. In hac querimonia noſcitur ſtatus Eccleſiæ ſub adventum Chriſti. Satan ſe armabat potentiâ totius mundi adverſus Eccleſiam Dei. Vide Apoc 12: 3. 4. Deinde ſervitus gentium erat inducta populo Judaïco. Tertiò populus in Judæa & extra Judæam cum gentibus (pridem mortuïs) commiſcebantur, parvâ utrorumque diſſimilitudine in pleriſque. Quartò erat κατήφεια piorum & ſtupor, neſcientium, quid ſibi indies exſpectandum eſſet. Quintò ipſi principes ejulabant, & quidem in aula Cæſaris, & quotidie nomen Dei blaſphemabatur. Eſ. 52: 5. Confer Eſa. 9: 1.

III. Petitionis ſuaſio ſive Argumenta ſpei.

1. Deſiderium conceptum ex meditatione antiqui temporis & operum Dei. *Recordatus ſum dierum ab antiquo, meditatus ſum de omni molitione tua, de operibus manûs tuæ ſermocinatus ſum.* verſ. 5. *Expandi manus meas ad te. Anima mea eſt ut terra ſiticuloſa ad te. Selah* verſ. 6. Summa huc redit, Eccleſiam ab antiquo rememiniſſe & conſideraſſe promiſſiones factas patribus prædictioneſque prophetarum, quæ indicant, quid Deus apud ſemetipſum præparaverit: Deinde & effecta, quouſque ſcilicet ea proceſſerint, quantum ex prædictionibus impletum ſit, & annon inſtet illud tempus, quo Deus debeat revelari in carne. Et verò, omnibus abſolutis, ad Deum palmas ſuas extuliſſe, ut illum venientem excipiat: Illum ſitire, ut ager torridus pluviam.

2. Summus languor & imbecillitas. *Feſtinanter reſponde mihi, Jehova, quia conſectus eſt ſpiritus meus; ne occultes faciem tuam à me; & aſſimilor deſcendentibus in foveam.* Deliquium patior, tantùm non emorior, tantùm non in gentiles degeneramus omnes, in quorum etiam poteſtatem nos tradidiſti. verſ. 7.

IV. Petitio diſtinctior de

1. prædicatione gratiæ cum nova luce. *Fac me audire matutinò gratiam tuam. Nam tibi confido.* Ego tanquam in nocte provecta, ut imminente matutino, in ſpecula ſto, & exſpecto atque ἀποκαραδοκῶ, dum diluceſcat, & audiam gratiam tuam, Euangelium nempe boni, ſalutis, pacis, juſtitiæ, quod promiſiſti. Nam ego tibi & verbo tuo confido. Non nitor meis viribus aut ſapientiâ, aut juſtitiâ meâ, ſed tuâ promiſſione & gratiâ. ℣. 8.

2. notificatione viæ ambulandæ ad regnum & vitam. *Notifica mihi viam, quâ ambulem. Nam ad te ſuſtuli animam meam.* Umbræ fuerunt ſub Veteri Teſtamento, & Spiritus ſervitutis. Petit doctrinam clariorem & Spiritum filiationis, ducentem in omnem veritatem. verſ. 8 2

B. Orationem Eccleſiæ tentatæ in Novo Teſtamento. Quâ petit

I. Ereptionem ab hoſtibus. *Erue me ab inimicis meis. Jehova; ad te texi. Jehova*, qui in gratia & veritate manifeſtatus es. *Hoſtes* multos nominans hoſtes Chriſti intelligit, ne excluſis quidem Judæis; petens ſe eripi ab illis: non ipſos peſſundari. 3

Rationem addit ſuam patientiam in exſpectatione voluntatis Dei. *Texi*, id eſt, diſſimulavi, patienter tuli omnes injurias, ſed *ad te*. Tibi enim reſervavi omnem cauſam meam, tibi commiſi me & judicium de hoſtibus meis. verſ. 9.

4 II. Condocefactionem ad faciendum voluntatem Dei. *Doce me facere voluntatem tuam. Nam tu Deus meus es.* Tibi ſoli credo & adhæreſco. Tu enim es mea ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemtio. Idcirco doce me, ne aberrem à voluntate tua. Nempe ſi nihil niſi noſtram ſapientiam & judicium afferamus ad lectionem verbi Dei, nihil cognoſcemus. Spiritualiter enim, id eſt, per amorem & timorem Dei, examinantur ea, quæ ſunt ſpiritûs Dei. Quicquid igitur diſcimus ex Sacris Literis, revelatio eſt. verſ. 10. p p.

5 III. Ductum Spiritûs ad veram Eccleſiam, vel ad evitandum ſcandala. *Spiritus tuus bonus ducat me in terram planam*, carentem ſcandaliſ, vel *in terra plana*, ut vitem lamas & offendicula. *Spiritus Dei bonus* opponitur ſpiritui Antichriſti, qui ducit in perplexitates, & facit improbos offendere & ruere in viis Dei. Nam & in Scripturis offendunt. verſ. 10.

IV. Vivificationem ſive conſervationem in vita. *Propter nomen tuum*, ne id ignoretur vel blaſphemetur, *Jehova, vivifica me* (vel, *vivum ſerva me.*) verſ. 11. Confer Pſ. 118 : 17. 18. deinde Hoſ. 6 : 1.

6 V. Eductionem ex anguſtia. *In juſtitia tua educas ex anguſtia animam meam.* verſ. 11. Quia juſtificas nos & condonas peccata, libera nos ex arcto, in quo anima periclitatur.

7 VI. Profligationem inimicorum & perditionem arctantium animam. *Et per gratiam tuam profliges inimicos meos.* Cum juſtitiâ Dei eſt gratia effectrix ſalutis: quæ dat victoriam & profligat omnes inimicos juſtificatorum. *Et perdas omnes arctantes animam meam. Nam ego ſum ſervus tuus*, non hominum. Tu me redemiſti, ut eſſes Dominus meus, ego peculium tuum. ℣. 12.

PSALMUS CXLIV.

Psalmus hic eſt δοξαστικὸς & εὐκτικός.

A. Glorificatio.

I. In genere debitam εὐλογίαν attribuit Deo. *Benedictus Jehova*, id eſt, omni laude & gloriâ afficiendus, propter omnes ſuas virtutes: inprimis propter indicibilem ſuam gratiam, quam exercet in peccatoribus, & fidem, quam ſervat fœderatis ſuis. verſ. 1.

II. In ſpecie beneficia Dei commemorat,

1. Præſidii addictionem & præſtationem ad fiduciam. *Rupes mea.* Qui quum ſit omnipotens & ſuſtentator omnium, mihi ad ſe confugienti ſtatum incolumem ab omni periculo addixit, & præſtitit hactenus, ut in eo, ut rupe mea, gloriari poſſim. ibid.

2. Largitionem animi & conſilii & fortitudinis ac directionis in bellis. *Qui aſſuefecit manus meas ad conflictum, digitos meos ad bellum.* Sive robore opus eſſet cominùs, ſive directione, arte, conſilio quàcunque parte militiæ, docuit me. verſ. 1.

3. Addictionem & præſtationem Gratiæ. *Gratia mea*, quòd non tantùm gratioſè me conſervaveris, & in gratia omnium eſſe feceris, ſed, quod maximum eſt, quòd mihi promiſeris regnum perpetuum in ſemine. ℣. 2. Confer Eſa. 55 : 3.

4. Præ-

4. Præstationem latebræ in persecutione. *Et arx mea.* ibid.
5. Dationem victoriæ. *Sublimatio mea.* ibid.
6. Evasionis præstationem. *Et evasionem præstans mihi.* Quum fugerem à facie Absolomi. ibid.
7. Protectionem ab hostibus invadentibus. *Clypeus meus.* ibid.
8. Admissionem sui ad receptum. *Et apud quem receptum habui.* Qui nunquam confugientem ad gratiam suam repulit, etiam quum magnis peccatis me reum iræ & rejectionis fecissem. ibid.
9. Subjectionem populi. *Qui subjecit populum meum mihi.* ibid. verf. 2.

Omnia hæc in vita Davidis exempla habent diversa.

B. Εὐχὴ manifestationem regni Dei petit. Hic igitur David loquitur pro semine suo Christo. Estque hic

I. Rejectio dignitatis humanæ. *Jehova, quid est homo, quòd agnoscis eum? & filius hominis mortalis, quòd rationem habes ejus?* verf. 3. *Homo vapori assimilatus est, dies ejus sunt ut umbra transiens.* verf. 4. Satis jam est demonstrata hominis vanitas. Duobus autem modis consideratur hic homo. 1. quatenus sub lege est, tanquam idoneus, à quo exigatur justitia. 2. quatenus homini subjicitur populus Dei, scilicet curatoribus & tutoribus. Confer Heb. 7: 28. At verò justitiæ Evangelicæ revelationem & regnum Filii Dei orat, quia satis demonstrata sit hominis vanitas. 1

II. Petitio, quâ petit

1. Descensum Dei de cœlo ad occupandum, post oblatum sacrificium boni odoris, regnum. *Jehova, inclina cœlos tuos, & descende,* manifesta te in terra. 2
verf. 5.

Insignissimè id fecit Deus, quando in terra carnem ex semine Davidis gessit, ut ei in terra dici posset: *Ecce Deus vester.*

2. Montium consumtionem. *Tange montes,* id est, regna mundi, *ut fument.* 4
verf. 5. *Fulgura fulgure, & disjice ipsos: mitte tela tua & conturba eos.* verf. 6. Petit, ut ea regna, quæ se opponunt regno Dei, igne consumat.

Id multis exemplis gradibusque factum est. Ita post abolitas Monarchias, quæ fuerunt ante Romanos, Judaïca respublica, Romanum Imperium, alia, fumarunt.

3. Sui ereptionem. Hanc distribuit in duo genera.

(a.) Extractionem ex aquis multis. *Mitte manum tuam ab alto, libera me, &* 6
eripe me ex aquis multis.

Exemplum extractionis Christi ex aquis multis est in resuscitatione Christi ex mortuis. in liberatione Ecclesiæ à persecutione gentilium.

(b.) Liberationem à falsis fratribus, non unis:

(α.) Judæis. *A manu alienigenarum,* qui non sunt participes regenerationis. 3.8
verf. 7. *Quorum os loquitur temerarium,* falsa & blasphema docent, *& dextra,* 4
quam porrigunt signum fraternitatis, vel quam erigunt ad jurandum Deo, *est dextera falsitatis,* dextra mendax. verf. 8.

Consequens est gratiarum actio. *O Deus, canticum novum,* in libertate, sine jugo legis, utpote destructo templo, *cantabo tibi, cum nablio decachordo psallam* 5
tibi; verf. 9. Occasio: *Qui dedisti salvationem regibus,* & per reges Ecclesiæ, *qui* 6
liberasti Davidem servum tuum, id est, Christum, vel potiùs Ecclesiam ejus, *à gladio malo,* sævo & crudeli. ỷ. 10.

(β.) Hæ-

(β.) Hæreticis. pseudoprophetis, falsis Christianis, qui Judæis similes. *Li-*
7 *bera me è manu a lienigenarum, quorum os loquitur temerarium, & dextra est dextra falsitatis.* vers. 11.

8 Consequens est

1. Filiorum filiarumque educatio ad gloriam Dei. *Ut sint filii nostri tanquam plantæ, educati* custoditè cautèque *in juventute sua: filiæ nostræ tanquam angulares lapides politi, in speciem palatii*: ut ab omni cupiditatis quasi ruditate exterse, sint ornatissimæ & commodissimæ ad plures familias in eadem fide in speciem templi conferendas & compingendas. vers. 12.

2. Abundantia salutaris cibi. *Anguli nostri pleni sint proferentes de cibo in cibum*, vel *de specie in speciem*, id est, omne genus. Ne desint nobis vetera & nova; suo tempore cibus tum corporis, qui necessarius est, ut opus Dei sine molestia faciamus, tum maximè spiritualis sit in promtu. vers. 13.

3. Copia pecoris, tum ovilli; *Oves nostræ*, in distinctione filiorum catechumeni, *per chiliades & myriades multiplicentur in vicis nostris.* vers. 13. tum bubuli. *Boves nostri*, qui onera Ecclesiarum portant, & politicâ disciplinâ molliorem reddunt agrum Ecclesiæ, *obesi*, carne & pinguedine onusti, alacres, fortes, validi. vers. 14.

4. Exclusio calamitatis omnimodæ. *Non sit ruptura, & non sit egressio, & non sit clamor in foris nostris.* Ne alienigenæ invadant & ordinem turbent; ne sit defectio: ne sit intra septa clamor ex mortalitate & peste, id est, à scandalis contra sanam doctrinam & bonos mores invectis: nulla tyrannis aut oppressio. vers. 14.

C. Epiphonema in μακαρισμῷ Ecclesiæ populi Dei. *Beatus populus, cui sic est: Beatus populus*, inquam, *cujus Deus est Jehova*, sine exceptione, merèque & sine adjunctione sociorum. vers. 15.

Ex hoc epiphonemate intelligitur, non de regno Davidico hic agi potissimum, sed de regno Christi filii Davidis; qui est Jehova, & rex Ecclesiæ solus.

PSALMUS CXLV.

Est generis δεικτικοῦ. Præscribitur תהלה לדוד, *Laudatio*, sive *celebratio Davidis*. Pertinet ad regnum Christi. Partes:

§ 3 A. Præfatio, quâ se excitat ad celebrandum Deum Regem suum. *Efferam te Deum meum, ô Rex*, id est, extollam te supra omne nomen, & exaltationem tuam credam & prædicabo, quòd nempe subditi sint tibi principatus & potestates, angeli & virtutes, teque, in quo omnes promissiones sunt Næ & Amen, cui credo, & gratias ago, in quo glorior, ut Deo meo, adorent omnes angeli Dei, atque ita œconomiæ veteris destructionem agnoscam & prædicabo; *Et benedicam nomen tuum*, id est, gratiarum actione prosequar omnem magnitudinem & bonitatem tuam, quæ de te prædicatur & dicitur; in specie auctoritatem tuam, quà solus & *Rex* sive redemtor & regenerator, & *Deus meus*, sufficientissimus salvator es, qui jussit me credere, *in seculum & perpetuitatem*, in populo subnascenti, vel, & in hac & in futura vita. vers. 1. *Omni die*, sine intermissione, (distinctio dierum tollitur.) *benedicam tibi, & celebrabo nomen tuum*, magnitudinem tuam omnibus modis ubique notificabo, *in seculum & perpetuitatem*. vers. 2.

B. Propositio laudis. *Magnus est Jehova*, qui promissiones amplissimas Patribus factas adimplevit, *& laudandus valde, & magnitudo ejus est impervestigabilis.* ℣. 3.

C. Exer-

C. Exergaſia magnitudinis & laudabilitatis Regis Chriſti immenſæ, in qua neminem in creaturis habet parem, neque habere poteſt.

I. in operibus; quæ tot tantaque tamque evidentia, ut memoria illorum non ſit interitura. *Generatio generationi laudabit opera tua.* Intelliguntur omnia opera, quæ Filius Dei rex Eccleſiæ fecit ab initio mundi uſque ad manifeſtationem regni ſui, & in poſterum, manifeſtato regno ſuo, omnibus ætatibus facit & faciet. Prædicitur hîc, narratum iri cum laude opera Dei à patribus, à filiis, à nepotibus in omnem ætatem: Eamque narrationem nunquam interruptum, neque ex ore hominum exciſum iri. verſ. 4.

In ſpecie ſunt in hoc cenſu præpotentiæ ſive victoriæ. *Et præpotentias tuas in-* 1
dicabunt. Qualis eſt victoria peccati & mortis, & ejus, qui mortis poteſtatem habet, Diaboli. verſ. 4.

II. in majeſtate. *Reverentiam gloriæ majeſtatis tuæ .... meditor. Majeſtatem*, id 2
eſt, virtutem, potentiam & ſplendorem regio nomine dignam. *glorioſam*, ſive ſupereminentem omnem majeſtatem. Eſt enim ſupra cœlos evectus rex, & declaratus rex regum, princeps angelorum & hominum. cum *reverentia* ſive vi flexanima ad obedientiam fidei, ſcilicet per effuſionem Spiritûs Sancti. verſ. 5.

III. in verbis. *Et verba mirabilium tuorum* (vel *tua*) *meditor*, id eſt, Euan- 3
gelium, in quo clarè prædicantur & explicantur ea, quæ omnem mentem & cogitationem cordis humani excedunt. ℣. 5.

IV. in tremendis judiciis. *Et robur* invictum *terribilium tuorum* judiciorum *di-* 4
cent hoſtibus tuis, Judæis & Gentibus reſiſtentibus regno tuo; *&* tum poſtea *ma-* 5
gnitudinem tuam narrabo. ex prophetiis divinitatem Chriſti aſſeram. ℣. 6.

V. in bono ac juſtitia donata. *Memoriam amplitudinis boni tui ſcaturient, &* 6
juſtitiam tuam cantabunt. Verum bonum, quod Chriſtus paravit Eccleſiæ, eſt 7
libertas, hæreditas æterna, gaudium & conſolatio certiſſimæ ſpei. Juſtitia Chriſti opponitur juſtitiæ humanæ. verſ. 7.

Juſtitiam Chriſti oppugnabat Pelagius & reliquiæ ejus, omneſque, qui 6
meritum urgent ullo modo. Hoc canticum eſt illorum, qui ſe Anti- 7
chriſto & doctrinæ ejus oppoſuerunt. Apoc. 14: 3.

VI. in bonitate & gratia: quæ potiſſima eſt Chriſti magnitudo. Verba repetuntur ex Moſe Exod. 34: 7. quæ & Pſ. 103: 18. leguntur. *Gratioſus & miſeri-* 8
cors eſt Jehova, longanimis & magnus gratiâ. verſ. 8. Amplificatur Dei bonitas ex ſubjectis. *Bonus eſt Jehova omnibus* ſine diſtinctione, interfectâ inimicitiâ, & pariete intergerino ſublato, *& miſericordia ejus eſt ſuper omnia opera ipſius*, ſive *omnes facturas ejus*, τὴν καινὴν κτίσιν. ℣. 9.

Utraque, & *bonitas* generalis, omnibus expoſita, & ſpecialis *miſericordia* erga omnes indiſtinctè, nullo magis tempore patuit, quàm, quum Euangelium Chriſti per omnes ferè gentes Europæas, dein Aſiaticas & Africanas multas propagatum eſt, & Eccleſia inter multitudinem hypocritarum ex omnibus gentibus crevit.

VII. in creatione populi peculiaris, qui ipſum regem agnoſcat, amet, ei benedicat, & regnum ac potentiam ipſius aſſerat. *Confitebuntur te, Jehova, omnes* 9
facturæ tuæ, veri fideles, *& ſerio amantes te benedicent tibi.* verſ. 10. *Gloriam regni tui dicent, & præpotentiam tuam loquentur.* verſ. 11. *ad notificandum filiis hominum præpotentias ipſius, & gloriam reverentiæ regni ipſius.* verſ. 12. Hoc dicit. Chriſti regis magnitudo & in hoc comprobatur, quòd, quum hoſtes ipſius mentian-

tur ipſi, ipſiſque immiſerit efficaciam erroris ad credendum mendacio & erigendum regnum contrarium, tamen aliquos ſibi creat & parat & ſegregat ab omnibus, quos non patitur ſeduci, ſed donat amore ac timore ſui, qui ipſum ſolum regem agnoſcunt ac confitentur, eique benedicunt & gratias agunt pro donis ipſius. nec tantùm, ſed & aſſerunt regni ipſius præſtantiam contra vilitatem regni mundani, (in quod regnum Dei transformare conatur Antichriſtus) & præpotentiam ipſius contra impotentiam hominum; quorum nemō valet vel ſe ipſum, multo minùs alium liberare à captivitate Satanæ & ſubjicere Deo; neque etiam regno ipſius reſiſtere. Quæ tamen omnia hoſtes præſumunt. Chriſtus autem hoc fine hunc populum facit, ut filiis hominum notificetur, quanta ſit ipſius præpollentia, & quàm glorioſa & præcellens efficacia ſit regni ipſius ad ſubjiciendum ſibi totum mundum; quum ſcilicet magnificatus fuerit & ſanctificatus in hoſtibus ſuis per parvulos, coram oculis omnium gentium. ut Ezechiel loquitur cap. 38. & 39.

Benè notandum, quòd narratio gloriæ regni Dei, (quæ gloria maximè in juſtitia Dei conſiſtit,) non certis hominibus, non throno, non capiti, ſed *piis* ſive *ſtudioſis Dei*, ſed *facturis Dei* attribuitur. Per eos Deus voluit veritatis doctrinam propagari ad notitiam omnium. Reliqui גוי לא חסיד Pſ. 43: 1.

10 VIII. in regni perpetuatione inter hoſtes: vel in regni ſui diſtinctione ab omnibus regnis. *Regnum tuum eſt regnum ſæculorum*, nec deficiens cum fine mundi. Si autem etiam poſt ultimum judicium Chriſtus ſit futurus rex immediatus, cur non & ante illud? *& poteſtas tua in generationem & generationem*, eò magis increbreſcens, quò magis finis mundi appropinquat. Contrà Papæ regnum deficit ante finem mundi. ℣. 13.

IX. in benignitate erga ſubditos. Hic eſt

11 1. Suſtentatio, ne labantur; erectio, ne opprimantur per preſſuras, ſed per eas etiam victores fiant. *Tenet Jehova omnes cadentes: & erigit omnes incurvatos.* verſ. 14.

2. Cibatio. *Oculi omnium in te ſperant, & tu das ipſis cibum ſuum in tempore ſuo.* Diſpenſas omnibus ſua tempora. Sive des panem anguſtiæ & aquam preſſuræ, tempore ſuo id facis: ſive des pacem & panem, tempore ſuo id facis. Omnia ſapienter & benignè. verſ. 15. *aperiens manus tuas & ſatians omne vivens*, in quo eſt vita Chriſti, quæ eſt vera vita, *benevolentiâ*. Nam cibus hic corruptibilis ſatiare non poteſt. verſ. 16.

3. Juſta caſtigatio ex gratia erga facturas ſuas. *Juſtus eſt Jehova in omnibus viis ſuis, & pius* (ſive *gratioſus*) *erga omnes facturas ſuas.* Quòd caſtigat ſuos, & hoc pietatis ſive ſummi amoris eſt, ne ſcilicet cum mundo condemnentur. ℣. 17.

12 4. Invocantium ipſum in fide ac timentium ipſum exauditio. *Propinquus eſt Jehova omnibus invocantibus ipſum, omnibus, qui ipſum invocant in veritate.* verſ. 18.

13.14 *Voluntatem timentium ipſum facit, & quiritationem ipſorum audit, & ſalvat ipſos.* ℣. 19. (*a.*) *In veritate* Deum invocat, qui 1. seriò. 2. in cognitione ac fide veritatis, non in falſa opinione de Deo, de regno ejus, de ſapientia, de juſtitia, ipſum invocat. Auditionis invocantium exemplum eſt Eſa. 19: 20. (*b.*) *Timentes Deum* hic ſunt, qui cuſtodiunt ſermonem Dei & teſtimonium Domini Jeſu & inquinamenta mundi fugiunt, nihil audentes, nihil volentes dicere, aut facere, aut approbare, niſi quod Deus docuit, dixit, præcepit, laudavit. *Deſideria timentium Deum* ſunt, ut purus Dei cultus & veritas ſalutaris ſtabiliatur, rejectis doctrinis

Deo-

Deo detrahentibus. Exemplum extat aſſertæ veritatis ex voto Eccleſiæ. Res ex
aliarum prophetiarum comparatione noſcenda eſt. (*c.*) Iidem timentes Deum op-
preſſi & quiritantes ſalvantur denique. Confer Eſa. d. l. 19: 20.
5. Diligentium ſe cuſtodia & profligatio Improborum. *Servat Jehova omnes di-* 15
ligentes ſe, & omnes improbos profligat. verſ. 20.

Videmus, quoſdam hactenus protegi & defendi, alios mirabiliter ex neceſſitatibus evadere, alios in locum reſtitui. Utinam verò hi omnes poſſint ſibi hoc dictum in bona conſcientia appropriare, tanquam *amantibus Jehovam.* Sed ſunt in mundo, qui amant Deum, propter quos integri ſæpe populi auxilio divino & benedictione fruuntur. Dies fortè exemplum conveniens & plenitudini hujus prophetiæ, ut & judicii, quod hic deſcribitur, afferet in deſtructione τοῦ Ἀνόμου.

X. In libera prædicatione laudis Dei & regni manifeſtatione ad omnem car-
nem. *Laudem Jehovæ loquetur os meum* in libertate, poſtquam omnia dicta à pro- 16
phetis fuerint repræſentata, & *benedicet omnis caro*, gentes & Judæi, *nomen ſan-*
ctum ejus, id, quod de Deo prædicatum eſt, ut factum ad manifeſtationem virtutum ejus, cum approbatione & obſignatione veritatis ac decentiæ, earundemque virtutum amore recognoſcet, & profitebitur, *in ſæculum & perpetuum*, profligatis improbis & regno ipſorum, & ore injuſtitiæ clauſo. verſ. 21.

PSALMUS CXLVI.

Regnum Dei cum regno aut principatu hominum componit. Partes:
A. Propoſitio, quâ ſe excitat ad celebrandum Deum. *Hallelujah.* Hæc 2
vox excitat generaliter omnes ad celebrandum Deum in omni ſua decentia revelatum. *Celebra, anima mea, Jehovam.* Deus non tantùm linguâ, ſed magis *animâ*, fide, charitate, timore, fiduciâ, exaltatione, appetitu, atque aviditate enixiſſimâ ac tenerrimâ ψυχῇ celebrandus eſt. ℣. 1. Decretum & propoſitum indicat. *Celebrabo Jehovam*, eum, qui factus eſt, quod eſt, *dum vivo*; *canam Deo meo, quamdiu ero*, per totam vitam, ut hic ſit æternæ vitæ principium. verſ. 2.

B. Confirmatio

I. à vanitate fiduciæ humanæ. *Ne confidatis principibus, filio hominis, qui ſalvare non poteſt*, quamvis id ſæpe præſumat, ut principes prioris ſæculi, & qui iis ſimiles in Novo Teſtamento. verſ. 3. *Exit ſpiritus ejus, redit in terram ſuam. Illo die pereunt ſplendidæ cogitationes ejus.* Sunt enim, dum vivunt, vanæ ſpei & cupiditati dediti. Quorum οὐδένεια & futilitas morte ipſorum arguitur. ℣. 4.

II. à beatitudine illorum, qui adjuvantur à Deo vero, eique confidunt. Hoc

1. Proponitur per μακαρισμὸν. *Beatus, cujus auxilium eſt Deus Jacobi*, is, qui ſe manifeſtavit Jacobi poſteris per Moſen & Prophetas; quique potentiam ſuam confert ad ipſorum ſalutem; *cujus ſpes eſt ſuper Jehova Deo ſuo*, credens, in ipſo eſſe juſtitiam & vitam, in eoque quærens inveniri, non habens juſtitiam ſuam, quæ eſt ex lege, ſed juſtitiam Dei, quæ eſt ex fide. ℣. 5.

2. Argumenta confirmantia τοῦ μακαρισμοῦ.

(a.) à dominio in cœlum & in terram jure creationis. *Factor cœli & terræ, maris, & omnium, quæ in eis ſunt.* Omnia igitur ipſi parent, & ſubjici debent, omnia miniſtrare debent diligentibus ipſum ad ipſorum bonum. ℣. 6.

 (b.) à vir-

(b.) à virtutibus, quas exercet
(α.) in beneficium erga suos. Quæ sunt
1 1. Exhibitio promissionum. *Qui servat veritatem in sæculum.* ℣. 6.
3 2. Vindicatio fraudatorum, id est, illorum, qui eos fraudant jure, quod habent in regno Dei. Es. 66: 5. *Qui facit judicium fraudatis.* vers. 7.
4 3. Cibatio esurientium. *Dans panem*, cibum cœlestem, incrementa Ecclesiæ & ἀνάψυξιν, *esurientibus.* ibid.
5 4. Solutio vinctorum. *Jehova solvit vinctos.* sub Cæsaribus paganis. vers. 7.
6 5. Illuminatio cœcorum. *Iehova acutum facit videre cæcos.* vers. 8.

Exemplum est in primitiva Ecclesia, quando orbis terrarum paulatim agnovit errores suos, non tantùm in quibus pagani hæserant, sed etiam dolos hæreticorum, &, ut Scripturam pro Canone haberent, & ex illa verum Deum & nomen ejus,& Mediatorem ac justitiam ejus agnoscerent, Dei gratiâ adducti sunt.

8 6. Erectio curvatorum. *Jehova erigit curvatos.* imperiis hominum & scandalis præter doctrinam invectis. ibid.
9 7. Demonstratio dilectionis justorum. *Jehova diligit justos*, id est, ita cum illis agit, ut constet, quòd diligat *justos*, id est, illos, qui veritatem Euangelicæ doctrinæ de justitia Dei Euangelica tuentur. vers. 8.

Testatus est Deus, quòd ipsos diligeret, cùm eos ex manu persecutorum eriperet, & in libertatem assereret.

10 8. Conservatio peregrinorum. *Iehova conservat peregrinos.* ℣. 9. Eos, qui à communione defectorum separati inter ipsos habent speciem peregrinantium. Conservat eos, licet toto die eis invideant & insidientur.
11 9. Statuminatio pupilli & viduæ. *Pupillum & viduam*, id est, Ecclesiam, caput & patrem, aut maritos, Episcopos, non habentem, *statuminat.* vers. 9.

Ut in Belgio, ubi Episcopalis dignitas abrogata est.

7 (β.) ad confusionem improborum. *At viam improborum intricat*, id est, omnes, qui non credunt Euangelio, miris modis confundit, & ab uno errore in alium facit ruere, ut exitum reperire non possint. Hoc colon omnem illam varietatem judiciorum complectitur. vers. 9.
12 III. à regni Dei perpetuitate. *Regnabit Iehova* solus sine sociis, *in sæculum, Deus tuus, ô Sion*, qui promissiones patribus factas implevit, & te sibi populum lucratus est, *in ætatem & ætatem.* Ergo, quemadmodum principes prioris sæculi sunt aboliti, ita exspectandum est, ut & omnis dominatio contraria, quæ est Antichristi sub Novo Testamento, aboleatur. Confer Esa. 24: 23. *Hallelujah.* vers. 10.

PSALMUS CXLVII.

Παρακλητικός.

A. Parænesis prima fit exemplo δοξολογίας agnoscentium verum Deum apud alios omnes, ut Deus verus Israëlis ab omnibus cognoscatur & celebretur. Hic est
3 I. Propositio. *Celebrate Iehovam: quia bonus est. canendo canite Deum nostrum: quia suavis est; decora est*, propter bonitatem & suavitatem Dei, *celebratio.* vers. 1.

Convenit hæc oratio Israëli nuper liberato è captivitate Babylonica ad gentes, in quarum medio habitabat.

II. Con-

I. Confirmatio

1. à potentia exercita erga Eccleſiam Iſraëlis in miſericordia. *Ædificat Hiero-* 1
ſolymam Iehova, deſtructam ſcilicet, quia ſecundùm ejus prædictionem reædi-
ficata eſt, *exſules Iſraëlis colligit.* verſ. 2. *qui ſanat contritos corde*, converſos
ad ſe per verbum prophetarum, *& obligat dolores illorum.* verſ. 3.

2. à ſupereminentia ſupra Deos gentium. *Qui numerat numerum ſtellis, omni-* 4
bus indit nomina, id eſt, dat ipſis uſum & miniſterium, lucem ſuam caloremque
proprium, quo noſcerentur, & locum, partim varium, ſed certis regulis ad-
ſtrictum, partim invariatum; cuique in ſua claſſe & turma, in qua cenſeri ac no-
minari poſſunt. verſ. 4. *Magnus eſt Dominus noſter & amplus viribus, & prudentiæ*
ejus non eſt numerus. verſ. 5.

3. à potentia exercita in judicio. *Statuminat manſuetos Iehova; humiliat* 2
improbos uſque ad terram. verſ. 6.

Exemplum evidens. Populus Iſraëliticus ante Chriſti adventum ſemper conſervatus eſt, ſub Antiocho etiam, ut primis temporibus Joſuæ & Davidis, inſignibus victoriis ornatus. Contrà omnia regna mundi, omnes tyranni interierunt & magnis judiciis oppreſſi ſunt ut Ægyptii, Syri, Ammonitæ, Aſſyrii, Perſæ, Macedones, Syriæ rex Antiochus magnus & Epiphanes, reges Ægypti Lagidæ.

B. Parænesis ſecunda, quâ omnes non adhæreſcentes Deo excitantur ad confi- 3
tendum Deo. Hic rurſus

I. Propoſitio. *Reſpondete Iehovæ* multis beneficiis præeunti *in confeſſione, ca-*
nite Deo noſtro cum cithara. Exprimite animi lætitiam etiam actu & ſtudio. ℣. 7.

II. Confirmatio

1. à generalis providentiæ beneficiis. *Qui operit cœlos nubibus, & aptè dat terræ*
pluviam: qui facit montes germinare gramine. ℣. 8. *Dat pecudi cibum ſuum, filiis*
corvi, qui clamitant. verſ. 9. Argumentum eſt ad omnes gentes, inter quas ha-
bitabat Iſraël, ut converterentur ad Jehovam.

Et ſanè illud in multis proſelytis & integris etiam urbibus ac gentibus poſt captivitatem Babylonicam habuit efficaciam. Nam multas urbes adduxerunt Judæi & armis & ſermonibus ad fœdus, ut circumciſionem & legem Moſis ſuſciperent.

2. à vilitate altitudinis humanæ coram Deo. *Non prævalentiâ equi delectatur,*
neque grata habet crura viri. Quamvis ènim hæc ſuo loco hominibus utilia eſſe poſ-
ſint, non tamen ſunt habenda pro iis, quæ Deo grata ſunt, quaſi illarum rerum
oſtentatione colatur. Quali oſtentatione apud Græcos in Olympicis, Iſthmicis,
Nemeis certaminibus; apud Romanos in ludis theatralibus dii illorum coleban-
tur. Quod & Hebræi voluerunt imitari; qui γυμνάσιον ædificarunt, ut patet ex
Joſepho 12. Ἀρχαιολ. & 1 Maccab. 1:14. ℣. 10.

3. à vero cultu. *Gratos habet Iehova timentes ſe, ſperantes ad gratiam ſuam.* Hoc
ſolo diſtinguitur Deus Iſraëlis ab omnibus diis gentium. Solus enim teſtatus eſt, ſe
gratiam exercere velle cum peccatoribus, & eos ab exſecratione redimere, &
juſtitiam illis procurare, & gratiam ſuam ſervare amantibus ſe. Igitur hoc eſt ſa-
crificium, quod ipſi placet, cum timore & reverentia audire verbum ejus, ipſi
gloriam dare, & tantam ſalutem non aſpernari: ſed in exſpectatione gratiæ ipſius
& propter gratiam promiſſam eum amare. verſ. 11.

C. Parænęſis tertia ad ipſos Iſraëlitas, ut recognoſcant Deum apud ſe manifeſta- 5
tum. Hic

I. Pro-

I. Propoſitio. *Lauda Iehovam*, memorem gratiæ ſuæ, quam exhibuit; *celebra Deum tuum, Sion*, non ſcandaliſata humili ejus ſpecie. verſ. 12.

II. Confirmatio, ſive Suaſio.

4 1. à beneficiis. *Nam firmavit vectes portarum tuarum, benedictione ſuâ multiplicavit filios tuos in medio tui.* verſ. 13. *Qui poſuit terminum tuum pacem; adipe tritici ſatiat te.* verſ. 14. Ille eſt, qui muros Hieroſolymæ ædificavit; qui effecit, ut portæ illius ab hoſtibus non ampliùs effringerentur, poſt Antiochi tempora. Hæc libertas. Ille eſt, qui populum ita multiplicavit, ut per totum terrarum orbem quaſi colonias videretur duxiſſe; qui illis pacem dedit, ubicunque habitarent, ſive in Babylonia, ſive in Romano Imperio; qui abundantiam omnium rerum temporalium illis dedit. Perfidè igitur faciunt, qui Romanis dant hanc gloriam. Hoſ. 2: 7. Joh. 11: 48 19: 15.

§.5 2. à potentia verbi ejus. *Qui mittit dictum ſuum in terram, cujus verbum velociter currit.* verſ. 15. *Qui dat nivem inſtar lanæ; pruinam inſtar cineris ſpargit.* verſ. 16. *Iacit glaciem ſuam inſtar fruſtorum* (vel *fragmentorum*:) *coram frigore ejus quis ſtat?* verſ. 17. *Mittit verbum ſuum & liquefacit illa: facit flare ventum ſuum, manant aquæ.* verſ. 18. Quem vos contemnitis, poteſt facere omnia, quæ vult. Sumite exemplum à rebus naturalibus. Deinde poteſt ille dura corda gentium emollire ſpiritu ſuo, & ex iis populum colligere, atque adeo ex hieme æſtatem facere, ut, ubi ſterilitas fuit, fiat meſſis. Idem dicit Baptiſta Matth. 3: 9. Confer Eſ. 55: 10. 11.

3. à dignatione erga Iſraëlem præ cæteris gentibus; quæ meretur gratitudinem. *Indicat verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua & judicia Iſraëli.* verſ. 19. *Non fecit ſic ulli genti. Et judicia* quod attinet, *non agnoverunt ea. Hallelujah.* verſ. 20. Solos vos ex omnibus gentibus elegit Deus, quibus promiſſionem & fœdus inſinuaret. Vos audiviſtis Angelum Jehovæ loquentem ex igne; qui vobis dedit ſtatuta & judicia, quæ qui facit, in iis vivit; quique vobis dedit Sabbata ſua, in ſignum, quòd ipſe eſſet ſanctificator veſter, quumque à via receſſiſſetis, feciſſetiſque vobis vitulum, dedit vobis præcepta non bona, in quibus non vivunt, qui ea faciunt, & neglectim vos tanquam ſervos habuit. Is in Babylonem vos ejecit. Reductis apparuit vobis in carne, & audiviſtis *verba Dei*, quæ locutus eſt in nomine Patris. Vobis dictum eſt, Ecce Deus veſter. Cæteræ gentes hactenus nec audiverunt nec cognoverunt ſtatuta, verba, judicia ejus. Vide Act. 3: 25. 26. Veſtrum igitur eſt *celebrare Deum.* Efficax fuit hæc παραίνεσις in civibus Sionis: reliqui indurati ac rejecti.

PSALMUS CXLVIII.

OMnes creaturas, ſummas, imas, excitat ad laudandum Deum in exaltatione Iſraëlis per Chriſtum.

A. Adhortatio ad ſumma. verſ. 1--6. Inſtigat generatim ſuperiora, ut *ex cœlis & in celſis* celebrent Deum, id eſt, ut ex cœlis homini innoteſcant cum prædicatione virtutum & magnitudinis Jehovæ. Diſtinguit autem creaturas νοερὰς, mente præditas, *Angelos ipſius*, & rationes expertes. Vocabulum generale ſpeciei certæ in contradiſtinctione additum, *Exercitus Dei*, alteram ſpeciem includit, nempe rationis expertes. *Exercitus Dei* dicuntur, quia eſt magna multitudo, eaque ordinata, & voluntatem Dei facit. Deſignat ea; *Solem, Lunam, ſtellas*

ſtellas lucidas, *cœlum* ipſum, *cœlum cœlorum*, id eſt, cœlum ſupremum omnes cœlos ambiens & complectens, & infimum, quod aquas supercœleſtes vehit, ipſaſque *aquas*, *quæ ſunt ſupra cœlum*, id eſt, nubes, quæ aquas continent, quæ ſunt in cœlo, & à cœlo vehuntur. Adhortatio ad *celebrationem Iehovæ* & teſtificationem magnitudinis ejus habet vim 1. Prophetiæ declarantis voluntatem Dei, quâ Deus conſtituit, ut ſuo tempore illæ res inſervirent illuſtrandæ gloriæ ipſius. 2. Præcepti ad homines, ut ex iſtis rebus colligant argumenta, cur Deum celebrent.

Non defuit Jehovæ, cùm appareret plenus gratiæ & veritatis, teſtificatio omnium illorum, dantium ipſi magnitudinem, ut eſt Deut. 32: 1. 3. Pater ex cœlo locutus eſt, vox eſt allata per magnificam gloriam, nubes ipſi uſum currûs præbuit, quum in cœlum gradum ſtruxit, ut conſideret ad dexteram majeſtatis. Angeli adventum ipſius prænunciârunt, & ab ipſo miſſi ſunt, & in nomine ipſius locuti ſunt, & Johanni myſteria futuri temporis aperuerunt, in eoque ſermone ipſi gloriam & majeſtatem dederunt. Sol in paſſione ipſius obſcuratus eſt. Cœlum cœlorum, in quod invectus eſt, in quo tanquam throno conſedit, teſtis gloriæ ipſius eſt. Quod, quanquam non videtur, eo tamen ipſo eſſe comperitur, quia ſupra cœlos ſidereos evectus eſt Filius Dei. Stellæ omnes, quæ adorabantur à gentibus, ſi rectè fuiſſent adoratæ, glorificationi ejus interceſſiſſent. Sed nec ei interceſſerunt, & tanquam indignatæ, propter lucem ſuam Deum conditorem ſuum blaſphemari à gentibus, lucidiores ac jucundiores credentibus in Filium Dei extiterunt. Nam, ut triſtibus videtur cœlum convolvi & obnubilari, ita lætis videtur meridies ipſe clarior. Læti autem agunt in mundo, qui ſciunt, Jehovam eſſe Deum ſuum. Quam lætitiam etiam in mortem animam ſuam tradendo teſtati ſunt fideles. Deinde verò riſit mundus Chriſtianæ Eccleſiæ, quum ea in toto orbe pacem haberet & aleretur à gentibus.

B. Adhortatio ad inferiora.

I. In terra & abyſſis. *Celebrate Iehovam à terra*. Generalis compellatio. q. d. Omnia, quibus inferior regio mundi attributa eſt, celebrate Jehovam à veſtra ſtatione & loco, ipſique teſtimonium magnitudinis perhibete. *Dracones & omnes* 1
abyſſi. verſ. 7.

II. Meteora in *terram* cadentia vel ejus faciem mutantia. *Ignis & grando, nix &* 2
vapor, ventus procelloſus, faciens verbum ejus. verſ. 8.

Ita fecit verbum ejus ventus, cùm ad increpationem ejus conſiluit. Matth. 14: 32. Quando item ventus vehemens anteambulo Spiritûs de cœlo deſcendentis in Apoſtolos, domum, in qua erant, implevit. Act. 2: 2.

Montes & omnes colles, arbores fructiferæ & omnes cedri. verſ. 9. 3

In arbores imperium habet, & eas facit fructificare, qui verbo eas aridas facit. Marc. 11: 14. 21.

Feræ & omnia pecora, reptile & aves alatæ. ℣. 10. 4

Homines diſtributos 5

(a.) ſecundùm gentes. *Reges terræ & omnes nationes*. Audiverunt eam gloriam Dei, & partim crediderunt, partim mentitæ ſunt ipſi. Reges dona attulerunt. Pſ. 72: 10. etiam clauſerunt os. Eſ. 52: 15. etiam inferent gloriam ſuam in civitatem ſanctam. Apoc. 21: 24. (b.) ſe-

(b.) ſecundùm ſtatum *Principes & omnes judices terræ.* verſ. 11. Privati continentur in tertia diſtributione ac prima.

(c.) ſecundùm ſexum & ætatem. *Iuvenes & virgines etiam, ſenes cum pueris.* verſ. 12. Confer Joël 3: 1. 2. vel 2: 28. 29.

Hactenus enumeratio rerum terreſtrium, quibus imperatur celebratio. Definitur res celebranda. *Celebrent nomen Iehovæ.* verſ. 13. Confer verſ. 5. Nempe ut id in ore ferant, alius verò nomen non nominent. Ratio. 1. *Quia ipſius ſolius nomen eſt ſublimatum, majeſtas ejus eſt ſuper terram & cœlos.* Nullius nomini ſunt atteſtati cœli & terra, & quæ in eis ſunt. verſ. 13. 2. *Et extulit cornu populo ſuo*, dando ipſi Chriſtum, (*gloriationem omnibus piis ſuis*, in quo ſe omnia habere, & à quo juſtitiam & vitam ſe accipere profiteantur,) *filiis Iſraëlis, populo propinquo ſuo.* An *propinqui ſui?* id eſt, ejus, qui ad ipſum accedit, ut ſacerdos, & ſedet ad dextram ipſius. *Celebrate Iah.* verſ. 14.

Id per Euangelii prædicationem factum eſt. Quam præceſſerunt & comitata ſunt maxima ſigna in cœlo & in terra, tum propriè dictis, tum myſticis.

PSALMUS CXLIX.

PSalmus hic eſt propheticus, qui inſtar præconis alicujus excitat omnes pios ſub regno Chriſti ad gaudium. Vide

1 A. Denunciationem lætitiæ ob ſalutem. *Hallelujah. Canite Iehovæ canticum novum*, Deo nova opera faciente, & prædicante verba juſtitiam, pacem, libertatem, regnum annunciantia, quæ Moſes in cantico veteri præcinit ventura. *laudem ejus* ſive *celebrationem ejus*, imò & *gloriationem ejus*, quâ ipſe ſe effert ſupra omnes deos, quotquot unquam ab ullis nominati ſunt, *in panegyri piorum*, id eſt, in cœtu illorum, qui Deum amant tanquam juſtitiæ datorem in Chriſto, ex Pſ. 50: 5. 7. ubi definiuntur, & ab Iſraële reliquo diſtinguuntur. *Panegyris* ſignificat libertatem conveniendi & conſenſum. Oppoſitum eſt hoc diſperſioni & ſchiſmati. Quoties pii habent libertatem conveniendi in nomine Domini, publicè clamat Deus, tanquam de arcibus, in foris, in compitis, in vicis, apud fores ſingulorum, ut ad panegyrim piorum accedant, & apud eos carmen novum cum celebratione laudum Dei canant. verſ. 1. *Lætetur Iſrael in factore ſuo.* q. d. Si quis eſt ex Iſraële aut filius Iſraël, qui membrum populi ejus haberi cupit, *lætetur*, non in terra, in urbe, in ſanctuario, in populo, in capitibus ejus, in ſacerdotibus, in ſacrificiis. ſed *in factore ſuo.* Hebr. *in factoribus ſuis.* Intellige tres, qui ſunt unum. Quorum eſt factio Iſraëlis, non tantùm ut ſit, ſed etiam ut juſtus ſit & πεπληρωμένος. Quò requirebatur miſſio Filii in ſimilitudine carnis peccati & pro peccato, ut condemnaretur peccatum in carne, & juſtitiæ legis fructus compleretur in eis, qui non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ambulant. *filii Sionis*, qui ſunt propago Sionis, (in qua manifeſtatus eſt Filius Dei in carne, juſtificatus eſt in ſpiritu: ubi Filius Dei & ſanctum ſanctorum unctum eſt Spiritu Sancto) legemque, quæ inde proceſſit, receperunt, & cum illis, qui ea audiverunt videruntque fieri in Sione, qui jam in cœlis ſunt, communionem habent, *gaudeant in rege ſuo*, quem unxit Deus regem ſuper Sione monte ſancto ſuo: ne autem in alio quovis, qui non eſt rex ille unus Sionis, putà Cæſare, gaudeant. verſ. 2. *Celebrent nomen ejus*, nempe, ut plurimum de eo dicant, & id no-

tificen

tificent quamplurimis: ne quis ſit, qui illud ignoret. Et quidem ut cum exaltatione & laude nominis ipſius plurimum de eo dicant. Huc pertinet refutatio omnis ſermonis, qđo veritati nominis Dei detrahitur. *in chorea*. cum conſenſu: cum geſtu & motu membrorum omnium: ad unam Dei & regis Eccleſiæ vocem. *cum tympano & cithara canite illi.* Utinam omnia noſtra tympana, omnes citharæ, omnis ſonus, omnis ſtrepitus jucundus, omnis ars, omnia organa, omnis lingua, omnis concentus celebret Deum! ℣. 3. Ratio lætitiæ omnis. *Quia acceptum habet populum ſuum.* non, ut olim, pro impuro abſtinet ab altari ſuo, & ab acceſſu ad ſe cum oblationibus ipſorum accuſans peccatum & reatum commemorans & chirographum exigens: non ampliùs caſtigat, ut aliquamdiu fecit: ſed peccata populi conjecit in profundum maris. Mich. 7:19. *Condecorat manſuetos*, qui renunciant præſidibus, ideoque facilè cedunt injuriis, *ſalute* donatâ, quâ ſint juſti & ſancti coram Deo. verſ. 4.

B. Denunciationem exultationis glorioſæ ob vindictam. *Exultent pii*, ii, quorum inſignis labor & patientia in promovendo regno Dei conſpecta fuit, *in gloria*, 2
id eſt, in maxima multitudine profitentium veritatem & Eccleſiæ ſe adjungentium, eique inſervientium, quia nempe in ea amplificatione regni Chriſti glorificatur Deus; *cantent in lectis ſuis* cubantes, id eſt, ſine pavore, ſine tumultu, ſine trepidatione viventes quiſque privatim domi ſuæ, & ſedentes ſub vite ſua & ficu ſua. Ne in cubilibus quidem ſuis obliviſcantur Deo canere. Poſſunt etiam intelligi ii, qui in Domino mortui ſunt, de quibus dicitur, quòd *quieſcant in lectis ſuis.* Eſ. 57:2. *quorum opera ſequuntur ipſos*, id eſt, operæ pretium, propter quod laborarunt, Apoc. 14:13. Quibus, quamvis ſint in gloria, indicatur, quid Deus agat in mundo, & quomodo regnum Chriſti procedat, atque ſimul demandatur cantus. Licet in eo ſenſu videatur eſſe hyperbole. ℣. 5,

De judicio & vindicta loquitur verſ. 6. 7. 8. 9. *Exaltatio Dei eſt in gutture ipſorum, & gladius anceps in manu ipſorum.* verſ. 6. *ad faciendum ultionem in gentibus*, 2 3. 4
redargutiones in nationibus. ℣. 7. *Ipſorum.* διπνικῶς. Significatur, prodiiſſe homines cum *gladiis* ſuis *acutis*, qui ferant *exaltationem Dei in ore ſuo*, qui *ultionem in gentibus ſacturi ſint*, id eſt, qui repetituri ſint ſanguinem ſervorum Dei fuſum à gentibus, *& redargutiones in nationibus*, ſive caſtigationes, quibus arguantur deliquiſſe *nationes*, qui genere ſuo glorientur, tanquam nati ex populo Dei & patribus; quique ita ſint futuri vindices Eccleſiæ.

> Conſtantinus Magnus ad id exemplum fuit vindex Eccleſiæ. Item, qui contra Sarracenos pugnarunt. de quibus Mich. 5:4. 5. Habuit & Antichriſtus, qui ſibi obviam venirent cum gladio. Ezech. 38:21. Et quis 5
> ſcit, quinam adhuc venturi ſint cum exaltatione Dei & gladiis ſuis, ut ultionem ſumant amplius?

Pergit: *Ad ducendum reges earum* gentium *vinctos catenis*, *& honoratos earum in compedibus ferreis*; verſ. 8. *ad faciendum de illis judicium ſcriptum*, quod προγέγραπται, antè ſcriptum eſt, nempe reges gentium, qui ab agnita veritate defecerint, & ſe oppoſuerint Chriſto & regno ejus, & illius membra perſecuti fuerint, gladio judicatum & catenis vinctum iri. Porrò, id futurum *decori* & reverentiæ *omnibus ſtudioſis Iehovæ*; ut ſcilicet cognoſcatur, Jehovam eſſe Deum ipſorum, & verbum illorum, in quo hæc judicia perſcripta ſint, eſſe verbum Dei, nominatim verbum Euangelii, quod loquitur de ἐκδοχῇ & τιμωρίᾳ, & omnibus inobedientibus talia judicia denunciat, eſſe verbum factoris Iſraëlis. Adjicitur ſolitum ἐπιφώνημα, *Hallelujah.* verſ. 9.

PSALMUS CL.

HIc Psalmus est quasi Epilogus omnium Psalmorum. Totum ejus argumentum est cohortatio ad celebrandum Deum. In ea cohortatione distingui possunt
1 A. Indigitatio habitaculi Dei, in quo se manifestat. *Hallelujah* &c. Sic nobis accipienda hæc verba, ac si Vir Dei sic dixisset. Quod ego nunc, Spiritu dictante, dico: id aliquando dicetur, non tantùm ad totum Israëlem, sed ad omnem hominem, qui respiratione & conscientiâ utitur. *Celebrate Jah*, id est, facite, quantum potestis, omni studio, virtute, zelo, industriâ conniti, ut Jehova, qui est *Jah*, decentissimus & pulcherrimus, & dignus laude, celebratione, exaltatione, sit celebris apud omnes, & ab omnibus nominetur cum glorificatione, gratiarum actione, cum gloriatione in ipso. Item: *Celebrate Deum omnipotentem*, qui, quæ vult, facit in cœlo & in terra. qui potest etiam ex morte peccatores revocare ad vitam. quo opere nullum est majus. Celebrate eum *in sancto suo*, in quo habitat, & manifestatus est, nimirum in Filio suo in carne manifestato, qui & *sanctum Jehovæ* appellatur Mal. 2: 11. & τὸ ἅγιον, Luc. 1: 35. & ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, Luc. 4: 34. cujus etiam σκήνωμα, *habitaculum*, in quo apparuit ut frater noster, rectè appellatur *sanctum Dei*. quippe & ναὸς *templum* vocatur. Joh. 2: 21.
2 Succedit, *Celebrate eum in expanso roboris sui*, id est, expanso, quod est inexpugnabile & inconvulsum, quod nullam vim patitur aut metuit. Postquam cognitus est Jehova in *sancto suo*, id in cœlum transtulit, ingressus in id verus sacerdos & sanctum Domino, ut pro nobis appareret apud Patrem, & ad dextram ejus consideret regnaturus in æternum. Et cum eo jam conjuncti sunt omnes sancti cœlestes & terrestres sanctum sanctorum, quod Spiritu Dei unctum est, & tabernaculum Dei, in quo Jehova se præbet cognoscendum, postquam in cœlum ascendit. Agnoscendum igitur, quòd Jehova se manifestaverit in suo sanctuario, quòdque in cœlum ascenderit, idque aperuerit sanctis servis suis, &, ut ibi sedens honorandus est, & quærenda ea, quæ ibi sunt, relinquendo ea, quæ inferius sunt, & sic ambulando, ut decet eos, qui ad sanctuarium Dei cœleste admissi sunt. His opposita sunt gloriari in sanctuario manibus facto, & in urbe, populo, terra, altari terrestri, &c. ℣ 1.
1.2 B. Indigitatio rationum moventium ad Jehovæ celebrationem. *Celebrate eum in virtutibus ejus, celebrate eum secundùm amplitudinem magnitudinis ejus*. ℣. 2. Duo ostendit motiva, quæ impellere debeant eos, qui excitantur ad celebrandum Jehovam in sancto suo & in expanso suo robusto. I. Quòd apparuerit in sancto suo, & quidem cùm antea, tum postquam in cœlum ascendit, cum magnis virtutibus sive operibus præpotentiæ. Non poterat enim fieri, ut loquens verba Dei, sive Filii Dei in nomine Dei, faceret opera omnipotentiæ divinæ, aut ut ea in nomine ipsius fierent; atque is non esset Filius Dei missus à Deo ad salutem cum talibus verbis, atque ita Jehova manifestatus in sancto suo. II. Quòd is, qui in sancto apparuerat, quique in cœlo thronum suum collocaverat, & cognitus erat per gloriosa opera, *magnus* sit, eaque magnitudo habeat *amplitudinem*. Est enim summè magnus ratione personæ, ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν, ratione potentiæ, ratione gloriæ suæ manifestatæ, ratione regni, ratione gratiæ, ratione judicii. Est igitur dignus, qui *celebretur secundùm amplitudinem magnitudinis ejus*, id est, ut prædicetur talis, ac tantus, qualis & quantus est, neque detrahatur quicquam de

de magnitudine ejus, ut faciunt ii, qui Jehovæ creaturam æquiparant, & ad eju
vilitatem eum detrudunt. Poſtulat porro magnitudo ejus timorem, obedientiam,s
fiduciam.

C. Indigitatio modi celebrationis. *Celebrate eum clangore tubæ, celebrate eum* 3.4
nablio & cithara. verſ. 3. *Celebrate eum tympano & choreâ. Celebrate eum vario con-* 5.6
centu & organo. verſ. 4. *Celebrate eum cymbalis ſonoris: celebrate eum cymbalis ju-* 7.8
bilationis. verſ. 5. Muſica Deum non oblectat. Amoſ. 5 : 23. Animus ſpirituali læ-
titiâ perfuſus ei gratus eſt. Is autem demonſtretur, non tam illis organis, quàm 3
præconio, quo dormientes excitentur, incauti moneantur, remiſſi animentur
& inſtigentur ad laborem, ad prælium cum adverſariis, tanquam *tubâ*: ſubactio- 4
ne voluptatum corporis, ut, quicquid in nobis eſt, conſpiret ad lætitiam; quod
eſt κιθαρωδῶν: Apoc. 14 : 2. congregatione Eccleſiæ & doctorum ejus ad edendas 5
confeſſiones, quas unanimiter tanquam in choreis τῷ αὐτῷ στοιχοῦντες κανόνι, *eâdem*
regulâ incedentes, ſequantur: variorum chariſmatum demonſtratione: concilia- 6
tione ſcripturarum, ſive declaratione omnium partium veritatis ex Scripturis:
crebro tanquam tinnitu excitante homines, ne obliviſcantur donorum Dei: deni- 7.8
que jubilatione actuoſâ ob victoriam regis & triumphum Eccleſiæ. Hæc enim ma-
gis decent populum Dei, quàm ſtrepitus organorum, qui aures concutit, animum
non format. Qui tamen nablio, citharâ, aliove organo canit, canat Deum.

D. Indigitatio eorum, qui ad celebrandum Deum excitantur. *Omnis anima ce-* 9
lebrate Jah. Hallelujah. Spiritus Sanctus tanquam in theatro præſidens, nunc
hos, nunc illos vocârat ad canendum. Et quidem 1. prodierant Apoſtoli, tubâ 3
canentes, quâ perſonuerunt totum mundum. Fuerant deinde, qui canerent na- 4
blio & citharâ. Vide Apoc. 14 : 2. Fuerant etiam viſi, qui tanquam præcinente 5
tympano, concurrerent & ad numeros ſaltarent, deſidentibus aliis & choris ad-
jungi reſpuentibus. Fuerant, qui erudito ſermone, tanquam enarmonio cantu 6
& plurimorum organorum concentu veritatem illuſtrarent. Cymbala ſonora aut 7
tanquam æramenta tinnientia fuerint ſermones de inſtantibus rerum converſioni-
bus. Cymbala ἀλαλαγμοῦ ſive jubilationis fuerint ſermones celebrantes victoriam 8
regis Chriſti. Quales ſunt voces, quas Apocalypſis narrat auditas ſub tuba ſepti-
ma, cap. 11 : 15. Nunc tandem omnes in univerſum jubet accinere & reſpondere: 9
Omnis anima, & Judæi & Gentes, omnes familiæ terræ, *celebret Jah*, eum, qui
eſt pulcherrimus & decentiſſimus, attendendo ad verbum ipſius, idque ſine omni
præjudicio, ratiocinatione, murmuratione conſiderando, & in eo inveſtigando,
annon teſtetur id, quod de Deo, de homine, deque rebus aliis notum eſt homi-
ni, & iis, quæ in mundo ſunt, conſentaneum eſt; &, an Deus per ea, quæ re-
velat, abneget ullam perfectionem, quam habere Deum lumine naturali conſtat.
Abſque hoc enim lumine eſſet, non poſſet anima celebrare Jehovam, ut bonum, ut
decentiâ abundantem. Dum igitur anima celebrat, judicat. Et hoc judicium rectum
eſt, quia eſt ſecundùm Deum & operibus & verbo & conſcientiâ de ſe teſtantem.
Atque ita ad judicium nihil aliud eſt, quàm obſequium Deo præſtitum, & *obſigna-*
tio divinæ veritatis, & receptio teſtimonii Jeſu. Joh. 3 : 33.

DE
DOMO DAVIDIS,
ET
REGNO in ea Duplici,

Ex 2 Sam. 7:11.12.13.14.15.16. *coll. cum Ult. Verf.* 1 Chron. 17:15.

IN his triplex femen fecundùm diverfitatem prædicatorum difcernendum eft.

1. Semen peccatorum gratiæ Dei pœnitentiam excludentis particeps. verf. 14. 15. Quod eft femen promiffum Abrahamo, Gentes.

2. Semen hæres Regni fecundùm modum carnalem, quod ædificet templum, quodque duret omni tempore pædagogiæ carnalis. Hoc enim eft illud, *in fæculum* confirmabo, in fæculum permanebit.

NB. Id intelligendum effe fub conditione obedientiæ, patet ex Pf. 89: 39--45. 1 Reg. 9:4.5.6.7. Jer. 22:30. Ezech. 19:14. 21:31.32. Ex quibus patet, Deum non decreviffe fceptri apud domum Davidis confervationem, quia decrevit illud propter peccata auferre.

3. Semen, quod ἀμεταμελήτως habeat regnum æternum, & ædificet Deo templum fpirituale, & femper ftet coram Deo in domo ipfius, quod eft cœlum, & fit Rex in regno Dei.

Abfque hoc fi fit, tota promiffio carebit ἐμφάσει & ἀμεταμελήτῳ. Ipfe David verf. 19. id explicat. *Et parum fuit etiam hoc in oculis tuis, Domine Jehovah, & locutus es de domo mea in longinquum.*

IN Verbis fuis poftremis David hanc diftinctionem inter domum fuam labilem & minimè rectam cum Deo, & Teftamentum fibi divinitus firmatum & omnibus expofitum, fanctèque obfervatum, quo Deus ipfi promiferit falutem & omnis beneplaciti donationem eo tempore, quo domus ipfius carnalis non erat germinatura, luculentiùs proponit & explicat. 2 Sam. 23:1—8. Nempe

1. In verf. 3. eft prædictio de regno Davidis, & promiffio, eum dominaturum in timore Dei. Confer 1 Sam. 13:14. Pf. 89:20.21.27.

2. In verf. 4. eft prædictio de Chrifto & regno ejus. Is vocatur *Sol*. Confer Mal. 4:2. ubi dicitur *Sol juftitiæ*. Is antequam appareret, tenebræ erant. Erat enim fitis & exfpectatio, reatus & ejus accufatio, fervitus & ænigmata, umbræ, figuræ, triftitia. De hoc Sole dicitur, *quod tanquam lucente matutino exorietur*, id eft, quòd adventus ejus erit cum gloriæ unigeniti à Patre demonftratione, quæ gloria, tanquam lux matutina, videatur ab iis, qui ipfum cognofcant effe Filium Dei. Porrò, quòd *matutinum illud fine nubibus erit*, id eft, quòd in Chrifti παρουσίᾳ

non

non sit futura magna apparentia pluviæ sive benedictionis conjecti in terram seminis à Christo, id est, verbi ab ipso prædicati: Et quòd nihilominus tamen *à splendore, & à pluvia germen ex terra erit.* quòd nempe cum jubare cœlesti etiam pluvia cadet, nimirum Spiritus Sanctus copiosè effusus, qui faciet enasci germina (fideles quamplurimos) ex toto mundo, postquam scilicet surrexerit à mortuis, & ascenderit in cœlum, idque passim fuerit divulgatum, atque ita velut Sol in meridie luxerit. Confer Joh. 7: 39.

3. In vers. 5. est

(a.) Remotio non causæ. *Nam non sic* (vel *recta* aut *stabilis*) *est domus mea apud Deum.* q. d. Equidem accepi promissionem de *domo*, quam mihi *facturus sit Deus.* Sed non est putandum, quòd semen meum carnale *istiusmodi* sit, vel etiam apud Deum sit *rectum.* Id enim non ambulabit in statutis Dei; atque ideo non permanebit apud Deum & in conspectu ejus. Confer Amos. 9: 11.

(b.) Positio veræ causæ. *Sed fœdus perpetuum posuit mihi expositum inter omnes & servatum*, hoc est, tanquam fœdere & pacto mihi cum consilio suo & decreto æterno destinavit, tum verbis addixit melius bonum, quàm est regnum aut multitudo filiorum aut eorum temporalis felicitas aut in regno successio, nempe gratiam illam Davidis fidelem (Es. 55: 3.) expositam omnibus & Judæis & gentibus, ut habeant omnes, quò confugere possint, in quem credere possint, quam etiam gratiam in sæculum servabit Deus.

(c.) Indicatio status domûs suæ carnalis, ceu circumstantiæ temporis exhibendæ promissionis. Vel, potiùs, designatio rei, de qua sibi Deus pactus sit, unà propositâ temporis circumstantiâ, quâ ea exhibenda sit. *Quòd omnis salus*, tum à reatu peccati, tum à peccati accusatione, tum à servitute peccati, atque etiam elementorum mundi, tum à morte & omni miseria, *mea*, (jam mortui, & omnium eorum, qui antè sperarunt in ipsum) *& omne beneplacitum*, id est, omnis voluptas Dei in Ecclesia, sine ira, sine servitute, existet, *quum non germinabit domus mea*, scilicet ad regnum & splendorem. Tantum abest, ut domus mea & semen carnale & regnum domûs meæ sit ille Sol. Et tamen, cùm non germinabit domus mea, Sol exorietur, & quidem in domo mea & ex domo mea. Heb. 7: 14. sed non domûs meæ γνησιότητι & virtute carnalis fœcunditatis.

4. In vers. 6. est remotio improborum à fruitione promissionis. Hic est

(a) Thesis. *Sed viri Belial* sive *maligni* (semen Serpentis, hostes Christi & justitiæ ejus, Judæi, Gentiles Romani, hæretici, Antichristi turmæ,) *ut spina amovenda erunt omnes.* pro tempore quidem multiplicabuntur, corroborabuntur & pungent, ut spina; sed tamen amovebuntur.

(b.) Theseos declaratio

(α.) per negationem. *Nam non manu accipient.* Nemo illos ut herbam utilem, ut florem venustum & odoriferum in manum accipiet; nemo in sinum, in ulnam colliget.

(β.) per affirmationem exstirpationis in duplici gradu.

(א.) *Sed vir*, non puer, validus, robustus, animosus, iracundus, sævus, *impetum in illos faciet armatus ferro & ligno hasta.* Judæi Romanis

nis ſunt traditi eruncandi ; & Antichriſtus ſuos patietur manes.

(2.) *Et igne cremando cremabuntur in conſeſſu.* Cruciatus & tormenta patientur improbi, & in hac vita, ſedente, judicante & ſpectante Eccleſiâ ; tum verò magis in altera vita ; quando Chriſtus cum Apoſtolis & fidelibus ſuis ſedebit in thronis, & judicabit cùm omnes, tum inprimis viros בליעל, nefarios, peſtilentes ex Iſraële.

In his hic eſt ordo temporum.

1. Regnum Davidis ac filiorum ejus.
2. Sceptri à domo Davidis ablatio.
3. Chriſti, Solis juſtitiæ, *παρουσία*, & repræſentatio ſalutis ac beneplaciti ſive *εὐδοκίας* in conſummatione cauſæ.
4. Paucitas fidelium ſive diſcipulorum in primo ejus exortu.
5. Effuſio pluviæ Spiritûs Sancti à jubare, poſtquam Sol ille in meridie luxerit, cum eo effectu, ut quamplurimi credant.
6. Vexatio fidelium à ſpinis, Judæis, Gentilibus Romanis, hæreticis, & Antichriſti turmis.
7. Amotio & exſtirpatio ſpinarum, ſedente, judicante ac ſpectante Eccleſiâ.

Pſalmus LXXXIX cum his conferendus eſt, qui nos clariſſimè docet diſtinguere inter regnum Dei æternum, in quo eſt *gratia* Dei & *Rex* de ſemine Davidis; & regnum externum, mundanum, umbratile, filiis Davidis datum. Hoc enim in ſpiritu oſtendit cecidiſſe, etiam longè ante revelationem Meſſiæ ; atque ita preces piis in ea qualitate temporis conſtitutis dictat, ut orent accelerari miſſionem Chriſti veri regis cum vera ſive pleni ſignificatûs gratia. Nempe

A. De gratia & veritate & regno æterno ſemini Davidis promiſſo, quod regnum Dei recognoſcitur, eſt ad verſ. 20.
B. De promiſſione, ad ℣. 39.
C. De proſtratione ſoli terreſtris, ad ℣. 47.
D. Oratio pro adventu Meſſiæ & veri regni Dei, inde ad finem.

In Pſalmo CXXXII. verſ. 11. 12. 13. 16. 17. hunc rerum ordinem pandit, Quatenus ibi

1. Promiſſio indefinita & complectens diſtinctum ſemen. verſ. 11. *Juravit Jehovah Davidi verum, a quo non recedet : De fructu ventris tui ponam in ſolium tibi.*
2. Promiſſio conditionata perpetuandi regni temporalis. ℣. 12. *Si obſervaverint filii tui fœdus meum & teſtimonium meum, quod docebo illos, etiam filii ipſorum in perpetuum conſidebunt in thronum tibi.*
3. Subjungitur promiſſio de continuando apud tribum Judæ ſacerdotio, uſque ad tempus præſtitutum, donec ſcilicet per ſacerdotium cœleſte verificetur ; idque ad confirmandam promiſſionem de continuando regno. *Nam elegit Jehovah Zionem, appetivit in habitaculum ſibi.* ℣. 13. *Hæc requies mea in perpetuum ; hîc habitabo. Nam appetivi illam.* ℣. 14.
4. Calamitates interim ſuperventuræ per inobedientiam potentium & liberatio ex iis innuuntur. verſ. 15. *Commeatum ejus benedicendo benedicam, & pauperes ejus ſatiabo pane.*
5. Jam pandit promiſſionem ſalutis per verum ſacerdotium, & regnum Chriſti. ℣. 16. *Et ſacerdotes ejus induam ſalute, & pii ejus jubilando jubilabunt.* Id ſanè

non

non est factum tempore Asmonæorum. Parum enim fuit, quod ipsis contigit. Dan. 11 : 34. neque fuit ea vera *salus*, cùm sacerdotes quotannis & quotidie instaurare sacrificia sua necesse haberent: eo enim ipso testati sunt, se *salute* nudos esse: sed quum *peccata totius terræ abstersa sunt uno die*. Zach. 3 : 9.

Porro vers. 17. id excitato vero semine futurum ostendit. Nam, *ibi*, inquit, *germinare faciam* (abs se sine patre) *cornu* (salutis scilicet, Ps. 18 : 3. & quidem solum, & in veritate) *Davidi*; *paravi lucem* (ad illuminandum oculos cœcorum & omnium sperantium in Deum, ut in ipso videant lucem, inter quos ipse David, cùm dicat, *uncto meo*.

6. Denique Sors oppugnantium hoc regnum, & ipsius regni est in versu ult. *Inimicos ejus induam pudore, & super ipsos florebit corona ejus.*



ORDO

ORDO RERUM EX CANTICO CANTICORUM.

CAP. I.

1. FAcies Ecclesiæ vetustæ ante adventum Christi in carne: quatenus desiderabat videre & audire Christum loquentem verba Dei, quæ ipsi reservata erant ad dicendum: illudque desiderium augebatur indies beneficiis divinis tanquam signis temporis adventûs Christi appropinquantis. ℣. 2.

2. Apparitio Christi in carne, ac demonstratio omnis gratiæ ac virtutis
cap. 2: 3. divinæ per ipsum, idque secundùm prædictiones Prophetarum. In specie
cap. 2: 8. humilitas ejus prædicitur. Et quòd ipse præconiaturus esset Euangelium. ℣. 3.

3. Fides eorum, qui casto amore Deum prosequebantur, in Christum revelatum. ℣. 3. f. & 4. f.

cap. 2: 9. 4. Ascensio Christi in cœlum, & consequens Ecclesiæ Novi Testamenti consummatio. ℣. 3. 4.

5. Prædicatio Euangelii, id est, mortis ac resurrectionis Christi per Apostolos. Et quidem primò facta Judæis. Ea prædicatio præformatur in prophetia. ℣. 4. 5.

cap. 2: 1. 6. Consecuta persecutio Christianorum à Judæis, causa futuræ desertio-
2. 7. 3: 1. nis Judæorum. ℣. 6. 7. f. 9. 10.

cap. 2: 14. 7. Infirmiorum ex Judæis, qui fidem Euangelii receperant, pastio in templo ac terra Judaïca, dum ad communionem etiam Samaritani & præputiati divino jussu admittuntur. ℣. 8. 12. 16. f.

Infirmiores illi ad παῤῥησίαν excitantur.

CAP. II.

cap. 1: 5. 8. Propagatio Euangelii ad gentes, & nominatim Græcos, alterum signum imminentis exeidii populi & reipublicæ. ℣. 4. 8. 11. 12. 13. 16. 17.

9. Digressus Christi à Judæis & occultatio sui apud Ecclesiam, & consecutæ plagæ ceu prænunciæ judicii plenarii exercendi in Judæos, cum commonefactionibus Christianorum, monentium, eas plagas ipsis advenire propter

pter Christum spretum, & præcepto abeundi, intimato per multa argumenta suasoria. ℣. 9. 10. 13.

10. Subingressio pseudo-Apostolorum sermonem Euangelii interpolantium, fidemque multorum labefactantium, cum præcepto eos convincendi & constringendi. ℣. 15.

Nota in hac pericopa brevem deformationem Epistolæ Pauli ad Hebræos. cap. 2: 14. Affectûsque, qui fuit in Paulo, (Rom. 1: 12. 13. 15: 32. 2 Cor. 2: 3. & 7. 4: 13.. Phil. 2: 2. 1 Thess. 2: 19. 20. 3: 9. 2 Tim. 1: 4.) cap. 2: 5.

Hactenus statum primum Ecclesiæ Novi Testamenti inde ab ascensione Christi usque ad ablationem veli, id est, politiæ Judaïcæ vidimus. Sequitur nunc secundum tempus, nempe quo fuit Ecclesia sub Cæsaribus Ethnicis, qui plerique fuerunt persecutores, usque ad imperium Constantii Cæsaris, & Constantini filii ipsius. Convenit in Apocalypsi Epistola ad Ecclesiam Smyrnensem, & sigillum secundum, & tuba secunda, & bellum Draconis cap. 12. & memoria martyrum cap. 20: 4. Porrigitur hæc pericopa usque ad cap. 4: 6. Hi sunt articuli.

CAP. III.

1. Securitas fidelium tempore Apostolorum, atque ignorantia modi regni Christi. ℣. 1. 2. 3. 4. Confer 1 Cor. 4: 8. 2 Tim. 4: 10. 16.
2. Desertio populi ac terræ Judaïcæ ad quærendas sedes alias in mundo gentili. ℣. 2. 11.
3. Hilaritas fidelium atque indefessus labor in propagando regno Christi per multas passiones & martyria propter nomen Christi, nempe ut & Judæi & gentes Christo lucrifierent. ℣. 2. 4. 6.
4. Preces fidelium pro pace acdiuturnitate Romani imperii. ℣. 5.
5. Decem dies afflictionum sub Imperatoribus Gentilibus. ℣. 8. cap. 4: 4.

CAP. IV.

6. Ecclesiæ patientis diligentia in ædificando proximo, & sinceritas fidei, saltem quoad fundamentum, & cura, ne quid reciperent, quod non per totum orbem increbuerat, & in lapsos propè nimia severitas. cap. 4: 1—5.

Tertium tempus inde à prima manifestatione regni Christi, quæ in mundo illustris fuit, usque ad amplificationem ejusdem per populos multos barbaros in Romanum imperium invectos, extenditur. Quando potentia Draconis absorpta fuit à terra, Apoc. 12: 16. & in homines Ecclesiæ translata, cum effectu pacis ac prosperitatis. Quod & initium temporis, quo Ecclesia dicitur nutrienda fuisse in deserto. Apoc. 12: 6. 14. Convenit Epistola scripta ad Ecclesiam Pergamensem. Apoc. 2: 12—17. Hæc pericopa porrigitur usque ad cap. 6. Hi sunt articuli.

1. Concessio refrigerii ac pacis Ecclesiæ in duabus provinciis Imperii Romani, ac invitatio cæterorum, qui in aliis partibus mundi habitabant, ut è locis suis audeant erumpere, ac spectare appropinquantem hæreditatem suam. ℣. 6. ℣. 8.

2. Eſt etiam hic effuſa laudatio Eccleſiæ, quatenus ſaltem fundamentum retineret, & omnes novas doctrinas aſpernaretur, & ædificationem mutuam per ſermonem non præceptivum ſed διδακτικὸν promoveret, & voluntatem moriendi pro veritate agnita retineret, ac inprimis etiam ſphalmata & ignorantias ſuas Deo confiteretur. Quæ confeſſio eſt ex maximis ornamentis Eccleſiæ, licet peccata & errores ad vias Dei non pertineant. ℣. 7. 9—15.

3. Petitio auxilii à Spiritu Sancto, ut, quod cœptum erat, perficeret: itemque à Chriſto, ut velit apud Eccleſiam ſuam, & in ea manere. Ea petitio cum errore Eccleſiæ potuit eſſe conjuncta, putantis, cum pace magis abundaturos fructus Eccleſiæ, quàm antea. ℣. 16.

C A P. V.

4. Adventus Chriſti ad Eccleſiam, talis ſcilicet, qualem eum optabat, ſubjicientis ei omnia; poſtquam priores Chriſtiani per paſſiones & martyria ſua Chriſtum glorificâſſent in mundo, & à Domino ſuo in apothecas ſuas, tanquam pretioſa aromata eſſent tranſlati. Innuitur etiam hic introitus gentium in Eccleſiam Dei, & puritas regiminis commendatur. ℣. 1.

5. Converſio Eccleſiæ ad Philoſophiæ & Eloquentiæ ſtudium, hominum inſomnia, quamvis Chriſtum in animo haberet; itemque compoſitio ſui ad quietem, quamvis multum adhuc in propagatione regni Dei ſupereſſet laborandum: denique & languor ſive diſſolutio zeli in moribus ac diſciplina. ℣. 2. 3.

6. Exortus novorum dogmatum in Eccleſia de Chriſti perſona, ut, qualis vel in quibus eſſet Chriſtus, difficulter dignoſci potuerit, ac tempus eſſet Eccleſiæ de novo ſurgendi, ac laborandi in eo, ut particeps ejus in communione fratrum fieret. ℣. 4. 5. 6.

7. Collocata poteſtas judicandi ſive Epiſcopalis in Eccleſia, cui ſe omnes homines tenerentur ſubjicere, dummodo ne quid præciperetur contra verbum Dei & vetuſtam traditionem: quæ fuit pædagogia quædam: per quam proculdubio vera facies Chriſti cœpit obſcurari, & Chriſtus ab hoc tempore ſe ſubducere viſus eſt:. cùm in iſtis initiis hæc poteſtas non ſubſtiterit. ℣. 7. ℣. 6.

8. Abuſus illius poteſtatis in prægravatione fidelium judiciis ſuis, ac vulneratione Eccleſiæ per novas diſſenſiones ac ſchiſmata; denique & ablatione ſigni poteſtatis, quam habet Chriſtus in Eccleſiam, per alterius Chriſti nominationem juxta Chriſtum. ℣. 7 ℣. 9. & 7. f. & cap. 6 : 4. col. 1.

9. Quamvis etiam vera & ſana doctrina, de Chriſti perſona ac beneficiis, adverſus hæreticos in Conciliis fuerit expoſita. veluti, quòd ipſius divinitas luceret in humanitate, & quòd caro Chriſti ſit tanquam veſtis divinæ perſonæ, & quòd Chriſtus Spiritum Sanctum à dextra Patris effundat, & quòd Pater, Filius & Spiritus Sanctus ſint unus Deus: cùm Pater ſit in Filio ut caput, & Filius Spiritum Sanctum tanquam halitum ſuaviſſimum in Eccleſiam ſuam emittat; & ſimilia. ℣. 10. & cap. 6 : 2. ℣. 11. ℣. 13. ℣. 11. 13.

10. Atque etiam à multis titulus Epiſcopi Oecumenici rejiceretur ac oppugnaretur. ibid. & cap. 6 : 2. 11. & cap. 6 · 4.

11. Collocutio fidelium inter ſe de Chriſti prærogativis, & de increbreſcente

ſcente corruptione doctrinæ & regiminis, & de idolis in Eccleſia collocatis, & de Chriſto quærendo. Vide harum querimoniarum inſtar apud Mornæum in Myſt. Iniq. edit. Lat. in 8. p. 951. ℣. 8—16. 17.

CAP. VI.

12. Nova viſitatio Eccleſiæ, per introductionem multorum populorum barbarorum in terram ejus, & propagationem regni Chriſti, fidei Chriſtianæ, ad ipſos. ℣. 1. 2.

13. Tentationes proborum, eorumque poſt ſpectatam ipſorum fidem & charitatem tranſlatio in cœlum. ibid. ℣. 1.

Notatur hic illud tempus, quo Eccleſia tanquam hortus in plures hortos, Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Patriarchatus (quorum duo primarii erant, Conſtantinopolitanus & Romanus) erat diſtinctus; quamvis de iis poſſet ſperari, quòd eſſent pædagogi in Chriſto, & fraternitatem inter ſe & communionem fidei unius utcunque ſervarent, ſicque accuratiore diſciplinâ & ſinceriore doctrinâ emblema *liliorum* adhuc referrent. ibid. verſ. 1. ℣. 3. ℣. 2. f.

Notandum etiam eſt, paſtionis in liliis in poſterum in Cantico non fieri mentionem.

Notandum denique, *Tirzæ*, id eſt, Eccleſiæ Orientali, *pulchritudinem*, id eſt, pacem ac doctrinæ florem, doctorumque copiam: *Hieroſolymæ*, id eſt, Occidenti, *dignitatem* in crucis tolerantia eo tempore attribui. Unde

14. Auctoritas Eccleſiæ præſertim Occidentalis cœpit eſſe maxima, cùm Imperatorum minueretur. Creſcebat enim opinione ſanctitatis, cùm magnus eſſet religionis affectus in fidelibus. Ea auctoritas (perſpecta in Eccleſiaſticis judiciis & anathematis; & in eo, quòd Pontifices etiam ab infeſtis regibus Barbaris nihil non obtinuerunt; & in converſione gentium barbararum.) deinde Papis in ſpolium ceſſit. ℣. 3. f.

15. Unitas adhuc & fraternitas inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem ſervata. ℣. 3.

16. Atque etiam commonefacta Eccleſia non tantùm vocibus Paparum, de quo ſuprà §. 10. ſed etiam multorum Epiſcoporum ſubductione ab obedientia ſedis Romanæ: inter quos præcipuus Ravennas erat. ℣. 4.

17. De cætero comparatur Eccleſia hujus temporis illi ſecundi temporis, (vide ibi §. 6.) niſi quòd hic defectus aliquis diſciplinæ ſignificatur, cùm dicitur *grex ovium*: cùm olim eſſet *grex æquarum*. Et pudor, dolor, ac reprehenſio peccatorum à plurimis facta, cùm nondum publicè invaluiſſent, hic notatur. ℣. 4—6. ℣. 6.

18. Diſtinctio inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem reſpectu 1. auctoritatis. 2. reſpectu multitudinis. ℣. 7. *Reginale decus* Occidentalibus conceſſum à Phoca.

Notatur hic iterum diſtinctio Eccleſiæ in matres & puellas. Illarum in reginas & pellices. Itemque cauſa præcipua odii inter Orientalem & Occidentalem, hujus prælatio.

19. Ignorantia veræ fidei ac beatitudinis per fidem in pleriſque Epiſcopis, pluris æſtimantibus obedientiam erga præpoſitos, opera ſpontaneæ electionis, quàm ſimplicem fidem & reſipiſcentiam cum ſancto uſu rerum conceſſarum. ℣. 8.

 Ita

Ita inter apparentes virgines aliquamdiu ita latuit illa una columba Christi, ut à Reginis non fuerit visa, quia ne curata quidem.

Id elegantissimo emblemate *horti nucum* exprimitur, quem istis plagis spiritualibus visitavit Christus. ℣. 10.

Quartum tempus à vers. 9. cap. sexti usque ad cap. septimi vers. 12. agit de manifestatione verorum fidelium inter multitudinem Christi nomen ferentium, sed tamen ad Christum non pertinentium: quæ manifestatio habet diversas *συῤῥάξεις* & distinctas emicationes, donec fiat separatio. Hæc pericopa adhuc respondet Epistolæ scriptæ ad Ecclesiam Thyatirensem: incidit autem in tenebras illas, quæ dicuntur factæ sub tuba quarta, Apoc. 8: 12. 13. Et conveniunt, quæ narrantur sub sigillo quinto, Apoc. 6: 9. 10. Ibi enim narrantur ut facta superiori tempore. Possunt & conferri illa Apoc. 11: 8. 9. 10. 13: 11. ad fin. cap. & 14: 1—8. & 16: 1—10. Hi sunt articuli.

1. Nova visitatio horti nucum, hoc est, Ecclesiæ, in cujus abdito latebant sancti, per judicia externa. In qua visitatione præcipuæ partes Sarracenorum fuerunt. Finis hujus visitationis in prophetia indicatur. ℣. 10.

2. Timor Dei plagis tam externis, quàm spiritualibus bestiæ, in cordibus piorum excitatus, ut per occasiones corruptioni Ecclesiæ contradicerent. Et quidem primò *prospectatio* Ecclesiæ *instar auroræ*. Quæ prima oppositio Ecclesiæ fuit, à Carolo Magno usque ad Lotharium per 70 ferè annos, à fine octavi usque ad declinationem sæculi noni. ℣. 9. coll. vers. 10.

3. Secunda oppositio Ecclesiæ, fine decimi sæculi, & denuò à medio undecimi usque ad medium duodecimi, per tempora Henricorum. Hæ *Lunæ* mysticæ phases fuerunt. ibid. coll. 10.

4. Tertia Ecclesiæ emicatio, quæ haberet hunc effectum, ut *claro Soli* comparari posset Ecclesia. In Waldensibus & Tholosanis, à medio sæculi duodecimi & deinceps. ibid. coll. 10.

5. Quarta Ecclesiæ emicatio, cùm *terribilis* apparuit *instar vexilliferarum*, in Wiclefo & Husso, eorumque discipulis, in declinatione quarti decimi, & quinto decimo sæculo. ibid.

6. Miseratio Christi erga illos, qui se separaverant à cœtu errantium, & terribiles instar acierum vexilliferarum extiterant, Hussitas in Bohemia. Et quidem primò auxiliatio ipsis præstita in bello. ℣. 11.

7. Quorundum separatio à fratribus, Calixtinorum scilicet, qui rursus pacem fecerant cum Ecclesia Romana, & Papæ se subjecerant. Quanquam ea communio cum Pontificiis solida non fuit. ℣. 12.

8. Eorundem, ut & Waldensium in Gallia, qui Missam frequentabant, revocatio per fratres Bohemos. ℣. 12.

CAP. VII.

9. In fratribus Bohemis laudatur ab initio continentia à contaminatione mundi, & patientia crucis. Deinde &, quòd ministri eorum sint donis Spiritûs Sancti imbuti, & à Deo, non ab hominibus missi. Tertiò vera sapientia & cœlestis gratia, quâ nutriti & corroborati fuerint. Tum & copia seminis ac geniture; irreprehensibilitas apud exteros, & discretio à malis; charitas mutua, ut in acervo tritici. Paritas ædificationis per doctrinam

& vi-

& vitam. Denique & erecta constantia & sancta pervicacia in proposito, quam constantiam notandum est sine sanguinis effusione probatam fuisse. vers. 1. ℣. 2. ℣. 3. ℣. 4.

10. Reformatio in Germania incepta à Luthero cum submissione & respectu ad filiam multorum, cujus amicitiam & communionem retinere volebat; unde tristitia & lachrymæ. vers. 4. col. 2.

11. Ecclesiæ Reformatæ protestatio adversus decreta quædam Imperii, (veluti Spirense A. C. 1529.) & secutum fœdus Protestantium A. C. 1530. (quo & confessio exhibita & defensa fuit.) & 1531. inimicis, ut olim turris Libani Syris, & odiosum & formidabile. Potentia Principum in fœdere conjunctorum (qui *caput*) tanta dicitur, ut monti alto, id est, integro Imperio comparari possit; & quidem *Carmeli* propter frugem aliquam virtutum in ipsis principibus conspectam. vers. 4 : col. 3. vers. 5.

12. Quamvis eodem tempore, quo maximè continuata est Protestantium potentia in Germania, in aliis partibus fideles gravissimis edictis pressi, ac dirissimis pœnis excruciati fuerint, in Italia, Anglia, Belgio, & maximè Gallia. Huc refer lanienam Merindoliensem A. C. 1545. & Meldensem persecutionem A. C. 1546. Vide Martyrologia. vers. 5 col. 2.

13. *Regis*, id est, præcipui assertoris Reformatæ religionis, & Ducis fœderis, Electoris Saxonici, captivitas & *ligatio* inter Locham & *Brettum*: omniumque principum procerumque, qui in fœdere fuerant, subactio per fluvii ingentis duos *canales*, id est, Imperii Germanici duos exercitus, Caroli V. & Ferdinandi Regis Romanorum. ibid. col. 3.

14. Pulchritudo Ecclesiæ in eo conspecta, quòd, cùm Cæsar principibus & maximè civitatibus admodum magnas mulctas irrogaret, ipsi libenter paruerint & libertatem religionis pecuniâ potiorem existimaverint, in Deo solo deliciati. Deinde & in eo, quòd, cùm Cæsar apud Ordines id ageret, ut Concilio Tridentino se submitterent, & quidam, (ut Palatinus & Mauritius 24. Octob. 1547.) assentirentur; pro reliquis, qui redire ad Pontificios nollent, librum componendum curâsset, qui interim, dum quid certi in religione esset statutum, ab iis reciperetur, (Is liber autem 1548. est propositus.) & non pauci sese voluntati Cæsaris accommodarent, Bipontinus Princeps, & Joh. Frid. Saxo captivus eum admittere recusaverint. Celsitudo & constantia Ecclesiæ Reformatæ in eo, quòd Concilio Tridentino subscribere noluerit, etiam laudatur. vers. 6. col. 1. ℣. 6. col. 2.

15. Pauli III. Pontificis Romani astutia etiam generoso celsoque animo decepta est, cùm A. C. 1549. Episcopos emisisset, qui profusissimis indulgentiis ac veniâ peccatorum omnium cujusque generis & diuturnissimorum propositâ quosvis ad Ecclesiæ gremium reducere satagerent. vers. 6. col. 2.

16. Spes & cogitatio multorum, posse aliquid æquum à Concilio impetrari, saltem id, ut Papæ non cogerentur se submittere, & præcipua falsæ doctrinæ capita non admitterent: cùm Confessionis Augustanæ socii, & Wirtembergicus Princeps, & Argentinensis Respublica Legatos suos Tridentum misissent; suos etiam Mauritius Elector Saxo in via haberet. ℣. 8.

17. Petitio Legatorum à Romanis, ut 1. doctrinam & institutionem Christi satiantem animas proponerent. 2. ut mores reformarent. 3. ut fidem & confessionem veritatis secundùm purum verbum Dei, sine traditio-

nibus, ut merum sine aqua vel aceto aut felle indito, gratam haberent, & urgerent. vers. 8. 9.

18. Pax religionis causâ per Germaniam sancita Passavii, A. C. 1552. & promulgata Augustæ, A. C. 1555. Quod beneficium Christo sese in affectum Sponsæ insinuare conanti tribuitur in Cantico. vers. 10.

Quintum tempus continet fluctuationem Ecclesiæ Reformatæ à prima pace in Germania religionis causâ facta usque ad eam in universum constitutam, à vers. 11. cap. 7. usque ad cap. 8. vers. 4. Convenit Ecclesia Sardensis, Apoc. 3 : 1—7. Sigillum quintum, Apoc. 6 : 11. Tuba quinta, cap. 9. quanquam ea altius initium habet. Item Apoc. 11 : 11. 12. 14: 8. 14. 16: 10. 11. 18 : 4. & aliquot seqq. Hi sunt articuli.

1. Exitus sive separatio Protestantium à civitate, per anathemata Tridentina: ita, ut nec ipsis voluntas secedendi defuerit. Ipsi enim confessionis Augustanæ socii testatum dederunt, fieri non posse, ut, nisi revocatis Concilii Tridentini decretis, cum Romana Ecclesia consentiant. ℣. 11.

2. Dispersio illorum, qui exiverant; & nova tristitia & angustia exorta ex eo, quòd Protestantes pacem ad Augustanam formulam adstrinxissent. Quæ res multis malis deinceps ansam præbuit. Et spissior nox in Anglia, Belgio & Gallia: ita ut multitudo verè sentientium necesse haberet *in villis*, id est, vel privatim quisque apud se, vel in cœtibus parvis & occultis latitare. vers. 11.

3. *Frequentatio vinearum*, id est, cœtuum publicorum, in Gallia, A.C. 1558. Quo ipso anno in Anglia Maria persecutrix moritur, & nova lux piis in Anglia. Scoti quoque ausi imagines frangere, convenire, bella gerere, qui tandem & ad tempus pacem impetrarunt. In Comitiis Augustanis inter dissidentes pax confirmata est, A. C. 1559. Eodem anno pax politica inter Gallum & Hispanum facta est, quæ deinceps perverso utriusque regis judicio exortis intestinis motibus, in Galliæ & Belgii perniciem vertit. Nam ab eo tempore renovata sunt Cardinalis Lotharingii & Granvellani Atrebatensis Episcopi clandestina de requirendis ac ferro puniendis sectariis consilia: cujus rei occasione fœdera occulta utrimque sunt inita, &c. Scilicet Romanis sudes erat in oculo, quòd Reformati passim crebris cœtibus convenirent. Not. Canticum non facere Sponsam à Christo invitatam, sed invitantem ipsum. vers. 12.

4. Zelus vulgi in imaginibus frangendis, & alacritas ad defendendam armis libertatem conscientiæ & exercitium religionis omni ope & studio adjuvandum, sub bellis Scoticis, Gallicis & Belgicis. *Is odor* non malorum, sed *mandragorarum*, id est, malorum, quæ licet insipida esu, cùm ille zelus non omnino purus aut sine superstitione, ac timore Dei subactus videretur, tamen specie ac odore jucunda fuerint. vers. 13.

5. Manifestatio omnis generis Christianarum virtutum occasione tentationum, quæ consecutæ sunt ex eo, quòd Ecclesia vineas adire & conventus celebrare inter medios inimicos ausa est. vers. 13. col. 2.

CAP. VIII.

6. Petitio Sponsæ à Christo, ut insigni aliquo beneficio velit demonstrare inter

inter homines, præsertim eos, qui, postquam à Papatu secesserant, ab ipsa diffidebant, neque eam pro Ecclesia Christi habebant, quòd ipsa sit soror Christi, Christusque frater ejus ꝟ. 1. Pertinet huc frequens fraternitatis oblatio iis, quos putat membra Christi esse.

Notatur in hoc articulo peccatum Ecclesiæ Euangelicæ satis vetus & radicatum, quòd de quibusdam capitibus religionis Christianæ dissentientes non tolerant se mutuo, sed conviciis certant, aliique alios damnant, tanquam si fratres Christi & cives regni esse non possent.

7. Sponsæ ingenua confessio ignorantiæ & ἀγνωσίας Θεοῦ, ut quæ non satis parata sit ad docendum, nisi ipsa discat primùm. Quam tamen obiter excusat, quòd ipsi non supersit tantum temporis à disputationibus & confutationibus adversariorum, ut operam Christo docenti & verbo ejus dare possit. Præpostera tamen sapientia est, magis de contumelia, quàm de salute sollicitum esse. vers. 1. 2.

8. Impetratio pacis, ad votum Ecclesiæ, in Gallia, A. C. 1599. sub Henrico IV. Belgæ inducias obtinuerunt, (quanquam jam antè res eorum satis confirmatæ essent) A. C. 1608. vers. 3.

Sextum tempus habet afflictionem quandam magnam, cap. 8: 4.-7. Convenit Epistola ad Philadelphienses scripta, Apoc. 3: 7.--10. Sigillum sextum, Apoc. 6: 12. & seqq. & 7: 14. Tuba sexta, cap. 9: 13. & seqq. 16: 12. & seqq. 18 per totum. 19: 11. &c. & 20: 8. 9. Hi sunt observandi articuli.

1. Filiæ Hierusalem consiliis suis ac maledictis Ecclesiam sollicitam & anxiam tenentes, & quietem ejus turbantes. vers. 4.

2. Mortes, exilia, passionesque fidelium, in medio eorum, qui, postquam Babylonem reliquerant, rursus vestes suas maculaverant, & vel profanitate vitæ, vel abnegatione Christi nomen suum deleverant è libro vitæ. Ii *desertum*. Et nova labes Ecclesiæ Reformatæ hic notatur, futura etiam eo tempore, quo fiet vastitas & populatio. Exsiccabitur enim Euphrates, Apoc. 16: 12. ut fiat desertum, Jes. 50: 2. vers. 5. *ex Hab. 3: 17.*

3. Summa necessitas adigens Ecclesiam, ut Christi opem & præsentiam imploret. Longa exspectatio opis ac præsentiæ Christi, cum dolore maximo, hic notatur. ꝟ. 5 col. 2.

4. Exauditio Sponsæ, & concessio Salvatoris ac Patroni, sed nondum cum pleno fructu. Vide Hos. 10: 14. ꝟ. 5. p. ult.

5. Petitio Ecclesiæ à Christo, ut, quandocunque brachium suum elevat in posterum ad percutiendum gentes, sui recordetur: utque tantum referat Diabolo cruciatum ex bono & incremento Ecclesiæ, quantam habuerat voluptatem ex hominum pernicie & regni Dei imminutione. Quæ *mors* & *orcus* dicuntur in prophetia, & tanquam præsentes in Ecclesia proponuntur. vers. 6.

6. Afflictio quædam magna, denotata per *aquas multas & fluvios*. Gloriatur autem Sponsa de constantia amoris mutui inter se & Christum, contra vim omnem, ejusque prælatione præ omnibus opibus mundi, quas *Vir* aliquis, qui magnus habetur in Ecclesia Dei, vel qui auctoritatis suæ tuendæ causâ Ecclesiam velit reducere ad Babylonem unde exierit, pro remissione ejus amoris dare velit. vers. 7.

Septimum & ultimum tempus Ecclesiæ Novi Testamenti habet collectionem

lectionem omnium, finitque in regno, id est, occupatione omnium montium & populorum. Respondet, quod extat in Epistola ad Laodicenam Ecclesiam Apoc. 3 : 20. Item Apoc. 7 : 15. 16. 17. & 11 : 15. & seqq. & 15 : 2. 3. 4. & 19 : 1—10. & 20 : 12. & 21 : 1. & seqq. Hi sunt articuli.

1. Consultatio fidelium de conciliatione Lutheranorum cum Reformatis. vers. 8.

Ibidem quoque consilium de defectu sororis sanando & implendo suppeditatur; sive modus docendi saluberrimus proponitur. Amolitio scandalorum ex Ecclesia, & clarissima explicatio Sacrarum Literarum. vers. 9.

2. Fructus remedii in altera sorore; occupatio fundamenti, errorumque omnium & scandalorum abjectio. Tum intelligentia Sacrarum Literarum, vitæ nitor, Doctores & Rectores, homines exemplares, illustres doctrinâ & vitâ. Fidem totius & solius verbi divini depictam putes. vers. 10.

3. Communis omnium cura, vigilantia & studium pro universo corpore Ecclesiæ, quod quisque ut suum, utpote à dominis liberatum curat. Ita scilicet, ut omnis gloria vineæ & fructuum ejus ad Dominum ejus Christum redeat, & pars ejus gloriæ in custodes fructûs ejus redundet. vers. 12.

4. Compellatio fidelium, qui habitant in Ecclesiis particularibus tanquam hortis sub Dominis, ut audeant loqui, & testimonium dare veritati, cùm ipsi illi, qui eandem cum Christo potestatem assumunt, id ab iis exspectent. vers. 13.

5. Votum omnium fidelium tam in hortis, quàm extra illos, ut Christus celeritate insolitâ volet per montes aromatum, id est, imperia omnia mundi jam fidelium feracia occupet. ℣. 14.



ORDO RERUM EX ESAIA.

CAPUT I.

Verf.

IN Capite primo summa continetur & principale argumentum omnium sermonum subsequentium. Explicat autem consilium Dei de redemtione Ecclesiæ cum pessundatione hostium, tum in populo, tum extra illum. Articuli sunt:

1. Advocatio cœli & terræ, ut attestentur Deo loquenti, sive causam suam agenti cum carne de justitia. Factum id est inprimis, cùm Deus, misso Filio suo & Spiritu Sancto in mundum, quasi ex cœlo loqueretur, & per angelos & homines, atque opera omnipotentiæ in cœlo & in terra causam suam assereret, atque ostenderet, se & in Mose, & Davide, atque in hoc ipso Esaia antè locutum esse. 1.

Sermo Dei, quem Christus per prophetas habuit, ὑποτύπωσις 1. in commemoratione beneficii, quòd *filios* dictos quidem, quòd multa similiter ut filii agerent, quamvis essent *servi* (Joh. 8: 34.) *educâsset*, id est, per beneficium vocationis & illuminationis ad aliquam agnitionem Dei, & ad gloriationem in ipso adduxisset: & *amplificâsset*, id est, à pueritia rudiori ad quandam adolescentiam provexisset, nimirum quando Deus ipsis apertiùs plenilisque Testamentum suum patefecit, & per signa temporum ostendit, tempus libertatis propè esse, ut ita ipsos oporteret esse doctores propter tempus, Heb. 5: 12. Jam vide Matth. 11: 23. & 12: 28. & Heb. 6: 4. 2. in specificatione delicti, quòd *defecissent à Deo*, quem jam Dominum ac δεσπότην suum nominaverant 2 Pet. 2: 1. idque per falsas de Deo & justitia opiniones. 3. in culpæ exaggeratione (*a.*) à comparatione cum brutis. Ubi causa defectionis ponitur *ἀγνωσία Θεοῦ non agnoscit.* Hæc agnitio est ipsa fides. *non animadvertit.* Quæ animadversio versatur circa media, quibus se Deus revelat. (*b.*) à multitudine delictorum, cum tacita derogatione prærogativarum Israëlis. (*c.*) à castigationibus sine emendatione inflictis. Adde his canonem judicii divini tum justificationis, tum condemnationis. Et complorationem super corruptione Hierosolymæ. 2. 5—9. 10--20. 21—23.

2. Terræ desolatio gravata. I. *Vastitas est terra vestra*, non colitur ob paucitatem hominum, bella, deportationes. II. *Urbes vestræ incensæ igni.* III. *Ager possessus ab hostibus.* IV. *Vastitas ab eversione hostili.* V. Vastitas generalis usque ad Hierosolymam. VI. Hierosolymæ infirmitas, periculum, coarctatio. Facies temporum post destructionem regni decem Tribuum, in Judæa & Hierosolyma: quæ sub Zedekia facta est urbs obsessa & oppugnata. 7.8. *Conf.* c.8:7.8.

3. Conservatio reliquiarum. 9.

4. 4. Deſtructio templi & urbis per Nabuchodonoſorem. Ita Deus ſe conſolatus eſt ab hoſtibus ſuis, & ultionem cepit ab inimicis ſuis.

25. 5. Refert Deus manum ſuam ſuper Hieroſolymam, eam repurgando. Ut cùm primò Jechoniam & optimos quoſque eduxit ex Hieroſolyma: Deinde in ipſa coarctatione urbis quorundam fidem & patientiam fecit clareſcere, aliorum vanitatem & fiduciam in carne demonſtravit. Tum & cùm multi magnis & diris malis fuiſſent conſumti, reliquias in Babylonem tranſtulit. Ubi quoque alii prophetas, Ezechielem, Danielem & alios ſanctos viros audiverunt, alii in ſuis moribus perſeverarunt. Tandem cum Zorobabele & Eſra optimos quoſque eduxit. Qui & ipſi repurgatione eguerunt, ut ex Eſra & Nehemia conſtat.

26. 6. Reſtitutio reipublicæ poſt captivitatem Babylonicam. Et quidem in eam formam, ut ſub judicibus, non ſub regibus eſſet. Judices illi Zorobabel & Nehemias &c. fuerunt, tanquam פחות præfecti, Pontifex M. Sacerdotes, Seniores populi. Ut ex libris Eſræ & Nehemiæ patet.

26.27. 7. Redemtio præſtanda poſt reſtitutionem reipublicæ ex captivitate Babylonica. Et quidem republicâ ſtante, & quidem ſub judicibus, non ſub regibus agente. Ut cùm, Archelao relegato, Judæa in provinciæ formulam eſſet redacta, & Romani Judæis, ſervatâ ipſis αὐτονομίᾳ, atque ita adminiſtrante rempublicam Senatu, pacem præſtarent.

26. 8. Conſequens redemtionis, Demonſtratio coram toto mundo, juſtitiam, & fidem, & regnum Dei eſſe apud Hieroſolymam, & in communione ejus. Unde conſecuturum ſit, ut paſſim appelletur Urbs juſtitiæ, & Civitas fidelis. Facta hæc ſunt, cùm effuſus eſt Spiritus Sanctus & prædicatum eſt Euangelium inter Judæos & gentes omnibus in locis cum fructu.

28. 9. Quorundam defectio à fœdere & lege Dei, eorundemque fractio. Hæc eſt deſtructio reipublicæ Judaïcæ, & disjectio rebellium per omnes gentes.

28. 10. Peccatorum (Romanorum gentilium) confractio.

28.29. 11. Aberratio à vero Deo, atque ita deſertio Jehovæ, per concupiſcentiam ac dilectionem ilicum & hortorum, id eſt, per multiplicationem altarium, more gentilium, in celſis adolentium, ſicque abnegationem unitatis mediatoris; ac denique conſtitutionem religionis ſecundùm nomen & auctoritatem humanam. Ea primò hæreticorum Chriſtum non-Jehovam fingentium; deinde & Antichriſti cultorum, tum in Oriente, tum in Occidente, fuit.

29. 12. Multorum Hieroſolymæ, urbis juſtitiæ, civium in ea aberratione participatio; ita tamen, ut radix pœnitentiæ in ipſis maneat.

28. 13. *Conſumtio*, ſive paulatina abolitio, deſertorum Jehovæ. Nimirum
29. primò per ipſorum pudefactionem: ut quando in multis partibus Chriſtiani orbis, ut in Oriente, Epiſcopatus & Patriarchatus, regnaque ac Imperia exſtincta ſunt, quibus hæretici exultabant.

29. 14. Secundò per reliquorum compunctionem de hortis: quæ tum facta eſt, quando (*a.*) alios aliorum pœnituit. verbi cauſâ, quando Occidentalibus diſplicuit hæreſis Orientalium: multis etiam in ipſo Occidente diſplicuit ſuperbia, dominatus & idololatria Occidentalium: quæ cauſa fuit, cur multi pii compuncti ſtatum Eccleſiæ ejus temporis amariſſimè deploraverint. (*b.*) quando Eccleſia exivit à communione illorum, qui auctoritate humanâ in erroribus intra hortorum ſepta retinebantur. Vid. Waldenſes, Bohemi, Euangelici.

30. NB. Occaſio hujus compunctionis major & evidentior oſtenditur, quòd eſ-

ſent

ʃent poteʃtates illæ humanæ inʃtar quercûs foliis marceʃcentibus, & horti aquis deʃtituti, id eʃt, quòd deʃerto verbo & ʃpecie pietatis nihil haberent, quod oculos oblečtaret, quòdque ita Eccleʃia deʃtitueretur ʃalutari doctrinâ, ut bonæ herbæ non apparerent, & ʃpinæ ac triboli ʃuccreʃcerent, pro confeʃʃione fidei diʃputationes, pro charitate odia & jurgia &c.

15. Eccleʃia ʃeparata à communione deʃertorum Dei, cum ʃuis poteʃtatibus ʃimilitudinem horti retinens. 29. 30.

16. Ejuʃdem traditio in manum deʃertorum Dei, ita ut nec à poteʃtatibus ʃuis protegi poʃʃint, nec exhilarari, ipʃæque in malis ʃuis contabeʃcant. 30.

17. Poteʃtas Eccleʃiaʃtica ceu opus fabricatum à poteʃtate Politica ceu robore ramoʃiʃʃimo, occaʃio futura conʃumendæ & comburendæ utriuʃque. 31.

Vel etiam ʃic: Poteʃtas Antichriʃtiana, quæ ʃanè ampliʃʃima eʃt, quærit Eccleʃiam, liberatam à jugo ejus, retrahere in captivitatem. Id opus ejus eʃt. Id in ʃcintillam futurum eʃt, & conʃumet poteʃtatem illam tanquam ʃtuppam. Dies hæc docebit.

CAP. II.

1. EXornatio, glorificatio & exaltatio montis domûs Dei, Morijæ, ʃupra omnes montes & colles, etiam eos, in quibus Deus ʃe revelavit, ut Sinai. In Dei ipʃius viʃitatione & ʃui ad ʃenʃum manifeʃtatione, itemque effuʃione Spiritûs Sancti in Apoʃtolos, eorumque auditores, conʃiʃtit hæc exaltatio. 2.

2. Omnium gentium ad illum montem affluxus, ʃive acceʃʃus continuatus, ut aliæ poʃt alias veniant, donec omnes acceʃʃerint. Is acceʃʃus eʃt communionis per finem. Addit enim Eʃaias: *Nam ex Sione* &c. 2. f.

Initium quoque & modus hujus acceʃʃionis gentium ad montem templi indicatur. Dum ʃcilicet *populi magni & multi ibunt*, id eʃt, in multis & magnis regnis & rebuspublicis plurimi excitabuntur ad accedendum, & ad alios cohortandum: Et fideles gentium deʃerent idololatriam inʃtitutis & legibus populorum confirmatam, & ʃuo ʃtudio cum tribulibus ac popularibus ʃuis, legumque ac judiciorum repagulis, ac poteʃtatum imperiis neceʃʃe habebunt colluctari, & alios cohortari etiam ʃuo exemplo ad accedendum. Accedendum verò ad Deum, ut doctorem, revelatum Hieroʃolymis in templo ʃuo, ibique verba ʃua prolocutum; quique exinde Apoʃtolos ʃuos prædicatores legis & verbi ʃui miʃerit. 3.

3. Judicium peractum inter gentes, venientes ʃcilicet contra Hieroʃolymam, pro cauʃa Chriʃti & Eccleʃiæ. Ea ʃunt ʃupplicia & plagæ, primò Judæorum, deinde Romanorum gentilium. 4. 4.

4. Oppugnatio bellica Eccleʃiæ. 4.

5. Demonʃtratio populis multis barbaris, Eccleʃiam impugnantibus, facta, cum eo effectu, ut ne ampliùs Eccleʃiam oppugnent, aut accurʃum gentium impediant; quin potiùs deʃertâ idololatriâ ac erroribus ipʃi ad Deum & Eccleʃiam accedant, & foveant filios ejus.

6. Continuatio demonʃtrationis & ἐλέγχου inter eas gentes, quæ cuderint gladios ʃuos in ligones, cum eo eventu, ut iterum fiant duæ gentes, & ʃeparentur ii, qui Jehovam deʃerunt, ab iis, qui ipʃi adhæreʃcunt. 4.

4. 7. Bellum gentis deſerentis Jehovam adverſus alteram illam gentem.

4. 8. Coërcitio ſive potiùs dilatio iſtius belli facta in pace datâ Euangelicis in Germania, & aliis regnis. Quamvis adhuc maneant doctores belli, qui ſcilicet ſtatuant, hæreticos eſſe interficiendos.

4. 9. Conſumtio eorum, qui bellum diſcunt, ac docent.

5. 10. Nova invitatio Judæorum per gentes, ut ſecum ambulent in luce Jehovæ, id eſt, agnoſcant lucem veritatis & gratiæ Dei in Chriſto, per Euangelium propoſitam, demonſtratione fortiſſima confirmatam, confutatione hæreſeon & regni adverſarii illuſtratam, judiciis denique in hoſtes & pacificatione Eccleſiæ, tanquam nobiliſſimis prophetiæ implementis roboratam; &, ut dignum eſt tantis Dei operibus & beneficiis, ambulent.

6. 9. f. Hactenus ſcilicet Deus omiſerat populum ſuum, atque iram ſuam in ipſos effuſam retinuerat, ne remitteret ipſis: & quidem ob graviſſima delicta inde à
6. tempore Eſaiæ commiſſa, quæ commemorantur. 1. Imitatio gentium dominantium in peccatis ipſarum, nimirum Orientalium, id eſt, Babyloniorum, in ſuperſtitione, Palæſtinorum, cœterorumque Occidentalium, puta Græcorum, in auſpiciis & divinatione: quòdque tandem cum natis alienigenarum,
7. Romanis gentilibus, ſcortati eſſent. 2. Studium & fiducia in opibus. 3. Fiducia
8. potentiæ humanæ. 4. Idololatria, ſive fiducia in imaginibus.

Occaſione hujus commemorationis proponitur tertius ordo, in quo eſt

11. Denunciatio decreti divini de humiliatione hominum, ad alta ſibique non competentia, tanquam juſtitiam ex operibus, oculos efferentium; & virorum, ſive aliquâ auctoritate ſupereminentium, idque ut Deus ſolus agnoſcatur Doctor,
10. Sacerdos, & Rex in Eccleſia. Proponitur id decretum Dei, ut homines in
11. 12. ſumma animi conſternatione in tempore agant pœnitentiam. Exſecutio decreti hujus ad manifeſtandum gloriam Dei hic *dies* metonymicè appellatur. Habet autem hos articulos.

12. 1. Sublatio ὑπεροχῆς eorum, qui ſe ſupra fratres ſuos, leges quoque & religionem & conſcientias hominum efferebant, puta Regiæ dignitatis, quatenus pro Regibus dantur Judices & Conſiliarii, Eſ. 1: 26.

12. 2. Humiliatio eorum, qui, cùm eſſent conſtituti ſub poteſtate aliorum, reſiſtebant poteſtati, neque civibus ſe reddebant æquos, atque in regimine Eccleſiaſtico ſe dominos fidei reddere conabantur.

13. 3. Abolitio cedrorum Libani (ſacerdotum) procerarum (habentium eminentiam in populo,) ſeſeque extollentium (altiùs, quàm par erat, utpote ſacerdotium Chriſti abnegantium, ſuum autem pro æterno vindicantium.) & quercuum Baſan, id eſt, principum populi, Chriſtum & regnum ejus & Ec-
14. cleſiam proculcantium. Nec tantùm, ſed & ipſius populi ac reipublicæ, ceu collis cujuſdam elati.

14. 4. Victoria de Imperio Romano, ceu monte quodam procero, ut in eo aboleretur idololatria.

15. 5. Erectio atque munitio regni humani militantis contra regnum Chriſti. Ea deſertio Jehovæ eſt, ad adhæreſcendum homini; quæ accuſatur infrà ℣. 22.

15. 6. Exſtirpatio falſi regiminis & idololatriæ in Oriente; ut cùm Perſæ, Sarraceni ac denique Turcæ occuparunt Aſiam, Ægyptum, Græciam uſque ad Danubium, expugnatis urbibus, tranſitis mari & fluminibus. Coarctatio item dominationis Antichriſti in Occidente.

7. Cla-

7. Clades, & detrimenta, & fruſtraneæ expeditiones maritimæ Hiſpanorum & Luſitanorum, quas paſſi ſunt in India utraque, & in mari noſtro: ut cùm Deus manifeſtè contra illos pugnavit A. C. 1588. 16.

8. Judicium divinum etiam exercitum in urbes & claſſes Eccleſiæ Reformatæ, quatenus iis nimiùm confiſa eſt. Huc refer effecta belli Anglicani cum Belgis, A. 1652. ſuſcepti, quo anno ventus claſſem Belgicam disjecit. A. 1653. Februar. 1. & 2. Martii atrox prælium ad Portlandiam inchoatum, quod geſtum navibus bellicis Anglicis ad 80. Belgicis ad 70. magnâ hominum clade. 15.16.

9. Abolitio omnium imaginum amabilium, ſive illecebrarum oculorum, quas falſa religio quærit. 16. f.

10. Nova manifeſtatio gloriæ divinæ in depreſſione altitudinis hominum, & celſitudinis virorum. Fiet hoc, cùm Deus perdentes terram perdet, & Babylonem demerget. 17.

11. Exſtirpatio Idolorum, ſurgente Deo ad conſternandum terram, eâque 18.19.
cauſâ fugientibus hominibus in foramina petrarum, & projicientibus Idola ſua 20.21.
ad talpas & veſpertiliones.

12. Opus Dei in hominibus, ut omittant hominem, & ipſi ſoli confidant. 22.
Id jam tempus eſt, quo regnum Dei manifeſtatum erit in omnes montes & 14.
colles.

CAP. III. toto, & CAP. IV. 1.

1. EXplicatur ultima diſſolutio & excidium Urbis & reipublicæ Hieroſolymitanæ, ut patet ex eo, quòd hic nulla ſit mentio Regis. Generalis propoſitio eſt cap. 3. 1. p. p. & verſ. 8. p. p. Declaratur autem per hypotypoſin

(a.) Famis ſub Claudio Cæſare, quam credibile eſt per ablationem fulturæ 1. p. 2.
aquæ, ſive ἀβροχίᾳ effectam fuiſſe.

(b.) Ablationis virorum ſpectabilium & utilium reipublicæ, ut cùm ordo mi- 2.
litaris, tenentibus Judæam Romanis legionibus, ceſſavit: vis item judicialis, ſublatis capitalibus judiciis, eſt enervata: Prophetæ quoque, qui erant in populo, Apoſtoli & diſcipuli Chriſti, à Judæis diſceſſerunt. Directio item non tantùm prophetarum, ſed & divinorum ſeu hariolorum, & virorum prudentium ſagacitas eſt ablata. Tandemque omnia judicia, ſumma & ima, qua- 2. f. 3. p.
lia etiam ad Seniores, Chiliarchas, Centuriones, πεντηκοντάρχας Exod. 18: 22.
pertinebant, occiderunt, ut nihil ordine ageretur: vix relictis, qui gratiâ 3.
vel auctoritate valerent, aut conſilium in deſperatiſſimis rebus ſuggerere poſſent aut vellent. Rationibus honeſtis victûs tuendi, inter quas eſt opificium, & honeſta ſtudia, conturbatis: nemine etiam extante, qui in adverſis delinire animos poſſit.

(c.) Tyrannidis: Statum reipublicæ labefactantibus, poſt Maccabæos vin- 4.
dices, Regibus, etiam pueris & fœminis, prudentiſſimis quibuſque neglectis, & audaciſſimis juvenibus rebus præfectis: Quales præſertim bello Judaïco erant ipſorum duces, qui templum, arcem, urbem tenuerunt.

(d.) Ἀναρχίας conſecutæ & confuſionis, (ut cùm unus alteri injuſtis oneri- 5.
bus & faſcibus officiorum fieret πράκτωρ; (vide Matth. 23: 1. 2. Matth. 11: 28.) *vir* etiam à *viro*, unus magiſter ab alio exigeret obſervationem ſuorum dictorum: denique minor in majorem, puer in ſenem, vilis in honoratum feroci-

6. 7. ret) uſque ad deſperationem remedii, à rebus gerendis ſeſe abſtrahentibus
prudentibus. Quale eſt, quod Joſephus narrat, zelotas conſtituiſſe 70 Judices, & inter illos quoſdam invitos ſedere coëgiſſe, inter alios Zachariam
filium Baruch, qui poſtea in templo interfectus eſt.

8. p. 2. (e.) Cauſarum tantæ ruinæ: quòd ſcilicet 1. *linguâ*, id eſt, doctrinâ ſuâ,
&c. 9. Deum in carne revelatum, & tam manifeſtis ſignis comprobatum, ac res
ipſorum inſpicientem, contumaciſſimè aſpernarentur. 2. quòd tantùm ſe ſuique ſimiles aſpicerent, & hoc aſpectu judicium ſuum corrumperent. 3. quòd
impudenter *peccatum ſuum* (quòd ſcilicet Jeſum Nazarenum, Dominum gloriæ,
cruci affixiſſent) publicarent, ut Sodomitæ. 4. quòd iræ divinæ non tantùm
eſſent provocatores, ſed & exſecutores αὐθένται.

His annectit Eſaias æternum illud *Væ animæ* ipſorum infligendum in gehenna.

10. 2. Prædicatio juſti, ſicque Hieroſolymæ celebratio, quòd eſſet urbs juſtitiæ, quamvis caderet.

Confirmantur autem Apoſtoli ac diſcipuli ad prædicandum Euangelium
10. partæ juſtitiæ variis argumentis. 1. à promiſſione fructûs juſtitiæ, in hac & in
11. 12. futura vita. 2. ab infelicitate injuſti. 3. à populi & principum cœcitate, quòd
pueri non tam ætate, quàm peritiâ, Heb. 5: 12. 13. 14. & *mulieres* dominarentur
eis; (Quales tempore ultimi excidii magnâ auctoritate fuiſſe narrat Joſephus
Herodiaden, Bernicen, Druſillam, Helenam Adiabenorum reginam, Flori
conjugem Cleopatram. Eas veriſimile eſt addictiſſimas Judaïcis ritibus, maritos ſuos in Chriſtianos incitâſſe.) quòdque, qui *ducere* eos debebant ratione officii, vel etiam, qui eos, ut populum Dei, beatos prædicabant, ſeducerent eos,
&, ſublatâ clavi cognitionis, Luc. 11: 52. typum doctrinæ corrumperent.
13. 4. à promtitudine Dei ad contendendum, & judicandum populos. Hoc
argumento excitantur Apoſtoli ad ἀποκαραδοκίαν ſuæ ἀπολυτρώσεως & vindictæ
14. hoſtium, Matth. 24: 33. Luc. 21: 28. 31. Explicatur id (α.) quoad ſeniores in
contentione, quòd nempe neglectu officii ſui vineam Domini ſuffodiſſent, eique omnium plagarum cauſa extitiſſent; quòd ſpecie juſtitiæ inopes ſpoliarent,
Matth. 23: 14. Exemplum eſt in decimis, quas Judæi rigidiùs exigebant, quàm
15. Lex poſtulabat: & legem interpretando aggravabant; quòd *enervarent populum Dei*, & abſterrerent, quo minùs auderet nomen regis ſui profiteri, Matth.
23: 37. Joh. 9: 22. Ac in ſpecie, quòd *faciem inopum commolerent*, colaphizando. Exemplum eſt Act. 23: 2. in Paulo; ubi etiam verſ. 3. verbis prophetiæ Sacerdotem increpat. *Quid veſtra?* q. d. An hoc vobis à Deo mandatum eſt?
An id Sacerdotis eſt? Simile paſſus eſt Chriſtus, Mich. 4: 14. (β.) quoad fi-
16—24. lias Sion, & ipſam Sionem in judicio. Id judicium ponit (α.) in humiliatio-
& c. 4: 1 ne & nuditate fœminarum, quibus imputaverat, quòd populus in earum po-
25. teſtate eſſet. (β.) in deletione hominum tum aliorum, tum inprimis roboris
26. civium. (γ.) in Hieroſolymæ oſtiorum mœrore & luctu, cùm non eſſet egredienti vel ingredienti pax; civitatiſque ipſius otio, paucis eam habitantibus;
domorum denique & mœnium projectione in terram: cui & ἐρήμωσις Tem-
c. 4: 2. pli includitur, Matth. 23: 38. 24: 15. 5. à gloria Chriſti tum multis aliis
rebus, tum hoc judicio hoſtium manifeſtata, & adverſus eorum calumnias &
blaſphemias juſtificata. 6. à manifeſtatione ſanctitatis juſtorum. Hic nota,
prophetiam procedere ad ulteriora tempora, hoc ordine:

Inqui-

3. Inquinatio Sionis & Hieroſolymæ, id eſt, Eccleſiæ Chriſtianæ, *ſordibus*, id eſt, ignorantiâ veritatis, falſis opinionibus, & regimine non conveniente verbo Dei; *& ſanguine*, ſive judiciis pravis & tyrannicis, odiis, excommunicationibus injuſtis, perſecutionibus, bellis injuſtis. 4.

4. Excitatio Spiritûs judicii ad diſcretionem veri & falſi, boni & mali; itemque Spiritûs incendii, ſive zeli adverſus omne malum, quo ceu igne conſumantur malefici, Eſ. 1: 31. (vel *exterminii*, qui item eſt Spiritus amoris Dei & gloriæ ejus, ad exterminandum malum, & ſanguinem innoxium ex Iſraële.) in Eccleſia. 4.

5. Defectio multorum à Sione & Hieroſolyma, qui ſeipſos, meliorum damnatione, ab ea abſcindant; idque propter Spiritum judicii & exterminii vigentem in Eccleſia. 4.

6. Superſtitum Sanctificatio, ſive Declaratio per teſtimonium Dei in verbo & in conſcientia ſua, quòd ex eo ipſo, quòd animo & corde maneant in Eccleſia, ſit certum, eos eſſe ſanctificatos. 3.

Septimum argumentum, quo ſuadetur Prædicatio juſti, ducitur à divina præſentia, protectione & illuminatione. Tria in hiſce tempora diſtinguit.

1º Diem. Quo ſignificatur claritas & puritas Euangelii, prædicati in Eccleſia, poſt aſcenſionem Chriſti in cœlum. Huic tempori addicit (*a.*) præparationem convocandorum ad cœtum juſtorum, & loci, in quo commorentur. (*b.*) virtutem Spiritûs Sancti protegentis, ceu nubem, ad refrigerandum ipſos de die. (*c.*) magnam multitudinem hominum circumvallantium Eccleſiam, quando res Romana ad Chriſtianos pervenit: quæ multitudo, ceu fumus, obſcuritatem fecit. 5.

2. Noctem. Id tempus eſt errorum, peccatorum, inordinationis, mixturæ bonorum & malorum, ex quibus conſequitur & conſolationis diminutio. Huc pertinet & fumus jam dictus. Hujus noctis cauſam etiam ediſſerit. *Nam ſuper omni gloria erit tegmen.* q. d. Gloria & copia gentium circumvallantium Eccleſiam ſubjicietur alicui imperio humano, ceu velamento. Et ſubjicit hiſce malis remedium, zelum contradicentium falſæ doctrinæ, quo ceu igne quodam ſplenduerunt ad illuminationem multorum, ut in veritatem diligentiùs inquirerent, præſertim cùm amore veritatis ſeſe paſſi ſunt ad flammas rapi ab hoſtibus ejus, quo facto exemplaria fidei, patientiæ & charitatis extiterunt. 5.

3. Diem poſt noctem. Ita ſignificatur, Eccleſiam tenebris illis non ſuccubituram perpetuò: ſed fore tempus, quo doctrina Euangelii rurſus emicet. Cùmque diei non ſubjiciat denuò noctem, ſignificat, Euangelium aliquando non oppreſſum iri ampliùs. Huic tempori aſſignat *Tugurium*: quod habeat uſum 1. umbræ in æſtu. Confer Apoc. 16: 8. 9. 2. perfugii in inundatione. Confer Apoc. 16: 14. 3. latibuli in pluvia. Confer ibid. ℣. 21. 6.

CAP. V.

CHriſtus litem facit carni, & cum ea contendit de ejus ἀδυναμίᾳ ad aſſequendam juſtitiam per ſe ipſam. Primò introducitur Iſraël ſpeciatim, quos arguit per omnem culturam Dei non fructificâſſe, ſed malos fructus tuliſſe: ideoque

que ei ſupplicium denunciat, ad verſ. 8. Hæc pars appellatur *carmen*, & eſt teſtimonium Patris & Spiritûs Sancti de Filio, & judicium de populo Iſraëlitico ad gloriam Filii. Quod teſtimonium etiam ipſo opere redditum eſt, quando Pater reſuſcitavit Filium ex mortuis, & Spiritum Sanctum effudit in Apoſtolos, & populum disjecit, & Eccleſiam conſolatus eſt. Ordine commemorantur

1. Beneficia Dei: quæ ſunt (*a.*) Separatio Iſraëlis à reliquis gentibus in populum peculii. Idque ex notione *vineæ* facilè intelligitur. (*b.*) Donatio habitationis feraciſſimæ, atque omnibus bonis abundantis: quam etiam elegerat Deus, ut ibi chariſmata Spiritûs Sancti effunderet. (*c.*) *Paſtinatio* ſive datio legis & caſtigationes, ut in populo nulla eſſet publica corruptela, & *Elapidatio*, ſive propulſio gentium, ne ipſis eſſent ſcandalo, aut propagationi impedimento. (*d.*) *Plantatio*, ſive populi in terra conſtitutio: ut, cùm, gentibus expulſis vel exſtirpatis, terram inter ſe diviſerunt. Ea fuit *plantatio voluptuoſa Dei*, quatenus nulla in ipſis fuit publica corruptela, & multi in omnibus tribubus viri pii & fideles extiterunt. (*e.*) *Ædificatio turris* ſive arcis *in medio ejus*. Id templum fuit, quod Deus ſibi exſtrui juſſerat in teſtimonium, quòd vellet in medio illorum habitare, & præſto eſſe invocantibus ſe. (*f.*) *Excisio lacûs ad excipiendum vinum*, id eſt, excitatio ac præparatio ſanctorum inter ipſos, qui exciperent fructus ipſorum recipiendos & conſervandos in æternis manſionibus. (*g.*) *Exſpectatio*, ſive diuturna dilatio judicii malis irrogandi. (*h.*) quod etiam notari poteſt.

2. Viſitatio poſt diuturnam exſpectationem. Ea indicatur reipſâ (poſt ex-
3. ſpectationem enim contendit.) & vocibus, *Et nunc*: & modo contendendi,
5. *inter me & vineam*; &, *Indicabo vobis*. Adde, quòd dicatur exſpectâſſe ad *juſtitiam*: Quæ in emphaſi pertinet ad tempus redemtionis.

4. 7. 3. Ingratitudo populi *prolatio labruſcarum*, ſive *ſcabiei* loco judicii, id eſt, pruritus concupiſcentiarum adverſus Deum & proximum: & *clamoris*, doloris malæ conſcientiæ, qui contrarius eſt lætitiæ conſcientiæ conſummatæ in juſtificatione, & murmurationis adverſus Deum & proximum, populi contra præſides, & præſidum contra externos, in quorum manum ſunt dati, loco juſtitiæ.

3. 4. 4. Contentio Chriſti in carne apparentis cum ſenioribus populi, quos provocat, ut, ſi poſſint, juſtitiæ carnis adverſus juſtitiam Dei patrocinentur, eoque fine demonſtrent, ſibi aliquid defuiſſe ex parte Dei.

Notatur hic circumſtantia temporis hujus contentionis, nempe quo totus
3. Iſraël futurus erat recollectus in nomen unius tribûs. Defert enim judicium ad *ſedentes Hieroſolymis*, id eſt, Senatum Hieroſolymis reſidentem, & *virum Judæ*, id eſt, viros, præſides, ſeniores tribûs Judæ.

5. 9. 5. Præindicatio Chriſti & Apoſtolorum facta ſenioribus Iſraëlis de calamitate ipſis imminente.

6. Judicium Dei Judæis illatum. Quod continet (*a.*) *Deſtructionem ſepis & vineæ*, id eſt, adductionem externorum in terram ad diſturbationem reipublicæ & ſublationem omnis ordinis, & deſtructionem templi & urbis. (*b.*) *Vaſtitatem, ut neque putetur, neque paſtinetur amplius*. Notatur induratio cordis, quam juvat defectus inſtitutionis Propheticæ & Apoſtolicæ. (*c.*) Conſequens *ἐρημώσεως incrementum ſpinarum & veprium*, id eſt, tum doctrinæ inutilis

tilis ad pietatem vel fiduciam in Deo collocandam, pungentis & ſtrangulantis
omne bonum ſemen, quod in verbo Dei illis offertur, ut ſcilicet veritatem in
illo non animadvertant; tum malorum morum, quod inprimis in odio omnium
hominum conſpicitur. (*d.*) Negationem *pluviæ*, id eſt, ſubtractionem verbi
illius boni, per ſeceſſionem Eccleſiæ & Spiritûs Sancti, qui cum illius auditione datur.

Ad §. 3. Crimen avaritiæ, (ut Mich. 6:14.) & ambitionis, ut ſoli habi- 8.
tent in terra, & Dei populus ſint, expulſis ſcilicet Chriſtianis, divitibus &
potentibus in populo improperatur.

Ad §. 6. Ad judicium etiam pertinet ſolitudo domorum in occiſione homi- 9.
num ac ſtructurarum demolitione, & ἀφορία agrorum ac vinearum, quæ fa- 10.
mes eſt, de qua ſuprà cap. 3:1.

§. 3. Ebrioſitas & luxus in conviviis etiam culpatur. Tum & neglectus con- 11.12.
ſiderationis eorum, quæ Deus molitur & facit, id eſt, conſiliorum Dei in pro- 12.
miſſionibus vetuſtis & operibus antecedaneis notificatorum, & factorum in ex-
ſecutione redemtionis per judicium & juſtitiam: & effuſione Spiritûs Sancti,
& converſione Iſraëlis, & gentium adductione. Etiam notatur affectatio 15.
altitudinis non competentis. Reſolvitur hæc culpa in neglectum Scripturarum,
& animadvertendi ſigna temporum ex Scripturis. Confer Act. 13:41. Joh. 5:
38. 39. 46. Matth. 16:3. Luc. 12:56. Unde ſequitur & ἀγνοία populi. 13.

§. 6. Culpæ accommodatur pœna. 1. *Exilium*, ſive ejectio ex terra, cum 13.
fame & ſiti magnatum & infirmorum, ſeu vanâ ſpe & exſpectatione Meſſiæ.
2. *Deſcenſio omnis pompæ*, ut urbis & templi, & omnis majeſtatis, quâ Ju- 14.
dæi cæteris populis præeminebant, itemque *omnis turbæ* (Natio Judaica eo
tempore numeroſiſſima erat) & *tumultûs* ducum & militum, & *exultantium*
divitum & luxurioſorum, *in orcum*, poteſtatem Draconis, quam hoc tempore
per populum Romanum habebat in omnia. Conſequitur inde *humiliatio ho-* 15.
minum vulgarium, & *virorum* excellentium, & *dejectio oculorum* in celſis. De-
monſtratur denique publicè ipſo facto, quòd non conatu Deo placendi ſuis ope- 16.
ribus, ſed ſolâ fide Filii Dei, qui per veram juſtitiam Eccleſiam redemit, Deus
ſanctificetur. 3. Deſolatio pinguium ſive potentum, ſaturorum ejectio ex 17.
regno & populo Dei.

7. Paſtio mitis & clemens ovium Dei in loco ipſis à Deo præparato in mun- 17.
do: ita, ut jugum cervicibus earum non imponant. 30.f.

8. Acceſſio gentium in locum Judæorum. 17.

Ad §. 3. Accuſantur etiam Judæi, quòd diſtorſionibus perpetuis Scripturarum, 18.
& ratiocinationum ſerie mendacia ſua ceu funes ſpiſſarent & compaginarent:
conſpiratione etiam in nomen humanum ſeſe, tanquam equos funibus plauſtro
adjungerent. quibus ſe invicem junctis ſtudiis traherent ad *peccatum* illud ma-
gnum, quod eſt abnegatio & occiſio regis ſui, Filii Dei, efficiendum. Unde
conſequitur, ut præſumerent & jactarent de propria aptitudine ad videndum 19.
& cognoſcendum opus Dei, quo is conſilium ſuum exſequitur, nempe addu-
ctionem juſtitiæ, per quam ſanctificetur, & regni ſui erectionem, & aſſertio-
nem. Convenit hæc accuſatio cum eo, quod docet Chriſtus Joh. 6:43. 44 &
Joh. 9:39. & 41. Judæi ſignum poſtulabant de cœlo Joh. 6:30. verbis planè &
ſono & ſenſu eiſdem cum eis, quæ Eſaias hic poſuit.

Accuſatur Judæorum perverſum de bono, & luce, & dulci judicium: quòd 20.

20. appellarent *malum*, propriam juſtitiam, *bonum*, ac Deo placens, & *bonum*, ſacrificium boni odoris, *malum*; quòd *lucem*, ſive veritatem in exhibitione operis Dei, quo expletur conſilium ejus, & *tenebras*, quæ fuerunt in Veteri Teſtamento, quo tempore multa ignorata vel tenuiter cognita fuerunt, confunderent; denique quòd *amarum*, id eſt, accuſationem legis, ſervitutem & ſeparationem gentium ab hæreditate Domini, *dulci*, juſtitiæ, libertati & paci in coalitione Judæorum & gentium, præferrent.

21. Stultitia major demonſtratur in præſumtione ſapientiæ, ex falſo ſcilicet intellectu promiſſionis. De qua præſumtione agit Jer. cap. 18 : 19. Apoſtolus cum Propheta concinit, Rom. 11 : 20. 12 : 16.

22.23. Crimen luxuriæ commemoratur, ut ſuprà verſ. 11. ſed cum eo effectu, quòd *juſtum*, per fidem in Chriſto, *condemnarent*, & *injuſtum*, hominem indigentem juſtificatione Dei in Chriſto, qualis ille Phariſæus, de quo Luc. 11 : 11.

24. 11. *juſtificarent*. Faſtidium item doctrinæ Dei, per Chriſtum propoſitæ, culpatur.

§. 6. Tres plagas in fine capitis commemorat.

24. 1. Corruptionem radicis & floris in populo, id eſt, traditionem in errores exitioſos, & reprobam mentem.

25. 2. Percuſſionem populi Dei cum *commotione montium*, & conculcatione cadaveris ipſorum. *Commotio montium* facilè intelligitur concuſſio & labefactatio duplicis regni, Iſraëlis & Judæ, illius per Salmanaſſarem, hujus per Nabuchodonoſorem. Additur, *necdum averſa eſt ira ejus*, & *adhuc manus ejus extenſa eſt*. Significatur, adhuc נקם durare, etiam poſt reductionem populi in terram. Id in Antiochi & Syrorum atque Ægyptiorum vexatione, Romanorumque tandem dominatione patuit.

26. 3. Plaga deſcribitur (*a*.) ab antecedente & inſtrumento. *Suſtollet ſignum gentibus longinquis*. Omnes occaſiones præbitæ Romanis ad occupandam Judæam hic poſſunt intelligi. Vide Cl. Coccejum ad h. l. *Et ſibilabit illi*, ἐκκλησίας, populo principis advenæ, ut eſt Dan. 9. Illum non tantùm invitabit per occaſiones, ſed & incitabit per occultam ſuam providentiam. Deſcriptio hujus populi fit (*α*.) à loco. *à fine terræ*. Romani enim ad ultimum Oceanum, inque ipſam adeò Britanniam, imperii ſui limites extenderunt. (*β*.) à velocitate adventûs. Utut enim remotus, obſidione cinxit populum, & proximus factus eſt. Mich. 4 : 14. (*γ*.) ab ἐπιμονῆς, itemque ſtrenuitate & vigilantia.

28. 29. (*δ*.) ab apparatu. (*ε*.) à terribilitate. (*ζ*.) denique à ſucceſſu perpetuo.

30. p. p. (*b*.) à modo infligendi plagam per inſtrumentum illud. *Et fremet*, ille excitus à longinquo, *ſuper illo*, populo meo, *ut fremit mare*, id eſt, magnâ & inuſitatâ irâ & indignatione concitabitur contra populum meum, magnâque animoſitate ipſum adorietur. *Illo die*, quo ita peccabunt, & quum Deus con-

30. p. a. tendet cum ipſis poſt longam exſpectationem. (*c*.) à conſequente hujus indignationis hoſtium, *tenebroſâ terrâ*, ita ſcilicet devaſtatâ, ut tenebræ oboriri poſſint eam intuentibus. Hiſce tenebris conjungit *Anguſtiam*, ut undique coarctentur, nec ullum malis ſuis inveniant exitum; & *lucem*, hoc eſt, propagationem regni Dei & prædicationem Chriſti in mundo. Hanc videbunt, ſed cum dolore & cruciatu, & blaſphematione, quippe cùm, velo cordibus eorum incumbente, ea lux ipſis ſit tenebræ. *in deſtillationibus ejus*: quum in eam terram liquabuntur ſeveritas & conſummatio, Dan. 9 : 27.

CAP. VI. continentur ista:

Vers.

1. APparitio Dei Regis in forma humana, sedentis in throno celso & elato, 1.
parantis scilicet regnum suum manifestare altiùs & excelsiùs, quàm olim.
Præsupponitur hic sanctificatio Dei sancti per justitiam, sive obedientiam Chri- 3.
sti, & subintelligitur manifestatio gloriæ Dei in effusione Spiritûs Sancti in
omnem carnem, inprimis in omnes filios Israëlis sine discrimine, ita, ut non
tantùm Levitæ, quorum statio in templo est, sint Dei habitatio, & quasi in-
dumentum gloriosum ejus, sed totus Israël: quod dicitur, *fimbrias vestis ejus* 1. f. 3. f.
implevisse templum, & terram gloriâ repletam. Potest etiam intelligi solium vi-
sum in templo. Ita fimbriæ implentes templum commodè significabunt σκήνωσιν
in Ecclesia, & ἀνακεφαλαίωσιν tum cœlestium, tum terrestrium, rupto velo
carnis suæ.

2. Notificatio hujus gloriæ divinæ in toto mundo per prædicationem Euan- 3. f.
gelii: atque assumtio populi sanctificandi & justificandi ex omnibus gentibus,
ut ita Deus habitet non tantùm inter Judæos, sed & gentes.

3. Commotio totius domûs ad postes usque, sive mutatio templi & reipu- 4. p. p.
blicæ & legis ceremonialis, consequens tum visitationis populi, tum prædica-
tionis ejus.

4. Adductio copiæ gentium per prædicationem Euangelii ad Ecclesiam: ita 4. p. a.
tamen, ut cum corporibus & opibus suis etiam errores suos gentiles advehant.
Quæ res omnis homines carnales, inprimis Judæos impedit, quo minùs Deum
habitantem in Ecclesia videant, atque ita ad eorum obdurationem facit.

5. Populus labiis pollutus, sicque indignus, qui nomen Dei & fœdus ejus in 5. 9. 10.
os assumeret propter vitium cordis, adhuc magis excœcatur, ne videat vel re-
cognoscat id, quod videndum erat, quamvis videret Jesum Christum & ope-
ra ejus, & audiret ea, quæ Prophetæ ab ipso dicenda prædixerant.

6. Vastitas urbium, domorum, agrorum: cum *elongatione hominum*, sive 11. 12.
dissipatione Judæorum in longinquis terris & gentibus, non tantùm à limitibus
terræ, sed & à se invicem.

7. Relictio decimæ partis in terra. Romani enim occasionem dederunt suâ 13.
sponte excedendi ex terra, non deportato populo in alias sedes.

8. Secunda desolatio sive exterminatio post superstitationem hujus decimæ 13.
partis. Sub Adriano.

9. Conservatio gentis Judaïcæ in medio omnium populorum, sine omni do- 13.
minatu aut splendore ac potestate.

10. Conversio illorum, qui superstites remanserint in terra, ultimis 13.
diebus.

CAP. VII.

HOc & seqq. capp. usque ad Cap. XIII. exclusivè, paulò expressiùs agitur
de Christi exhibitione, & tum antecedentia adventum ejus signa tempo-
rum, tum Christi propria & opera, tum & consequentia tempora describun-
tur. Quæ ferè omnium prophetiarum methodus est. Occasio hujus prophetiæ 1. 2. 3.
& tempus in eo est, quod Reges Syriæ & Israëlis expeditionem pararent con-

tra Hieroſolymam, & Achaz rex Judæ cum populo ſuo ob eam cauſam time-
7. ret. Promittit autem liberationem Judææ ex manu Syrorum & Ephraimitarum
in præſens.
8.*coll.* Promiſſionem verò hanc confirmat ex eo, quòd Damaſcus non antè ſit fu-
14. tura caput Judææ, quàm natus ſit Immanuel: atque interim ſint gerenda ea,
quorum hæc ſeries eſt uſque ad Chriſti adventum.
8. 1. Deſtructio Regni Damaſceni, in Rezine, ultimo rege ejus.
16.8:4. Huc refer, quòd terra Damaſci deſerenda, & auferendæ copiæ ejus dicun-
*c.*8:1.3. tur. Ea denique *direptio* eſt, de qua in nomine filii prophetæ, quem in ſignum
hujus prædictionis ex propheteſſa ſuſceperat, mentio fit.
c. 8 : 4. Inſtrumentum hujus calamitatis regni Syrorum dicitur rex Aſſyriæ, (Tiglath-
pileſer is fuit.) quem adverſus regem Syriæ & Iſraëlis conduxerat Achaz, unde
20. & *novacula conductitia* appellatur.
16. Brevitas temporis, quo id ſit futurum, notatur: Antequam puer aliquis
c. 8 : 4. ſciat ſpernere malum & eligere bonum; vel, antequam puer aliquis concipiatur
& naſcatur, & clamet, Pater mi, ac Mater mea.
c. 8 : 3. Signum etiam prophetiæ additum per Prophetam, Suſceptio filii ex uxore
ſua, & nominis impoſitio, quod iſtam Damaſci direptionem jamjam inſtantem
ſignificaret, חש בז.
8:1.3.4. 2. Direptionem Damaſci propè excipiunt ſpolia Samariæ. Atque illud eſt,
16. quòd deferenda quoque terra Iſraëlis, & auferenda ſpolia Samariæ dicuntur;
c. 8 : 4. antequam ſciat puer aliquis ſpernere bonum & malum, vel infans aliquis conci-
piatur & naſcatur, & clamet, Pater mi & Mater mea.

Tiglathpileſer, captâ Damaſco & Rezine interfecto, partem terræ decem Tribuum incolis nudavit, ſub Pekacho. 2 Reg. 15 : 29. Hoſeæ quoque tributum extorſit Salmanaſſar. 2 Reg. 17 : 3.

Quatenus autem Hoſeas, qui ſecutus eſt Pekachum, regnum quidem appre-
9. hendit, ſed non obtinuit, ita Pekach filius Remaljæ ultimus rex Samariæ di-
citur.

Signum hujus prophetiæ eſt, ut ſuprà §. 1. Intelligitur autem facilè, quid nomen *Maherſchalalchaſchbaz* portendat.

17—20. 3. Tiglathpileſer Achazo fit gravis, eumque cogit partiri opes templi &
domûs regiæ & principum, ſibique dare, 2 Chron. 28 : 21.
4. Salmanaſſar Samariam capit, ac regnum Iſraëliticum deſtruit. Quæ *con-*
8. *tritio Ephraimi* eſt, *ne ſit populus*, & *cis 65 annos* labentes inde ab exceſſu Je-
roboami II. ex quo tempore veri reges in Iſraële deſierunt regnare, peragenda
dicitur. Nimirum à morte Jeroboami ſecundi, ſive ab anno Uſſiæ quinto deci-
mo, anni ſuperſunt triginta ſeptem Uſſiæ. Inde uſque ad vigeſimum Jothami,
hoc eſt, quartum poſt mortem ejus, qui duodecimus erat Achazi, 2 Reg. 15 : 30.
17 : 1. Hoſeas fit rex. Nono Hoſeæ capta eſt Samaria. Adde ſic:

37
19
9
65.

5. Poſt-

5. Poſtquam verò Salmanaſſar Samariam cepiſſet, venit Sanherib, & urbes 17—20.
Judæ magnam partem expugnavit, ſeſeque ad Hieroſolymam oppugnandam
convertit, ſub Ezechia rege. Nempe non tantùm Achazum, ſed & domum 17.
ejus calamitatem illam ab Aſſyrio rege guſtare oportebat. Et *dies* dicens, ac 17.18.
poſtmodum ſignificans, *& erit illo die*, ſubindicat, non unum tempus affli-
ctionis venturum.

6. Cum verò Ægyptiorum ac Æthiopum intereſſet, ne tam potentem mo- 18.19.
narcham ſibi vicinum haberent, faverunt libertati Judæorum, & ad eos miſe-
runt legatos, Eſ. 18: 2. Sanheribum quoque ad tempus averterunt. Sed & hi
Judæis graves fuerunt.

7. Conſervatio reliquiarum, & ſubſidiorum vitæ, quantum neceſſe ſit, in 21.
terra.

8. Benedictio reſidui. 22.

9. Nova & major calamitas à Babylonio, quâ futurum ſit, ut terra ſenti- 23.24.
bus & vepribus cooperiatur, etiam illa loca, in quibus antea pretioſæ vites ma- 25.
gno numero habebantur. Eandem calamitatem *Urijas* Samajæ filius prædictu- *c.* 8: 2.
rus dicitur ſuo tempore. Vide Jer. 26: 30.

10. Benedictio nova poſt captivitatem Babylonicam, quâ factum eſt, ut loco 25.15.
vinearum paſcua haberentur. In quo eſt רב שלום, ut Abarbenel rectè mo-
net.

Eandem benedictionem & cætera antecedentia adventum Chriſti, *Zacha-* *c.* 8: 2.
rias filius Barachiæ ſuo tempore dicitur conteſtaturus.

Ineſt huic benedictioni & alia, nimirum *multiplicatio populi.* *add.*9:2.

11. Nativitas Immanuëlis. 14.

Deſcribitur 1. à duplici natura, quòd *ex imo* ſive terra, & *ex ſummo* ſive 11.14.
ex cœlo, atque ita reverâ *Immanuël*, Deus nobiſcum & in carne noſtra ver-
ſans eſſet. Aliud ſignum ex ſummo & ex imo eſt in reſurrectione ex mortuis,
& aſcenſione in cœlum, effuſioneque Spiritûs Sancti in Apoſtolos. 2. à ma-
tre *virgine*. 3. à circumſtantia temporis duplici, (*a.*) in ſumma abundantia
bonorum terrenorum. Dicitur enim *butyrum & lac comeſurus*, &c. (*b.*) ante- 15.
quam Damaſcus eſſet caput Syriæ, atque ita antequam Judæa ad petitionem 8.*coll.*
Judæorum in formulam provinciæ redacta & Syriæ contributa foret. Vide Luc. 11.14.
2: 1. Atque id ex eo clarum eſt, quòd Deus primò per Eſaiam dicat, Dama-
ſcum fore caput Syriæ, & non Judææ, & tum ſubnectat hanc prophetiam ceu
ſignum, virginem parituram &c. 4. à beneficiis, in voce *Immanuel*, quæ
ſignificat ereptionem ex omnibus malis, & difficultatibus, adeoque & pote-
ſtate Diaboli ac mortis.

12. Incredulitas Judæorum, & pœna. 9.

CAP. VIII.

AD §. 5. Modus iſtius caſtigationis in hypotypoſi intumeſcentis Euphratis, 7. 8.
aliuſve fluvii magni oſtenditur; qui alveum implet, ripas exit, aggeres perrumpit, agros circumquaque operit, & in pronum violento impetu ſe effundit. Ita dicit, in Judæam, nimirum abſorptâ jam Syriâ & populo Ephraimitico decem Tribuum, pervaſurum, & tanquam cavum aliquod, totam oppleturum, & in eam altitudinem creturum, ut collum attingat, hoc eſt, ut

 tan-

tantùm non totam gentem deglutiat. Sola enim Hieroſolyma tanquam caput gentis reliqua fuit, quam non expugnarunt Aſſyrii.

Ibidem culpa explicatur, ob quam hæc Judæis, Syris & Ephraïmitis obvenerint. In Judæis, quòd *ſpernerent aquas Siloa leniter fluentes*, id eſt, re-
2. gnum Chriſti, neque animadverterent gratiam ejus, quâ tum ſuſtentabantur; ſiquidem Rex à Deo promiſſus, & ſuo tempore mittendus (ut Eſaias in hac pericopa prophetat) habeat ſimilitudinem fontis emittentis aquas puras, ad ablutionem & emundationem menſtruati & peccati, Zach. 13: 1. In Syris & Ephraï-
2. mitis culpatur ἀγαλλίασις αὐτῶν, in ſuo robore ſcilicet & copiis.

Quamvis in uno ſermone, tamen antecedentia adventum Chriſti eodem ordine ſub diverſo quodam ſchemate verborum repetuntur, hoc modo:

9. 1. Societas Rezinis & filii Remaljæ exiens in ipſorum conſternationem, id eſt, deletionem regni Syrorum & Ephraïmitarum.

9. 2. Cingitur Sanherib, & invadit Judam.

9. 3. Conſternatur.

9. 4. Cinguntur Babylonii, & Hieroſolymam diruunt. Hæc eſt prima coar-
c. 8: 23. ctatio Sionis: quo tempore coarctata quidem, ſed non vertigine affecta fuit.

9. 5. Conſternantur.

ex 14. 6. Reunitur populus duodecim Tribuum (reductus in terram) in unum populum & unam rempublicam. Nec tantùm, ſed etiam recolligitur ad unam metropolin, & unum Senatum Hieroſolymæ reſidentem.

c. 9: 2. 7. Amplificatur & creſcit in maximam multitudinem.

10. 8. Antiochi Epiphanis *conſilia*.

10. 9. Irrita facta.

10. 10. Collocutiones & confœderationes Judæorum cum gentibus, Romanis.

14. 11. Deus humanitatem aſſumit, in qua habitet, ut in domo ſua: quod di-
18. citur, *Filium Deum natum eſſe puerum*, c. 9: 5. Et quidem ut *pueros ſibi datos*
14. redimeret & ſanctificaret in communione ſui: Unde *factus in ſanctuarium*, &
17. Filius donatus *nobis*, & puer natus *nobis* dicitur, c. 9: 5. Ita Chriſtus diu *exſpe-*
18. *ctatus*, ſeſe ſtitit, dicens, *Ecce me*.

Deſcribitur autem

13.14.17 (a.) à duplici naturâ: Divinâ, ut quando *Jehovah*, & *Deus* c. 9: 5. appellatur, idque mox magis patebit ex magnificis nominibus, quibus eum
c. 9: 5. Spiritus Sanctus prædeſcribit. Tantùm notandum, *Filium* eundem dici ἁπλῶς, qui Deus appellatur, ut *Filium Dei*, ſecundam perſonam SS. Trini-
c. 9: 5. tatis, aſſumſiſſe carnem conſtet. Humanâ, quando *puer* dicitur.

c. 9: 5. 6. (b.) à modo adventûs, quòd *natus ſit*, & quidem ex domo Davidis.

(c.) à duplici ſtatu,

17. (α.) ταπεινώσεως, ut quando dicitur *occultare faciem ſuam à Jacobo*: item
c. 9: 5. 6. *puer natus nobis*: item *conſolidare & fulcire regnum Davidis*, labaſcens ſcilicet vel collapſum ex Amos 9: 11. & quidem *per juſtitiam* id eſt, per-
14. fectam obedientiam, in paſſionibus comprobatam. Ex eo *factus eſt in lapidem offenſionis*, quem de via vellent remotum. Et neceſſe habuit conflictari
19. cum iis, qui jubebant populum *conſulere pythones*, atque audire magiſtros ſuos.
19. 20. Quam ad rem etiam verba Chriſti, quibus ſtultitiam populi exagitat, & Seniorum

niorum traditiones ceu ad legem & teſtificationem inutiles rejicit, *ὑποπατικῶς*
in ſpiritu. Sæpiùs quoque principes populi irretivit & intricavit in ſuis con- 14.15.
ceptibus, opinionibus, doctrinis & conſiliis, & reatum eorum deprehendit
ac demonſtravit. Quos vel tum maximè *decepit*, cùm ſeſe ipſis tradidiſſet inter-
ficiendum, ac videretur ab iis victus, cùm in cruce de iis triumpharet, eo-
rumque poteſtatem aboleret: *factus* ita *in ſignum & prodigium in Iſraële.* 18.

Quamvis autem *multi*, & quidem plures ex populo ipſius vilitatem deſpi- 15.
catui haberent, tamen & *populum* peculiarem habuit ex illa *gente*, (c.9: 1. coll. 2)
& *pueros, quos dederat ipſi Pater ſanctificandos*: uti teſtatur ipſe verbis prophetiæ 18.14.
Joh. 3: 35. 6: 37. 39. 17: 6. qui & ipſi in omnibus tentationibus ejus conſtan-
tiſſimè adhæſerunt, eique ſe regendos commiſerunt, tandemque virtute ex
alto induti, ut luminaria, in mundo luxerunt, facti itidem in *ſigna & prodigia in* 18.
Iſraële. Ii nempe *lætabantur coram ipſo* propter adventum ejus & in conſpectu c. 9: 2.
ejus, gaudio omne gaudium, quod in ſuperioribus temporibus ex multiplica-
tione gentis, vel abundantia meſſis, vel diviſione ſpoliorum perceperant,
longè exſuperante. Adde Luc. 2: 10.

Status & conditio hominum, ad quos Chriſtus venit, deſcribitur, quòd eſ- c. 9: 1.
ſent *populus ambulantes in tenebris*, ignorantiæ ſcilicet & errorum, itemque fa-
mis & ſitis, & *exſpectationis* Chriſti: quam exſpectationem augebat jugum non 17.
tantùm præceptorum Moſaicorum, ſed etiam traditionum, & ſervitutis gen-
tium. *Sedentes in terra umbræ mortis*, id eſt, Galilæa, quæ à literis, inſtitu- c. 9: 1.
tione Sacerdotum & cognitione Legis erat elongatiſſima, & ubi propter ad-
venarum multitudinem (unde Galilæa gentium) diſciplina legis non ita vige-
bat. Atque ita etiam notatur à Spiritu

Locus ſive regio terræ, in qua primum ea lux apparuit, Galilæa, quæ re-
ſpectu Hieroſolymæ erat *terra umbræ mortis*. Jam vide Matth. 4: 15.

(β.) Secundus ſtatus eſt *ὑψώσεως* & regni: quod accepit vi nominis, quod
cùm omnibus teſtimoniis & argumentis, tum maximè argumento reſurrectio-
nis ex mortuis & aſcenſionis in cœlum & effuſionis Spiritûs Sancti in credentes,
ipſi dedit Pater ſupra omne nomen, ut in nomine ejus ſe flecteret omne genu,
Phil. 2: 9. Nominatus autem & creditus eſt *mirabilis*, utpote æternus Dei Fi- c. 9: 5.
lius, & magnus ille Deus, & planè ſupra poteſtatem naturæ factus ex virgine.
Conſiliarius, qui, quæ non modò audiverit, ſed & viderit apud Patrem, te-
ſtatus ſit, & Deum nobis enarraverit, ipſa Sapientia & λόγος. *Deus potens*,
quippe qui fecerit omnia opera, quæ Pater ei dederat facienda, claudos, mu-
tos, cœcos natos, dæmoniacos, omni morbo laborantes, verbo ſanando, &
mortuos reſuſcitando. *Victor*, qui omnes tentationes, ipſamque mortem vi-
cerit, & Diabolum imperium mortis habentem deſtruxerit. *Pater æternitatis*,
qui & ab æterno apud Patrem fuerit, & ſpiritu æterno ſe ipſum pro nobis ob-
tulerit, nobiſque vitam æternam pepererit. *Princeps*, rex & dominus Eccle-
ſiæ & omnium, cum poteſtate omni in cœlo & in terra. Et quidem *Princeps
pacis*, qui abſtulerit iram & maledictionem, & commemorationem peccati,
& metum mortis, & diſcrimen gentium, & omnes hoſtes, puta Diabolum,
carnem, mundum, ſibi & Eccleſiæ ſuæ ſubjecerit.

Principatus hic eſt veri nominis imperium, id eſt, auctoritas tum præcipien- c. 9: 5.
di ea, per quæ homo beatus efficitur, tum efficiendi potenter, ut ea homines
ſibi dati præſtent.

Impe-

c.9: 5. *Imperium* verò abſolutè dicens, & quidem *devolutum in humeros ipſius*, ſignificat, ipſum *ſolum* conſtitutum regem & dominum, aliiſque omnibus, qui antea dominabantur in populo, abrogatam poteſtatem. Icci rco & Eſaias cum regni devolutione in humerum Filii conjungit abrogationem alienæ dominationis, ad libertatem Eccleſiæ.

c.9: 3. Liberavit autem Chriſtus Eccleſiam ſuam per regnum ſuum à *jugo bajulationis*, id eſt, à reatu peccati ut necdum expiati: qui reatus ſatis per ſe validus erat ad homines oneri legis ceremonialis ſubjiciendum. Ex collatione cap. 10: 24. & ℣. 27. patet, quòd abolitio jugi debeat fieri, Iſraëlitis adhuc Sionem adeuntibus, hoc eſt, ſtante templo. 2. à *virga humeri*, ſive poteſtate coërcitiva Seniorum, ſive Patrum carnis παιδευόντων κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς: quò pertinet tota lex forenſis puniens tranſgreſſiones legis ceremonialis. Denique à *ſceptro exactoris*, id eſt, auctoritate & poteſtate ſubjiciendi legibus & placitis humanis ad conſervandum populum in obedientia legis divinæ, cum neceſſitate parendi etiam iniquioribus mandatis, de quibus Matth. 23: 3. 4. Modus καταργήσεως principum explicatur his verbis: *Conſternâſti, ut die Midian.* Quemadmodum enim Midianitæ inter ſe conflixerunt ad clangorem Gideonis, Jud. 7: 20. 21. 22. ita ad clangorem Euangelii principes Judæorum conſternati ſunt, & non minùs acriter inter ſe digladiari cœperunt Sadducæi & Phariſæi, & ipſæ Phariſæorum ſectæ, ambitioſique homines & dignitatum appetentes, & falſorum Chriſtianorum ſequaces; vide Joſephum Antiq. 20:63. quàm à regno Chriſti abhorrebant. Inde & terra factionibus, & ſicariis & latrociniis repleta eſt. Id primum bonum eſt regni Dei, Libertas.

Secundum bonum regni Chriſti eſt Abolitio poteſtatis tyrannorum, ex his
c.9.4:5. verbis: *Omne φρύαγμα tumultuantis cum σεισμῷ & ſagum volutatum in ſanguine erit in combuſtionem cibus ignis: Nam principatus devolutus eſt in humerum Filii nobis dati.*

Præſupponitur in his oppugnatio Chriſti exaltati & regni ejus: ut & quando
c. 8: 14. dicitur *factus in petram ruinæ.*

c.9: 4. Denunciatur autem Iſraëlitis ſive Judæis ipſis tumultuantibus excidium ſub
& 8:14. regno Chriſti.

8:21.22 Introducitur autem Chriſtus hanc calamitatem Hieroſolymitanis prænuncians, & Sionem in conſpectu habens in prophetia. Atque jurans, ſi non aliquando tranſiturus ſit per Sionem gravatus & eſuriens, qui ſcilicet cupiat videre unum diem ſuum, & non videbit, ut eſt Joh. 7: 34. Prædicit porro, futurum eſſe, ut, quum eſuriet tranſiens hunc montem, templum non inveniens in eo, & omnem ſaginam carnis; *tum efferveſcat ac maledicat* Deo ſuo, Chriſto, eumque blaſphemet *per regem ſuum* Cæſarem, ne ſcilicet illum offendat, ac rurſus per *Deum* Iſraëlis *Regi* ſuo maledicat. *Et ſurſum* ad cœlum *reſpectet*, ſed fruſtra. *Et ad terram porrò reſpiciat; & ecce ſit futurum arctum & tenebræ, vertigo afflictionis, & caligo, & impulſio,* ut non poſſint ſubſiſtere in loco. Ita nec in cœlo, nec in terra fore ſolatium. Adde Matth. 24: 16. 17. 18. 19. 21. Ex-
23. plicatur autem hæc anguſtia per comparationem anguſtiæ, quæ fuerit tempore captivitatis Babylonicæ: Quo tempore Sion quidem fuerit coarctata, ſed non vertigine affecta, utpote ſuſtentata per promiſſionem reſtitutionis poſt 70 annos: neque calamitas proceſſerit uſque ad terram Zabulon & Naphtali ultra Jordanem. In quibus partibus relicti erant habitatores. Hoc verò tempus ſe-

cun-

cundum imò postremum aggravatorum sit secundùm mare Tiberiados per totam terram Zabulon & Naphtali, imò ultra Jordanem, & in Galilæam gentium. Atque ita ex Josepho intelligimus, primas strages Judæorum Cæsareæ in omni Syria, in finibus Tyriorum, juxta mare, Scythopoli, Pellæ &c. editas, de Bell. Jud. 2: 19. Deinde Cestium ante obsessam Hierosolymam Zabulonem in Galilæa expugnasse & diripuisse, cap. 22. Bellum Judaïcum in Galilæa primò gestum, & quidem sævissimè, donec tota subacta est, cap. 25: 27. lib. 3: 3. 4. 5. 7. 13. 16. 17. 19. 4: 1. 2. 3. 4.

Tertium bonum regni Christi est αὔξησις ἀρχῆς. Ea consistit in tribus. 1. in liberaliori communicatione spiritûs, ut Deo præstetur obedientia major, quàm olim solebat fieri, cum cognitione scilicet pleniori & majori παῤῥησίᾳ & lætitia, cum eo, quòd Deus solus pro præceptore agnoscatur. 2. in regni dilatatione & extensione ad plures, scilicet familias gentium. 3. in subjectione omnium hostium, ut soli fideles fiant reges & hæredes gentium. c. 9: 6.

Quartum bonum regni Dei est *pax sine fine*. Intellige pacem conscientiæ nullâ inimicitiâ vel odio supervenienti rescindendam: Item pacem inter Judæos & gentes in Christum credentes immutabilem, ut nunquam paries intergerinus rursus erigatur: Item victoriam hostium omnium, etiam postremi, mortis, ad beatam & tranquillam æternitatem. Denique quietem Ecclesiæ ab oppugnatione hostili, nunquam finiendam, quando scilicet homines desinent bellum discere. c. 9: 6.

Tandem etiam describitur illud regnum Christi ab analogia, quam habet cum regno Davidis: Unde dicitur *principatus devolutus in humerum Filii, super thronum Davidis, & regnum ejus.* q. d. Christum sedere in throno Davidis, & succedere ei, ut patri suo, in potestate analoga ei, quam habuit David in subditos suos. Hæc analogia præcipuè in eo consistit, quòd, ut David, in omnes tribus Israëlis habeat potestatem, atque etiam gentes imperio suo adjiciat. Unde sequitur, ut etiam Israëlitis decem Tribuum deportatis in Assyriam, neque inde reductis, & gentibus, Euangelium sub rege Christo sit prædicandum, imò etiam reductio Judæorum ad Ecclesiam ultimis diebus sit exspectanda. Additur denique, quòd Christus debuerit *parare* sive *consolidare* & *fulcire illud regnum Davidis.* Ubi per הכין intelligimus exornationem & τελείωσιν, ne in regno Davidis desideretur ullum bonum, non tam temporale, quod olim sitim efficiebat, quàm spirituale, qualia sunt cognitio Dei, libertas à jugo, justitia, pax, lætitia, hostium subactio, spes vitæ æternæ &c. Per *Fulturam* intelligimus fundationem Ecclesiæ in Christo, & ejus constabilitionem in perpetuum, adeo ut semper in mundo permaneat, nec ullo astu vel tyrannide Diaboli vincatur. Media autem apparandi & fulciendi Ecclesiam sunt *judicium* & *justitia*.

Tertia pars hujus Sermonis Prophetici, quem diximus continuari usque ad Cap. XIII. inde à ℣. 7. cap. IX. ac deinceps, seriem rerum proponit hoc pacto.

C. IX.

1. Verbum Dei de Christo & salute ejus acceptum ab Israëlitis cum fastu & magnitudine cordis, sive fiducia suarum virium & justitiæ suæ. 7. 8.

9. 2. Unde sequitur, ut, cùm res ipsorum florerent sub Jeroboamo II. & sub Pekacho, arcu Israëlis, vigorem suum recipere viderentur, falsò sibi persuaderent, se mansuros in terra sancta, foreque, ut *lateres in marmora*, *sycomori in cedros commutarentur.*

10.11. 3 Adductio Assyriorum, hostium Rezinis, itemque Syrorum, & Palæ-
Conf. c. stinorum in Israëlitas tam Judæos, quàm decem Tribuum. Vide de Assyriis
10: 5.6. 2 Reg. 15 : 19. 16 : 9. 2 Chron. 28 : 20. de Syris 2 Reg. 15 : 37. 2 Chron. 28 : 5. de Palæstinis 2 Chron. 28 : 18. Et Syri in exercitu Nebucadnezaris fuerunt, ut apparet ex Jer. 35 : 11.

12. 4. Impœnitentia, vel imperfecta reversio populi ad Deum: Fontem hujus impœnitentiæ indicat, quòd non attenderent ad verbum Dei, ut exinde vo-
15. luntatem ejus cognoscerent: contrà senioribus suis & prophetis falsariis aures substringerent.

16. Ejusdem populi *hypocrisis* in ficto cultu notatur: Facta item mala & noxia, & verba stulta. Quæ est omnis traditio mendacii.

13.14.16 5. Excisio capitis, id est, seniorum & spectabilium virorum, & caudæ, id est, prophetarum docentium falsum: Rami item, id est, maritorum aut juvenum, & junci, sive viduarum & pupillorum, ab Israële. Factum id ex
Conf. c. parte immedietate regni Israëlitici, quam deportavit Tiglathpileser, 2 Reg.
10: 5.6. 15 : 29.

17. 6. *Improbitas*, hoc est, indoles hominis non justificati, *exardescens instar ignis*, hoc est, procedens ad abnegationem & apertam impugnationem veritatis, & eorum, qui eam ex verbis fœderis demonstrant.

17. 7. *Ignis iste comedit sentes & vepres*, scandalosos homines, & *perplexitates*
Conf. c. *sylvæ*, totam rempublicam dissolvit in fumum. Excidium & destructio poli-
10: 5.6. tiæ decem Tribuum hic intelligitur.

18.19.20 Initium hujus plagæ est in caligine sive cœcitate; quâ Deus homines istius terræ percussit, ut quisque in fratrem suum insurgeret, unus latro regni alterum exturbaret, sicque Tribus ipsæ inter se dissentirent; vide 2 Reg. 15 : 16. ac pariter Judam oppugnarent. 2 Reg. 15 : 37.

Cap. X.

1.2. 8. Legislatores populo statuta vana & inutilia imponunt. In illis erat præjudicium contra justitiam inopum populi. Et redundabant in depauperationem viduarum & pupillorum. De his vide Matth. 23 : 4. 5. 8. 13. 14. 16. 23. 24. His adde præcepta lata contra Testamentum Dei & legem ejus, Matth. 15 : 5. 6. Item contra doctrinam de justitia & Salvatore & salute, Matth. 5 : 20. 15 : 19. 20. 22 : 24. &c.

3. 9. *Dies visitationis*, sive apparitionis Filii Dei in carne. Hic dies ad confusionem Pharisæorum extitit, quando à Christo redarguti sunt.

3. 10. Dies *tumultûs*. Eum describit venturum à longinquo. Nec fore auxi-
4. lium vel effugium. Denique cùm pro victo & incluso ad tempus Christo, mererentur saltem vinciri tanquam servi, & incurvari sub alienis dominis, pro occisis Stephano & Apostolis, aliquid gravius passi sunt, traditi vicissim occidendi.

A ℣. 5. Cap. X. usque ad Cap. XI. Antecedentia adventum Christi, ultimumque judicium Judæorum repetita hoc modo:

1. Con-

1. Consilia & ratiocinationes regis Assyrii, ceu typus spiritualis Babylonis & Antichristi, pluribus explicantur. 7—11. 13—15.
Propositum est profligere & exscindere gentes non paucas. Quod est crudelitatis. 7.
Ratiocinationes sunt comparatæ ad spem successuum. 1. quia reges habet subjectos. 2. quia insignia regna & eorum metropoles jam subegerat. 8—11.
In reliquis ipsi tribuitur arrogantia illa, quòd vindicaverit suæ fortitudini efficaciam, suæ sapientiæ opportunitates, ut videatur prudenter fecisse. Item 13.
arrogatio effectuum non humanorum, nempe quòd removerit fines populorum, & sub monarchia sua multos populos conjunxerit: quòd sedentes de thronis suis & habitaculis deposuerit, & aliò transtulerit: Denique quòd, nullo 13.
hominum deorumque repugnante vel hiscente, populos quasi in sinum collegerit. 14.
Indignitas hujus arrogantiæ exponitur ℣. 15.
2. Visitatio fructuum magni animi, hoc est, dissipatio bonorum comparatorum per studium magni animi ejus, & confusio affectationis majorum homine. 12.
Explicatur id judicium, quòd sit 1. *maciem*, id est, famen nullis successibus satiabilem, *immissurus pinguibus ejus*: 2. Quòd *sub gloria ejus sit excitandus* 16.
ignis ardens, sive furor contra Deum & Israëlem, qui furor se manifestavit in 16.*add.*
literis blasphematoriis Sancheribi, Es. 37: 9. Specimen illustre hujus ardoris 6.
contra Hierosolymam proponit Spiritus in Rabsake, qui cum valido exercitu magnâ velocitate superatis omnibus itineris difficultatibus venit Hierosolymam. Sed hæc aggressio intra *agitationem manûs* substitura erat. Siquidem 27—31.
4. Deus erat *combusturus sentem ejus & veprem ejus die uno*: ut quando per ange- 31.
lum 185000 percussi sunt unâ nocte, Es. 37: 36. 5. *Quòd sit consumturus gloriam* 17.
sylvæ ejus, stemmatis regii, *& arvi ejus*, eorum, qui politiam administrant, 18.
quoad animam, per effœminationem regis & principum, *& quoad corpus*, per eorundem abolitionem. 6. Quòd ignis ille ardens, & fames insatiabilis gentes & regna subjugandi, sit occupatura victores & successores eorum, Chaldæos, atque inprimis *insignem*, ℣. 18. sive *ingentem*, ℣. 33. Nebucadnezarem scilicet, *donec Deus fecerit omne opus suum in Sione & Hierosolymis.* Quod opus
consistit (*a*) in *rami avulsione, ut celsi staturâ incidantur & alti humilientur.* Ea 32.
ablatio sceptri est. (*b.*) in excidio status populi, qui *perplexa sylva* appellan- 33.
tur. (*c.*) in excidio templi. 7. Quòd *insignis ille sit futurus, ut tabes.* ut quan- 18.
do rejectus est ab hominibus, & cum bestiis per septem annos egit, Dan. 4.
8. Denique, quòd post illum pauci reges, puero, qui numerare incipit, numerabiles, sint regnaturi. Post Nebucadnezarem regnavit Evilmerodach, & post illum Baltasar. A Baltasare, homine impio & effœminato, imperium devolutum est ad Medos & Persas: Ab his ad Græcos, quorum Seleucidæ Syrorum & Assyriæ ac Babylonis reges deinceps in hoc ordine reges Assyriæ appellantur. 19.
3. Antiochus Magnus Assyriæ rex *baculum suum porrigit in mare*, hoc est, insulas maris, Græciam, Asiam, Cyprum, oram Ægypti. Classem etiam cogit in Romanos. 26.
4. Percutit populum Dei, & baculum suum extendit super ipsum in via Ægypti. 24.
5. *Scuticâ coërcetur.* Æmilius prætor classem Antiochi vincit: Eundem 26.

Scipio prælio ſuperat. Ita cogitur pacem petere à Romanis, & Aſiâ cis Taurum cedere. Tandem etiam, quum à Romanis gravi tributo multatus eſſet, & nocte templum Jovis Didymæi ſpoliaret, concurſu hominum ipſe cum militibus ſuis occiſus eſt. Hæc eſt quaſi *plaga Midian*.

26. 6. Antiochus Epiphanes Cyprum Peluſiumque petit, Alexandriam obſidet, atque ita *virgam ſuam extendit in mare in via Ægypti*.

24. 7. Et hic cùm maximè percutit populum Dei virgâ ſuâ in via Ægypti.

25. Ita duas vices ſeveritatis divinæ Judæi poſt captivitatem Babylonicam experti ſunt, quas etiam apertè Spiritus prædiſtinxit, his verbis: *Adhuc parum, puſillum*, &c.

8. Popilius Lænas eum ad Alexandriam invenit, Ægyptoque abſtinere
26. jubet: cui, quamvis invitus, paruit. Ita incepit *ſcutica iſta auferre virgam ipſius in via Ægypti*. Et dehinc Syriæ regibus imminutis admodum, tandem omnia in manum Romanorum pervenerunt.

27. 9 Tum Iſraëlitæ liberantur non tantùm à violentia & rapinis, ſed & ab
25. imperio Syrorum: & *finiri* incipit *ſeveritas*, omniaque in adventum Chriſti parantur.

22. 10. Multiplicatur populus inſtar arenæ maris.

20.21. 11. *Deus victor* Diaboli ac mortis, & *ſanctificator* Iſraëlis apparet in carne.

20—22. 12. Convertuntur ad eum reliquiæ Iſraëlis. Is eſt populus Dei *habitans Sio-*
24. *ne*, non tam corpore, quàm animo: quamvis & circumſtantia temporis hic notetur, converſionem hanc ad Deum fore, ſtante adhuc templo.

27. 13. *Oleum*, hoc eſt, Spiritus Sanctus effunditur in omnem carnem. Is eſt Spiritus non ſervitutis, ſed libertatis filiorum; *propter illum* enim *corrumpitur jugum*.

23. 14. Exundat juſtitiæ donum in gentes.

22.23. 15. Abjiciuntur & indurantur populus *totius terræ*, ſive duodecim Tribuum, cum ruina cathedræ & templi abolitione finali, & ſeveriſſimo ac irre-
25. vocabili decreto deciſâ. Atque hoc tempus *iræ* eſt tendentis *ad antiquationem* ſive abolitionem defectorum.

C.XI.

Conſequentia adventum Chriſti.

1. 1. Adventus Chriſti. Is deſcribitur
c.10:33 (a.) à circumſtantia temporis, quo advenit. Poſt primum templi excidium
& 11:1. *Cadet Libanus & exibit virga*. Item *Trunco Jeſſe* ramis ſpectabilibus & frugife-
conf.10:32 ris carente, atque ſic ablato ſceptro à Juda.

1. (b.) à genere. Ex domo Jeſſe, per Davidem ſcilicet, cui facta eſt promiſſio.

1. (c.) à duplici natura: Ita ut ille ipſe, qui naſcitur ex Jeſſe, ſit & *radix Jeſſe*, qui Jeſſen & familiam ejus ſuſtineat & vivificet, & *virga ex trunco Jeſſe*,
3. per aſſumtum habitaculum ex trunco Jeſſe. Et de Chriſto judice, ut vero homine, ſermo eſt.

(d.) à virtutibus, quibus donatus eſt per Spiritum Jehovæ ſanctificantem ipſius humanam naturam ad officium mediatorium obeundum. Ita in ipſo requievit *Spiritus ſapientiæ*, ut qui optimè cognoſceret, quâ viâ homo ad ſalutem

lutem pervenire posset: *& prudentiæ*, qui quid sit bonum & utile, quid item malum & noxium, hominibus & doctrinâ & exemplo suo ostenderet. Item *Spiritus consilii*, inter quem & Patrem esset consilium æternum pacis; quique homini de via salutis optimum consilium daret: *& fortitudinis*, tum ad potenter & efficaciter hominem salvandum, tum ad constanter obediendum & ferendas passiones. Denique Spiritus *cognitionis* sive dilectionis, ut fratribus *συμπαθεῖν*, eorumque sese infirmitatibus accommodare sciret: *& timoris Jehovæ*, ut & horreret peccatum, & nomen Dei sanctificaret perfectissimè obediendo.

(e.) à statu humili. *Surculus* exibit, humilis scilicet, debilis, despicabilis. 1.

2. Christi sublimatio in statum regni. Nam cùm dicitur *surculus exiturus ex trunco Jesse*, innuitur regnum & sceptrum restituendum filio Davidis. 1.

Amplificatio hujus regni significatur, cùm dicitur, surculum hunc *fructificaturum*, hoc est, in arborem ingentem & frugiferam creturum, & habiturum multos filios. 1.

Describuntur autem filii ipsius, quales eos sit acceptaturus, *timentes Jebovam*, *tenues*, viles, abjectos, *& mansuetos terræ*, eos ex populo, qui se componunt ad abnegandam hæreditatem terrenam, adeoque libenter injuriis & damnis cedunt. 3. 4.

Modus regnandi inter filios suos describitur per *judicare*, vindicando, suum asserendo, defendendo, & quidem *in justitia*, vi justitiæ, quam ipsis impetravit; & *redarguere*, consolationem ipsis impertiendo, & quidem *in æquitate*, vi meriti sui, & constantiæ ac fidelitatis divinæ. Item quòd, dum judicat vel redarguit, externam justitiam, quæ se oculis vel auribus probet, sit neglecturus. 4. 3.

3. *Percussio terræ*, hoc est, abjectio & induratio Judæorum, templique & reipublicæ destructio. 4.

Hæc maledictio populo ac terræ dicitur obventura *sceptro oris Christi*, id est, secundùm ejus prædictionem. Vide Matth. 23: 24. 35. 38. 24: 25. 26. 27. 28. 19. Luc. 19: 43. 44.

4. *Interfectio Improbi*, hoc est, manifestatio Improbitatis, sive status damnabilis 1. quidem Judæorum, ex §. præced. Deinde & *ἁμαρτωλῶν*, Romanorum idololatrarum, per exstirpationem eorum. 4.

5. Mutatio religionis in mundo, per quam factum est, ut *lupi cum ovibus* &c. *stabularentur*. Siquidem ii, qui accederent ad Ecclesiam, & cuperent Christiani appellari, manerent quod fuerant, nempe *lupi*. Ex fine ℣. 11. intelligitur, maximè in Europa id factum esse. 6.

Causa procurandi hanc pacem Ecclesiæ, est *justitia*, sive Christi meritum, & *fides* fidelium apprehendens eam justitiam, cum eaque omnes promissiones Dei, inter quas etiam est promissio de hæreditate mundi. 5.

6. Episcopi orthodoxi & hæretici, *vacca & ursa*, quisque suos discipulos, ceu *pullos*, educantes, in pace unà cohabitant, *Leone* etiam, sive potestate Imperii contentâ bonis & proventibus pacis. 7.

7. Exortus Aspidis & Basilisci, ipsius Antichristi, in Ecclesia. Is per excellentiam est *Improbus* ille, doctor Improbitatis scilicet. 8. 4.

8. Separatio Ecclesiæ à communione Aspidis & Basilisci: ita ut locum etiam 8. 9.

separatum, qui sit tanquam *mons sanctus Dei*, à loco ceu *lustro Basilisci* obtineat.

8. 9. Lusus puerorum, tanquam Hussi, Lutheri, Calvini, &c. etiam manu injustâ in cavernam & foramen Aspidis & Basilisci, ipsos irritantium: ut qui ipsius Antichristi apicem tangere ausi sint. Huc refer bellum à despicatissimis hominibus gestum contra potentissimos monarchas.

9. 10. Coërcitio venenatarum illarum bestiarum, ne lædant, saltem non cor-
ex 4. rumpant in toto monte sancto Dei. Hæc jam interfectio quædam Improbi est.

9. 11. Contrà potiùs terra impleatur cognitione Dei.

10. Id jam tempus *quietis* est, coërcito Antichristo, quo Christus, *radix Jesse, surgit in signum populorum*, id est, evidentissimis argumentis demonstratur esse tum *radix Jesse*, hoc est, Dominus ejus, tum *vexillum*, sive arx, & salutare Dei, multis præsertim & magnis de ipsius persona & merito exortis certaminibus.

10. 12. Hujus demonstrationis effectus est, ut *gentes ad Christum consulendi causâ veniant*, id est, ut non attendant ampliùs Improbo, sive doctori Improbitatis, sed ad Christum loquentem per Prophetas & Apostolos convertantur: atque ita regnum Christi amplificetur: quæ *gloria* ipsius est.

11. 13, Ecclesiæ nova θλίψις, per quam fiat, ut non tantùm multi in potestatem tyrannorum veniant, sed & ad apostasiam compellantur.

11. 14. Potens conservatio reliquiarum populi Dei à tyrannide & persecutione Antichristi: quæ ipsos de novo obliget ad Christo soli serviendum.

11. 15. Superstitatio reliquiarum populi Dei è multis populis, quas suo tempore secundò sit lucraturus.

Populi, ex quibus Deus sibi conservavit reliquias, quas secundò collecturus est, hìc nominantur ad Boream *Assyria*, ad quam Armenia & finitimi loci pertinent: Ad Austrum *Ægyptus*, quæ suo adhuc nomine noscitur: & *Pathros*, quæ sub Ægypto comprehenditur, estque juxta vel supra *Noph*, quæ & נף, hoc est, *Memphi*. Igitur Pathros, ubi *Thebais*. In iis partibus jam habitant Abyssini. Et *Cuschitæ* per Arabiam, ad quos & Æthiopes & Midianitæ pertinent. Ad Ortum *Elam*, id est, Persæ. Inde versus Occasum *Sinear*, id est, Babylonia: & *Chamath*, quæ regio vergit ad mare Mediterraneum è regione Cypri, supra Libanum montem, ubi nunc ferè est Tripoli. Et denique *Insulæ maris*, quæ maximè significant Europam, in quam maximè se ingessit Christiana religio, unde & postremo loco nominatur.

12. 16. Recollectio Ecclesiæ in iis partibus, in quibus propulsationem ac dissipationem passa est.

Hæc recollectio subindicatur futura ope gentium, operam & ministerium suum Ecclesiæ accommodantium, ut recolligatur. In quo & collectio sive conversio ipsarum gentium, & in iis fortè residui decem Tribuum, ipsorumque Judæorum ad Christum reductio continetur.

Medium autem quo gentes & fortè Judæi ad Christum sint convertendi, Ecclesiæque colligendæ suam obstringant operam, indicatur his verbis: *Et sustollet signum gentibus, & colliget* &c. Potest hoc signum esse clara & evidens demonstratio Christi & regni ejus, & implementi prophetiarum, & fortè evidens aliquod opus Dei circa Ecclesiam, quod faciat ad illustrationem prophetiæ.

17. Ab-

17. Ablatio invidiæ Ephraimi adversus Judam. 13.

18. Excisio oppugnatorum Judæ. *ibid.*

19. Reconciliatio partium, Judæ & Ephraimi, ne Juda oppugnet Ephraimum. *ibid.*

20. Amplificatio ditionis Judæ & Ephraimi, partium Ecclesiæ scilicet aliàs 14.
dissentientium, jam conjunctarum: in lucrifactione *Palæstinorum* ad Occidentem, id est, Pontificiorum aliorumque; & Orientalium, *Edomitarum*, sive Judæorum incredulorum; *Moabitarum* denique & *Ammonitarum*, Ecclesiarum quarundam degenerum versus Orientem.

Medium collectionis & amplificationis Ecclesiæ promittitur diminutio duo- 15. 16.
rum maximorum Imperiorum in mundo: quibus, ceu repagulis & obstaculis retinentibus homines in servitute peccati, è via sublatis, reliquiæ populi Dei, quæ reliquæ erunt ex Assyria, sine ullo impedimento possint Christi nomen profiteri, & id profitentibus associari, non aliter, ac si haberent *viam munitam* ad egrediendum ex regno Diaboli.

Ea duo imperia sunt Romanum, in quo Antichristus, & Turcicum: Illud per Ægyptum, ut sæpe alibi; hoc per *fluvium* quendam magnum, puta Euphratem hieroglyphicè adumbratur. Horum imperiorum imminutionem proponit, Antichristiani quidem per ἀναθεματισμῷ *linguæ maris Ægypti*; Turcici verò his verbis, *Et agitabit manum suam in fluvium cum terribilitate spiritûs sui, & percutiet illum in septem torrentes, atque* ita *exsiccabit, ut calcetur cùm calceis.* Imperium scilicet Ægyptiorum anathemate exscindendum, Assyrium autem in partes dividendum erit.

C. XII.

21. Judæi palinodiam canunt & pœnitentiam agunt de erroribus suis, & fi- 1. 2.
dem Ecclesiæ Reformatæ profitentur. Eos enim in persona Achazi & adstantium ipsius aulicorum, in singulari alloquitur hic Propheta.

22. Judæi & reliquiæ populi Dei ex gentibus, conjunctis animis *hauriunt aquas* 3.
consolationis ex fontibus salutis, accedentes nimirum precibus suis ad Christum fontem salutis, ut ab ipso accipiant gratiam pro gratia; & ad Sacram Scripturam manantem perenni scaturigine doctrinæ, ut illam magis magisque intelligant; denique excitantes in sese donum fidei, ut fiat in ipsis fluvii manantes in vitam æternam: Et quidem *in alacritate*, ut nullus labor aut dolor ipsos fatiget aut impediat. Dum dicit in plurali, *hauretis*, distinctos Judæos & gentes conjungit.

22. Cohortantur & alios ad debita officia, vel etiam aliis in debiti officii ex- 4. 5.
secutione applaudunt. Officia ea sunt quinque. 1. *Confitemini Domino* à vobis stipulanti fidem in Christum, per astipulationem vel assensum. 2. *Nuncupate nomen ejus*, id integrè prædicando, eum invocando, & ab ejus amore & fœdere vos denominando, minimè autem vos nomini Papæ subjiciendo. 3. *Notificate in populis opera ejus* antè descripta, nunc autem ipso facto verificata in Christo. 4. *Commemorate*, nec unquam obliviscamini, *quòd sublimatum sit nomen ejus*, postquam sese exinanivisset, adeptus nomen supra omne nomen, & collocatâ majestate suâ supra cœlos. 5. *Cantate Dominum*, ut prædicatio Euangelii vertat in carmen.

Parænesis ad præscripta officia confirmatur. 1. *quia erectionem fecit*, magna opera, ad triumphum agendum de omni humano fastigio. 2. *Notificatum est hoc in tota terra*, per Scripturas Sacras demonstratum.

23. Gra-

6. 23. Gratulatur vel promittit Eccleſiæ *habitanti Sionem*, id eſt, communionem habenti cum iis, qui ad Sionem ſpiritualiter pertinent, *hinnitum & cantum*: quòd *Sanctus Iſraëlis ſit in medio ejus*, & quidem *magnus*, id eſt, ſecundùm omne nomen & virtutes ſuas cognoſcatur & celebretur ab ea.

Profectò non eſt niſi Eccleſia Reformata, quæ ſaltem doctrinâ ſuâ Deum ſimul & pro *ſancto Iſraëlis* reputet, & *magnificet*. Utinam verò & operibus noſtris ſpem noſtram demonſtremus! Ita verò haberemus cauſam hinniendi & jubilandi.

CAP. XIII. & XIV.

IN hiſce capitibus eſt prophetia de Babylone, 1. propriâ, 2. myſticâ. Subordinat autem ab initio Propheta Babylonem aliis regnis & eventibus. Vaticinatur de occaſu Imperii, quod necdum ortum erat. Hi ſunt articuli.

C.XIII 1. Everſio multarum δυναστειῶν, per Aſſyrios: & quidem ſubitò, facili negotio, non aliter ac ſi ſigno, voce, manu à proditoribus portas ipſis aperientibus vocati & acciti eſſent.

2. 3.

4. Ita ſcilicet creſcebat illorum dominatio, quaſi gentibus ſeſe aſſociantibus in unum magnum imperium.

5. 2. Imperii Aſſyrii prolatatio uſque ad fines Palæſtinæ. Adducebatur autem Aſſyrius *ad perdendum totam terram*, Iſraëlis & Judæ, utrumque regnum.

6. 3. Prima comminatio eſt in invaſione Pulis. Quæ quaſi certiſſimum præſagium *adventantis & approximantis diei Dei* fuit, præbens hominibus cauſam *ejulandi* ob peccata ſua, & deſperandi de ſalute.

7. 8. Effecta approximationis diei Domini ponuntur remiſſæ manus, cor liqueſcens, conſternatio, cruciatus ut puerperæ, ſtupor & pudor.

Nota, *diem Domini* hìc ſignificare totum tempus tum præparandi, tum conſtituendi ac ſtabiliendi regni ſui. Præparatio illa conſiſtit in abrogatione carnalium: Incipitque à captivitate Babylonica, in qua eſt ablatio arcæ & Cherubinorum, & ſic συνεχῶς, ablatio ſceptri à Juda &c.

9. 4. Dies adventûs Domini, ſive apparitionis in carne, incipit ab *ira & excandeſcentia*: cujus effectus eſt *ponere terram deſolationem*, *& profligare peccatores ex ea*.

10. Ad iræ exaggerationem facit *obſcuratio ſtellarum*, *Solis & Lunæ*. Significatur ereptio omnis conſolationis, & extinctio ſplendoris & auctoritatis humanæ.

11. 12. Specificat iræ objectum, effectum, & cauſam, dum dicit, *ſe viſitaturum in terram frugiferam* (apparet agi de Iſraëlitis.) etiam juſtos communicantes cum peccatis alienis, *malum*, *& in improbos*, alienos à juſtificatione divina, *pravitatem ipſorum*: Et *aboliturum erectionem ferocium*, id ſcilicet, in quo *feroces*, Sacerdotes, Levitæ, & Seniores populi gloriabantur, Templum inprimis. Et *humiliaturum faſtum violentorum*, regum de domo Davidis. In eo eſt ablatio ſceptri à Juda. Denique ſe ad inſignem paucitatem redacturum *homines*, ut *variores ſint præ auro ſolido & Ophirino*. Paucitas hominum tum abductorum Babylonem, tum relictorum in terra, inſignis ſignificatur.

Tan-

Tandem etiam modum assequendi effectûs supradicti ponit, *commotionem cœli* illius antiqui, quod super populo Israëlitico ad illum illuminandum, irrigandum, fructificandum &c. expansum erat, *ut terra moveatur ex loco suo*, & incolas suos excutiat. Avulsio populi ex terra sua notatur. 13.

Propinquitas temporis hujus judicii per Babylonios peragendi etiam notatur. 22.f.

5. Enervatio, fuga & excidium Assyriorum per Babylonios & Medos. 14.15.16

6. Excidium sævissimum Babyloniorum per *Medos*: quibus & Persæ subintelligendi. Quos tum Medis paruisse ex Herodoto constat. 17.18.

7. Subversio & desolatio ipsius urbis Babylonis perpetua. 19--22.

Quòd nominetur *Deus regnorum*, notat non tantùm amplitudinem & divitias Babylonis, sed id respondet etiam visioni Danielis, in qua Nebucadnezar proponitur, ut caput aureum in comparatione argenti. 19.

Propinquitas casûs imperii Babylonici etiam notatur in prophetia. 22.f.

C XIV

8. *Electio Israëlitarum*, ut essent Deo populus peculiaris, separatus ab omnibus gentibus, in ipsa captivitate Babylonica, in qua Deus eis dedit Prophetas, & instituta legis fecit observari. 1.

9. *Constitutio ipsorum in terra sua*, ut scilicet reædificato templo usus legis revocaretur, & principibus potestas ipsorum redderetur. 1.

10. *Accessio proselytorum ad ipsos, eorumque adcorporatio ad domum Jacobi*, ut scilicet fiant accessio ejusdem reipublicæ, ut factum est in Idumæis, atque in fœdere pari & conditione eadem cum Israëlitis habeantur. 1.

11. Cùm verò quidam ad cœtum Israëlis non admitterentur aliquot ætatibus, Deut. 23: 2. 3. 4. subinnuitur hic & datio salutis & justitiæ in Christo: quæ perfecta & quasi consummata *miseratio* est; 1.

12. Et abrogatio legis cerimonialis & sacerdotii externi.

13. Constitutio domûs Jacobi & advenarum ei adcorporatorum, id est, fidelium ex Judæis & gentibus, extra terram in loco non-suo: inter Idololatras scilicet gentiles, & sub eorum potestate. Ad hoc tempus respicit *dolor*, nimirum ex persecutionibus & vexationibus. 2. 3.

14. Deductio Ecclesiæ in locum latum & tutum. 2.

Opera ei navanda dicitur à gentibus, ut collocaretur in loco suo. *Et accipient eos populi, & deducent* &c. Quod quatenus sine vera fide & charitate fecerunt, ita Ecclesiæ *servorum & ancillarum* ministeria præstiterunt.

15. Ita, qui bona sua contulerunt ad scholarum & Ecclesiarum ædificationem, quique ministrarunt Ecclesiæ, docendo, vel aliud quoddam opus utile exercendo, propter lucrum temporale, & non ex fide, *servi & ancillæ* ei extiterunt. 2.

16. *Abductio captivorum* ad communionem in symbolis & externo regimine ac conversatione cum hominibus in errore versantibus. Huc pertinet עבודה, *servitus*, quâ subjecta fuit Ecclesia placitis & præceptis Antichristi, iisque coacta est servire. Item *exactio*, ut quando Antichristus magnâ vi affectavit dominium in conscientias, idque egit, ut præcepta sua observarentur. 2. 3. 2.f.

17. Eaque res non nisi *commotionem*, gravemque indignationem in piis excitare potuit. 3.

2. 18. Liberatio à captivatione & exactione Antichriſti, ſive ſeparatio à cœtu & communione ejus.

2. 19. *Captivatio captivatorum Eccleſiæ*, id eſt, abductio multorum partim ad ſeriam pœnitentiam, partim ad externè adhærendum familiæ Dei. Ita *imperium in exactores illos exercitum* eſt, per arma ſcilicet ſpiritualia.

ibid.

2. 20. Infeſtatio Eccleſiæ ſeparatæ per eos, qui per ingentes exercitus eam rurſus exactionibus ſubjicere tentent.

2. 21. *Imperium Eccleſiæ in exactores ſuos.* Nimirum res Eccleſiæ quibuſdam in locis eò proceſſerunt, ut cum regibus & principibus in ſolio conſederint, & impetentibus ſe leges pacis dederint.

3. 22. *Quies Eccleſiæ præſtita à dolore, commotione & ſervitute gravi.*

4. & ſeqq. 23. Ἐπινίκιον Eccleſiæ in die ſuæ requietis ſuper caſu Regis Babel.

In hoc ἐπινικίῳ primò Exclamatio eſt, admirationem ſignificans, quòd Exactor ceſſaverit, & tributum. Hæc pars habet hanc reſolutionem:

(a.) Imperium in conſcientias affectari propter avaritiam, ut ſcilicet exenterent marſupia hominum, & coacervent aurum.

(b.) Id imperium ita confirmatum fuiſſe, ut miraculi inſtar fuerit, id alicubi tolli, & Eccleſiam ab eo liberari.

(c.) Eccleſiam in ſervitute & captivitate Babylonis divinâ gratiâ eſſe cuſtoditam.

(d.) Tandemque, utut primò parvum gregem, ab illo imperio ac tributo eſſe liberatam: ut cùm ſuperiori ſæculo impetravit mirabiliter pacem, ne premeretur ampliùs jugo & tributis Papæ.

(e.) Magnum bonum eſſe, liberari ab angariantibus & tributo, & magni faciendum ac retinendum diligentiſſimè. Id ſatis apparet ex Epinicio ἀρχαϊστικῷ & δοξαστικῷ.

5. Excipit hanc Interrogationem Admiratione plenam, Reſponſio reddens cauſam ceſſationis exactoris & tributi, quòd *Dominus fregiſſet virgam*, ſive poteſtatem leges ferendi & jugum imponendi, *Improborum* exigentium improbitatem pro juſtitia, & *ſceptrum dominantium*, Cæſaris Caroli V. quem Deus ſubitò exarmavit, & exinanivit, fecitque, ut pax religionis in Germania Euangelicis daretur, & ut Cæſar exanimatus regna & imperium deponeret.

Nota, in hoc verſiculo *Improbos & dominantes*, quemadmodum alibi mortem & infernum, meretricem & mœchos ejus, conjungi.

6. Juſtificatur hæc confractio virgæ & ſceptri ab effectibus regis Babylonis: à quibus eam Spiritus χαρακτηρίζει. Adeo ut fuerit rex Babylonis aliquis

(a. ὑπερηφανευόμενος *ſupra populos*, atque adeo reſpublicas, principes, reges *multos*, & in eos poteſtatem coërcitivam uſurpans.

(b.) *Virgâ*, ſive judicio & violentiâ ſuâ non duntaxat ſingulos homines, ſed populos percutiens per excandeſcentiam plagâ non-receſſionis.

(c.) Felicitas eſt, quòd percuſſerit & ſubjecerit ſibi populos, & populi coacti ſint ipſius plagas ferre.

(d.) Improbitas, quòd non in timore Dei, nec paterno affectu, ſed *per excandeſcentiam* percuſſerit.

(e.) Quòd percuſſerit *plagâ non-receſſionis*, id eſt, extra cauſam defectionis, nimirum à vero Deo: atque etiam non-defectores ob cauſam defectionis ipſis falſò intentatam.

(f.) Quòd

(f.) Quòd plaga non-recessionis processerit ad *subjugationem gentium*, ut cùm Longobardos sibi subjecit per Francos, &c. quæ vide in Notis Cl. COCCEJI.

Fructus fracti sceptri est *pax terræ*. Ea pax religionis est: & lætitia hominum : 7.
quæ etiam extenditur ad *abietes & cedros Libani*, Episcopos scilicet & principes, 8.
qui riserunt Papam, quòd, postquam *decubuisset*, languens ob amissam auctoritatem & vigorem Imperii, nullos ampliùs reges aut principes *exscindere* potuerit.

Secundò in prosopopœia regum ab Inferno excitatorum in occursum regis 9.
Babylonis, eorum scilicet, qui in imperio Romano ei locum cesserunt, idem
casus regis Babylonis repræsentatur. Admirantur scilicet, ipsum quoque simili- 10.
ter atque ipsi ceciderant, cadere potuisse, atque in orcum descendere. Atque
hic potestas imminuta verbo *infirmatus es* significatur. Tum & παλλαίωσις 11.
Imperii porrò adumbratur istis: *Dejecta est in infernum erectio tua.* Et cum ea *strepitus nabliorum.* Fiducia Papæ ad retinendum dominatum suum est partim Concilium, partim potentia regum ipsi servientium. Ita clarum est, Concilium Tridentinum suis ἀναθηματισμοῖς sese longè ab Ecclesia separâsse, & in regnum mortis ac tenebrarum conjecisse. Reges item adeo vel consternatos vel debilitatos fuisse, ut non auderent vel possent Ecclesiæ pacem turbare. Hæcque interfectio & mors Antichristi est. *Subter te sternitur vermis, & operimenta tua vermis.* Hæc sepultura Antichristi est. Significatur 1. manifestatio status mortis spiritualis Papæ, & illorum, qui cum ipso faciunt. 2 cruciatus conscientiæ ipsorum, qui apparet ex omnibus fraudibus & versutiis, quibus Scripturam torquent, & ex furore contra Euangelicos.

In specie proponitur Admiratio casûs regis Babylonis, & quidem per Excla- 12.
mationem. *Quomodo cecidisti ex cælo!* id est, amisisti auctoritatem illegitimam, quam habuisti antea in Ecclesia. Factum id est, quando rex Babylonis mysticæ, & Clerici ejus, qui se hactenus exemerant judiciis Laicorum, cœpti sunt judicari & corripi in Ecclesia per verbum Dei, & à magistratibus & principibus reformari. Huc pertinet Episcoporum in Ecclesia Reformata voluntaria humiliatio. Modus ac medium casûs etiam exponitur; *incisus es*, vi scilicet verbi divini & voce infinitorum hominum ei astipulantium, quo tanquam potenti telo ac gladio acuto confossus est: tum & potenti manu, ut ferre jugum magistratuum in multis regnis & rebuspublicis teneatur.

Causæ admirationis super hac depressione continentur in compellatione duplici: 1. *Helel, fili Auroræ.* Qui videbaris phosphorus, hoc est, doctor Ecclesiæ Christianæ primarius, utpote Ecclesiæ Romanæ urbis metropoleos, ad quam totus orbis velut ad centrum peripheria confluebat, antecessor, sive primus presbyter; & *filius Auroræ*, qui cum ipso exortu diei in tenebris mundi extiteras, & *filium*, sive hæredem ac vicarium *auroræ*, lucis mundi, Christi, te ferebas, quasi à te omnis lux mundi penderet. 2da. causa admirandi est in verbis, *debilitans præfectos gentium.* Qui non tantùm noluisti magistratibus & principibus subesse, sed etiam illis imperitare: quos etiam ipso facto consternâsti, tibique subegisti.

Redduntur causæ casûs ad minuendam admirationem. *Dixisti in corde tuo*, 13.14.
cepisti consilium ad regnum Dei propagandum: *Ascendam in cælum*, ita me
extollam à corpore Ecclesiæ, ut non patiar me à quoquam judicari. Is est pri-

 mus

mus gradus elationis & ſuperbiæ ejus, communis toti clero. Secundus communis Epiſcopis: *Supra ſtellas Dei* omnipotentis *efferam ſedem meam.* Thronum meum elevabo ſupra miniſtros Eccleſiæ. Eſt ea elatio unius aut pauciorum ſe præponentium presbyterio, & id redigentium in poteſtatem ſuam, ut non liceat ipſis quicquam facere abſque conſenſu Epiſcopi, & ut non curent Eccleſiam communi conſilio, & ut ſolorum Epiſcoporum ſit ordinatio. Unde evenit, ut tandem rationabile videretur, unum ſuperponi omnibus. Tertius gradus elationis ſingularis uni: *Et conſidebo in monte conventûs*, in templo ſcilicet, id eſt, intrabo in domum Dei, Eccleſiam, & in ea conſidebo, ceu paterfamilias, & Epiſcopus univerſalis, cui cura & inſpectio omnium commiſſa ſit: cui alligata ſit Epiſcoporum electio & miſſio, judicium in omnes, in omnibus rebus, & deciſio controverſiarum. *In lateribus Aquilonis.* Nempe ſacrificia mactata fuerunt ad latus Aquilonare Altaris in templo, Ezech. 40: 39. Vide & Lev. 1: 11. Et menſa panum propoſitionis ad Septentrionale latus ſtetit, Exod. 25: 30. & 26: 35. Intelligitur ergo per hanc phraſin non tantùm præſeſſio in Eccleſia, ſed & arrogatio ſacerdotii, quaſi adhuc ſimus ἁμαρτωλοὶ, & ad propitianda peccata noſtra opus ſit ſacrificio panaceo, & incruento. Quartus gradus elationis eſt, *Aſcendam in celſa nubium.* Occupabo principium prædicationis & inſtitutionis Eccleſiæ, Scripturam, eamque meo arbitratui & imperio ſubjiciam. Quintus gradus elationis: *Aſſimilabor Altiſſimo.* Præſumit Papa eſſe & haberi æternus Deus, aut etiam largitor vitæ æternæ per efficaciam, & ſibi arrogat ea, quæ ad fœdus, fidem, juſtitiam & vitam pertinent, tradendo falſa media juſtificationis &c.

15. 24. Ulterior *protruſio* regis Babel *in infernum & in latera foveæ.* In futurum enim de hoc ceu extremo gradu depreſſionis ejus hîc loquitur. Convenit, quod eſt Apoc. 19: 20. *Vivi conjecti ſunt in ſtagnum ignis ardens ſulfure.*

16. 25. Antichriſtus poſt caſum ſuum fit *ſpectaculo* plurimis, qui *ipſum conſiderent & contemplentur* diligentiſſimè. Hæc complentur per ſcrutationem eorum, quæ de ipſo antè dicta ſunt, & hiſtoriæ illis convenientis.

16.17. Spectatorum etiam verba narrantur: in quibus eſt

(a.) Admiratio ſtatûs præſentis Antichriſti cum præteritis facinoribus. *An hic eſt?* Antiqua facta ſunt 1. Tremefacere terram. 2. Concutere regna. 3. Habitabilem convertere in deſertum, & urbes ejus exſcindere. 4. vinctos non dimittere domum. *Primum* ſignificat illam auctoritatem, quâ perculit totum orbem Chriſtianum, ut nemo ei auderet contradicere. *Secundum* commotiones regnorum, eorumque tranſlationes. *Tertium* Eccleſiæ Chriſtianæ, inprimis Reformatæ, oppugnationem, cum eo eventu, ut *urbes*, hoc eſt, Eccleſias particulares exſciderit. *Quartum* ſignificat tyrannidem in conſcientias, ut iis, quos conſtrictos tenet, non liceat eſſe liberis, corporaliter vel ſpiritualiter.

(b.) In verbis ſpectatorum eſt Apoſtrophe deſcribens ſtatum præſentem

19. Antichriſti revelati poſt Eccleſiæ vaſtationem. 1. *Projectus es ex ſepulchro tuo,*

18. *ut ſurculus abominabilis.* Per comparationem id explicatur: *Omnes reges gentium occubuerunt in honore, quiſque in domo ſua.* Omnia imperia gentium, quæcunque occiderunt, jacent cum honore. Nam & habent illam æſtimationem, quòd per illa Deus conſtrinxerit gentes & in diſciplina continuerit, Pſ. 94: 10. Et ſequitur caſum eorum commiſeratio humanæ infirmitatis. Sed imperium

Anti-

Antichristianum caret hactenus honore sepulturæ, habetque instar cadaveris non sepulti, quod fœtorem affert omnibus & nauseam, neque imbecillitas ejus à quoquam deploratur. 2. *Indutus occisis, onustis gladio, descendenti-*
bus ad lapides foveæ, ut cadaver conculcatum. Possunt hic intelligi 1. copiæ 19.
bellicæ interfectæ & prostratæ: & excidium multorum Episcopatuum. 2. regna enervata, inter se confligentia, externam vim patientia. 3. aperta damnabilitas illorum, qui ipsi adhærescunt, & se ad illam transferunt ab Ecclesia. 4. contemtus.

Causa & ratio redditur, quare non cum cæteris regibus gentium in sepul- 20.*p.p.*
tura coadunetur, hoc est, quare & contemtui sit, & ipsius casus absque commiseratione sit. nempe quia *terram suam corruperit*, (confer Apoc. 11: 18.) *populum suum interfecerit.* Reges sibi addictos nunc in has, nunc in illas partes impellendo, interque eos bella fovendo.

26. (c.) In verbis spectatorum est postulatio judicii ulterioris. *Non nominetur* 20.*p.a.*
in sæculum semen maleficorum. Intelligitur successio auctoritatis humanæ, ut ea *nominetur*, & pro fidei principio allegetur, aliquando desitura. *Parate filiis ejus*, politicis principibus cum Papa in eadem familia regnantibus, aliis quidem *mactationem*; alios verò impedite, *ne surgant & hæreditent terram*, vel in potestatem redigant eam terram, in qua Euangelium prædicatur. *Et impleatur terra urbibus*, primò quidem restituantur Ecclesiæ illæ, in quibus ante violentiam Antichristi Euangelium est prædicatum, quemadmodum in Germania & Palatinatu factum; deinde & fiat sementis verbi per totum mundum, & constituantur *urbes*, hoc est, colligantur cœtus liberi à tyrannide Antichristi sub cura & inspectione pastorum ac doctorum.

27. *Excidium nominis ex Babylone*, id est, summæ illius in eo imperio pote- 22.23.
statis, *& reliqui*, superstitis de urbe, Num. 24: 19. *Et filii ac nepotis*, successionis. fortè Episcoporum, ne sint; & regum, ne serviant ei ampliùs. Ipsius Babylonis, ut *sit partim hæreditas ericii*, hæreditas barbarorum, partim *stagna aquarum*, æstuarium: utque *eam everrat* ex terra Dei *scopis profligationis.* Sed nostrum non est definire, quomodo illa eventura sint.

Cùm hic ℣. 22. *Illos* δυναμικῶς nominet, atque distinguat à *filiis*, de quibus ℣. 21. intelligitur Deus *illos* oppugnaturus fortè post aliquam conniventiam. Respondebit itaque silentium semihorium. ℣. 22.

28. *Fractio Assyrii in terra Dei & in montibus ejus*, (constat, Sarracenos & 25
Turcas in magnas & plurimas regiones Christiani orbis, Armeniam, Mesopotamiam, Asiam, Syriam, Palæstinam, Ægyptum, Græciam, Thraciam, Illyricum, Hungariam, penetrâsse: Qui sanè sunt montes Dei, & terra ipsius atque Ecclesiæ) postquam per eum Antichristi regnum coërcuisset, & intra limites suos continuisset, fortè etiam pessumdedisset.

Fructus frangendi Assyrii dicitur, *ut recedat jugum ejus ab illis, & sarcina ejus ab illo.* Partitionem diversitas illa numeri significat: *tum ab illis, tum ab illo.* Talia ante historiam sunt obscura, quæ suo tempore ostendit jugo gravatos & ab eo liberandos.

Verbum Dei de Assyrio frangendo, præterquam quòd ex impleto hactenus 24.
opere Dei sit habiturum fidem, etiam juramento sancitum certam fidem faciet hominibus hujus operis. Confer juramentum generale, Apoc. 10: 6. 7.

Juramenti hujus ratio desumitur à qualitate, sive inevitabilitate, & infalli- 26.27.
bilitate

bilitate ac immutabilitate conſilii divini, ac manûs divinæ irreſiſtibilitate.

CAP. XIV. verſ. 28.

VIdentur ſequentia capita continuanda, uſque ad Cap. XX. in quibus quatuor Tituli cum indigitatione משא ſive λήμματος. nempe in Palæſtinam, Moabitiden, Damaſcum, Ægyptum. Omnia autem iſta ſpectant ad regnum Chriſti indicandum, ut in ſingulis patefiet.

In prima ſententia, quæ *Palæſtinam* compellat, agitur de Regni in Iſraële deſtructione, & ejuſdem reſtitutione per Chriſtum. Hi ſunt articuli.

29. 1. *Fractio ſceptri percutientis Palæſtinos.* Hæc eſt fractio domûs Judæ per *ſerpentem*, id eſt, Babylonios. Quæ res occaſionem datura erat Palæſtinis præpoſterè exultandi.

29. 2. Regnum Medorum & Perſarum oriturum *ex radice ſerpentis.* Nam vicini erant Medi & Perſæ Babyloniis, imò ſubditi.

Ii *Baſiliſcus* vocantur in comparatione ſerpentis. Quia & diutius regnârunt, & valde graves fuerunt populis. Iiſdem tota Phœnicia obedivit: Et Gaza habuit præfectum Perſicum, cùm à Macedonibus obſeſſa eſt.

30. 3. Interim Perſæ, Cyrus, Darius Nothus & Artaxerxes Mnemon, dederunt Iſraëlitis facultatem revertendi in terram ſuam, & ædificandi templum & muros Hieroſolymæ, & ſub præfecto ſuæ gentis, quales fuere Sorobabel & Nehemias, αὐτονόμως vivendi. Ii *primogeniti humilium*, & *pauperes*, quibus ea *ſecuritas recubationis eſt data.*

29. 4. *Preſter volans*, Macedones, interque eos primarius Alexander Macedo, excipiens *Baſiliſcum*, ceu *fructus ejus*, quos ſcilicet omni labore ſuo in ſe irritarunt.

30. 5. *Radix Palæſtinæ*, & quaſi metropolis, & prima ac potentiſſima urbs iſtius littoris, Tyrus, *enecata fame.* Hanc Alexander per ſeptem menſes obſedit, & tandem expugnavit & fame & gladio enectos.

30. 6. Idem Alexander ultimam Palæſtinorum Gazam, quæ ſola ipſum in Ægyptum tendentem morabatur, vi occupavit, & incolas, atque ita *reliquum Palæſtinæ, interfecit.*

30. 7. Interim *egeni* Judæi *ſecurè recubarunt.* Quibus Alexander benefecit.

30. 8. Poſtmodum quidem, cùm Seleucidæ & Lagidæ bella gererent, Judæa ſenſit ipſorum vim. Tandem & Antiochus illos excarnificavit. Quo tempore verè *egeni* facti ſunt.

30. 9. Sed Deus dedit illis adjutorium & eripuit illos è manu tyrannorum, Syrorum. Et tum ut reliquos vicinos populos in poteſtatem redegerunt Judæi; ita & Palæſtinos, nominatim Gazam expugnavit Alexander Jannæus. Quod & innuit Eſaias per ירעו *paſcentur.*

Ab hoc tempore per Palæſtinam intelligitur Judæa & oppida Palæſtinæ ſimul.

31. 10. Quarta monarchia, Romanorum. Horum legiones vocat מועדים, eiſque attribuit fortitudinem & diſciplinam. *Fumus* dicitur, quia per incendia regnorum & populorum graſſati ſunt, & quia vaſtum fuit imperium, magnâ mole, ut fumus, in altum ſurgens, *veniens ab Aquilone.* Omnino enim Romani magis ab Aquilone dominabantur.

11. *Je-*

11. *Jehovah fundat Zionem*, electos ex Israëlitis, *inopes populi se ad eam*, 32.
id est, ad Christum in ea revelatum, *recipientes*, seque habentes instar civitatis propter communionem sanctorum sub uno capite. Hæc fundatio per redemtionem facta est.

12. Missio Apostolorum, prædicantium hanc fundationem & redemtionem, 32.
ad gentem & ex ipsa.

13. *Iis respondet gens* opprobria, irrisionem, blasphemias, sententias 32.
condemnatorias ad mortem.

14. *Liquefactio totius Palæstinæ* ob eam causam, & consequens *ejulatus* 31.
portæ, curiæ, Synedrii, & *urbis* Hierosolymæ. Hæc est destructio Hierosolymæ & sublatio Synedrii. Instrumentum hujus calamitatis dicitur *fumus veniens ab Aquilone*, id est, Exercitus Romanorum tenens proximam Syriam, & ex ea descendens in Judæam.

CAP. XV. & XVI.

Est prophetia de Moabo & quidem duplex, in longam & quasi cœcam diem: & in oculatam diem, sive in tempus proximum. Transitio duas sententias conjungit cap. 16: 13. p. p. Hi sunt articuli.

C. XV.

1. Moabitæ urbes quasdam vacuatas præcipuis habitatoribus à Tiglathpilesere occupant. Tales hic commemorantur *Nebo* Rubenitarum, Num. 32: 38. 2.
Medaba, de qua Jos. 13: 6. *Hesbon* regia Sihonis. *Jehaz* Meraritarum habi- 4.
tatio in Tribu Rubenis, Jos. 21: 36. *Nimrim*, Nimrah & Beth Nimrah Gadi- 6.
tarum, Num. 32: 3. 37. Jos. 13: 27.

Jubentur verò Dominum illius terræ habentem domum in monte filiæ Sion c. 16: 1.
agnoscere, eique debitum cultum & obsequium præstare, ut judicium imminens avertant.

2. Vastitas quarundam urbium, ut Ar, Kir, Nebo, Medaba: Quam va- 1.2.3.4.
stitatem secuturum ostendit immensum luctum & desperationem, non obstante vociferatione & classico expeditorum.

Instrumentum hujus calamitatis dicitur *Leo* aliquis grassator. Nebucadnezar is fuit, ut constat ex Jer. 25: 11. coll. 21. & c. 27: 3. coll. 6.

Et populi cum principibus deportatio, ac dissolutio reipublicæ prædicitur. c. 16: 2.

3. Evasio quarundam reliquiarum. 9.

4. Siccitas & ἀφορία Moabitis superventura. 5. 6.

5. Deportatio residui & depositi Moabitarum in Arabiam, post captivitatem 7.
Babylonicam cum sanguinis effusione. 8. 9.

Ab hoc tempore Moabitæ Judaïcos ritus susceperunt. Nam & Judæos habitasse in Arabia, & sic Moabitide, patet ex Gal. 1: 17. Sed & Arabum rex Aretas Damasci eodem tempore non parvam auctoritatem obtinuit. 2 Cor. 11: 32. Act 9: 24. 25. Et speciatim Josephus 13. Antiq. Jud. c. 23. enumerat quasdam civitates Moabiticas à Judæis sub Hyrcano Simonis filio occupatas, interque eas Pellam, quam diruerunt, quòd recusarent Judaïcos ritus recipere. Cæteræ igitur receperunt. Et lib. 14. cap. 2. enumerantur duodecim civitates, quas Hyrcanus secundus promisit Aretæ se restituturum, si ab eo in regnum, ex quo Aristobulus eum expulerat, restitueretur. Unde liquet,

Arabes

Arabes Moabitiden tenuiſſe poſt exilium decem Tribuum. Liquet etiam ratio, cur ſub nomine Moabitarum deinceps in hac prophetia omnes Judæos intelligamus.

C.XVI
3.4. 6. Propulſio ac fuga multorum propter vaſtatorem in cauſa Dei, tempore Antiochi Epiphanis. Hæc preſſura & vaſtatio & conculcatio terræ.
4. Hos propulſos Dei jubentur recipere Moabitæ, ac protegere.
4. 7. Quies & pax terræ.
5. 8. Erectio ſive conſtabilitio ſolii per gratiam: In qua continetur & amor Filii ſpectatus in *ὑπακοῇ* ſecundùm humanitatem.
Rex, cui hic thronus competit, eſt ex domo Davidis. Dicitur enim *conſidere ſuper eo in tentorio Davidis*, hoc eſt, aliquis filiorum Davidis.
5. 9. Tranſlatio parantis & conſtituentis ſolium ex ſtatu ſervitutis in ſtatum regni, & ejus immiſſio in poſſeſſionem & exercitium ſui regni, per effuſionem Spiritûs Sancti in homines ſibi datos. *Et conſedit in eo*, & quidem *in tentorio Davidis*, id eſt, in medio eorum, qui ſunt præditi fide Davidis, Apoſtolorum ac diſcipulorum ex omnibus Tribubus Iſraëlis.

Qualitas regni Chriſti eſt *in veritate*, id eſt, quòd per veritatem obedientiæ, quæ nulla in re fefellit, ſicque merito veritatis hoc regnum ſit meritus.

Virtutes regis deſcribuntur. *Judicans & requirens judicium & feſtinus juſtitiæ. Judicium* ſignificat 1. abſolutionem eorum, qui in ipſo ſunt. 2. condemnationem eorum, qui tantam ſalutem negligunt. In deſtructione populi Judaïci utrumque factum eſt. *Requirit* verò *judicium* ab hominibus, quo ſe & juſtitiam ſuam abnegent, Deum verò & Chriſtum juſtificent, ſeque incontaminatos à mundo cuſtodiant. *Feſtinus juſtitiæ* ſcilicet exercendæ tum erga injuſtos, quòd ipſorum vindictam non ſit diu dilaturus; tum erga reſipiſcentes, quòd ab ipſis ſit excluſurus ſervitutem & accuſationem.
4.5. 10. Compellatio Moabitarum, atque ita & Judæorum, quorum illi pars, & indicatio ſive annunciatio gratiæ, ſoliique jam erecti & occupati.
4. Qualitas temporis erigendi ſolii & annunciationis ejus, indicatur: *Nam deſiit preſſura* vel *preſſor*, *conſummata eſt vaſtatio*, *finiti ſunt conculcantes terram.* Significat, Chriſti regnum debuiſſe inchoari in terra Palæſtina, & in ea prædicari, exantlatis calamitatibus preſſuræ, perſecutionis & conculcationis, gente quietâ, & in *αὐτονομίᾳ* agente.
3.4. 11. Vexatio & propulſio prædicantium Euangelium regni inter Judæos. Unde dicit, *propulſos meos. propter vaſtantem.*
6. Nempe per Chriſti *παῤῥησίαν* & prædicationem reſurrectionis ipſius cum ſignis & prodigiis multis manifeſtata eſt *erectio Moabi*, & ſuperbia ejus, ſive quibus in rebus fiduciam ſuam collocarent, nempe in templo, in juſtitia ſua, in amicis ſuis Romanis & Cæſare. *Et excandeſcentia ejus*, quâ perſecuti ſunt Chriſtum & Apoſtolos ejus. Cauſaque horum omnium *futilitas vaniloquorum ejus*, Legiſperitorum, Scribarum & doctorum populi, in falſa doctrina de Deo & juſtitia.

12. Collapſus reipublicæ Judaïcæ: quum nec ſacerdotibus nec ſenioribus, nec doctoribus auctoritas & majeſtas, nec poteſtas aut ſapientia, juſtitia, fi-
7. des, integritas, aut reverentia ulla adeſſet, ſicque *pedamenta Kir Hareſeth*
8. *imminuta eſſent.* Unde factum eſt, ut totus populus, *vitis Sibmæ*, *langueret*, & nu-

& nudus, deſipiens, cœcus, injuſtus, impurus inveniretur, *agro* benedictione & ſpiritu Dei *languente*, & ipſis non ſuppeditante ſuum nutrimentum, vigorem, robur.

In confractione *palmitum generoſorum*, *qui dominos gentium percuſſerant*, 8.
commemoratur & ablatio ſceptri regii à domo Davidis, & exſtinctio regni Aſſamonæorum, & ſublata auctoritas ſenatûs.

Commemorat *ejuſdem vitis propagines diffuſas fuiſſe & tranſiiſſe mare*. Sanè 8.
Iſraëlitæ & tranſierunt Jordanem, & terram Canaan ultra mare mortuum occupârunt.

Hæ cauſæ *flendi & ejulandi* Moabo: Quem fletum mandavit etiam Chriſtus 7.
ſub cruce ambulans matronis Hieroſolymitanis, Luc. 23 : 28.

Ipſe Chriſtus flevit, quum appropinquaret Hieroſolymis, Luc. 19 : 41. In 9.
quo verificatum eſt, quod hîc dicit Jehovah, *ſe fleviſſe*. Ita hic evidens argumentum eſt ἐνανθρωπήσεως, ſive incarnationis.

Commemoratur quoque hîc ira & zelus Chriſti, quo commotus fuit in die- 11.
bus carnis ſuæ contra Hieroſolymam.

13. Poſtquam auctoritas præſtitum reipublicæ ſublata eſſet, & langueret vi- 9. 10.
tis & ager, ſub Claudio Cæſare facta eſt fames.

14. Poſtquam Judæi fruſtra & inaniter amicitiam Romanorum ſacrifican- 12.
tium *in excelſo*, Capitolio ſcilicet, proſecuti eſſent, *ad ſanctuarium ſuum* ſe convertunt *ad orandum*. Et confiſi *multitudine ſuâ* bellum adverſus Romanos 14.
movent.

15. Templum inſident homines violenti: quæ res deinde fuit cauſa obſiden- 12.
di Hieroſolymam, quo ipſo aditus templi fuit interclusus: Denique templum exuſtum eſt. Ita *non potuerunt*, necdum poſſunt accedere ad templum ſuum, ad orandum.

16. *Redactio gloriæ Moabi in vilitatem*, *non obſtante ingenti illâ multitudine*. 14.
Et templum pro vili tractatum eſt, & populus Dei qui fuerant, reprobati à Deo, & diſſipati inter gentes, & ad inſignem paucitatem redacti ſunt.

Id & *olim* per Prophetas Moſen, Davidem, alios prædictum: Nunc verò 13. 14.
etiam *tribus annis* id futurum dicitur, ut gloria Moabi cadat. Anno Neronis duodecimo non longè pôſt ſextum Septembris obſeſſum eſt à Judæis Hieroſolymæ Romanum præſidium & trucidatum. Id belli initium. Abhinc uſque ad medium Septembrem anni ſecundi Veſpaſiani, quo urbs occupata eſt, anni quidem ſunt quatuor. Sed quia interceſſit unius anni quaſi ἐκεχειρία, dum Romæ Nero moritur, Galba, Otho, Vitellius emergunt & obeunt, à Junio ad Junium; belli ipſum tempus tres anni ſunt. Vide Tacitum Hiſtor. 5 : 10.

CAP. XVII. & XVIII.

PRæſcribitur *ſententia Damaſci*, quamvis minimum horum capitum de Damaſco agat. Damaſco excidium denunciatur: Iſraëli caſtigatio cum gratioſa conſervatione. Propter Iſraëlem autem omnia ſcripta ſunt. Intentio prophetiæ eſt, ordine deſcribere tempora in exſpectatione Chriſti & regni ejus, de quo c. 16 : 5. Hi ſunt articuli.

C. XVII.

1. 1. Expugnatio & everſio Damaſci. Vide 2 Reg. 16:9.

2. 2. Deportatio habitantium in urbibus Aroër, hoc eſt, Tribûs Gad & Reuben.

Hæc deportatio facta eſt per Tiglathpileſerem. 2 Reg. 15:29. 1 Chron. 5:26. Paucitas hominum ſignificatur per gregum requiem in urbibus illis.

3. 3. Abolitio omnium munimentorum regni Ephraim, ſive decem Tribuum.
4. Hæc attenuatio gloriæ Jacobi & emaciatio opimitatis carnis ejus eſt.

3. 4. Defectio regni in Damaſco & Syria reliqua, ut in Iſraële. Nam Aſſyrii totam Syriam ſubegerunt.

5. 5. Divina clementia comitans Iſraëlitas decem Tribuum in ipſorum exilio, ut ipſos quidem auferat ex terra ſua, attamen conſervet inter gentes, ſuo tempore convertendos unà cum gentibus ad Chriſtum, parabolicè repræſentatur.

6. Eadem Dei gratia, quæ in conſervatione reliquiarum in terra remanentium ſpectata fuit, aliâ parabolâ ob oculos ponitur.

7. 8. 6. Reformatio facta per Ezechiam in Judæa. Quo tempore etiam multi ex Aſer, & Zabulon & Manaſſe ſeſe coram Deo humiliarunt, 2 Chron. 30:1. 11. 12. 13. Vide hiſtoriam 2 Chron. 30:14. 31:1. 2 Reg. 18:4. Eſ. 36:7.

9. & c. 18:2. f. coll. 8: 7. 8. 7. Coarctatio Judæ per Sanheribum. Vide 2 Reg. 18:13. & confer, quod ibi dicitur in hiſtoria, cum verbis prophetiæ: *Urbes munitæ paucæ relictæ propter filios Iſraël fient vaſtitas.* Item confer 2 Chron. 32:1. cum principio verſ. 9. Eſaiæ. *Illo die fient.*

10. 11. Juſtificatio hujus caſtigationis eſt ℣. 10. 11. Ea fundatur in tribus culpis. 1. in *oblivione Dei ſalutis & petræ munitionis.* Ea eſt receſſio à fœdere, quod Deus fecerat cum patribus. 2. Effectus & argumentum hujus oblivionis eſt in *plantatione plantationum voluptuoſorum, & ſurculi alieni.* Illa plantatio eſt partim in doctrina vel ferenda vel toleranda & approbanda, partim in hominibus recipiendis, qui ſecundùm eam doctrinam loquuntur & faciunt. Talis plantatio convenit hominibus, qui magis quærunt, quod oblectat, quàm quod ſalutare eſt, *qui* ſurculus *ſerat illud*, ſcilicet alienum. A talium enim hominum communione nihil niſi proſeminatio alieni & maligni exſpectari poteſt. *Meta meſſis*, quæ exſpectari poteſt à tali plantatione, & conſequente multiplicatione aut educatione plantationis hujus & ſeminis alieni, eſt *in die ægritudinis & doloris immedicabilis.* Hic eſt dies abjectionis & abolitionis reipublicæ Judæorum, ut clarebit ex c. 18:5.

12–14. 8. Increpatio Sancheribi, & fuga & exagitatio uſque ad abolitionem & ἀφανισμόν. Vide hiſtoriam, Eſ. 37:7. 8. 36. 2 Chron. 32:21. Item Eſ. 37:37. & 2 Chron. 32:21.

14. Nec tantùm ἀφανισμὸς, ſed & brevitas temporis, quo is futurus, præſignificatur.

C. XVIII.

1. 9. Iſraëlitæ, Deo relicto, reſpiciunt ad Æthiopes & Ægyptios, & ab illis protectionem & defenſionem exſpectant. Hiſtoriam vide in Notis Cl. Coccejı.

2. Illuſtratur hæc culpa per miſſionem legationis abſurdæ miſſæ ad Iſraëlitas. Qui deſcribuntur ab eo, quòd *gens extracta* ex Ægypto, *deterſa* per dationem legis, quòd *populus terribilis* ſub judicibus & regibus, *gens conculcata* diverſis vicibus ab hoſtibus, & *cujus terram fluvii diripuerint*, exercitus Aſſyriorum & Chaldæorum.

10. Quie-

10. *Quiescit Deus*, & finit homines facere de suo templo, quod velint. Est hîc abolitio templi & cultûs externi sine fide. Et quidem *in statione sua*, cœlo scilicet, postquam recesserit à templo manu facto.

Quievit autem Deus hoc tempore, & *intuitus est*, potenter omnia gubernans, *ut calor fulgidi juxta lucem*, sive solem, ut promissus adhuc & exspectatus: quæ exspectatio eo ipso accendebatur, quòd traderentur in manus gentium, & affligerentur, sicque velut æstu gravi urerentur.

Calor æstuationem faciens explicatur à connexo, nempe Abolitione regni in Juda per *sarmentorum recisionem*; & populi deportatione per *stolonum avulsionem*; ac sequenti proculcatione per dominationem *volatilis montium & pecudum terræ*, Chaldæorum & Persarum. Et quidem diu eam servitutem protractum iri notat per *æstivationem & hiemationem*. 5. 6.

Opportunam verò esse eam sarmentorum & stolonum ablationem declarat ab eo, quòd *gemma consummata, & flos se in omphacem lactentem induisset*, ut ita impietas & mala plantatio coërceretur. 5.

11. Donum conversionis multorum in Babylonia. Ii *populus* Dei. 7.

12. *Extractio populi* ex captivitate Babylonica & servitute regum exterorum, Persiæ & Græciæ. ibid.

Hæc Dei opera testantia adventum Christi sunt *signum videndum in montibus.* 3.

13. *Populi extracti detersio*, hoc est, fidelium purificatio, sive redemtio ad amovendum peccatum, illuminatio ad detergendos errores & ignorantiam, donatio fidei, & liberatio à servitute peccati & accusatione. 7.

Præsupponunt hæc vel involvunt *nomen Dei in Sione* manifestatum, ipsumque Christum cum doctrina divina, factis & resurrectione ex mortuis factum *signum videndum in montibus:* Ac denique Deum apparentem ut *nubem roriferam*, refrigerantem scilicet ab æstu illo, de quo §. 10. & irrigantem sitientes animas per dationem justitiæ & libertatis. ibid. 3. 4.

14. *Adductio populi extracti & detersi tanquam muneris Jehovæ Deo exercituum ad locum nominis Jehovæ Dei exercituum, montem Sion.* Hæc adductio facta est à Johanne Baptista, Christo & Apostolis, *tanquam tubâ clangentibus* & ebuccinantibus opera Dei, revelati in Sione, hominesque justitiam docentibus. 7. 3.

15. A populo adducto ad Deum, hoc est, fidelibus omnium tribuum, separatur *gens* incredulorum Judæorum, *lineatim conculcanda* plurimis temporibus: *cujus terra à fluviis*, hoc est, potentibus exercitibus, ut Vespasiani, Titi, Adriani, Trajani, deinde Persarum, Sarracenorum, Latinorum, Turcarum, *sit diripienda.* 7.

Hæc *messis*, de cujus dilatione ℣. 5. 4. 5.

Terræ autem *direptio* includit multorum hominum cædem, ut ea nudetur incolis; & multarum urbium excidium; & templi ipsius abolitionem.

16. Populi extracti & detersi & adducti ad Deum ex omnibus tribubus translatio ad gentes extra terram Canaan *in locum, ubi sit.* 7.

17. Præsens Dei apud Ecclesiam majestas, unde *formidabilis* existat. ibid.

Eadem *formidabilitas* quoque spectata est in reprobis per amorem mendacii partim in oppugnationem servorum Dei, partim in hypocrisin & adulationem erumpentem.

18. *Adductio gentis* Judaïcæ *à populo* Christiano *in munus ad locum nominis Jehovæ Dei exercituum, montem Sion.* ibid.

C A P. XIX.

1. A*Dventus Dei in Ægyptum cum nube levi*, sive prædicatio Euangelii in
1. Imperio Romano gentili, cum eo effectu, ut *Idola moveantur*, & cultores eorum non audeant se Christianis gubernacula Imperii tenentibus opponere.

2. Statim atque idola gentilium cesserunt Christianæ religioni, bella & con-
2. certationes magnæ extiterunt in Imperio Romano, tum inter Principes Politicos, ut Constantini filios; tum inter Episcopos, urbes tanquam territoria possidentes; ipsos etiam Patriarchas, qui tanquam reges diviserant inter se provincias, inprimis inter Romanum & Constantinopolitanum.

3. Stultitia hominum, remedium malis parantium in cultu imaginum, &
3. auctoritate Episcoporum tanquam in spiritu Dei loquentium. In Concilio Niceno II. A. C. 788. imaginum veneratio est constituta. Jam antè in Occidente id erat factum.

4. 4. Dominatio Sarracenorum, & regna diversa constituta, inprimis in Occidente, & tandem Imperium Caroli Magni & successorum ejus.

Si Ecclesiasticè hæc intelligas, facilè hic intelligitur dominatio Episcoporum, & regnum Papæ.

5.6. 5. Calamitas Ægypti. Nempe

(a.) Maris, fluvii, fluviorum, amnium munitionis exsiccatio. Intelligitur facillimè occupatio Asiæ & Africæ per Sarracenos, eorumque transitus per mare & fluvios, tanquam exsiccatos, in Europam. quam pestem secuta est Turcarum dominatio porrecta per Asiam minorem, Syriam, Palæstinam, Ægyptum, Africam, erecta in Græcia, & extensa usque ad Pannonias & Adriaticum mare.

6.7. 6. (b.) Qui verò homines in iis partibus Imperii Romani visi sunt vivere, ceu *genimina aquarum* hujus mundi, id est, vegetati humanâ auctoritate & potentiâ, *emarcuerunt*, & à fide defecerunt.

8. 7. Inde (c.) dolor & luctus doctorum, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum in illis locis.

9. 8. (d.) *Pudor conficientium retia*, sive leges humanas fingentium, quibus homines in unam civitatem & monarchiam contrahantur, in Occidente. Horum conatus fuit infelicissimus in repetenda terra sancta, & Ægypto. Iidem & per Bohemos confusi sunt, postquam diu Waldenses persecuti essent atrocissimè.

9. (e.) Denique *flaminum*, sive laqueorum & retinaculorum legis & pote-
10. statis, quibus homines in morte spirituali detinentur, *contritio*. Exemplum superiori sæculo constitutum est in Carolo V. subitò per Henricum II. Galliarum regem, & Solymannum Turcarum consternato, per Mauricium verò Saxonem ad incitas redacto, & pace Protestantibus in Germania impetratâ. Vide Cl. Cocceium ad h. l.

10. Ac dissolutio *eorum, qui quæstum faciunt de stagnis animæ*, qui quæ-
10. stûs & voluptatis causâ confluxum populorum frequentant, Pontificiorum doctorum & Episcoporum, congregatorum scilicet in Concilio Tridentino, & repentè dissipatorum, A. C. 1552. Decennio post id demum continuatum est.

11. Con-

11. *Consilium stultum consiliariorum Pharaonis*, captum contra Reformatos, de novis Episcopatibus in Belgio constituendis, A. C. 1562. Et *principum Tsoan*. Ii fortè principes Galliæ. Eodem quippe anno primum bellum civile religionis causa motum fuit in Gallia, cujus exitus fuit, ut Regina religionis Reformatæ exercitium permitteret sequenti anno. 11.

12. Persuasio consiliariorum Pharaonis stabilita in Concilio Tridentino maximè: Episcopos esse successores Apostolorum, Prophetarum & Seniorum, qui rexerunt olim populum Israëliticum; Papam etiam regem Ecclesiæ, successorem Davidis & Salomonis, imò ipsius Christi vicarium. 11.

Confutat ac redarguit eos falsitatis eo ipso, quòd indicare nequeant, quid Deus in Scripturis super Ægypto consuluerit. 12.

13. *Stulta levitas principum Tanes*. In Galliis frequentia fuere bella civilia propter religionem post Concilii Tridentini finem. Anno Christi 1567 sub Carolo IX. secundum bellum civile exarsit. Longum esset narrare cætera. Hoc clarum est, Henrico III. manu Monachi interfecto, A. C. 1589. bellum asperrimum gestum esse à factione Pontificia contra Henricum IV. & Galliam quasi in cineribus jacuisse. 13.

14. *Elatio principum Noph*. Hispani, misso in pacatum Belgium Albano duce, A. 1567. eorum tumultuum exordia fecere, qui totum orbem concusserunt.. Nominatim utrique Galli & Hispani *fecerunt titubare Ægyptum quoad angulum tribuum ejus*. Si ad regionum situm respiciamus, Gallia & Belgium extremæ oræ spiritualis Ægypti; tum & anguli & firmamentum fuerunt illius imperii, quo Papale culmen sustinetur. 13.

15. Additur plagis Ægypti universalis confusio & titubatio in omnibus operibus: ita ut nullum opus ipsis procedat, quod faciat *caput & cauda*, hoc est, princeps & falsus propheta; *ramus & juncus*, fortis & mollis, sive debilis. Historiam aptam his versiculis non est difficile reperire recognoscenti ea, quæ gesta sunt post mortem Henrici III. in Gallia, usque ad inducias Belgicas, ab A. C. 1590. usque ad A. 1608. Vide Cl. COCCEJUM ad h. l. 14.15. conf. c. 11:11.

Scilicet metum Deus incusserat Ægyptiis, ut & de summa rerum desperarent, si aperto Marte Ecclesiam oppugnarent, & ad omnia alia consilia & dolos muliebres converterentur. Ut cùm Hispaniæ rex, allaborantibus potentissimis monarchis, tandem pacem dolosè peteret, & quum eam obtinere non posset, honestas inducias peteret ac impetraret à gente, quæ religionem Reformatam profiteretur, permissa etiam navigatione Indicâ, à qua omnes alios principes & populos excludebat. 16.

16. Status terræ Ecclesiæ in pace fit terribilis adversariis. Totum tempus induciarum exactum est aucupandis occasionibus, nectendis dolis, comparandis viribus, jungendis fœderibus contra Ecclesiam. Fridericus ducit Angli filiam, A. 1614. Jesuitæ ejiciuntur è Bohemia, Palatinus suscipit coronam, A. 1618. 1619. Cætera vide in Notis Cl. COCCEJI. 17.

Terra Ecclesiæ hic vocatur *terra Judæ* distinctè ab *Ægypto*. Ea sita dicitur 17.
in media Ægypto, quamvis à reliqua Ægypto discreta, & tamen sic sita re- 18.
spectu reliquæ Ægypti, quemadmodum terra Judæ ad Ægyptum sita erat, scilicet juxta Ægyptum versus Septentrionem, & ad mare. Amplitudinem terræ Ecclesiæ quoque describit eo tempore, quo formidabilis erat extitura suis adversariis: nempe fore, ut reperiantur *quinque civitates*, respublicæ, *loquen-*

quentes labio Canaan, ad Scripturam, tanquam regulam, provocantes, & in illis fore, quæ *jurent Deo*, facientes fœdus cum ipso per ὑποταγὴν τῆς ὁμολογίας: sive illas sic enumeremus, ut sit 1. Magna Britannia. 2. Belgium unitum. 3. Dania & Norvegia. 4. Suedia. 5. Germania, & illi concorporatæ Bohemia, Hungaria, Transylvania, Helvetiorum maximi pagi; sive *non minus quinque* civitatibus fore, quæ jugum Antichristi excusserint, intelligamus.

18. 17. Vexatio Ecclesiæ in Ægypto. *Civitas*, quæ vocata fuerat *civitas solis*, עיר החרס, ut in qua reformatio primò exorta, *vocabitur civitas destructionis*, עיר ההרס. Germania, & in ea Bohemia, Palatinatus & aliæ regiones vastatæ sunt.

20. Hæc *pressura* est.

19. 18. Interim tamen Christus aderit suæ Ecclesiæ afflictæ, non tantùm ut doctor & rex, verùm etiam ut *altare*, dum agnoscetur 1. ut sacrificium pro peccato ad justitiam impetrandum. 2. dignitas ipsius ad sacrificio suo promerendum, nempe divina ejus persona. Id opponitur altari Ægyptiorum & omni falsæ religioni.

ibid. Habebit etiam reges & principes, ceu *lapides* reipublicæ fundamentales & angulares olim *unctos* Ægyptiorum principum more, nunc sibi mancipatos, ut Ecclesiam contra Pharaonem defendant, *in termino Ægypti*, in extremis oris imperii olim Papani. Tales rex Suediæ, Daniæ, Britanniæ, & alii principes addicti nomini Dei. Eos indicat vi magnæ illius persecutionis non iri oppressum vel sublatum.

20. 19. *Clamabunt ad Jehovam:* Quidam scilicet in veritate, in fide, ut decet filios Dei: quidam cum ira & malevolentia in *pressores suos*, & *propter eos* demum, cùm cæteroquin in rebus prosperis non orarent.

20. 20. Liberatio oppressorum, misso Salvatore & Patrono. Exempla vide in Notis Cl. COCCEJI.

Id *in signum & testimonium Jehovæ dicitur fore in Ægypto.*

21. 21. Manifestatio nominis Jehovæ per prædicationem Euangelii hactenus, ut *Ægyptii cognoscant Dominum*, nec penitus ignorent, nomen Jehovæ à Reformata Ecclesia invocari.

Id ex effectis patet, *sacrificio*, *munere*, *voti nuncupatione & solutione*, quatenus nimirum ea faciunt, quæ Deus jubet in fide & charitate præstari, quamvis ea citra fidem & charitatem præstent. Sufficit enim quòd faciant hoc ex illa cognitione Dei, quâ perspectum habeant, Religionem Reformatam non tam intolerabilem esse, ut defendi non possit. Qualia sunt defendere pauperes & afflictos suis armis, & eos sustentare suis opibus. Jam hoc sæculo constat, Galliæ regem & ipsos Cardinales, cum Suecis & Belgis fœdus habuisse, pactis stetisse, domui Austriacæ, ut pacem darent Germanis & Belgis, auxilio suo extorsisse. Alia multa, ex quibus patet, Jehovam, qui nominatur à Reformatis, non esse Papistis incognitum, vide in Notis Cl. COCCEJI.

22. 22. Deus identidem *percutit Ægyptios* & plagas aufert in omni loco, ubi sunt, etiam illos, qui in Ecclesia Euangelica amicitiam illicitam cum Ægyptiis fovent, vel Deo non integrè & sincerè serviunt. Plagæ omnis generis hic intelligi possunt: Bella externa; qualia Polonorum cum Cæsareis, Gallorum cum Hispanis. Domestica; qualia in Gallia & Britannia, inter Anglos & Belgas. Item annonæ caritas: Item pestilentiæ & omnis mortalitas.

23. Ægyptii,

23. Ægyptii, etiam in Eccleſia Reformata, ad Deum redeunt, & à Deo exorato ſanantur. *ibid.*

24. Colliſio duorum magnorum Imperiorum, Ægypti & Aſſyriæ, cum eo eventu, ut & Aſſyrius in Ægyptum, & Ægyptius in Aſſyriam veniat, tandemque Ægyptius ſerviat Aſſyrio. 23.

25. Amplificatio Eccleſiæ in tam lata ſpatia, ut in comparationem veniat cum iis, qui ſe vocant Catholicos, & ſunt Ægyptii, & cum Aſſyriis, hoc eſt, Muſulmannis. 24.

26. *Benedictio Iſraëlis in tota terra*, ſive celebratio ejus in toto mundo, ita ut ubique ſint, qui benè de ea ſentiant & loquantur, ſibique in ea benedicant. Quæ eſt ipſamet externorum ad Deum converſio per verbum & exemplum Eccleſiæ, ſicque *benedictio Ægyptii*, *& Aſſyrii*, adde & ipſorum Judæorum, qui in ipſorum terris paſſim habitant. 24.

C A P. XX.

PRædicitur captivitas Ægyptiorum & Æthiopum, per regem Aſſyriæ, Nebucadnezarem. 3.4.5.

Ita *incolis iſtius maritimi tractûs*, ab Ægypto ſcilicet verſus Septentrionem, omnibus in Palæſtina, Syria & Aſia minore habitantibus perfugium ſuum ademtum iri; adde, & totum iſtum tractum in manus Aſſyrii venturum, ſicque אי, id eſt, *terram maris*, ut ita dicam, in *deſertum maris* converſum iri. 6. *c.* 21: 1.

C A P. XXI.

A Principio continetur totius prophetiæ σύνοψις: quod & indicat rubrica ſive titulus. חזות קשה הגד לי. Hi ſunt articuli. 2.

1. *Perfidus perfidè agit.* Judæi deſertores fœderis. Et qui conſueverunt perfidè agere cum Deo, etiam perfidè agunt cum hominibus. Exemplum vide in Zedekia, Ezech. 17: 15. 16. 18. 2.

2. *Vaſtator vaſtat.* Nebucadnezar, apud quem nulla clementia, ſed libido graſſandi & vaſtandi, Judæam totam, ipſamque Hieroſolymam vaſtat ac diruit. *ibid.*

3. *Aſcendit Elam* in Chaldæos vaſtatores, *obſidet* Babyloniam *Madai.* Nota, his τὸ *obſidero* tribui, ut quorum eſſent τὰ πρωτεῖα & ducatus. Unde & primus novi regni rex è Medis, ſecundus è Perſis. *ibid.*

Sub Perſis igitur ultio eſt & reædificatio templi. *ibid.*

De caſu Babylonis & confractione idolorum ejus per Perſas vide & ℣. 8. Verſu quoque 4. epulum Baltaſaris; qui nocte eâ, quâ epulatus eſt, occiſus eſt, ἐν τῷ πότῳ.

4. *Gemitus* ſub Græcis. *ibid.*

5. *Ceſſatio omnis gemitûs*, etiam qui ſub legis onere fuerat, per redemtionem. *ibid.*

Porrò Eſaias in viſione ſubit vicem Iſraëlitarum, qui hæc mala geſtaturi erant, hoc ordine. 3.

1. *Dolor ſummus* in populi perfidia ac deportatione. Et futurus erat *dolor in lumbis* migrantium.

2. *Odi*

2. ὠδῖν, dolor ut parturientis, fub dominatione Chaldæorum. cui refpondet fpeculatoris conftitutio ℣. 6. Speculator autem appellatur *leo* à fidei conftantia & robore ℣. 7. Videt autem currum, jugum equitum, afinorum, camelorum, & ex illis conficit fignum, *Babylonem cecidiffe*, hoc eft, jamjam cafuram, & tantùm non cecidiffe.

3. *Præclufio fenfuum*, in Antiochi vexatione.

4. 4. *Rotatio cordis*, fub regibus Hebræorum.

5. *Tremor*, fub Romanis.

6. *Trepidatio*, in Chrifti apparitione. Quod dicitur, Deum *pofuiffe fibi diluculum defiderii fuum*, tempus illud lucis five requietis adductæ per Chriftum, *in trepidationem*. Nam liberanda quidem erat Ecclefia à fervitute & maledictionis intimatione perpetua & accufatione peccati; fed populus Judaïcus & urbs erant magno cum tumultu & terrore diffipanda.

Exergafia ℣. 5—9. habet

1. ὑποτύπωσιν fubiti terroris Babyloniorum, five hic refpiciatur epulum Bal-
5. tafaris, qui nocte eâ, quâ epulatus eft, animâ orbatus eft, Dan. 5 : 30. five ipfum bellum, quod Affyrio nihil tale metuenti à Perfis & Medis illatum eft.

6--9. 2. ὑποτύπωσιν parabolicam ταλαιπωρίας Ifraëlitarum in captivitate Babylonica.

6. Nempe jubet Deus Prophetam conftituere fpeculatorem, tanquam Danie-
7.6.8. lem cap. 9 : 2. Is fpeculator tanquam *leo* propter conftantiam & robur fidei, videt currum, jugum equitum, afinorum, camelorum, & conficitur ex illis
9. fignum, *Babylonem cecidiffe*, hoc eft, jamjam cafuram, & tantùm non cecidiffe, & *idola ejus confracta*, per Perfas fcilicet. Hæc fcilicet cum urbe ipfa interiiffe. Nam Babylon, poftquam capta à Cyro fuit, deferi cœpta eft, & denique corruit. Vide Cap. XIII.

Nota, cafum Babylonis in exemplum proponi novæ Babyloni, de qua Cap. XIV. liquet ex Apoc. 14. & 18. ubi verfus nonus hujus Capitis XXI. Efaiæ ex parte repetitur. Sub verbis igitur Prophetæ intelligitur abolitio omnis idololatriæ.

10. 3. *Triturat Deus Ifraëlem*, ut à paleis repurget, & frumentum reponat in æternis manfionibus.

10. 4. Verba facit apud illam Chriftus in carne apparens, fignificans, *fe ei indicaffe ea, quæ à Domino audiverat*. Vide Joh. 15 : 15. ubi eadem verba, quæ Efaiæ per Spiritum fuum dictaverat, difcipulis fuis reponit.

Prolatio Dumæ. verf. 11. & 12.

Duma eft ex filiis Ifmaël, Gen. 25 : 14. Nomine unius filiorum tota gens indicatur. *Seir*, de quo ℣. 11. eft mons Arabiæ, in quo Idumæi habitarunt, Gen. 36 : 6. Sunt autem Idumæi & Ifraëlitæ finitimi. De illis hæc prædicit.

11. 1. Natio Edomitica, & finitimæ regiones fic conjunguntur cum Ifraële, ut in ipfo monte Seir fint, qui defiderent adventum regni Dei.

Id defiderium *clamore* fignificatur ad *cuftodem* Ifraëlis Deum, qui fcilicet omnes articulos temporum in decreto fuo fixos & determinatos obfervat, & indicat fuis per temporum fpacia, quid fibi decretum & conftitutum fit. Interrogant autem, *quid de nocte* fcilicet fuperfit?

2. Paulò

2. Paulò post venit custos, Christus Filius Dei, & annunciat lucem tum populo, tum gentibus. Act. 26: 23. Luc. 2: 32. Repetenda hîc Christi prædicatio, etiam sub hisce vocabulis, ex Joh. 9: 4. 5. 11: 9. 12: 46. Item Joh. 3: 19—21. 12.

Hujus lucis participes futuros, qui *scrutarentur*. Vide Joh. 5: 39. ubi ista, *quia vos judicatis, vos in eis vitam æternam habere:* respondent verbis propheticis; *Si quæritis*, q. d. Si velitis vos videri inquisitores veritatis. Confer Rom. 2: 17—20. Matth. 7: 7. Luc. 12: 56. Phil. 1: 9. 10. 1 Thess. 5: 21. Iccirco Apostolus sæpe provocat ad Scripturas testes, Act. 26: 22. Rom. 1: 2. 16: 26. Hebr. 3: 5. & 2 Pet. 1: 19. *Et converterentur* ab operibus mortuis, Hebr. 6: 1. Ita Johannes Baptista, Christus, omnes Prophetæ & Apostoli prædicarunt μετάνοιαν. Denique *venirent* ad Deum in Christo cum parrhesia filiali. Vide Matth. 11: 28. Joh. 6: 48. Heb. 4: 16. Heb. 10: 19—23. Hinc Christus *via*, Joh. 14: 6. Adde his Joh. 12: 36.

3. *Nox* futura post exortam lucem. Primò in Judæis non credituris & rejiciendis: deinde & in Ismaëlitis, Arabibus, qui quanquam Dominum Jesum agnoverint pro Christo, tamen in Judaicis opinionibus & dogmatibus hærent, neque Christum cum regno ejus integrè recipiunt. Hi sunt Agareni, Sarraceni, eorumque consortes Turcæ. Ad quorum excœcationem permultum facit, quòd Deus ipsis dederit victorias, & latissimam dominationem. Pertinent ad eam noctem, sive ad spissandas tenebras in reprobis afflictiones fidelium, hæreses, disputationes de religione, defectio multorum à sinceritate fidei, persecutiones & bella Antichristi, ipsiusque victoriæ. 12.

4. Arabes tempore noctis Judæos pressuræ accipiunt *gloriam* & imperium in mundo, in pœnam scilicet non recipientium Christum & regnum ejus, & coërcitionem regni Antichristi. 16.17.

In eo imperio non paucæ Dynastiæ extiterunt: quæ omnes à Chalifa, qui ex Arabia profectus Bagdadi sedem habuit, vel constitutæ fuerunt, vel sanè dependerunt. Donec illi à semet invicem dividerentur, A. C. 936. ut annotat Elmacinus.

5. Subita destructio regni Arabum in pœnam inhumanitatis ac immanitatis, 16.13.
& nominis Dei in vanum assumti. 14.15.

Inter alias familias corroborata est maximè Ottomanica: quæ sedem primò cepit in Asia minore, A. C. 1300. aut paulò antè, circa initia dominationis Austriacæ in Occidente. Hujus familiæ undecimus Selimus I. filius Bajazeti II. A. C. 1514. & 1515. Syriam & Ægyptum & totam Arabiam in potestatem redegit, cruentis præliis functus. Primum prælium cum Camsone, ut Calvisius annotat, mense Augusto accidit. Ante Majum sequentis anni omnis Syria, Ægyptus, Arabia Turcis paruit, & fides facta prophetiæ, quæ dicit, *intra annum, quales sunt anni mercenarii, consumtum iri omnem gloriam Kedar.* 16.
Ex eo tempore res Sarracenicæ nihil fuere, omni Sarracenorum potentiâ partim in Persas, partim in Turcas, gentem aliam, translatâ. 17.

CAP. XXII.

Hujus Capitis argumentum evidens est. Agit de excidio Hierosolymæ per Babylonios: in quorum exercitu & Elamitæ & Kiræ habitatores nominantur. 1—14. 6.

1—5. Eſt hic 1. Hypotypoſis conſternationis in urbe Hieroſolymitana, & conturbationis & fugæ, & deſtructionis parietum. Quòd dicitur, *mortuos ipſorum non eſſe mortuos gladio*, ſignificatur, fame, incluſos quippe intra urbem,
6.7. interiiſſe. 2. Antitheſis animoſitatis Elamitarum & Medorum ad invadendam
8—11. Hieroſolymam. 3. Conſilia præpoſtera Judæorum, *tegmine detracto à Juda*.
11.f.12.13 manu Dei ipſos protegente ablatâ ab ipſis: tum vecordia & profanitas. 4. Com-
14. minatio pœnæ, fore, ut in peccatis ſuis moriantur, ſine condonatione.

15—25. Huic prophetiæ admiſcetur alia de ſtatu Judææ & regni ſub gubernatione Eliakimi & poſterorum ejus. Unde cognoſcere erat propemodum, quouſque differretur excidium urbis ſuperiùs prædictum; nempe ad pronepotes ſaltem.

15—21. Denunciatur hic Sebnæ, præfecto domûs regiæ, ob præſumtionem & faſtum ejus, hoc officium ab ipſo auferendum, & in Eliakimum transferendum eſſe. Eſ. cap. 36: 3. Eliakim inſignitur titulo præfecti domûs: Sebna autem nominatur Scriba. Jam tum ergo pars vaticinii fuerit impleta. Et fortè minas Dei per pœnitentiam præoccupaverit.

CAP. XXIII.

2.3. Continet *ſententiam Tyri*, ℣. 1. Ea quæ ſit, ex ejus deſcriptione, ℣. 2. & 3. patet.

1. Urbs, quæ impletur copiis omnium gentium propter negotiationem ſpiritualem, & omni proventu etiam Ægypti, hoc eſt, alicujus regni, quod Pharaonici regni ſimilitudinem habet, & in Tarſis & Kittim ſuam negotiationem exercet, hoc eſt, in diſtinctis Occidentis partibus, quæ ſic ſe ad illam habent, ut Tarſis & Kittim olim ad Tyrum, ea hic Tyrus eſt. Definitio hæc exprimit Romam, quæ eſt, teſte Apocalypſi, myſticum emporium: Et, ut teſtatur experientia, inter gentes paulò ante noſtra tempora, ad mortem ſcilicet Maximiliani I. Imperatoris negotiationem exercuit fructuoſiſſimam in gentibus multis, in multis terris, quæ cum Kittim, Tarſis, Ægypto, Sidone & Phœnice rectè comparantur. Romæ ſcilicet inſerviebant Itali, ut Tyro habitantes inſulam Phœnices; Kittæi, Hiſpani; Tarſis, Gallii Ægyptii, Germani.

1. 2. Conturbatio quædam iſtius negotiationis facta in quadam parte terrarum Papæ ſervientium, Germania, per prædicationem Euangelii, A. 1517.

1. 3. Sed laborantibus ibi mercatoribus *apparuit*, tanquam fauſtum ſidus, aliquis *ex terra Kittim*, ſucceſſor Maximiliani, ejuſdemque nepos Carolus V. A. 1520. Octobr. 22. Aquiſgranum ingreſſus. Is Lutherum videbatur compreſſurus.

1. 4. Sed is, *ex quo venit*, quum Lutherum proſcripſiſſet, *domi concuſſus eſt*, ſeditione coortâ in Hiſpania, & coactus eſt A. 1522. in Hiſpaniam reverti, & Lutherus ex latebra prodiit.

Jubentur igitur *ejulare naves Tarſis*, hoc eſt, omnes, qui negotiationi Papanæ inſerviunt.

2. 5. Romanis etiam & Italis, *habitatoribus inſulæ & Tyro* tantus injectus eſt ſtupor & νάρκη, ut non ſcirent, quid faciendum ſibi eſſet, ad prædicationem Euangelii comprimendam.

4. 6. Et porrò ſucceſſus prædicationis iſte fuit, *ut mare diceret arcem maris*, hoc eſt, omnis Europa accuſaret Romam tanquam matrem abominationum terræ, & tantas divitias in eam congeſtas deploraret, quum in omnibus partibus

bus appareret ſterilitas, & *quòd juvenes & virgines educati non eſſent*, hoc eſt, quòd non appareret illa fortitudo fidei & caſtitas in Chriſtianis, quâ ſe incontaminatos ſervarent à mundo. Ipſa confeſſio Adriani VI. Pontificis in Comitiis Noribergenſibus, ad quæ legatum miſit, huic rei atteſtatur.

Hæc autem in omnibus partibus excitata querimonia redundatura erat *ad pudorem Sidonis*, hoc eſt, omnium eorum, qui fovent dominatum Papalem, quæſtumque ex negotiatione ſpirituali in lucrum ſuum convertere ſatagunt.

7. *Quando eſt rumor* (fama) *Ægyptiis*, & fit præconium Euangelii per Germaniam, *terrentur rumore Tyri.* Talia audiunt, quæ Tyri, hoc eſt, Romæ 5.
caſum portendere viderentur.

Turca Rhodum occupaverat, in Ungaria Belgradum ceperat: Ludovicus Ungariæ rex victus & cæſus erat: Johannes Sepaſius Waiwoda à Turca rex Hungariæ conſtitutus erat. Id regnum Ferdinandus bello repetebat. Cæſar Franciſcum I. Galliæ regem ceperat, certas conditiones in Hiſpania pactus, dimiſerat. Is iis ſtare noluit. Fœdus cum eo fecit Clemens VII. Papa & Veneti contra Cæſarem ad tuendam Italiam & Gallo Neapolitanum regnum reſtituendum. Carolus Borbonius Cæſaris copiarum dux exercitum Neapolin ducens, ex itinere Romam capit, diripit, Pontificem & Cardinales carceri includit, A.C. 1527. 6. Maji. Hæc eſt fama Tyri, terrorem afferens Pontificiis.

8. *Convertuntur habitantes inſulam ad Tarſiſam ejulantes.* Notatur hic que- 6.
rela de Cæſare apud Gallos.

9. Tarſiſæi, Galli, tum indignantur, eò redigi Tyrum. *An hæc vobis?* 7.
an æquum eſt, ut in eum ſtatum redigatur Tyrus illa magna? *exultabunda*, quæ ſolebat perpetuò triumphare de hoſtibus ſuis? *quam à diebus antiquis proferebant pedes ejus in longinquum ad cohabitandum?* Significantur hic duo ejus characteres, extenſio ejus per multas & longinquas regiones, ſive multitudo obſequentium; & Antiquitas ejus. Tum inquirunt, cujus conſilio ea fuerint
geſta. *Quis conſuluit hoc ſuper Tyro?* 8.

Borbonius hoc fecit obiter, velut aliud agens. Cæſar ſe auctorem nunquam tulit.

Hic rurſus Tyrus iſta ſuis ſignis oſtenditur, in Politicis, quòd *coronatrix*, Imperatorum, Regum, Principum: In Eccleſiaſticis, quòd *mercatores ejus*, Cardinales, Epiſcopi, Prælati *ſunt Principes*: Imperium enim exercent in Eccleſia, & obtinent terras & populos tanquam Principes Politici. *Et inſtitores* inſervientes mercatoribus ad merces eorum diſtrahendas, inferiorum ordinum clerici, *honorati terræ*.

Deus verò hoc ipſo facto voluit demonſtrare, quàm levi momento omnem 9.
illum faſtum Papalem evertere, omnemque admirationem ſublimitatis ejus in vilipendium mutare poſſit. Illo namque tempore nihil vilius, nihil contemtius, nihil magis ridiculum fuit Papâ.

10. Gallus miſit Papæ auxilia, Lantrechto duce, in Italiam, qui Papiam 10.
expugnat, Alexandriam capit, Neapolin obſidet. Sed exercitu extincto, Lantrechto mortuo, Auriâ transfugâ, Gallus ad pacem animum inclinat: quæ Cameraci facta, A. 1529. Ita *apud filiam Tarſis non erat amplius cingulum.*

11. Papa per Imperatorem & Reges religionem perſequitur, ipſos reges 11.

bellis involvit, ne cogeretur ad habendum Concilium, Cæſarem ad bellum Proteſtantibus inferendum accendit & adigit; ipſos Proteſtantes ad ſe Cæſari & Papæ opponendum incitat. Ita *manum ſuam extendit ſupra mare, commovit regna.*

12. 12. Bellum hoc geritur ab A. 1546. ad A. 1547. quum Saxo Elector captus eſt 23. die Aprilis Ea cauſa *exultandi* Tyro. At Spiritus declarat, hæc ita à
11. Deo *juſſa eſſe contra Canaanem*, hoc eſt, Eccleſiam defectricem, Amorræorum prolem, ad *arces ejus profligandum*, hoc eſt, ad Cæſarem & Principes Papæ deditos in ordine redigendos, eo ordine, quem vides in ſequentibus.

12. 13. *Fraudatur* Papa à Cæſare.

In Papæ Pauli III. odium incurrit Cæſar, quum Petrus Aloyſius, fœdus homo, Placentiæ à ſuis occiſus eſt, & Placentia in manum Gonzagæ Cæſarei per Inſubriam præfecti tradita, A. 1547. Hæc una injuria eſt, quam viſa eſt Curia Romana accepiſſe. Sed accedunt plures. Tridenti agebatur Concilium. Id imminente bello Germanico diſſipatum eſt. Quin etiam Bononiam pars receſſerat. Eam partem Cæſar non habuit pro Concilio. Eſt & alia fraudatio Concilii per Cæſarem facta. Is per Pflugium, Michaëlem Sidonium & Johannem Iſlebium condit Interim: idque Ordinibus & Civitatibus Imperii obtrudit.

ibid. 14. Quum igitur A. 1549. 10. Novembris fato functus eſſet Paulus III. ei ſucceſſit Julius III. qui fuerat Johannes Maria Montanus, Concilii Præſes, & Farneſiorum fautor. Is ſe partibus Cæſareis, ut potioribus, applicat. In ejus gratiam Tridenti Concilium reſtaurat, quod antea enixè impediverat. Ita à Tarſiſa *tranſivit Kittimam*, à partibus Gallicis ad Hiſpanas.

ibid. 15. Sed *nec ibi fuit ei quies*, neque in patrocinio Cæſaris conſolidata aut ſtabilita fuit ejus auctoritas.

Octavius Farneſius in poſſeſſione Parmæ collocatus à Papa in clientelam Galli ſe dedit. Igitur Julius & Cæſar iraſcuntur. Hinc Parmenſe bellum, Concilio moram injiciens. Gonzaga Parmam, Pontifex Mirandulam obſidet. Quum interim maximè flagraret perſecutio, & Magdeburgenſes proſcripti bello premerentur à Mauritio, interimque Landgravius detineretur captivus, ſubitò, omnibus mirantibus, Gallus Cæſari bellum facit tum maximè florenti. Secuta eſt Concilii diſſolutio, quum bellum Cæſari Mauritius inferret, quod ante annum 1562. ſub Pio V. redintegratum non eſt, poſtquam decem annis ſuſpenſum fuiſſet.

13. 16. Nec tantùm per Mauritium & Henricum II Galliæ regem, ſed etiam per Solymannum *Aſſyrium* conſternatus & in ordinem Cæſar redactus eſt. Is *terram Chaldæorum*, Hungariam, (ſitu haud abſimili poſitam inter Conſtantinopolin & Romam, ab eo, quem Chaldæa habuit inter Aſſyriam & Tyrum) circa hoc tempus *poſuit in ruinam.*

Cùm autem Spiritus hoc in verſu ſtatum rerum regnique Hungariæ ſub Imperio Caroli ad hoc uſque tempus dilucidè adumbraverit, haud abs re fuerit, eum quoque hoc loco interjungere. Prophetia quatuor ejus regni periodos deſignat.

A. *Hic* eſt *populus*, qui *nihil factus eſt.* Hæc periodus videtur expleta, quum Solymannus Taurunum expugnavit, A. 1521. Ludovicum cum univerſo exercitu cæcidit, Budam cepit, A. 1526. Viennam obſedit, 1529. quod eſt inter Savum & Dravum occupavit, 300000. hominum abduxit,

duxit, A. 1530. Ita enim reſpublica Hungarica ad nihilum redacta eſt.

B. *Aſſur terram illam fundavit barbaris*, ſive eremicolis. Turca Johanni Sepuſio Vaivodæ Tranſylvano Budam tradidit, eumque regem Hungariæ, conſentientibus proceribus, fecit. Huic cum Ferdinando contentio de corona fuit, quæ tandem ſopita. Morte Johannis pax diremta. Turcæ cum ingenti exercitu viduæ Iſabellæ ſuppetias tulere, Ferdinandi copias fudere, Budam ingreſſi ſunt, A. 1541. Albam regalem & præcipuam partem regni occupavere, A. 1544.

C. *Conſtituerunt illius* populi *ſpeculas*, *excitarunt palatia ejus* terræ. Ferdinandus cum Turca inducias fecit, A. 1546. Per tempus induciarum Zalnocum munit ad Tibiſcum. Cum regina Ungariæ de corona & Tranſylvania tranſigit, exercitum eò mittit, munitiones inſtaurat, præſidiis firmat, Turcas, qui jam præcipuas arces ceperant, profligat & repellit.

D. At alterâ expeditione Solymannus, uti dictum eſt, *poſuit illam* terram *in ruinam*. Temeſvaram, Lippam, Zalnocum, aliaſque arces capit; multos exercitus fundit. Quæ plenè deſcripta ſunt à Thuano lib. IX.

Sic igitur *vaſtatur arx navium Tarſis*, (Nota, *arcem* hìc dici in ſingulari, quod 14.
℣. 11. ſ. *arces*.) tum Cæſar, tum Concilium. Cæſar per Solymannum, Mauritium & confœderatos & Gallorum regem, exanimatus cogitur ad tranſigendum de pace cum Proteſtantibus. Ea tranſactio facta eſt Paſſavii A. 1552. Quo anno etiam Concilium Tridentinum diſſipatum eſt.

17. *Traditur Tyrus oblivioni*, deſinit metui & admirationi eſſe, & paulatim 15.
creſcit ejus vilipendium.

Additur & modus temporis, *per ſeptuaginta annos*. Ii ab A. 1552, quo pax eſt data Proteſtantibus in Germania, manifeſtum habent initium.

18. *Poſt annos ſeptuaginta fit Tyro ut carmen meretricis*. A. 1622, qui ſeptua- 15. p. a.
geſimus eſt ab A. 1552. Jeſuitæ Academiam Pragenſem & Heidelbergenſem occuparunt, & Papa Ignatium Lojolam & alios ejuſdem ordinis canonizavit. Quæ λατρεία magnâ feſtivitate ubique celebrata eſt, & iis aliiſque idolis gratiæ actæ de victoriis Cæſaris.

19. Jeſuitæ & cæteri doctores Pontificii ſcriptionibus & prædicationibus ſuis 16.
veritatem odioſam efficere ſatagunt, & falſitatem commendare atque incruſtare: tum artibus & fallaciis ſuis homines ſecuros efficiunt: denique gloriantur de victoriis, & exultant ſuper malis Eccleſiæ. Id ut faciant, per adhortationem ſarcaſticam jubentur. *Cane optimè*, *cane multum*, *meretrix exoleta & repudiata*, *ut tui recordentur homines*.

20. *Tyrus poſt ſeptuaginta illos annos revertitur ad quæſtum ſuum*, *& ſcor-* 17.
tatur cum omnibus regnis terræ. Germania ſacra reſtaurata Caraffæ legati Papæ teſtis eſt. Triſtis experientia id ſatis ubique teſtata eſt, ac etiamnum teſtatur.

21. *Mercimonium ejus & quæſtus ejus fiunt ſanctum Jehovæ*; homines, qui ab- 18.
negaverint veritatem ἑκουσίως, voluntariè, fiunt κατάθεμα, *devotum*, adeoque deſtruendum. Opes, populi, terræ, gloria, quam acquiſiverat Antichriſtus, non manent in ipſius manu. *Ita non reconduntur* poſteris, *neque poſſidentur* pro lubitu in præſens. Ita multa, quæ videbatur Papa recuperaſſe, ex ipſius manu extorta, in Germania, in Belgio inprimis, in Hibernia item, & fortè alibi.

18. 22. Copiæ Antichriſti cedunt Eccleſiæ in victum & amictum. Nota hic *ſedentes coram Domino* dici eos, qui ex verbo Dei diſcunt. Oppoſitum eſt *ſcortari*, id eſt, hominem aliquem agnoſcere doctorem & legiſlatorem.

CAP. XXIV.

Continet deſcriptionem illius temporis, quod ſequitur ſeptuaginta illos annos, quibus Tyrus oblivioni tradita fuerat. Quo ſcilicet tempore Tyrus reditura erat ad quæſtum ſuum. Hi ſunt articuli.

1.2. 1. Verſibus primis eſt narratio deſtructionis & diſturbationis *terræ*, ſive loci Imperii, quod tenet Antichriſtus, itemque diſſolutionis omnis ordinis, & vinculorum humanæ ſocietatis, tam in Eccleſia, quàm in civitate.

3. Nec tantùm per *paſtinationem* effodiendæ erant magnæ arbores, ſed etiam per *direptionem* tollenda omnia.

4. Nempe initia hujus plagæ futura erant generalia, & comprehenſura tam eos, qui longè, quàm illos, qui propè ſunt, *terram ſcilicet & frugiferam.*

5. Juſtificatur autem hoc judicium Dei: quòd *transgreſſi eſſent leges omnes*, de pietate & bonis moribus; *prætergreſſi eſſent ſtatutum*, non tenuerint fundamentum; & quòd *irritum feciſſent fœdus*, ſtipulationem fidei & reſipiſcentiæ

6. non tenuerint. *Idcirco aduruntur* vi tentationis *habitantes terram*, & qui examen ſuſtinere non poſſunt, exuruntur, & ex eo ſequitur *paucitas hominum* profitentium veritatem.

7.8.9.11 Sterilitas, annonæ caritas, fames & inopia notatur, quæ Germaniam & multis in locis & diu preſſit, adeo ut alicubi cadavera mortuorum eſſent cuſtodienda, ne devorarentur à viventibus.

10. *Confractio civitatis* ſignificare poteſt diſſipationem civium & peſtilentiam.

12. *In civitate* nempe qualibet, ubi aliàs commercia & judicia exercebantur, remanet vaſtitas & ſolitudo. Plurimæ etiam tormentis expugnantur, *portis contuſis.*

13. In imperio quodam, quod multos habeat populos circumdatos, oſtendit hoc efficiendum, ut parum relinquatur boni & integri. Quod tam de coërcita Euangelii prædicatione, illudque profitentium defectione, quàm de bonorum terrenorum imminutione, hominum occidione, civitatumque everſione intelligendum eſt.

14.15. 2. Interim, dum id agitur, ut certum imperium evacuetur, Deus ſuccurrit parti populi ſui, qui propterea cantent & hinniant, & ignes, lætitiæ ſignum, accendant.

14. Id fore dicitur in partibus maritimis. Conveniunt hæc victoriis Batavicis, inprimis anni 1629.

16. 3. Ab ultima Imperii ora venit aliquod auxilium, cujus adventu excitantur paſſim clamores, & voces gratulatoriæ, aut benè ominantes; nunc futurum, ut Deus *det decus* & victoriam *juſto*, Chriſto & Eccleſiæ. Hæc conveniunt expeditioni Suecicæ in Germaniam.

ibid. 4. Hæc tamen *maciem* non abſtulit, ſed magnas clades ſecum traxit, ut excidium Magdeburgi, & deinde mortem ipſius regis cum conſternatione omnium.

ibid. 5. Poſt illam conſternationem nulli ad communem cauſam accurrerunt, fœdus

fœdus deferuerunt Euangelici, ipsis Suecis fides habita non est, neque visi sunt seriò bonum oppressorum quærere. Saxo cum Wallensteinio incepit tractare, quæ tractatio in ludibrium & fallaciam cessit. Legendi hic Annales.

6. *Pavor.* Cæso Wallensteinio Cæsaris & Bavari potentia terribilis erat. Vinariensis Ratisbonam cepit. Ita pavor evanuit. Sed mox eam recuperavit Hungarus, qui & Norlingam usque processit, ubi exercitus Protestantium cæsus 17.18.
est. Ita *qui pavorem effugerat, cecidit in foveam.* Secuta est pacificatio Pragensis, quæ fuit tanquam *laqueus.* Nam Saxo propter eam vires suas communi 18.
causæ subduxit, & ad pacem illam accipiendam multos vel auctoritate vel terrore compulit. Sequitur motus totius Germaniæ, tanquam Deo iram cœlitùs 17.18.
effundente. 18. *f.*

Imperii istius labefactatio explicatur gradatim per comparationem muri in altum exædificati, qui vitium facit & tandem corruit. Quatenus 1. non satis benè cohærent partes. 2. Rupturæ fiunt, & partes ab invicem discedunt. 3. *Vacillat terra*, ipsa Imperii ratio incerta est, atque dubia. 4. *Instar ebrii movetur*, ut murus, qui jàm ad hanc, jam ad illam partem vergit. 5. Et *transfertur ut tugurium*, ab uno domino ad alium. Ratio additur gravitas peccati, quod postulat vindictam, ob quam causam consistere non potest. 19.20.

7. Dum hæc geruntur in Germania, visitatio & castigatio quoque est in quadam parte Ecclesiæ Reformatæ habente multos principes Ecclesiasticos, tanquam *exercitum celsi*, & politicos, tanquam *Reges terræ:* & quidem hoc ordine. *Congregantur congregatio*, fit parlamentum. *vinctus ad foveam.* vinciuntur multi & sepeliuntur. *Et concluduntur in carcere*, ita frenantur & coërcentur, ut se commovere non possint, tanquam in carcere positi. 21.

8. Restituuntur Rex & Episcopi *post multos dies*, atque ita *visitantur*, qui eos vinciverant, & ad foveam condemnaverant, & concluserant in carcere. 22.

9. Post visitationem illam *compungetur Luna & pudefiet Sol.* Iterum scilicet Principes Politici, & qui pro Sole habentur in Ecclesia, pudefient, nec eveniet spes ipsorum. 23.

10. *Regnum capessit Jehovah* tanquam unicus doctor & legislator, *in monte Sion & Hierosolymis.* Et *Seniores Hierosolymæ* sunt in magna fide, existimatione & charitate, & suo ministerio funguntur gloriosè coram magna multitudine. Ita *coram senioribus ejus erit gloria.* ibid.

CAP. XXV.

In Dei Regno Ecclesia eum vocat *Deum suum*, auctorem fœderis & salutis, eique gratias agit *confitendo nomen ejus, eumque exaltando* supra omnia. Simulque narrat opus Dei, quod circa Ecclesiam fecerat, & propter quod eum extollit. 1.

Inprimis fatetur, quòd Deus fecerit *rem mirabilem* & inexspectatam, quòdque eà re obsignaverit prophetias, & ostenderit *consilium suum à longinquo*, hoc est, ab æterno, *esse rem fidelem admodum.* Opera verò Dei enarrat hoc ordine.

1. Quòd *civitatem aliquam* (עִיר caret articulo.) notabilem aliquam Ecclesiam, quæ quidem non pertineret ampliùs ad Babylonem, attamen haberet adhuc Episcopos sedentes in thronis cum potestate judicandi, qui status Ecclesiæ vocatur civitas, *posuerit in acervum.* Satis insigniter hoc impletum est in Ecclesia trium regnorum magnæ Britanniæ. 2.

2. Quòd

2. 2. Quòd *civitatem arduam & munitam*, collegium quoddam hominum magnâ poteſtate præditorum, qui ſub ſuis capitibus jus habent conveniendi & de republica ſtatuendi, *poſuerit in ruinam.*

Caſus ſtellarum unà traxit caſum domûs ſuperioris, cujus caput erat Rex, membra autem omnes Duces, Comites, Barones.

ibid. 3. Quòd *de civitate aliqua fecerit palatium alienorum*, vel truculentorum. Poteſtas Parlamenti, quod videbatur perpetuum, tranſiit in manum unius & conſilii ipſius, qui per exercitum omnes contineret in metu.

ibid. 4. *Id in perpetuum non fuit ædificatum.* Reſtitutos enim Regem & Epiſcopos vidimus §. 8. c. 24.

3. 5. Effectus everſionis iſtarum trium civitatum & palatii alienorum indicatur, nempe *ut glorificent Deum populus robuſtus*, omniaglorioſa de Deo ſentiant & dicant, & *civitas gentium violentarum Deum formidet*, cogitans, ſimilia ſibi poſſe evenire.

4. 6. Ratio, cur, cùm populus robuſtus Deum ſit glorificaturus, tum civitas gentium ſit formidatura, ampliùs explicatur: *quòd Deus exſtiterit arx tenuium, cùm arctum ipſis eſſet, & perfugium ab imbre, umbra ab æſtu.* Sive hæc ad jam facta, ſive ad futura adhuc, referenda ſint.

5. 7. *Tumultus alienorum eliditur, & cantus violentorum deprimitur.*

6. Ita Deus *mutabit populis multis convivium pinguium in convivium fæcum & amarum.* Tyri ſcilicet lætitia, de qua c. 23.: 15. 16. 17. eſt lætitia multorum populorum. Significatur, lætitiam ex fidelium oppreſſione ipſis converſum iri in pudorem & confuſionem, quod alibi ſignificatur emblemate vermis, ignis, tabis, ſtagni ignis ardentis ſulphure &c. Id autem futurum dicitur *in monte hoc.* illo monte, qui octavus eſt, & in interitum abit; quemque ſuo tempore quaſi digito monſtrare poterunt fideles.

8. Continuatur adhuc divina gratia in liberatione Eccleſiæ à dominorum

7. aliorum & falſi regiminis poteſtate. Quod dicitur: *Et abolebit in monte hoc faciem* ſive apparentiam, pompam, *tegminis & velaminis injuſti impoſiti omnibus gentibus.* propter quod ſcilicet gentes & populi non potuerunt cœlum & Deum

8. rectà intueri. Item: *Abolevit mortem*, auctorem doctrinæ lethiferæ, *etiam atque etiam.*

Unde ſequitur, ut *abſtergat Deus lachrymam ab omni facie*, ne ampliùs deplorent jacturas Jacobi, vel quiritentur propter oppreſſorem: & *opprobrium populi ſui removeat à tota terra*, id eſt, ſtultitiam, mendacia & ſcandala pa-

9. ſtoris ſtulti amoveat ab Eccleſia. Ac denique, ut & Deum, quem exſpectaverant, & ſalutem ejus confiteantur, & ſe mutuo ad lætitiam in ſalute ejus cohortentur.

10.11.12 9. Tandem etiam totalem ac finalem *munitiſſimi ſublimium murorum*, quibus ſuam auctoritatem tuentur ii, qui Eccleſiam redigunt in poteſtatem, *deſtructionem uſque ad pulverem* Spiritus prædicit. Idque illuſtrat comparatione hujus plagæ cum plaga Judæorum ſub nomine *Moabi*, qui, cùm ſe Chriſto & juſtitiæ ejus ſubjicere nollent, deſtructi ſunt.

Niſi fortè per *Moabum* hic intelligamus gentem Saracenicam ſive Muſulmanicam. Nam ex quo illud regnum ortum eſt, Moabitis & reliqua Arabia ad illud pertinuit. Atque ita inter futura & exſpectanda adhuc numerabimus.

10. *Moabi*

10. *Moabi humiliationem & conculcationem, tanquam fœni in fimeto*, sive 10.
Imperii Turcici dissolutionem ac destructionem.

CAP. XXVI

11. *Illo die canetur carmen hoc in terra Judæ.* Deprehendetur scilicet veritas eorum, quæ Deus in prophetiis antea de variis exercitiis Ecclesiæ Christianæ prænunciavit, & illa opera Dei cum lætitia, etiam verbis hujus carminis, commemorabuntur. Hoc carmen summam omnis prophetiæ ter complectitur.

Primò usque ad ℣. 8. exclusivè, his articulis.

1. *Salus* parta; ejusque fructus custodia fidelium, ne possint ab ullo hoste 1.
vinci, & ab amore Salvatoris separari. Ita *salus ipsis est posita in muros & antemurale.*

2. Admissio *gentis justæ*, sive omnium, qui *fidem habent* in Deum, ad com- 2.
munionem & fraternitatem, nullo attento discrimine vel intergerino pariete.

3. Tentatur Ecclesia per afflictiones & persecutiones, sive etiam per pom- 3.
pam hujus mundi, quæ post persecutiones intravit in Ecclesiam, & orare cogitur, ut Deus *cogitationem fixam*, sive firmum propositum Christo serviendi, teneat *pacatam & tranquillam.*

4. Fideles monentur, ut semper Domino confidant, & non respiciant alior- 4.
sum. Ratio: Quia *petra sæculorum est in Jah Jehovæ.* Ecclesia per trecentos annos potuit sine potestate humana, sine doctore & judice infallibili, sine petra secundaria, per Christum & nomen Christi salvari. Ergo & in posterum ipse erit rupes.

Convenit hæc admonitio ei tempori, quo falsum caput, & fictitia rupes loco
Christi in Ecclesia incepit apparere, atque ita nova *urbs* ædificari. 5.

5. *Sedentes in celso* incipiunt *humiliari*, & *urbs illa sublimis cadere.* Quâ oc- 5.
casione rursus monentur pii, ne rupem sæculorum deserant. Certum enim esse, atque ex eo, quod jam inceperit fieri, quid exspectari debeat, apparere. Fore scilicet, ut

6. Ea civitas porrò omninò destruatur, & quidem ita, ut eam *inopes & te-* 5.6.
nues, quorum scilicet abierat manus, *pedibus conculcent.*

7. Tandem gloriatur & gratias agit Ecclesia Deo, quòd *complanaverit* 7.
viam justorum, ut facilè atque commodè incedere possint: quòdque *orbitam justitiæ ad libellam dirigat*, hoc est, clarè atque apertè doceat, quæ sit via ducens ad salutem: quòdque justos teneat manu suâ, ne ad dextram vel sinistram declinent. Is status justorum est in regno Dei.

Secundus ordo rerum explicatur à vers. 8. ad 15. exclusivè. Hi sunt articuli.

1. Christus secundùm *exspectationem* patrum advenit, atque *iter judiciorum* 8.
suorum homines docet.

Testatur autem Ecclesia ultimi temporis, quasi induens affectum Ecclesiæ hujus primi temporis, sibi, *ambulare in judiciis Dei secundùm nomen ejus*, quod in ipsis expositum, & *secundùm memoriam ejus*, id est, secundùm Euangelium auditum in toto mundo, fuisse *concupiscentiam animæ*, id est, suave & jucundum.

Exspectatio ac desiderium adventûs Christi etiam auctum narratur *in nocte*, 9.

id eſt, eo tempore, quo Judæi & gentes Chriſtum ignorarent, & fidelibus nihil niſi perſecutio in mundo occurreret.

9. 2. Chriſtus *judicat terram*, hoc eſt, ſupplicium ſumit de populo Judaïco in terra ipſorum.

Fructus illius judicii in Eccleſia extitit, ut fideles inprimis infirmiores ex iſto judicio *diſcerent juſtitiam*, hoc eſt, confirmarentur in doctrina Euangelica, quòd juſtitia, quam quærebant Judæi, non eſſet juſtitia.

9. 3. Secundùm hæc Eccleſia *Deum in ſpiritu ſuo quærit*, hoc eſt, id unicè deſiderat, & omnia ſigna temporum obſervat, ut Deus ipſi regnum repræſentet.

10. 4. Adipiſcitur quodammodo regnum, cum tanta abundantia *gratiæ*, ut & *Improbus* hactenus fuerit illuminatus, ut multorum bonorum Eccleſiæ factus fuerit particeps.

ibid. 5. Sed non obtinet Eccleſia ſpem ſuam, ut improbi converterentur: contrà enim eveniſſe conqueritur, quòd *improbus non didicerit juſtitiam, ſed in terra rectitudinum injuſtè egerit*, id eſt, quòd in Eccleſiam invexerit errores, ſcandala, falſas doctrinas, inprimis obedientiæ hominum falſæque juſtitiæ. Quòdque *non viderit erectionem Jehovæ*, id eſt, quòd non animadverterit, quis ille ſit, qui pacem Eccleſiæ dediſſet, quique reſurrexiſſet à mortuis, aſcendiſſet in cœlum, & Spiritum ſuum effudiſſet in omnem carnem &c.

11. 6. *Manus Domini eſt elata.* 1. quum Deus multos populos barbaros in meditullium populi nomine-tenus Chriſtiani ingeſſit, atque ita illos, qui dominari inceperant, laceravit & humiliavit, ne ſtatim ſe tam latè extenderet Antichriſti dominatio. 2. quum Deus fecit, ut multi ex populis iſtis barbaris, abjectâ idololatriâ & hæreſi, Chriſti nomen ſuſciperent.

ibid. 7. *Non viderunt Improbi* opus Dei, ſed omnes conſpirârunt ad elevandum thronum aliquem in Eccleſia, ſuper quo collocarent Beſtiam & imaginem ejus, ut per Papam & propter illius nomen & auctoritatem omnes hi populi illuminati viderentur ad agnoſcendam Euangelii divinitatem.

ibid. 8. Deus *zelum excitat* in fidelibus pro veritate adverſus mendacium, pro libertate adverſus tyrannidem, pro nomine Chriſti adverſus nomen humanum. Qui zelus maximè in perſecutionibus & martyriis ad *pudorem* & confuſionem hoſtium conſpectus eſt, ut ſcilicet agnoſcerent tandem, ſe contra Deum niti non poſſe, & pacem darent Eccleſiæ.

ibid. 9. *Ignis devorans hoſtes Dei* & Eccleſiæ. Hic eſt furor conceptus adverſus Euangelium, quo omnes dolos excogitant ad fucandum mendacium, & veritatem anathematizârunt; principium fidei denique ex manibus hominum excutere conati ſunt, & etiamnum conantur.

12. 10. Deus dat ac *diſponit Eccleſiæ pacem:* pro qua etiam Deo ut auctori gratias agit. Eundem etiam auctorem omnium operum ſuorum, dictorum, factorum confitetur, adverſus aſſertores liberi arbitrii.

13. 11. Fideles Jehovam vocant *Deum ſuum*, ut in quem ſolum credant, gratiaſque ei agunt, quòd *per ipſum nomen ipſius commemorent* hactenus, ut qui ipſis dederit oſtium ſermonis apertum, ad prædicandum Euangelium æternum. Idque illuſtrant ex eo, *quòd fuerint ſub dominatu aliorum dominorum præter Deum.*

12. Ju-

11. Judicium Dei in mortuos, qui non revixerunt, quo ſcilicet Deus *ipſos viſitatione factâ profligaverit, & omnem memoriam illorum deleverit*, verbis Eccleſiæ hujus temporis repræſentatur. 14.

Tertius ordo rerum in hoc Cantico repetitur à ℣. 15. ad finem Capitis.

1. Acceſſio adjecta genti Judaicæ. 15.

2. Illo tempore, quo Deus addidit ad gentem, *glorificatus eſt*, per exhibitionem Chriſti, qui verba ejus loqueretur, & opera ejus faceret, & juſtitiam æternam adduceret. ibid.

3. *Elongatio terminorum terræ ab invicem.* Ea converſio gentium eſt, rupto intergerino pariete. ibid.

4. Supervenit *anguſtia* Chriſtianis. Eccleſia verò utilitatem quam ceperit ex iſta afflictione, triplicem hic commemorat. 1. *quòd Deum*, non ullum hominem, *adirent*. 2. quòd *ſermonem deleneficum funderent*. 3. quòd *diſciplinam Dei* diligentiùs obſervarent. Contrarium per pacem in Eccleſia viguiſſe cognoſcitur. 16.

5. Fideles per tempus anguſtiæ exſpectant cum dolore & clamore regnum Dei. 17.18.

6. Fruſtra fit ipſorum exſpectatio: Venit enim regnum Adverſarii. Id ita enarrant: *Tanquam peperimus ventum.* fumum exortum à gloria Dei, qui templum obſepivit. *Salutes?* q. d. An putaret aliquis, nos id conſecutos eſſe, ut multi ſalvarentur? *Non faciebamus terram.* q. d. Si maximè aliqui ſalvati ſunt, tamen non accepimus terram ac totum mundum Abrahamo promiſſum, in hæreditatem. *Et non cadebant*, hoc eſt, non naſcebantur *habitatores frugiferæ*, id eſt, tales auditores verbi, quales decent frugiferam & regnum Chriſti. Imò multi à fide defecerunt ad deteſtabiles hæreſes, & qui verba veritatis locuti ſunt, non caruerunt tamen multis nævis. 18.

7. *Mortui Eccleſiæ*, illi ſcilicet, qui pertinent ad hæreditatem Eccleſiæ, *reviviſcunt*, veritatem recognoſcunt & recipiunt; & *cadaver Dei*, quos ſcilicet interfecerat, & tanquam cadaver tractaverat, & fecerat eſſe oſtentui hominibus, duo teſtes Dei, cum nova efficacia in animis hominum *reſurgunt*, ſanctis quaſi ex latebris ſuis prodeuntibus, & cum παῤῥησίᾳ Euangelium adverſus mendacia profitentibus, nullis vinculis ampliùs coërcendum. 19.

8. Divina benedictio comitans prædicationem Euangelii, ut non tantùm plurimi ex regno tenebrarum & mortis prodeant vivi, verùm etiam *terra* non paucis habitata populis, abjuret ſignaturam Beſtiæ. 19.

9. Reformatio & Reformatæ Eccleſiæ conſtitutio ſignum eſt *excandeſcentiæ*, hoc eſt, ultimarum plagarum effundendarum in Babylonem, quòdque *Deus jam exeat è loco ſuo ad viſitandum pravitatem habitantis terram in ipſo.* Id ſuâ generalitate etiam ipſam terram Eccleſiæ Reformatæ includit. 20. f. 21.

Igitur neceſſitatem *latitandi* propter publicas calamitates Deus imponit piis, ut eò minùs ſentiantur, & quantum fieri poteſt, evitentur. 20.

Brevitas temporis latitandi ſimul indicatur. ibid.

CAP. XXVII

10. *Illo die*, nempe Eccleſiâ canente iſtud Canticum, & partim opera Dei retractante, partim futura quædam præſagiente, *Deus viſitaturus eſt gladio ſuo duro & magno & valido Leviathan ſerpentem impetuoſum*, Principem inter 1.

 Chriſtia-

Chriſtianos magnum, magno impetu omnia pervadentem, domum Auſtriacam; *& Leviathan ſerpentem tortuoſum*, aſtu & lubrico greſſu ſeſe inſinuantem in omnem partem terræ, ut ubique cum illo ſerpente impetuoſo dominetur, Papam; *& Draconem, qui eſt in mari*, ipſum Diabolum in mundo vel palàm vel clanculò per Beſtiam tyrannidem exercentem. Adde his ea, quæ infrà ex ℣. 10. & 11. annotamus.

2. 11. *In illo die Terra* cum jubilo *accinetur*, *vinea meri*, vini ab omnibus fæcibus expurgati: dicentur omnes juſti.

3. Deus ſuam quoque circa hanc vineam curam atque cuſtodiam exponit.

4. Quòd ſi quando viſum fuerit, dominos alios in ipſa dominari, eamque communibus plagis implicari, reſpondet Deus, ante omnia à ſe removendo *excandeſcentiam*: Tempus enim gratiæ eſſe, cujus ipſum nunquam pœniteat. Cæterùm ſi quis ſit, qui ipſum tanquam dominum & agricolam vineæ ponat in bello, *ſentes & vepres ipſum ponere in bello*, quod tum non gerat adverſus Eccleſiam, ſed in ſentes, ad purgationem agri Domini, ut fiat vinea vini puri. Et

5. ne quidem omnes, qui ipſum ponunt in bello, deſtructum ire: Si enim convertantur, & *arcem Dei*, rupem ſalutis, *apprehendant*, *fore*, *ut pacem* cum ipſo habeant, & pœnas evadant.

6. Quin etiam *advenientes*, etiamſi videantur venire ad deſtructionem terræ, tandem tamen *Jacobo*, *& radici ejus inſeri*. Fore autem, *ut Iſraël* ſemper *gemmet & floreat*, & fructus producat, donec *impleat faciem frugifera germine*, & omnes

7. gentes ei ſerviant.

Itemque Jacobum non ita eſſe percuſſum unquam, quemadmodum ipſe percuſſerit ſuos hoſtes, neque occiſum, quemadmodum ipſe hoſtes ſuos occiderit.

8. Tum verò etiam Eccleſiæ caſtigationem juſtam fuiſſe. Vocat enim *menſuram menſura*, *qua litem ei faciebat*, accuſando eam negligentiæ verborum Dei, & erroris, quem admiſerunt, vel paſſi ſunt doceri, *cùm dimiſiſſet illam*, terram, dum fideles paſſus eſt eſſe in manu & poteſtate aliorum dominorum.

8. Sed & Deum gratiæ ſuæ non eſſe oblitum, ſed *in menſuram illam contendentem flaviſſe ſpiritu duro & irreſiſtibili*, ad illam tollendam è medio, idque *die Euri*. q. d. flante vento Orientali. Confer Hoſ. 13: 15.

9. Concludunt igitur fideles, *cum hoc expiatam eſſe pravitatem Jacobi*, remiſſa ipſi eſſe peccata ipſius: nec tantùm Eccleſiæ, ſed & omnium, qui de nomine Jacobi appellantur.

ibid. Spondet etiam ſibi Jacob fructum condonationis peccatorum, ut *lapides altaris habeat pro lapidibus calcis disjectis*, id eſt, ut non ampliùs ſpectet ad altare Hieroſolymitanum, & id cupiat ex pulvere ſuo excitatum. Item, *ut non ſtatuant* ampliùs *lucos & Chammanim*, id eſt, omnem ſcortationem à Chriſto, & auctoritatem falſorum doctorum, ac idololatriam abolendam eſſe.

10. Argumentum, quo ſibi fideles hoc ſpondent, eſt *caſus urbis magna*, *quam vident deſolatam*, *& ex pulcherrima manſione converſam in deſertum*, *ita ut vitulus*, populus debilis ac manſuetus, *ibi paſcat*, *& conſumat ramos ejus*, hoc eſt, impediat, ne aliqua naſcatur virga ad dominandum.

11. Ampliùs innuitur, *meſſem*, hoc eſt, copiam ramorum, id eſt, ſceptrorum regum & principum cum meretrice ſcortantium, *aridam futuram*, *& ſic confractum iri*. Ipſam civitatem *comburendam à mulieribus*, id eſt, multis civitatibus,

tibus, vel de biliſſimis quibuſcunque: propterea quòd ſint *populus ſine prudentia & conſideratione*, ob quam cauſam *formator ejus non ſit ejus miſerturus aut ei gratiam facturus*, ut illam ampliùs toleret. Deus *formator ejus* dicitur, quemadmodum Zach. 11: 15. 16. jubet Chriſtum induere arma paſtoris ſtulti, & dicit, ſe excitaturum paſtorem nihili in terra.

12. *Excuſſio*, ſive agitatio & ventilatio facienda vel in gente Judaïca, vel 12.
in tota Eccleſia, quaſi in omnibus tribubus, ab Euphrate ad Orientem uſque ad torrentem Ægypti ad Meridiem in limite Occidentali: quæ terra typum Eccleſiæ gerit. Idque ut zizania colligantur in ſuos faſciculos, & frumenta maneant unà.

Collectio autem juſtorum ita futura dicitur, ut primò pauci, *tanquam unus* 12.
ad unum, conjungantur. At poſtea futurum, *ut magnâ tubâ* (eſt illa tuba ul- 13.
tima) *clangat*, hoc eſt, Euangelium prædicetur per totam terram, cum denuntiatione inſtantis adventûs Domini. Quâ auditâ *oves perditæ*, hoc eſt, quotquot de peculio Chriſti ſunt in erroribus hærentes in toto mundo, quem hic denominat à duobus potentiſſimis regnis in eo, Aſſyriâ & Ægypto, *venturæ ſint & adoraturæ in monte ſancto, Hieroſolymis*, hoc eſt, in populo regni, & civitate ſancta, quæ Hieroſolymæ portio eſt.

CAP. XXVIII.

Esaias in hoc capite prophetiam ſuperiorem accommodat ad Iſraëlem ſui temporis. Agit enim ab initio de abolitione quarundam rerum glorioſarum apud Iſraëlitas, ut in Deo ſolo glorientur. Hi ſunt articuli.

1. Falſa fiducia & gloriatio Iſraëlitarum omnium, nominatim duorum re- 1.
gnorum, Ephraimi & Judæ. Quorum illi in regno ſuo gloriabantur, adeo ut præ illo templum contemnerent. Hi incolæ ſcilicet *vallis oleorum*, id eſt, Hieroſolymæ, in quam divina chariſmata hactenus erant effuſa, vel ubi ungebantur reges & ſacerdotes, gloriabantur in templo ſuo, *decore ornamenti* & ſuo & Ephraïmitarum, qui, quamvis Hieroſolymam non accederent, tamen fatebantur, Deum ibi habere ſuam ἐνοίκησιν, & ubique adolebant Deo Hieroſolymis habitanti.

Utriſque etiam tribuit luxuriam.

2. Aſſyriorum & Babyloniorum corroboratiò, eorumque præparatio, ut 2.
ſint inſtrumentum Deo ad puniendum populum ſuum.

3. *Corona Ephraimi & flos Judæ* ad extremam vilitatem deſcendunt; & *pe-* 3.
dibus conculcantur.

Speciatim de templo Hieroſolymitano temporis brevitatem adumbrat, quo 4.
ſit deſtruendum.

4. Conſervatio reliquiarum populi Dei, partim in terra, partim extra il- 5.
lam, earumque illuminatio & converſio ad Deum regem ſuum.

5. Aſſertio populi ac reſtitutio in terram ſuam ad obeundum cultum ſuum, 5.
& ibi porrò exſpectandum adventum Chriſti regis ſui,

6. Reſtitutio αὐτονομίας & judicum, itemque libertatis civilis, ut non tan- 6.
tùm habeant judices, ſed etiam defenſores, atque eos fortes & felices.

7. Luxuries populi Judaïci ex captivitate reducti, & corruptio doctrinæ lu- 7.
xum comitans.

8. Illa corruptio populi ampliùs exaggeratur, quòd *omnis mensa plena sit vomitu*: quo non tantùm notatur sagina corporis, sed etiam turpiloquium & inaniloquium ad mensam.

9. · 8. Hinc porrò sequitur ineptitudo populi ad audiendum sermonem Christi:
nempe omnes se ut pueros habere ad Christi sermonem, ad cognitionem, ad
12. שמועה, id est, *auditum nuncii* de promissione effectâ, & de *quiete*.

10. Probat, ita se Israëlem habere, ex eo, quòd more puerorum verba Scripturæ tantùm edisçant sine intelligentia, partes inter se non connectentes.

11. 9. *Deus populum* errantem in visione, & infantem *alloquitur linguâ peregrinâ*: quemadmodum in die Pentecostes allocutus est populum non unâ linguâ, & nunc Euangelium non proponit nisi Græcâ.

13. Ita jam, cùm Euangelium, clavim cognitionis, rejiciant, ipsis accidit verbum Domini, ut liber puero, quem coguntur edoceri particulatim & per intervalla, exercendo memoriam potiùs, quàm intelligentiam. Ita cœcitas cœcitate punitur.

13. Ultra addit ruinam gentis & illaqueationem.

14. 10. *Viris irrisionis*, proceribus scilicet Judæorum omne verbum Dei irridentibus, *habitantibus Hierosolymæ*, proponitur *verbum Domini* per Apostolos, summam omnium sermonum continens. Ejus verbi hæ sunt partes.

15. 11. A. Falsam Judæorum fiduciam exponit & securitatem, quòd scilicet *flagellum inundans, cùm transibit per mundum, ipsos non sit invasurum.* Hujus fiduciæ duas ponit causas. 1. quòd *fecerunt fœdus cum morte, & tractationem pacis cum Inferno.* cum Romanis scilicet, atque ita cum Dracone, & diis Romanorum sive angelis Draconis. Hoc enim erat Judæorum verbum: *Non habemus regem nisi Cæsarem.* 2. *quòd posuerunt mendacium*, sive falsam persuasionem de Christo venturo, & regnum mundanum erecturo, *suum receptum, & falsitatem*, sive falsam persuasionem de justitia sua secundùm legem, per quam fieri non possit, ut promissionis illius de Messia non fiant compotes.

16. B. Exponitur vera & salutaris fiducia sive salutis causa, *lapis*, rupes salutis, *in Sione fundatus*, in medio Israële manifestatus, *lapis probationis*, per quem cogitationes multorum, & qui credant Mosi & Prophetis, & qui non credant, patefiant, *angulus fundati*, omnia sibi inædificata conjungens & vivens in omnibus, & quidem *fundati*, Ecclesiæ fundatæ, *fundatissimi*, utpote in ipso fundati, qui potentiâ & merito illud sustinet. Ratio etiam percipiendæ salutis indicatur *fides*. *Credens*, sive in ipsum, sive hoc dictum Dei, *non festinabit*, sive *præcipitabit*, ἀπειθὴς confusus.

17. 11. & 12. Denique exponit ultimum supplicium Judæorum, ita tamen ut suos conservet. Fore enim judicium *secundùm lineam & perpendiculum*, ubi, quod est secundùm perpendiculum, stat, quod ab eo dissidet, diruitur. Pro linea & norma ponit *judicium*, factum scilicet in morte Christi, quo peccatum & falsam justitiam condemnavit; *& justitiam*, meritum redemtoris, quod electis dat salutem, infideles relinquit in damnatione.

23--29. Id quoque parabolâ sumtâ ab agricultura illustrat Propheta, cujus ἐπιμύθιον nobis relinquitur cogitandum. Nempe Deus Israëlem habebat pro agro. *Aravit*,

vit, *occavit*, *semen sevit.* Nata est herba varia, bona & mala. Non convenit ei messem negligere, & vel totam sinere perire, vel totam in horreum colligere. Omnia facit agricola, ut conservet frumentum: Non etiam Deus conservet oves suas? Igitur certum est, Deum & suos conservaturum, & identidem à malarum herbarum luxurie liberaturum, & in trituratione piorum esse habiturum rationem, ut non frangat triticum.

In judicio specta partes. *Grando verret perfugium mendacii*, *aquæ latebras* 17.
inundabunt. Perruptio murorum, post quos latebant, & deletio templi, ut
perfugii, hic significatur. *Aquæ inundantes* significant exercitus Romanorum.
Connexa plagæ sunt, quòd *fœdus ipsorum cum morte obliterabitur*, *& quòd* 18.
visio ipsorum cum Inferno non consistet. Flagellum inundans, exsecratio legis,
cùm transibit, *eritis ipsi conculcatio. Quando transibit*, *capiet vos*, in omnibus 19.
locis vos inveniet. Affirmat porrò, *flagellum hoc transiturum esse singulis matutinis*, *& die & nocte*, *adeo ut nil nisi terribile sint audituri.*

Collectio multitudinis Judæorum, ceu nihil metuentium, intra mœnia Hie- 20.
rosolymæ, indicatur: quæ indicibilis angustiæ causa fuit.

Comparatur operatio divinæ potentiæ in excidio Hierosolymæ cum ea, 21.
quam operatus est olim in Palæstinis, 2 Sam. 5: 20. & in Amorræis in valle Gibeon, Jos. 10: 10. Nempe non tam humanâ, quàm divinâ manu id supplicium peractum iri significatur. Ipse Titus, inspectis muris & turribus Hierosolymæ, fassus est, sine Deo istum locum expugnari non potuisse.

Tandem finem hujus judicii indicat; *peregrinum est Dei opus*, nempe ædificata 21. p. 2.
à se, videlicet urbem, templum, *πολιτείαν* Judaïcam destruere, *ut faciat opus suum*, id est, ut erigat regnum suum, quod proprium Dei opus est.

13. Prædictionem sequitur admonitio, *ne* scilicet *irrideant*, hoc est, se in- 22.
durent adversus verbum Dei, ei opponendo suas ratiocinationes.

Argumento utitur, quòd alioqui *vincula ipsorum*, Romani ipsis circumpositi, (confer Mich. 4: 14.) *sint validiora futura*, & constringenda. *Se enim* (loquitur adhuc Propheta tanquam personam Apostolorum gerens) *audivisse consummatum & decisum à Domino super totam terram.*

CAP. XXIX.

Est hic iterum prophetia de excidio Hierosolymæ & templi. Cui succenturiatur frustratio gentium militantium contra Hierosolymam. Tandemque accusatur infidelitas Judæorum cum denunciatione vocationis gentium loco ipsorum. Hi sunt articuli.

1. Denunciat *Arieli*, id est, altari, & *civitati metationis Davidis*, in qua 1.
scilicet David cum suis domicilium habuit Hierosolymæ, *ut addant annum anno*, ut duos annos sive duas periodos inhabitationis Davidis & seminis ipsius numerent; unam usque ad Zedekiam, alteram à Zorobabele & Nehemia usque ad bellum Judaïcum & excidium: interimque Sacerdotes & Levitæ *victimas cædant* & excorient & dissecent.

2. Ubi anni hi, atque ita tempus *ἀνοχῆς* impletum fuerit, tunc *arctum sit* 2.
altari, ita *ut* nihil *sit* nisi *mœror & mœror* circa altare, pro eo, quòd ibi erant
חגים. Id refer ad cadavera hominum circa altare prostrata. Id *Deus sibi futurum*

rum pronunciat, id eſt, propter gloriam ſuam, & ut vindicet ſanctitatem nominis ſui per ſacerdotes profanati.

3. 3. Obſidio & oppugnatio Hieroſolymæ, nempe templo priùs repleto cadaveribus humanis. Vide Joſephum.

4. Anguſtiæ modus ταπεινώσεως. Nempe quòd *urbs*, hoc eſt, incolæ urbis non erecti ſtaturi ſint, ſed *quòd eorum gemitus jacentium in pulvere* & ſtercore *audiendus ſit*, multis ſcilicet præ fame morientibus.

5. Inſtrumentum anguſtationis deſignat *hoſtes*, eoſque *multos*, *ita ut pulveris inſtar totam terram operiant*, vel *glumæ more*, quæ vento diſſipatur per omnia. Idque oſtendit futurum derepentè & ſubitò. Romani priùs terram oppleverunt, quàm hoſtes cognoſcerentur.

6. Hæc anguſtatio tribuitur *Deo viſitanti altare cum tonitru*, *terræ motu & voce magnâ* &c.

(Ampliùs explicatas culpas & judicia Judæorum vide poſt §. ſeq.)

7.8. 4. Fruſtratio gentium militantium contra Hieroſolymam.

(a.) Romanorum, qui templum deleverunt: ſiquidem hâc re effectum eſt, ut, Judæis per totum orbem diſſipatis, verbum propheticum innoteſceret omnibus gentibus, & Euangelium à fidelibus liberiùs & puriùs prædicaretur: Ac denique idololatria magis magiſque deficeret, donec tandem tota evanuit.

(b.) Et hoc pertinet ad omnes affligentes Eccleſiam, propaginem Hieroſolymæ cœleſtis.

9. Ampliùs explicantur culpæ & pœnæ Judæorum. Et quidem

Primò accuſatur illorum *tergiverſatio*. Id irriſorum eſt, ſuas ratiocinationes verbis Dei opponentium: & τὸ φιλήδονον. Inprimis quòd *voluptatem caperent* in interfectione Chriſti, & fidelium perſecutione. Hiſce ſuccenturiatur *pœna*, quòd *miraturi ſint*, aliter res evenire, atque putâſſent, & *quiritaturi*, Dei hominumquè imploraturi opem, ut in extremis malis. Item quòd vertigine ſint

10. laboraturi, & nulla habituri conſilia. *Nam Deum ſuper ipſos fudiſſe ſpiritum ſoporis*, hoc eſt, ipſos excæcâſſe, indurâſſe, & *concluſiſſe oculos ipſorum*, velo impoſito cordi ipſorum in lectione Veteris Teſtamenti.

11.12. Objectum porrò ac modum cœcitatis exponit. *Et factum eſt vobis inſtar omnium*, id eſt, hoc modo vos habetis ad omnia, quæ cognoſcenda ſunt. nominatim *verba libri*. Ubi notatur faſtidium Sacrarum Literarum, inprimis ſermonis Prophetici.

13. *Secundò* accuſat obedientiam oralem conſiſtentem in obedientia hominum. Hunc locum repetit Chriſtus, Matth. 15: 7. 8. 9. Eſaias præfatur, Do-

14. minum hæc dixiſſe; Dominus, Eſaiam hæc prophetâſſe. *Pœna* conſiſtit in ademtione ſapientiæ, ut ſapientiſſimi ipſorum in doctiſſimis ſuis meditationibus & ſermonibus reperiantur ſtultiſſimi. Teſtis eſt ipſorum Talmud.

15. *Tertiam* culpam ponit *occultum agitare conſilium*, & quidem *profundè occultum*, *quod Deus ipſe non poſſit videre*. Significatur hypocriſis, ſtudium ſcilicet retinendi terram per diligentem obſervationem externæ politiæ ac diſciplinæ,

16. ac ſi eâ re juſti eſſent. Hujus culpæ indignitatem oſtendit comparatione operis

16. abnegantis ſapientiam vel artem ſui fictoris. *Pœnam* facit *mutationem* populi,

17. nempe futurum, ut *Libanus* vertatur *in arvum*, & *arvum ſylva reputetur*. Significatur populi Iſraëlitici tanquam magni montis humiliatio, ut non habeat prærogativam in toto mundo; (cujus mutationis ſimul facilitas & brevitas temporis

poris indicatur ℣. 16. & 17.) totus autem mundus fiat ager Domini, ut in eo
creſcant ſegetes tam altæ, ac ſi ſylva eſſet. Indicatur ſcilicet ad παραζήλωσιν
Judæorum *illuminatio gentium*, *ut verba libri ſurdi audiant*, *& cæci videant*, 18.
Judæis rejectis. Itemque illarum *lætitia* & *gaudium* indies multiplicatum, & 19.
auctum per *finitionem violentiæ*, *conſumtionem irriſorum*, tandemque *excidium* 20.
omnium vigilantium circa vanitatem.

Quartò criminatur Judæos, quòd *homines verbo faciant peccare.* Id eſt eo- 21. *coll.*
rum, qui *vigilant circa vanitatem*, id eſt, circa falſam religionem, vel ſco- 20.
pum & metam, vel viam ſaltem mutantem. Quòd *vitilitigent cum redarguen-*
tibus in porta. Id faciunt לֵצִים. Denique quòd *violenti juſtum in inane detru-*
dunt, cogant, tanquam ſi ipſi aquâ & igne interdictum ſit, ire ad beſtias in
deſertum. Huic crimini ſuccenturiat judicium, ut in illorum pudorem Abra- 22—24
ham & Jacob habeat filios, qui *ſpiritu aberraverant*, & per illos Deus ſancti-
ficetur.

Cap. XXX

5. Poſtquam aſſumtio gentium ad Iſraëlem fuit facta, inter veros filios Abra- 1.
hami verſaturi erant quidam nomine *filii*, re autem *refractarii*, nimirum ad-
verſus conſilium Dei, & debitum gloriæ ejus, qui non tantùm ineant, ſed &
faciant conſilium, *quod à Deo non eſt.* Id etiam ſpecificat, *ut fundant fuſile*,
hoc eſt, non modò ſtatuas faciant, ſed etiam humanum aliquod idolum eri-
gant, cui dent *Spiritum*, hoc eſt, aſſiſtentiam Spiritûs Sancti, *qui* tamen *Spi-*
ritus Dei non ſit. Ita *additurì peccatum peccato*, bis morituri, ac *deſcenſuri* 2.
paulatim *in Ægyptum*, *inconſulto Deo.* Id de Epiſcopis dicitur, qui volue-
runt habere partem poteſtatis & juriſdictionis in Imperio Romano, ut & ipſi
roborentur munitione Pharaonis, & in arce ejus quaſi dominentur, & ut *umbrâ*
Ægypti, Imperii aut populorum id conſtituentium copiis, ſint tuti ab omni in-
juria externa.

(Ampliùs deſcriptam hanc defectionem vide infrà poſt §. 8.)

6. Sed futurum aliquando, ut Eccleſiam atque univerſos pudeat Ægypti at- 3—5.
que Pharaonis, utpote qui non ſint auxilio, ſed dehoneſtamento. Et quidem
tum id futurum, quum principes Pharaonis in una aliqua parte Imperii Romani
exiſtant, & ad aliam partem legati ipſius veniant. ſine dubio, quòd principes
Pharaonis ſe non oſtendant Eccleſiæ patronos, ſed hoſtes; & legati ipſius non
Apoſtolos Chriſti, ſed Apoſtolos throni nequitiæ. Indicatur ergo hîc

A. Perſecutio fidelium.

B. Receſſio plurimorum, ſaltem in aliquibus Ægypti partibus ab obedien-
tia Pharaonis & principum ejus, & fide legatorum ejus.

7. In alia parte Imperii homines ſuas opes & theſauros ſuos impoſitos hume- 6.
ris pullorum & gibbis camelorum miſſuri erant partim in *ditionem Romanam*,
Aſiam minorem, Thraciam, Græciam; partim tradituri Francis ſive Ro-
manis cuſtodiendas: idque per loca deſerta, per populos illos, apud quos leo-
nes & venenata animalia frequentia ſunt. Id in Oriente factum, quum Sarra-
ceni ex Arabia incumberent in Imperium Romanum ea in parte.

8. Sed illi, quibus illa commiſſa fuerint, adeo *non erant auxiliaturi*, ut hæ ipſæ 7.6.
opes futuræ eſſent *ſarcina jumentorum Auſtri*, id eſt, avehantur tanquam ſpo-

lia in Australes plagas. Turcæ Syriam, Palæstinam, Asiam, Constantinopolin, Thraciam occuparunt.

8--14. Ampliùs hìc describitur populus ille, quem in principio capitis redarguerat ut descendentem in Ægyptum.

Vers. 8. jubetur Propheta hæc scribere & publicare; futurum enim id scriptum ad diem postremum & omne ævum: opus enim esse Scripturâ vindice veritatis, *quia populus inobediens est.* Eum porrò describit, quòd *filii degeneres*, de-
9. sciscentes à fide sanctorum Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum. *Qui noluerint audire legem Jehovæ.*

10. Ampliùs taxatur persecutio veritatis, quòd *dicant videntibus*, *nolite videre*, hoc est, prohibeant scrutationem Scripturæ. Et *conspicientibus*, somniantibus, non habentibus scilicet ἀποκάλυψιν, imperent, *ne videant sibi recta*, hoc est, ne id dent operam, ut veritatem confirment, sed *ut loquantur ipsis blanda & ludibria.*

11. Præterea jubentur omnes loquentes *recedere à via*, quæ ducit ad justitiam & ad Deum, *declinare ab itinere.* Nam Ecclesia processerat usque huc recto talo. *Facite, ut non sit coram nobis Sanctus Israëlis*, hoc est, nolite nobis ampliùs proponere nomen illius, propter quem Israël sanctus est, alium nominate, alius legem audite, aliam justitiam sequamini, ne putetis, vos ipsius sanctificatione indigere.

12. Ampliùs culpa ἀπιστευτῶν describitur, quòd *spernant verbum hoc*, non meminerint verbi hìc per Prophetam editi, suumque præ illo eligant, *& confidant fraudatione*, juris & gloriæ divinæ interversione, ut cùm alii justitiæ suæ causam adscribunt, *& in recessione*, tergiversatione, argutâ disputatione adversus veritatem, ut illi non dent manum; tum etiam *illi innitantur*, tanquam profuturæ ad justitiam & salutem.

13. 9. Pœna decreta in apostatas, quòd primò *hæc pravitas* & hæc apostasia per se subsistere non possit, sed suopte ingenio hiet, frangatur, ruat, & ita quidem, ut, quodcunque ei superstructum est, corruat. Secundò, quòd to-
14. tum illud, quod ita constructum fuerit, per vim & potentiam inprimis Sancti Israëlis, deinde & gladii humani, sit destruendum.

15. 10. Consilium Dei datum illis, qui in verbo ipsius gloriantur, & à communione Papali recesserunt, ut potissimam habeant curam *conversionis* suæ ad Deum *& quietis.* (id opponitur jugo.) De cætero *essent tranquilli*, non multa moverent, nolint esse in equis & curribus, vel facere conspirationes, fœdera etiam cum iis, qui sub anathemate sunt, ne formas rerumpublicarum mutent, & reges faciant, & *confiderent* in Deo. *Ita* enim *salvos fore*, *& habituros victoriam* in hostes suos; id, inquam, consilium relictum. Indicatur hæc
16. relictio his verbis: *Et non voluistis*, *Et dixistis*, *non*, *sed in equo fugiemus*, *& in celeri vehemur.*

Significatur apparatus eorum, quæ ad bellum gerendum pertinent.

16. 17. 11. Fuga ac dissipatio & ad insignem paucitatem redactio eorum, qui, spreto consilio Dei, suum sequi voluerunt.

19. 12. Fideles ac pii ingemiscunt ac flent propter mala ac stulta facta & consequentem dissipationem fratrum suorum.

18. 19. 13. Captat Deus occasionem illis benefaciendi, hostes persequentes propulsando, dando locum effugii, victum & amictum iis, qui effugiunt, atque ita judicia sua interpolando quibusdam refrigeriis.

Dat

Dat quidem illis panem arctum & aquas pressuram. Sed non ad oras detrudun- 20.21.
tur amplius doctores eorum. Quamvis det arctum quoad panem & aquam, tamen
verbum Dei facit copiosè in illis habitare.

Amplior benedictio est, ut Ecclesia *pro impuris habeat sculptilia & fusilia* 22
aurea & argentea, eaque abjiciat & jubeat exire. Significatur plenior expurga-
tio imaginum, itemque omnis superstitionis & obedientiæ humanæ.

Loco angustiæ & pressuræ promittitur omnis benedictio, etiam quoad pro- 23.24.
ventum terræ, & cibum hominum ac pecudum.

14. *In omni monte magno & colle celso*, id est, in parvis & magnis populis, 25.
cadunt turres, sive arces, fastigia eminentia inter homines.

Id futurum dicitur *magna cum cæde.*

15. Nihilominùs tamen ibidem sunt *amnes perennes & fluenta aquæ*, id est, 25.
verbum Dei in illis auditur, & abundat consolatio Euangelii cum donis Spiri-
tûs Sancti.

16. Deus obligat fracturam populi sui & sanat vulnus ejus. 26.

17. Tunc *magna fit lux, quasi Solis & Lunæ lux in septuplum esset aucta.* 25.
Christus ipse scilicet erit lux, quippe qui solus regnabit in Ecclesia, & dabit
suis etiam in hac vita ærumnosa patrocinium & refrigerium.

18. *Dominus nominatus in longinquum*, & prædicatus ab Ecclesia cum ma- 27.28.
nifestatione potentiæ suæ, *cum ardore ignis, cum gentium cribratione & exagi-
tatione grassatur per omnia*, & quidem secundùm verba ipsius, indicata ex
Scripturis.

19. Interim, dum gentes turbantur, & freno circumgyrante torquentur, 29.
fidelibus est canticum, & quidem *instar cantici noctis, quæ dilucescit in festum.*

Significatur, pios, ut vigiles matutinæ vigiliæ, in momenta observare auro-
ram advenientem, quamprimùm, mane orto, templum adituros, & choris ju-
storum sese admixturos.

20. *Deus facit audiri majestatem vocis suæ*, id est, tum rebus ipsis effi- 30.
caciam verbi sui demonstrat, tum veritatem facit clarè & fortiter à plurimis
prædicari. *Et descensum brachii sui facit videri*, id est, ita percutit gentes, ut
palàm fit, Deum ferire. Nominatim

21. *A voce Jehovæ consternatur Assur.* Hoc antequam fiat, vix explicari 31.
potest: qualis scilicet illa vox sit, & qualis illa consternatio sit. Tum *virgâ
percutiet* tantùm, non etiam opprimet vel gladio delebit, vel in servitutem re-
diget. Quia à voce Jehovæ consternabitur.

22. *Deus fundationem suam gravibus oppugnationibus exercitam, collocat in* 32.
omni loco, & quidem ita, ut *quiescat.*

23. *Rex* falsus & adversarius cum populo suo *conjicitur in Topheth*, vel ma- 33.
gno incendio consumendus, vel certè longè latèque in dolore ac invidia actu-
rus, torrente ac torquente ipsos malâ conscientiâ. Ob eam causam omnis 32.33.
locus fundationis divinæ impletur gaudio.

CAP. XXXI.

CApite præcedenti ℣.31. quasi ex abrupto mentio erat facta Assyrii, ceu cum impetu venturi, sed tamen propter vocem Dei retrocessuri, vel virgà tantùm percussuri. In hoc Capite explicatur actus divinæ gubernationis circa

hanc Aſſyrii cum Ægypto conflictationem, quemadmodum etiam cap. 19 : 23. dicitur, Ægyptios venturos in Aſſyriam. Hi ſunt articuli.

1. 1. Multi reges, principes, reſpublicæ ſuas opes conjungunt cum opibus eorum, qui Ægyptii vocantur, ut Aſſyrium repellant, vel etiam, ut Aſſyrio reſiſtere poſſint, opem Ægyptii invocant. Quale eſt quid factum à Turcæ olim cliente רגוצק׳.

2. 3. 2. Deus utriſque adjuvantibus & adjutis denuntiat exitium. Offenſionem ſcilicet adjuvanti, quæ ſit cauſa lapſûs adjuti, ut utrique conficiantur.

4. 5. 3. Protegit interim Eccleſiam ſuam, & militat pro ea.

6. 4. Auditur in eadem Eccleſia adhortatio ad *μετάνοιαν*, eamque ſeriam, nempe ut profundationi receſſionis reſpondeat. Opponitur hoc deſcenſui in Ægyptum.

7. 5. Futurum enim ut homines ſua idola abjiciant. Ad hoc efficiendum, ut
8. homines idola ſua abjiciant, Deus uſurus inſtrumento Aſſyrii innuitur.
8. 9. 6. Coërcetur & *cadit Aſſyrius non gladio humano*, (fortè peſtilentiâ) *& fugit propter gladium*, *& juvenes ejus*, hoc eſt, milites, *ſerviunt*, copiæ ejus delentur. Tum *petra ejus*, id, cui gens iſta confidit, fortaſſe familia dominans, aut exercitus, in quo robur ejus Imperii, (Janitzari) *tranſitura*: Denique *principes ejus propter ſignum*, fortè Filii Dei, quod omnes populi videbunt, *conſternabuntur*.

Hæc confirmantur ſubſcriptione Dictatoris Domini, *cui & focus & furnus eſt in Sione atque Hieroſolymis*, id eſt, qui ibi domicilium habet, ubi ipſi ardet ignis charitatis, quæ eſt à Spiritu Sancto, ubi ipſi quotidianæ preces offeruntur.

CAP. XXXII.

IN hoc Capite Propheta docet,

5. 1. Aliquando tantam ignorantiam invalituram eſſe in multitudine nomen Chriſti profitente, ut nomen pii & boni tribuant *ſtulto*, nefario, *& avaro*, quærenti hujus ſæculi bona.

6. Deſcribitur ſtultus & avarus ſuis proprietatibus, quòd 1. *ſtultitiam loquitur*, ſermonem, quo docet ac ſuadet flagitium. 2. quòd *cor ipſius facit*, meditetur, *vanitatem*, id, quod non eſt Deus & vera pietas. 3. quòd *exercet hypocriſin*. 4. quòd *loquitur ad Deum* vel *de Deo errorem*, doctrinam erroris. 5. & quidem, ut *evacuet animam eſurientis*, *& potum ſitientis deeſſe faciat*, id eſt, ut per illam doctrinam nemo ad cognitionem Dei pervenire poſſit, ut fiat ſapiens, neque ad conſolationem, ut in Dei amore acquieſcat.

7. 2. Eo tempore *manſuetos inopes* exstituros & *pauperes*, cùm violentiâ, tum fraude malorum hominum *opprimendos*, *egenis jus orantibus*, ac veritatem docentibus.

1. 3. 4. 3. Hoc non proceſſurum eſſe uſque & uſque, ſed *Chriſtum capeſſiturum eſſe regnum* ſuum, & per demonſtrationem veritatis tractum iri multorum conſcientias, *viſuroſque*, *qui antea circumſpectabant* aliud regnum, alium regem, & *aures audientium auſcultaturas*, cum lubentia recepturas ſermonem, *& cor præcipitantium*, temerè falſa pro veris accipientium, *diſtinctè conſideraturum ad recognoſcendum*, *& balbos*, cæſpitantes in docendo, *rectè atque expeditè locuturos*.

Hujus

Hujus regis eſt *ſecundùm juſtitiam regnare*, hoc eſt, adducere populum 1.
ſuum ad juſtitiam, & facere, ut juſtitiæ obediat. Habet & *principes*, miniſtros, qui & paſtores vocantur, loquentes μετὰ πάσης ἐπιταγῆς, Tit. 2: 15. *principatum gerentes ſecundùm judicium*, ut habentes rectam formulam, à qua ne latum quidem pilum decedant, habentes ſcilicet claves regni cœlorum, quibus cœlum aperiant juſtis, claudant impiis.

Porrò & regem & principes promittit fore in perfugium ac protectionem à 2.
vento ac nimbo; nec tantùm, ſed & refrigerium & exſtinctionem ſitis: Regem quidem potenti manu, & Spiritûs ſui ἐπιχορηγίᾳ ad refectionem laſſorum; Principes verò ἀπολογίᾳ & paſſione, & verbo conſolationis ad recreationem feſſorum & ſitientium.

A ℣. 9. ad finem Capitis recapitulatur omnis prophetia de regno Chriſti, ad terrorem ſecurorum, & inſtigationem ad officium ædificandi. Hi ſunt articuli.

1. Trepidatio Judæorum ſecurorum & in felicitate ſua laſcivientium. 9. 10.
Diuturnitas hujus trepidationis indicatur, quòd *dies ultra annum*, id eſt, 10.
notabili numero dierum ſupra annum, imò anno ſupra annum, ſint trepidaturi. Confer c. 16: 14. ſuprà.

Signum antecedens, fames ex ἀφορίᾳ, cùm ultra tempus vindemiæ exſpe- *ibid.*
ctabatur collectio frugum, & non venit. Inde *planctus ſecurorum propter agros* 12.
& vineas.

Hanc trepidationem fore ſubitam, tanquam ſi in nocte ſuperveniat malum, 11.
& detrahenda ſint ſtragula, exſiliendum è lecto, & non quidem veſtes induendæ, ſed vix lumbi tegendi propter fugam.

Terræ populi Iſraëlitici tribuit *vaſtitatem*, *domibus uſtionem.*

Tandemque ad cumulum addit deſolationem templi & urbis. De templo di- 13.
cit, 1. *omiſſum eſſe*, non retineri à Deo, tanquam domum ſuam, ſed tradi gentibus conculcandum. 2. *factum eſſe clivum & ſpeculam ſuper ſpeluncis*, latronum ſcilicet; ita deletum eſſe, ut nihil maneant niſi parietinæ quædam ſuper clivo, loco templi, in quibus latitare poſſint latrones. De urbe itidem duo dicit, 1. *turbam ejus derelictam eſſe*, Deum è medio iſtius multitudinis abiiſſe. Id notabat vox, μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν. 2. quòd *facta ſit hilaritas onagrorum*, *paſtus gregum.*

2. Bonum eventurum exſpectantibus Deum inter commotionem ſecurorum, 15.
effuſio Spiritûs ex alto. Dicit, *donec effundatur* &c. ut ſignificetur, deletionem templi & urbis eſſe medium multiplicandi lætitiam in fidelibus, atque etiam intelligendi verba myſterii divini.

3. *Fit deſertum in arvum*, mundus gentibus convertitur in ארץ זרועה · חבל 15.

4. Μεταπλασμὸς Eccleſiæ, quâ ea in regnum terrenum mutata eſt. Ita *ar-* 15.
vum in ſylvam reputatum, & multum *deſerti* relictum eſt. Quanquam au- 16.
tem bonum non ſit erectio poteſtatis in Eccleſia, tamen arguit hoc effuſionem Spiritûs Sancti, quòd non potuit Antichriſtus venire niſi in nomine Chriſti.

5. *Habitat* nihilominùs *in deſerto judicium*, id eſt, diſcretio Catholicorum 16.
ab hæreticis, & reprehenſio errorum & corruptelarum.

6. *Arvum* à deſerto ſeparatur, in eoque *juſtitia* propria reſidet. 16.

7. *Fructus juſtitiæ pax*, hoc eſt, liberatio à perſecutione, & *labor ejus tran-* 17.18.
quillitas & ſecuritas. Confer. §. 10. cap. 30.

19. 8. *Grandinat, ut descendat sylva, & urbs humilietur.*
20. 9. *Serunt* interim, quibus id commissum est, *ad omnem aquam*, id est, verbum Dei prædicant, explicant, inculcant, ubicunque ostium aperitur. *Arant* quoque ceu *boves* in agro domini, & ceu *asini* portant onera infirmorum. Et ad hoc opus adjuvant, instigant & *propellunt* præmiatores, laudatores, hortatores boni operis.

CAP. XXXIII.

1. 1. CUrata pax, religionis causâ, in Germania.
ibid. 2. Pacis illius violatio à Ferdinando II. in Stiria, Carinthia, & inprimis in Bohemia, contra datam fidem. Quæ occasio fuit Bohemis ei regnum abrogandi, & alium regem creandi. Qui et, cùm factus esset Imperator, contra datam fidem Palatinatum occupavit, tandemque emisso edicto, tanquam interpres pacti de pace religionis, bona Ecclesiastica restitui voluit monachis, quæ non ab Ordinibus Imperii, aut post pacem religionis factam occupata erant, & ministrorum Papæ esse desierant.
ibid. 3. Vastatio Ecclesiarum. Id *tempus angustiæ*, ℣. 2. Et *collectio spoliorum*, ℣. 4. Utilitatem hujus afflictionis vide ℣. 5. 6.
2. 4. Oppressi in Germania exspectant Dei opem, & orant pro illis, qui in acie starent contra vastatorem. Erat Fridericus, erat Christianus IV. erant Belgæ.
3. 5. *A voce turbæ* hostium *fugiunt populi*, quisque respiciens ad sua. Solvitur unio.
ibid. 6. *Ab elatione Dei dissiliunt gentes*. In exercitu Gogi gladius fratris est contra fratrem. Bella in Italia excitata, per quæ effectum, ut minor esset hostium potentia in Germania, & adhuc ab illo tempore gladius fratris contra fratrem stringitur.
7. 7. *Heros*, propugnator, Ecclesiæ afflictæ advenit, Gustavus Adolphus.
ibid. 8. Is, Cæsarianis cæsis, occumbit. Quæ causa fuit hostibus triumphum de eo non sine *vociferatione*, sive voce non læta, sed ejulabili, agendi, *nuntiis* verò *pacis*, hoc est, victoriæ, rei benè gestæ, *amarè flendi*.
8 9. Per violentiam Antichristi, & bellum ei illatum (§. 6.) *itinera* & commercia *cessant*; *pacta non servantur*; *urbes destruuntur*; *homines ut vilissima animalia occiduntur*; *Terra*, hoc est, tota respublica *languet*; *Libanus*, mons
9. cedrorum, hominum Dei Spiritu imbutorum, *tristis est & languet*; *Saron*, locus compascuus, *est ut solitudo*, id est, nec doctores excellentes, nec fideles satis commendat, aut frequentes conveniunt; *Basan & Carmel rudit*, non una provincia vociferatur ob præsentes calamitates.
10. 10. Deus interim quasi *surgit*, seque parat, ut *erigatur*, incipiat hostibus esse terribilis, & *efferatur*, sive in altum quasi ascendat, ut hostes ipsum videant, & cogantur ipsi gloriam dare. Ita bellum Germanicum finitum vidimus, simulque Belgium in libertatem assertum.
11. 11. Post factam pacem illi, qui infestationem Antichristi passi erant, aut formidaverant, inter se cœperunt diffidere, quisque pro virili res magnas concupiscere, easque cum injuria aliorum quærere. Ita *parturiverunt paleam*, *pepererunt stramen*, id est, consilia vana agitarunt. Adde his consilia quorundam

rundam de reunienda Ecclesia Reformata cum Pontificia, & confer cap. 31:1.
12. Exitus istorum omnium est incendium multorum populorum per intestinum ignem, proprio ipsorum ardore in ignem converso. 12.
Nominatim hic *spectandum populis propinquis & longinquis* exhibetur *opus* aliquod insigne *Dei* patratum *in Sione*, hoc est, Ecclesiâ Reformatâ in Anglia. Tantus ibi *ignis* fuit excitatus, ut nec Rex, nec Principes, nec Episcopi apud homines tanto igne ardentes possent perdurare, sed ab illis discederent. Inter eos, qui fugerunt, fuisse *peccatores & hypocritas*, vix dubitandum est, quemadmodum & hoc certum est, quòd occasio isti igni per peccatores & hypocritas data fuerit. 13.14.
13. Fidelibus suis satis experimentis comprobatis promittitur status securus & nulli obnoxius, cum abundantia necessariorum. Potest hoc referri ad ipsos populos, in quibus fideles sunt, & partem reipublicæ obtinent. Horum enim est præcipuè *spernere munus*, hoc est, non aucupari commodum aliquod terrenum cum neglectu officii, quale quid est, pacem & commercia præferre officio juvandi afflictos; *obturare aures ab audiendis sanguinibus*, consiliis sanguinariis, &c. 15.16.
Ita *rex*, hoc est, reges & principes *videbuntur in pulchritudine sua*, amantes veritatem & justitiam. 17.
14. Præterea promittit *terram latis finibus*, hoc est, prolationem pomœriorum Ecclesiæ, & proceres Ecclesiæ ac tutores ejus multarum gentium dominos futuros. 17.
15. Illam tamen rerum mutationem non sine *terrore* futuram. Fore enim tempus, ut dicant, *Ubi est scriba? Ubi librator*, sive Judex? Ubi *numerans turres*, sive Imperator, aut princeps? nec tractatores Sacrarum Literarum, nec Episcopi, nec principes apparebunt. 18.
Instrumentum hunc terrorem afferens indicatur, *populus invalescens*, & *profundus labiis*. Exemplum sit Assur. 19.
16. Conservatio alicujus partis Ecclesiæ, quæ *non sit visura populum profundum labiis* &c. 19.
17. Orat Ecclesia, ut Deus *Sionem*, *civitatem condicti conventûs sui*, ubi scilicet fideles conveniunt ad Deum celebrandum, *videat*, protegat & curet. 20.
18. Cui promittitur, quòd visura sit *Hierosolymam mansionem tranquillam*, & tentorium, quod nec transferatur, & *cujus nec paxilli moveantur*, *vel funes rumpantur*, (Interfatur hic fidelis, *Si modò Dominus ibi nobis sit dux*, scilicet ad propugnandum. Nullam enim videt humanam opem.) *locum fluviorum*, *amnium spatiosorum*, *à quibus omnis navis longa aut magna excludatur*, hoc est, habituram Ecclesiam terram latam, abundantem fluminibus, & ita defensum iri, ut nulla hostilis classis in eum locum venire possit. (Rursus interfatur fidelis, spem suam ostendens, quòd, cùm *Dominus sit judex ipsorum*, & *legislator*, & *rex*, *ipse servaturus sit ipsos*.) 20. 21. 22.
Tandem non ampliùs promittitur, sed quasi ostenditur res facta. *Diffusos esse funes Sionis*, hoc est, Deum extendisse ipsius funes in longum & in latum, ut sub se aut sub alis suis plurimum complectatur. Deinde *actam esse prædam*, gentes esse lucrifactas, & gloriam ipsarum, *à claudis*, hoc est, debilibus, & sine magno labore; sed statim atque vel navis vel tentorii hostilis *malus erectus* 23.
& ve-

& velum expanſum fuerit. Ad quam prædam faciendam etiam pigri & parvas
vires habentes excitantur, verbis: *Ne dicat decumbens, æger ſum*, argumento,
23. quòd *populus habitans in illa* terra, quam δεικτικῶς, & quaſi digito exerto, ut
in re præſenti, demonſtrat, *habet peccata condonata.* q. d. Satisfeci iræ meæ,
in poſterum volo uti miſericordiâ. Condonata ſunt peccata Eccleſiæ, peccata
mundi, peccata Judæorum.

CAP. XXXIV.

HOc & ſequenti Capite eſt nova prophetia; cujus tamen argumentum aliquoties in ſuperioribus vidimus. Nempe agitur in ea de judicio, cap. 34. de gratia, cap. 35. Hi ſunt articuli.

1. 1. Loquitur Deus per Apoſtolos ad *gentes*, & *nationes*, hoc eſt, tribus
Iſraël, efficitque, ut *gentes accedant ad audiendum.*
2.3. Eodem verò tempore advocantur gentes ut accedant, & in eodem præco-
nio ſignificatur, *Deum habere iram in gentes*, nempe illas, quæ non accedunt
4. ad audiendum. Vide Rom. 1: 18. Itemque *in omnem exercitum cœlorum*, *ipſumque cœlum.* Quod generaliſſimè accipere poſſumus de omni cœlo abolendo, hoc eſt, de omni auctoritate abolenda, quæ juxta Deum in populo ipſius habetur.
5.6. 2. Primum judicium editum in *Edomum*, id eſt, populum Judaïcum, qui-
cum coaluerat Edom, & caput gentis *Botzram*, Hieroſolymam. Quibus de-
6. nuntiat *magnam cædem* parvorum & magnorum, & abolitionem principum,
7. quos vocat *monocerotes, arietes, tauros.*
Cauſa judicii eſt, 1. quia *ſe inebriavit in cœlo gladius Dei*, id eſt, quia illi, qui ex cœlo ſunt, & ad cœlum pertinent, gladio interfecti ſunt. 2. Quia *Dominus habet diem ultionis*, *annum retributionis*, & quidem *propter litem Sionis.* Nam Deus judicat, ſe decere, cùm Filium Dei interfecerint, & Apoſtolos ejus omnibus modis indignis vexaverint, id minimè dimittere impunitum.
9.*ſeqq.* 3. Status populi ipſiuſque terræ poſt reipublicæ deletionem hîc adumbratur.
Significatur,
9.10.11 (a.) In ipſa terra perpetua fore judicia divinæ maledictionis. Æſtiment hoc,
qui ſtatum ejus hodiernum cum priſtino comparant.
12.13. (b.) Urbem & templum & populum, qui vocetur populus Dei, in terra non
fore. Poſt Judæos etiam Chriſtiani inde exacti. Principes Chriſtianos, & cum
14. iis Antichriſtum, Turcæ abegerunt. Ita *eremicolæ inſulanis obviarunt.*
12. (c.) Regnum inter Judæos non fore.
11—15. (d.) Ipſos in cognitione Sacrarum Literarum non habituros lucem, nec
bonam conſcientiam; ſed Synagogam fore collectionem beſtiarum abominabilium, quales Paulus deſcribit 1 Theſſ. 2: 15.
16. Cæterùm hæc confirmat auctoritate Scripturæ, prædicens, fore aliquando, ut omnes homines hoc ſupplicium Judæorum legant in Scripturis, quas vocat *librum Domini.*
17.11. (e.) Denique, Hieroſolymam conculcatum iri à gentibus, donec finiantur
10. tempora gentium.

4. *Edo-*

CAP. XXXV

4. *Edomo* substituitur *desertum*, Judæis gentes. His tribuit (*a.*) *hilaritatem*, 1.
ut obviam eant Hierosolymæ & cruci. (*b.*) *gaudium*. Id eorum est, qui ad regni
Christi revelationem se porrigunt. (*c.*) *proventum floris tanquam rosæ*, quando
justitiam Christi induit, & jam spargit odorem bonum, quo efficitur, ut ho-
stes ejus mentiantur ipsi. (*d.*) ex eo pergit *germinare & florere usque & usque*; 2.
sed & *gaudere*, id est, se ad regnum adveniens gestione extendere; nec tan-
tùm, sed & *jubilare*, Deoque gratias agere, sive in martyriis, sive in victo-
ria. Tandem etiam obtinet hoc, quod Israël habuit, qui per *Libanum*, *Car-
melem & Saronem* indicatur. Denique in deserto Deus *conspiciendum* se præbet
cum gloria sua & decore, sine omni obnubilatione & obscuratione, omnibus
diis nuncupativis abrogatis, eique subjectis.

5. Angustia ac trepidatio Ecclesiæ gentium, unde fit, ut & *manus remissæ* 3.4.
sint in propagatione regni cœlorum; & *genua labantia*, ut difficulter consi-
stant; & *præcipitatio cordis*, id est, præceps consilium ad evitandam afflictio-
nem captum, quocunque modo.

In eo statu fideles confirmantur & à metu revocantur, 1. exemplo Christi,
qui omnia opprobria passus est. *Ecce Deus vester*. 2. per promissionem *ultionis*. 4.5.
3. promissione *remunerationis*, q. d. corona vos manet. 4. à *salute* imminen-
te. 5. à fructu conversionis gentium.

6. *Salvatio* Ecclesiæ Christianæ ex manu tyrannorum. 4.5.

7. Refrigerium etiam puerorum & debilium, ut & *claudi*, sive debiles ac 6.
non rectè incedentes, saltent, & zelo quodam induantur; & pueri intelligen-
tiâ, ac *muti*, qui tacuerant, *jubilent*, in promtu habentes, quod de Chri-
sto loqui deberent. Refrigerium significat per verba: *Prorumpent in deserto a-
quæ & torrentes in solitudine*. Significatur latè effusa Spiritûs Sancti efficacia.
Sed & intelliguntur pax, copia, abundantia, honor, &c.

Benedictionis profectum ostendit 1. in *conversione æstuosæ in stagnum*, id 7.
est, ut durissimi populi verbum Dei habeant in copia. 2. in conversione *siti-
culosæ in scatebras aquarum*, id est, ut etiam barbari audiant & loquantur verbum
ad alias terras irrigandum. 3. ut, qui inter dracones vixerant, nunc videant
gramen suum commutatum in arundinem & juncum, id est, ut in medio sui ha-
beant multos homines propter cognitionem verbi Dei in mundo honoratos,
& parvis ac debilibus umbram ac refrigerium facientes.

Nempe Deus tam clarè locuturus est de via justitiæ, de persona Christi, de 8.
gratia, de genuina forma regni Christi, tamque validis argumentis eam adstru-
cturus, ut, qui semel illam viam ingressus sit, deinceps aberrare non possit,
imò etiam *leves* ac temerè quidvis credentes eam videre possint, ac deinceps
non errare. Ita tamen, ut *immundi* per illam non incedant, sed ea via & mu-
nitio ejus ipsis propria sit futura.

Porrò promittit, *non fore ibi Leonem*, Diabolum non habiturum potesta-
tem in illos, qui in ea ambulant. *Non fore ibi violentam ferarum*, de quibus in 9.
Apocalypsi, non superatum iri ab illis, quamvis oppugnetur. Sed *assertos* à
Deo *ambulaturos in ea*. Porrò, *quos Dominus redemerit* sanguine suo, *ventu-
ros esse Sionem*, *conversos* scilicet ab erroribus, & inquinamentis mundi. Fore 10.
eum accessum *cum jubilo*, *cum lætitia æterna*, *quæ sit circa caput illorum*:

Aſſecuturos ἀγαλλίασιν, adverſus malum, & *χαρὰν*, ob perceptionem præſentis ſuavitatis: Denique *effugituros mœrorem* ex afflictione, & *gemitum* ex condolentia, aut deſiderii prolatione aut fruſtratione.

CAP. XXXVI. & XXXVII.

PRophetat Eſaias de nuntio Sennacheribi, quem auditurus ſit Ezechias, tum de ſtrage exercitûs Aſſyrii, tum de fuga, tum de cæde ipſius.

CAP. XXXIX.

6. DEportatio eorum, quæ habent populus ac Rex, Babylonem.
8. Differtur hæc caſtigatio per vitam Hiskiæ, ita ut *pax & veritas fuerint in diebus ipſius*, id eſt, tranquilla vita cum ſtudio & prædicatione verbi divini.

CAP. XL.

1.2. 1. *COnſolatio populi Dei ac Hieroſolymæ* poſt captivitatem Babylonicam exantlatam, quòd jam *impleverit* Hieroſolyma *tempus militiæ ſuæ*, quòdque tempus appetat, ut peccatum ipſius planè non exprobretur aut commemoretur ampliùs: quandoquidem *duplum acceperit*, quum Deus in ipſis quodammodo modum ſuæ ſeveritatis videatur eſſe ſupergreſſus, ut quos non tantùm toto vitæ tempore in timore mortis habuit, ſed etiam tanquam alienos ex terra ſua ejecit.

Quum *populum ſuum* dicit, ſignificat reductionem in terram, & poſt abrogatam dominationem regum aſſertionem ejus in libertatem, quem tantùm per judices proprios velit regi,

Dicit bis, *ſolamini*, ut intelligamus, hanc conſolationem debuiſſe locum habere in omni anguſtia, quæ adhuc futura erat ante Chriſti adventum.

3. 2. *Vox præconis* extat, jubentis *viam Domino Deo ipſorum* jamjam advenienti, ut Teſtamentum gratiæ exſequeretur, *parari*, id eſt, auferri obſtacula, errores, præjudicia, ſententias falſas radicatas in animo, quæ poterant ipſi opus ſuum facienti obſtare; & *aggerem rectificari Deo ſuo*, id eſt, ut diſcant ex Moſe & Prophetis, quis ſit Chriſtus, quæ dicta, quæ facta ejus, quæ paſſiones, quod officium ipſius, quæ juſtitia vera, quis ſtatus regni Dei, atque ita in amore veritatis ipſum exſpectent.

Hæc eſt ipſa prædicatio Johannis Baptiſtæ, μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ &c.

Temporis qualitas, quo hæc prædicatio ad populum ſit facienda, etiam indicatur, populo *in deſerto* conſtituto, hoc eſt, 1. plurimis paſſim extra terram inter gentes habitantibus: Quò referendi etiam ſunt Iſraëlitæ decem Tribuum, quibus via Hieroſolymam patefacta eſt per ruinam regnorum Orientis. 2. terrâ vel ſub cliente Romanorum Herode, quo tempore nati Johannes & Chriſtus, vel ſub Præſide Romano, quo tempore incepit prædicari Chriſtus à Johanne, agente, atque ita *introducta in deſertum gentium*, Ezech. 20: 35.

5. 3. *Revelatur gloria Domini*, apparet ſcilicet Jehova ut Mediator Teſtamenti, ac omnia facit, per quæ ut Salvator mundi cognoſcatur.

Mo-

Modus revelationis innuitur, ἐνυπάρχως, ut ſcilicet *Dominus* proprio *ore loquatur.*

Temporis περίστασις hic quoque notatur. Antea dictum eſt, Judæos tum fore tanquam *in deſerto* poſitos. Hic, quòd eo tempore nulla futura ſit populorum regnorumve diſcrepantia, ſed quòd omnes pari jure propemodum, certè æquâ pace, futuri ſint cives & membra unius magnæ civitatis. Hujus æquabilis in unam civitatem conſpirationis & pacis ſignum fuit ἀπογραφὴ acta tunc, cùm Chriſtus natus eſt. Luc. 2. 4.

Quibus hoc bonum paratum ſit, indicat his verbis, videbunt *omnis caro* pariter &c. tam gentes, quàm Judæi. 5.

4. Ἐπιταγὴ Θεοῦ ad prædicandum 1. rejectionem omnis ſtudii carnis, tanquam inutilis, fluxi, & non valentis conſiſtere coram judicio *Spiritûs Dei*, vel Deo placere, tanquam ſi juſtitia ſit. 2. ἀδυναμίαν non tantùm reliquorum hominum, ſed & *populi*, ad faciendum quicquam bonum. Ea indicatur vocabulo *graminis*, quod exareſcit, & florem durabilem proferre non poteſt. 3. efficaciam *verbi Dei*, quod eſt verbum Teſtamenti, ſponſionis, promiſſionis. In eo enim eſt vita & renovatio, ſive ſanctificatio & juſtificatio & glorificatio: quia *ſtat in æternum* & nunquam intercidit. Adde 1 Pet. 1. ℣. ult. 6--8. 7. 8.

5. *Annunciatrix Sion & Hieruſalem*, id eſt, ii, qui ad Sionem & Hieroſolymam mittuntur prædicandi Euangelii cauſâ, Apoſtoli & Euangeliſtæ, *in monte alto*, quam maximè publicè, & *clarâ voce*, inprimis *civitatibus Judæ*, prædicant ac demonſtrant eum, qui à prodromo erat deſignatus, quique damnaverat juſtitiam carnis, *quòd is* reverà *ſit Deus ipſorum.* 9.

Cùm ad hoc prædicandum ſine timore & magna contentione vocis inſtigantur, innuitur, hoc fuiſſe verbum ἀντιλεγόμενον, & à Judæis oppugnatum, *Deum in carne videri.*

Apoſtoli fidem in Deum, quam prædicant, ſuadent variis argumentis. 1. quòd ſit *Dominus*, qui populum ſibi emit, & *Jehovah*, factus Næ & Amen, id eſt, juſtitia noſtra. 2. quòd *adveniat cum fortitudine*, in miſſione Spiritûs Sancti, in operationibus omnium virtutum ac δυνάμεων, & maximè in converſione hominum ad Deum per fidem in ſe. 3. ex promtitudine *mercedis*. Quid enim majus eſſe poteſt remiſſione peccatorum & dono juſtitiæ, & libertate & hæreditate mundi? quæ à Chriſto repræſentantur. 4. à cura, quam geſturus ſit circa populum ſuum, quem *ſit paſturus ut gregem ſuum paſtor*, nec tantùm valentes & fortes, ſed ita, ut etiam *agnos*, debiles & parvos, *in brachium ſuum colligat & in ſinu reponat*, ut diligentiſſimè cuſtodiat: *Fœtas* autem, gravidas exſpectatione & labore, *clementer agat*, ne ullus labor aut exſpectatio fidelium abortiat. 10. 11.

Iidem Apoſtoli confutant humanam ſapientiam, quæ ſe opponit divinæ, per ſtultas ratiocinationes & γογγυσμοὺς, quæ ſtultitia eſt maximè in gentibus. Eò autem tendit hæc confutatio, ut diſcant homines abjicere ſuas ratiocinationes in rebus divinis, & Deum ſolum audire, ut de cujus ſapientia convicti ſint per opus cœli & terræ, per *coërcitionem aquarum*, *cœlorumque diſpoſitionem* &c. cùm contrà defectum ſui conſilii in operibus Dei ſine ullo negotio advertant. 12. 12.13.

Deinde & dignitatem hominis apud Deum refutant, & rejiciunt omne ſacrificium, quo quis ſe putet iram Dei poſſe expiare. Pertinet hoc maximè ad Ju- 15--17.

dæos. Qui non debent sibi confidere, cùm videant, Deum potuisse per tempus severitatis omnes gentes ut nihilum reputare, sed potiùs Dei gratiam immeritam erga se cognoscant.

18.-26. 6. Disceptant Christiani cum idololatris paganis, de vanitate idolorum, ut convertantur ad verum Deum.

18. Ponunt scilicet thesin, *Deo nullam rem assimilari posse.* Vide Act. 17: 29.

19.20. Eam probant 1. à futilitate imaginum, quæ materiatæ sunt, opus artificis, vinctæ, ut stent. In quibus nihil est divinæ perfectionis. 2. ab eo, quòd Deus
21. de se in natura manifestavit, *in fundatione terræ* supra maria & super fluvios;
22. in generali providentia totius *orbis terræ*; in eo, quòd *homines sint ut locustæ*, edentes, quod inveniunt; & quòd *extenderit cœlos* tanquam tenue velum, quum tamen tanta tamque immensa sit ejus altitudo, quòdque *illos extendat ut tento-*
23.24. *rium ad habitandum.* 3. à *judicio in potentissimos terræ*, quorum consilia, auctoritatem, potestatem Deus sæpe *redegerit ad nihilum*, etiam cùm viderentur esse *plantati* & in firmo loco constituti, & *multiplici semine amplificati*, &c. Pro exemplo gentibus potuit demonstrari respublica Judæorum cum principi-
25.f. bus suis abolita. 4. ab eo, quòd nullus Deus nominatus inter gentes ita remittit peccata, ut se sanctificet. Denique vocantur gentes ad considerationem eorum, quæ quotidie in cœlo fiunt, nempe quòd exercitus cœlorum juxta catalogos educitur, & in nostros oculos producitur, ut nullus desit, qui illam omnem multitudinem nomine citâsset. Quod est argumentum potentiæ inexhaustæ & indicibilis contentionis virium, sive spectes incitatissimum motum, quem animo comprehendere non possumus, sine quo productio exercitûs cœli non potest fieri; sive spectes ordinem accuratissimum, quem tenent sidera, quotiescunque in oculos nostros producuntur; ita ut ab artificibus in sæcula multa possit indicari locus, quem certo die habitura sint. Quod est effectum verbi, *sint in signa & tempora & dies & annos.* Qualis cura & potentia illis diis materiatis non potest tribui.

27. 7. Dum Deus per Ecclesiam gentes invitat ad conversionem ab idolis mutis, Ecclesia patitur persecutionem, & ita quidem, ut videatur *à Deo negligi*, & *judicium ipsius Deum præterire.*

28. Hisce ad solatium commemorat vel reducit in memoriam id, quod *cognoverant* ex verbo, vel saltem *audiverant* ex fama rerum antè gestarum, nempe quòd *Jehovah sit Deus sæculi*, quòd velit habere populum viventem sibi in sæculum; Item quòd sit *creator finium terræ*, ad quos velit regnum suum extendere: Non igitur mirum videri debere, si Deus tamdiu gentes toleret. Tum declarat, *Deum* non modò *non defatigari*, sed ne *fatigari* quidem, semper proposito suo exsequendo invigilare: *Ipsius sapientiam*, cui se committere debeant, *esse imperscrutabilem*, nihilque ipsius rationibus officere posse, quin
29. propositum assequatur. Interimque *se defatigato dare vires*, suam potentiam in impotentia consummari, imò *ei*, *cui non est sufficientia*, unde subsistat, *robur multiplicare.* Ita se triumphare de persecutoribus ipsorum.

Tum promittit & prædicit, quid in posterum futurum sit tum exspectantibus Dominum, tum hostibus ipsorum. De hisce:

30. A. *Adolescentes*, procaces & petulantes, Judæos, *defatigatum iri.*
B. Rursus *fatigatum iri*, Romanos scilicet, ut cognoscerent, sibi difficile esse, regnum Dei exstirpare.

C. Ju-

C. *Juvenes*, fortiores robuſtioreſque cæteris, habentes conſilium, promtitudinem, conſtantiam, vires, copias, exercitus Antichriſti, *offenſuros eſſe*. Quæ offenſio eſt non unius temporis.

Hiſce reſpondent ea, quæ exſpectantibus Jehovam promittit. 31.

A. *Eos ſemper recentibus uſuros viribus*. Convenit hoc martyribus in Eccleſia prima.

B. *Eos aſcenſuros in altum tanquam alis aquilinis*, ut qui gentes & hæreſes infra ſe deſpiciant.

C. *Illos curſuros ſine fatigatione*. Convenit hoc illis, qui in oppreſſione Antichriſti cum Beſtia luctati ſunt.

D. Saltem *ambulaturos ſine defatigatione* illos, qui in fine ſæculi habent pacem.

Cap. XLI.

8. *Inſulæ ſilent*, id eſt, Gentiles Europæi recognoſcunt vanitatem idolorum & divinitatem Scripturæ. 1.

9. *Nationes renovant vires*. Judæi per os hæreticorum Chriſtum Deum Eccleſiæ impugnant. Conſtat, ſub Conſtantino Magno controverſiam ſtatim de 1.
Chriſti perſona eſſe motam. Quæſtio verò fuit, an Chriſtus ſit *Jehovah*, *Deus æternus*, *creator omnium*, & *vocans ætates ab initio*. Ita enim eſt concluſio, quam Deus facit in ſua cauſa, ℣. 4.

Cum illis Chriſtus *ad judicium accedit*, *inſulis*, ceu judicibus, auſcultantibus litem Dei pro gloria ſua. Illi *loquuntur*, id eſt, utuntur demonſtrationibus, argumentis, ſyllogiſmis. Chriſtus in diſceptatione ſua repetit quædam inſignia opera ſua, quæ hactenus fecerit in mundo, dum regnaret, ex quibus divinitatem ſuam probat. Ea ſunt 1.

A. *Excitatio ab Oriente*, ut inde mitteretur ad *inſulas*, ℣. 5. ejus, *cui juſtitia occurrebat ad pedem*, præbens ipſi ubique auditores & populum paratum auſcultare legi juſtitiæ, quam prædicabat. Paulus is fuit. Chriſtus ipſum excitavit: ei ſe exhibuit vivum, & legationem dedit, & myſterium fidei notificavit, & virtute ex alto inſtruxit. 2.

B. *Coram ipſo dedit gentes*, id eſt, fecit parere gentes Euangelio; *& reges ſubjugavit*, ut eſſent dicto obedientes. ibid.

C. *Dedit gladium ejus tanquam pulverem*, id eſt, tot gladios fecit pro ipſo militare, quaſi pulvis in gladios eſſet converſus. Subitò factum eſt, ut primò pro Chriſtianis ſtaret potentia duarum magnarum provinciarum Imperii Romani, Galliæ & Hiſpaniæ; deinde ut tota vis Imperii in hominem nominis Chriſtiani tranſiret. Ibi gladii Romanorum inceperunt eſſe gladii Pauli. Et *volitarunt ſagittæ ipſius, ut paleæ* ab area vento *impulſa*. *Perſequebatur illos*, nempe gentes & reges. Non fecit cum illis pacem. non quievit, donec omnia idola exſtirparentur. *Tranſibat in pace*, incolumis: *Iter pedibus ſuis non ingrediebatur*, pugnavit, vicit, triumphavit, & manſit domi. ibid.
3.

D. Quòd *his viſis inſulæ & pertimuerint*, *& fines terræ trepidaverint*, ut non auſæ fuerint ampliùs contradicere Euangelio, ſed *acceſſerint & venerint*, 5.
& quidem obſtinatiſſimi quique, qui antea in tuendis & erigendis idolis 6.
conſpiraverant, manuſque junxerant.

4. Hæc igitur tanta opera cùm ſint Chriſti, & teſtentur tum juſtitiam ejus ſive meritum, tum potentiam ipſius & regnum datum in omnia; interrogat primò, *quis iſta* non tantùm *deliberaverit*, ſed *& fecerit*, nec tantùm fecerit, ſed & deliberaverit? q. d. Quem & quantum eum putatis eſſe? Reſpondet ipſe formans concluſionem: *Qui format ætates*, inprimis ſemen mulieris ſanctificandum, *ab initio*, atque adeo ante Abrahamum eſt. Tum nomen ſibi ſuum vindicat. *Ego Jehovah primus*, qui ante omnes ſum, & propter quem omnia, *& cum ultimis idem ſum*, non aliter Deus Abrahami ſum, quàm gentium.

8–10. 10. Poſt diſceptationem cum nationibus ſequitur alloquium Eccleſiæ, quo partim monetur, *ne circumſpiciat* ad quippiam aliud, quod Deus aut Dei loco ſit, partim confirmatur adverſus omnem metum & formidinem.

11–13. 11. *Pudor & confuſio adverſariorum*, *imò interitus*, *ut nuſquam ſint & inveniantur.* Adverſariis autem tribuit *contentionem*, ἔλεγχον, *rixam*, calumniam, *& bellum*, odium ac violentiam.

. Hæretici Arriani, & qui inde deducti ſunt, magnam habuerunt in mundo potentiam, atque etiam Catholicos perſecuti ſunt. Quo tempore neceſſarium fuit fideles ſuſtentari demonſtratione Scripturarum, de Chriſti perſona & gloria & ſpe victoriæ.

14. 12. Status afflictiſſimus Eccleſiæ; unde *vermiculo* comparatur. Hic cogitandum eſt de illo tempore, quo in Eccleſia tyranni inceperunt invaleſcere, & extrinſecùs multi populi barbari in locum ejus invecti ſunt.

15.16. 13. Promittitur autem fore, *ut tanquam tribulâ acuminatâ montes & colles conterat.*

Illi ſcilicet omnes populi, exceptis Sarracenis, tandem confeſſionem Eccleſiæ Catholicæ ſuſceperunt. Sarraceni autem etiam à Chriſtianis manu & armis ſæpe victi ſunt & cæſi.

17. 14. Nova afflictio fidelium, per quam ſcilicet *inopes & egeni* reddantur, obnoxii manui & violentiæ aliorum, & plerumque omnibus orbati bonis, ad aquam & ignem uſque. Hiſce tribuit, ceu characterem, *quærere aquam*, *quæ non ſit*, *& quorum lingua præ ſiti aret.* Intellige ſitim ſalutis animarum, verbi divini, & glorificationis Dei.

18. 15. *Illis aperiuntur in faſtigiis*, locis maximè infrugiferis, populis ſtupi-
19. diſſimis, *fluvii*, &c. abundantia Spiritûs & cognitionis. *Et dantur in deſerto*, magnæ illius meretricis, *arbores oleoſæ*, *& virentes omne genus*, id eſt, viri eximii, multifariis Spiritûs donis inſignes.

20. Tanta autem cum evidentia ſe hoc opus operaturum Deus promittit, *ut facilè omnes intelligere poſſint*, *id opus eſſe tanquam regis* & *vindicis Eccleſiæ.*

21. 16. Tum nomine Dei, ceu judicis, jubent Pſeudochriſtos *contentionem ſuam & argumenta ſua proferre* ex Scripturis.

22. Judex ſe componit ad examinationem. Primò alloquitur diſcipulos ſuos, ut exſpectent, donec *adducant* Pſeudoprophetæ, nempe litem ſuam & munimenta ſua; deinde jubet, ut exigant ab adverſariis ſuis, ut *indicent* coram ſe & diſcipulis ſuis, *quæ ventura ſunt*, imminentia ſcilicet & tardè ad extremum ventura. Tum & ipſe illos præſens in judicio compellat, & exigit ab eis, ut
23. *indicent priora & ventura*, ut ſe probent *deos eſſe*, id eſt, vicarios Chriſti, neceſſarios interpretes verbi Dei, & Prophetas loquentes in Spiritu Sancto, quales ſolent nuncupari dii. Nam ſi in illa parte ſunt cœci, quomodo indicent veritatem

tem

tem non scriptam, vel sensum Scripturæ, quem sine demonstratione dictant.
Post hanc interrogationem jubet eos *aliquid facere vel boni vel mali*, ut ostendant se aliquid esse. Apparet, Antichristi consilia & molitiones planè in contrarium exire, ac præsumat.

Sequitur sententia judicis in ipsos, *ipsos esse nihil, & opus ipsorum nauci*: de- 24.
nique *qui illos elegerit*, deserto fratrum cœtu, *esse abominationem*.

17. Provocat etiam ad aliquod suum factum, quod his diebus fecerit, & 25.26.
nemo antea indicaverit; quanquam, ut ex hoc ipso loco patet, Deus ipse id
se facturum prædixerit. Id est *excitatio* alicujus, Herois scilicet, qui opem
afflictis ferat, & *invadat Antistites*, eosque calcet tanquam lutum, *ab Aquilone, qui venerit*.

18. Item ad aliud quoddam, quod adhuc futurum exspectamus. *Excitationem* 25.
alicujus *ab Oriente, qui nominaturus sit nomen Dei, quique Antistites sit invasurus, ut argillam & lutum*.

19. Ultima conventio sive demonstratio Dei est, quod *Sion habeat primum*, 27.
id est, caput, & non indigeat alio capite. Id ita dicit, ut & regem & populum
quasi digito monstret. *Ecce*, me primum, & caput, *ecce illos*, nempe Sionem. Addit suum opus, quòd *Hierosolymæ det Euangelistam*, prædicatorem verbi sui, vel fortè nuntium liberationis ac ultionis de hostibus.

Cùm autem nullus esset vel *vir* vel *consiliarius* ex Pseudoprophetis istis, *quem* 28.
interrogaret, quique redderet verbum; tandem concludit, illorum opus esse 29.
אן, εἰδωλολατρεία in spiritualibus, & *nihilum* in politicis, *ipsorumque fusilia ventum esse, atque aliquid ordine & ornatu carens*.

CAP. XLII.

1. CHristi adventus & connexa bona luculenter describuntur.
Inprimis, quòd *vocatus cum justitia*, id est, ut veniens adduceret 6.
peccatori *justitiam*, hoc est, jus petendi vitam & salutem. Quod sine veri nominis *justitia*, hoc est, perfecta obedientia fieri non potuit. Unde *servus Dei* 1.
appellatur. In cujus obedientia *anima Dei acquievit*, id est, reconciliatio,
pax, sanctificatio nominis Dei, remissio peccatorum est impetrata. Qui *ad ve-* 3.
ritatem fecit exire judicium, id est, per passiones suas condemnavit peccatum,
per verbum ac Spiritum suum condemnavit falsam justitiam.

Ad hoc efficiendum Deus *tenuit illum*, adfuit illi potentiâ suâ; & *appreben-* 1.6.
dit manum ejus, fecit ipsum facere omnia opera sua; *dedit Spiritum suum su-* 1.
per ipsum, fecit in ipso habitare voluntatem & potentiam ad omnia efficiendum, quæ ad hominis salutem pertinent. Ac denique *retinuit illum*, ne videret 6.
corruptionem, vel *hebetaretur*, enervaretur à Diabolo, & salvavit ex morte.

Populo Israëlitico in hoc profuit, ut ipsis fieret *in fœdus*, id est, ut ipsis im- 6.
petraret hæreditatem Testamento assignatam, & ut sibi, ipsis bona à se præstita
proponenti, per gratiarum actionem, ut Domino suo, responderent, atque ita
populus Dei fierent. Item quòd per ipsum liberati ab ira, Deo scilicet *acquie-* 1.
scente in ipsius sacrificio; & *vincti ex claustro educti*, in quo scilicet vinculis 7.
molestarum legum & timore mortis continebantur, & *ex carcere sedentes in tenebris*. Denique ut per ipsum *consummarentur*, factâ scilicet consummatione 19.
salutis per ipsum, atque ita ipsis ad consummatam lætitiam invitatis. Ideo &
insti-

21.10. *inſtitutionem apud ipſos multiplicavit.* & *carmen novum Deo canitur à fine terræ*,
id eſt, ab omnibus tribubus.

6. *Gentibus datus eſt in lucem*, id eſt, ut gentes in ipſo cognoſcerent, quis ſit
verus Deus, atque ita ab *idolis* ℣. 17. ad verum Deum convertantur & ſal-
7.& add. ventur; ut nimirum *ex carcere educerentur ſedentes in tenebris*, ſicque barba-
16. riſſimi & remotiſſimi ad Deum accedant; *ut acutum viderent oculi cæcorum.*
1. Atque hoc ſenſu accipitur, quòd *judicium gentibus proferre* debuerit, id eſt,
ita loqui ad gentes, ut omnis caro cognoſcat, quid ſit verum, ſanctum, Deo
4. dignum, quod Dei nomen, quæ vera juſtitia: & quòd *ad legem ejus Inſulæ
perſeverabunt*, id eſt, quòd legem ejus conſtanter & cum ſpe diſcendi ſapien-
tiam ſint audituræ atque accepturæ.

2. Status ipſius κενώσεως indicatur phraſi, *non efferet ſe.* In eo dum verſaretur,
non clamavit, per impatientiam, vel iracundiam. *Non fecit in publico audiri
vocem ſuam*, id eſt, non concitavit tumultum, non convocavit cœtus, ſed
quaſi latens ac trepidans & fugiens hominum conſpectum locutus eſt domi, in
deſertis & locis ordinariis, ubi cuivis modeſto licebat loqui, more omnium
hominum. Adde, quòd & noluit ſe dici Chriſtum ab Apoſtolis, & quædam
3. miracula juſſit taceri. Adde, quòd ſumma πραότης illi tribuatur & longanimi-
tas & ſtudium conſervandi infirmos. *Cannam quaſſatam non confringet, & li-
num hebes non extinguet.* Venerat enim ad conſolandum, non ad perdendum,
& propter pauperes venit, non propter divites; propter peccatores, non
propter juſtos.

10.3. 2. *Carmen novum Deo canunt à fine terræ canna quaſſata &c.*

19.20. 3. Judæorum incredulitas, cœcitas & ſtupor, cùm *videret quidem multa,*
24. *ſed non obſervabat*, & propter præjudicia ſua regnum Dei rejiciebat, quamvis
21. *inſtitutione jam multiplicatâ apud ipſos.*
13. Itaque animo *inimico* gloriæ Dei reſiſtunt, & annuntiationi ejus.

4.10. 4. *Legem Chriſti recipiunt gentes.* Et *canunt carmen novum Jehovæ gloria-
tionem* ejus, quâ ſcilicet gloriatur contra impotentiam carnis & juſtitiam ejus,
12. & contra vanam gloriationem deorum habitantium in ſculptilibus; *& Deo dant
gloriam.* Adde his, quæ §. 1. de bono ex adventu Chriſti in gentes redunda-
turo dicta ſunt.

11. Hic ſpecificantur loca, in quibus Euangelium ſit prædicandum ac recipien-
dum, in Aſia *deſertum ac urbes ejus*, *Kedarena* in Arabia Felice, & *habitan-
10.12. tes Petram*, ſive Arabiam Petræam. Nominatim *deſcendentes in mare* illud ad
4. *inſulas*, partes Judææ Occidentales, in Europam deferre debuerunt.
16.coll. Hæc gratiæ tranſlatio ad indignos & *cæcos*, futura dicitur Judæis in pœ-
nam, ut ad zelum irritentur.

14.15. 5. *Non hebetatur*, ſufflaminatur aut ſubſiſtit curſus Euangelii, *donec ponat*
4. *in terra judicium*, hoc eſt, ſeparet incredulos ab omnibus tribubus Iſraëlis.
13. Atque tandem *exit Jehovah tanquam heros*, *ut miles excitat zelum*, *& cum bar-
ritu aggreditur hoſtes ſuos*, eos conculcaturus.
15. Vindictam ponit in *deſolatione montium & collium, & exarefactione herbæ ipſo-
rum, itemque fluviorum & lacuum exſiccatione.* Significat, eum populum, qui
hactenus habuerat verbum Dei, Prophetas, juſtos, Chriſtum, templum, ſta-
tuta, politiam, fœdera, omnibus iſtis prærogativis orbandum.
22. Supplicium ἀνυποστάτως, quòd ſint *direpti*, *lacerati*, quòdque ſine omni
reſpectu

respectu ætatis, dignitatis, sapientiæ, *à juvenibus*, militibus Romanis, vel zelotis aliisque nebulonibus *exsufflentur.* Item *quòd carceribus includantur:* & quòd in illis Deus ipsos deseruerit, & *nullum* ipsis *vindicem* dederit: Quemadmodum etiam nunc post 1600 annos *nemo venit, qui diceret: reddite* Israëlem, finite ire populum meum.

Itaque *Deus in ipsos effudit iram suam & vim belli, quod ipsos inflammavit* 25.
undiquaque, & ita quidem, ut in ista sua pœna *nescirent*, quid rerum gereretur, ut stupidi, Dan. 9: 27. & *comburerentur* eo tempore, *cùm id agi planè nescirent*, putantes scilicet, Messiam jamjam venturum, ipsosque & templum suum conservaturum.

Cap. XLIII.

6. Quemadmodum verò Deus, cùm populum suum deseruit, & templum 1.
cremari permisit, palàm testatus est, eum non esse populum suum, ita hoc ipso facto de confitentibus nomen suum *dixit*, *eos esse populum suum*, & redemtos suos. *Pro quorum anima nationes dederit*, Judæos abjecerit, ut ipsorum 4.
misereretur.

7. Eos ad patiendum inhortatur, & jubet *non metuere aquam vel ignem*, id est; 1. 2.
potentiam populorum mundi & iram Dei inflammantem adversarios suos. Tum
quòd cum ipsis futurus sit, & *salvator ipsorum*, qui ipsis justitiam procuraverit, & vitam daturus sit, tum quòd *dederit*, hoc est, decreverit dare *pretium eorum Ægyptios*, Romanos idolis & postea Antichristo servientes in foveam ruituros, quam Ecclesiæ paraverint, & projectione illorum salutem præstitum iri Ecclesiæ: *Cuschæos* item *& Sabæos pariter*, id est, quòd sit Imperium Cuschæorum & Sabæorum, id est, Sarracenorum extirpaturus eorum causâ. Vide 2. 3. 5.
c. 21: 16. Tum quòd *glorificatus sit*, nempe partim in manifestatione fidei, 4.
partim in donis, partim in multiplicatione fidelium, *ex quo pretiosus extitit in oculis Dei*, quem scilicet tanti fecerit, ut Filium suum daret, & Spiritum Sanctum effunderet in ipsum. Nominatim *semen Ecclesiæ ex omnibus partibus mun-* 5. 6.
di adducendum & congregandum dicitur. Magna gloria est, quòd vocantur semen fidelium, & quidem patientium. Ita, quæ Abrahamo facta est promissio, ipsis quoque fit, habituros semen.

Ecclesiæ *congregatio* præsupponit ejusdem dissipationem per persecutiones gentilium & postea Antichristi. Quod confirmatur, cùm dicit, se ex Ecclesia
congregata *eductūrum populum cæcum*, *qui oculos habeat*, hactenus scilicet il- 8.
luminatum, ut agnoscat Scripturam pro verbo Dei, & Christum venisse, eumque esse Jesum, sed veram justitiam ignorantem, & statum regni cœlorum, ideoque id in rempublicam mundanam commutantem. Eidem attribuit *surditatem, cùm aures habeant*.

8. Romani idololatræ, spiritualis Ægyptus, exscinduntur in gratiam Chri- 3.
stianorum.

9. *Congregatio gentium* cum Ecclesia quidem communicantium in terrestri- 9.
bus, de cætero manentium, quod fuerant, nempe gentes, *& collectio nationum*, Judæorum sese gentibus congregatis adjungentium. Non quòd reverâ nationes & gentes hic unum cœtum constituerent, sed quòd una ambarum causa sit: nam & hæ & illæ volunt habere regnum terrestre, & regem adspectabilem, Judæi quidem Christum hominem merum, gentes Christi vicarium.

Congregari enim *gentes* ad regem faciendum præter Chriſtum, patet ex verſ. 15.

9. Probatur autem, nullum eſſe alium regem in Eccleſia præter Deum, ab ignoratione prophetiæ, & quòd vel Moſen vel alios Prophetas non poſſint adducere *teſtes ſuos, ut juſti ſint*, dum fidem & obedientiam exigunt.

10.12. Fideles autem *Dei teſtes ſunt*, habentes verbum ejus in ſe manens, ad cognoſcendum, quòd *ante ipſum non ſit formatus Deus, aut poſt illum futurus.*

11. Unde colligitur, quòd *ipſe ſit Jehovah*, qui promiſſiones ſuas impleat, & *præter ipſum non ſit alius qui ſalvet.*

12. Id ampliùs probat ex eo, quòd nullo tempore in Eccleſia conſpectus ſit *alius*, vel tempore *indicationis* in Paradiſo, per Patriarchas, Moſen & Prophetas, vel *ſalvationis* per Chriſtum, vel *promulgationis* ſive Euangelii, in quo ſalus facta annunciatur.

13. Præterea affirmat, *ſe eundem fuiſſe, ex quo dies fuit*, dies ſcilicet ſalutis, qualis in Euangelio prædicatus eſt: & *neminem fuiſſe, qui eriperet è manu ſua*, vel impediret decreta ſua. Quomodo igitur evadant ii, qui gloriam ejus alienant.

3. 10. *Cuſchæi & Sabæi* Chriſtiano nomini non minùs reſiſtentes, quàm antehac Romani gentiles, propter Chriſtianos exſcinduntur. Ii primò Perſæ, cùm iſti populi ipſis parerent. Quorum Sapores 18000 Chriſtianorum tempore Conſtantini interfecit, A. 326. & A. 344. juſſit omnes Chriſtianos pelli vel occidi. Quod quia propter multitudinem fieri non poterat, reſtricta eſt ſententia ad Epiſcopos & Doctores. Poſt mortem Arcadii, qui fœdus habuit cum Perſa, religio Chriſtiana incepit propagari in Perſia, A. 408. Sed ſub Juſtino juniore, A. 574. Artabanus crudeliſſimè Orientem vaſtavit. Sophia Juſtini uxor inducias impetravit annuas. Choſroës bellum redintegravit, A. 578. Id continuatum eſt ſub Tiberio, Mauritio, A. 604. 605. Heraclio, 610. 611. 613. 615. Tandem victi ſunt Perſæ A. 622. & rurſus A. 628. Sed Perſia eſt à Sarracenis occupata duce Otmane, A. 632. Vide Hiſt. Sarrac. editam ab Erpenio. Dehinc per *Cuſchæos & Sabæos* intelligimus Sarracenos. Ii quoque cæſi tandem in Hiſpania, Syria, Ægypto, ipſa Perſia. Vide cap. 21: 16.

14. 11. Deus propter Eccleſiam habentem controverſiam cum gentibus congregatis de capite Eccleſiæ, *mittit Babylonem, & facit deſcendere veloces omnes ipſos*: ut quando Cæſar A. 1552. pacem aliquam religioni dare coactus eſt propter imminentem Turcam, & quia Ferdinandus Ungariam vendicabat, quæ à Solymanno vaſtabatur. Is deinde in Perſas profectus eſt, & feliciter cum illis præliatus eſt, &, ut Thuanus dicit lib. 1. p. 26. edit. A. 1606. Meſopotamiam omnem atque Aſſyriam nullo negotio occupavit, & à Chaliſa Babylonis (hoc eſt, Bagdadæ,) rex coronatus Tauriſium, quod veniens intactum reliquerat, rediens diripuit. Actum id A. 1534. Illi data fuit magna occaſio in Oriente manendi, quòd in itinere ad viginti hominum millia ad Tauri radices à Perſis cæſa ſunt, & in iis Prætoriani. Sed Dei conſilio reductus eſt Conſtantinopolin, Perſis relictis; &, cùm conduxiſſet operam Barbaroſſæ piratæ, mari rem gerere inſtituit. A. 1537. Corcyra ab eo direpta eſt. A. 1538. Italiam claſſe invaſit, & ab eo victus eſt Doria Archithalaſſus Cæſaris, A. 1541. Ita *deduxit Deus Chaldæos cum navibus ſuis jubilationis*. Ipſe Solymannus Peſtum in Ungaria cepit. A. 1543. Strigonium & Albam Regalem. A. 1551. Dra-

Dragutes pirata ejus ſtipendia merere cœpit. Is Tripolim cepit. A. 1552. Solymannus Temeſwarum, Lypam, Zolnocum, Agriam cepit. Tandem Ferdinando petenti pacem dat. Eodem anno Mauritius Carolum & Ferdinandum redegit in anguſtias. Propter has cauſas Paſſavii convenit de pace religionis, quæ deinde A. 1555. Auguſtæ confirmata eſt. Auxilia igitur Reformatorum venerunt à Babylone, ipſique Chaldæi cum claſſibus, iiſque victricibus, ut pro Reformatis pax extorqueretur. Sanè & Chaldæi in exercitu Solymanni fuerunt.

12. Eccleſia in extremo certamine cum Antichriſto verſans ad ſpem erigitur promiſſione futurorum bonorum.

Inprimis promittit, *rem novam*, ejuſque jam extare ſcaturiginem & quaſi 19.
primordium oſtendit, quum dicit: *Jam progerminat:* & quidem ut quodammodo indignetur, quòd id non advertant, cùm dicit, *an non cognoſcitis hoc?*

Primum bonum eſt, *dare viam in deſerto*, id eſt, in mundo, qui hactenus 19.
Euangelium non receperit, præbere oſtium apertum Euangelii doctoribus. Poſſit videri, hujus rei quaſi exortum quendam eſſe, quòd in Imperio Romano principibus & poteſtatibus data eſt poteſtas curandi, ut doctrina Reformata doceatur: item quòd in Gallia ea ſine impedimento docetur: quòdque ultimæ regiones incipiunt habere doctores Euangelii: Præterea quòd videntur ii, qui curſui illius obſtare poterant, non tantùm vetuſtis bellis implicari, ſed in nova incidere. Huc retulerim, quòd in Gallia doctrina de gratia inter ipſos Papiſtas incipit habere ſatis acres aſſertores, eoſdemque Jeſuitarum adverſarios.

Secundum eſt, *dare in ſolitudine fluvios*, id eſt, benedictione Spiritûs Sancti 19.f.
facere ſolitudinem feracem & frugiferam.

Conſequens hujus benedictionis eſt *in feris agri, draconibus & ululis*, id eſt, 20.
in barbaris hominibus, quòd glorificaturi ſint Deum, *quòd aquas dederit in ſolitudine, ad potandum populum ſuum electum*, hoc eſt, ad explendam ſitim fidelium ſuorum. Et in *populo Dei*, quòd *laudem ejus ſint narraturi.* 21.

Populus, qui gloriationem Dei narrat, non poteſt non etiam cum Judæis 22.
contendere. In hac igitur contentione primò Deus negat, *Judæos ipſum vocaſſe*, quaſi aliquid eſſent ex ſua בחירה, *cùm Iſraël laboraret propter Dominum*, in ſpe viſionis Domini, & conſecutionis juſtitiæ & regni, tum in mundo, tum in cœlo. Jacob Patriarcha & omnes ſancti filii ipſius vitam transegerunt in labore. In eo eſt exprobratio defectionis à *φεγγίον δυγίων*.

Secundum, de quo coarguit Judæos, eſt, quòd de ſacrificiis malè ſentiant, 23.
ut quæ non *ſibi* oblata fuerint, quia non ex fide. Negat, *ſe ipſos feciſſe ſervire propter thus*, id eſt, ei rei operam impendere, ut munus & thus ipſi offerre poſſent: Nam etiam non legimus, quicquam ea de re Iſraëlitis eſſe imperatum. Negat, *ipſos ſibi argento emiſſe calamum odoratum, vel adipe victimarum* 24.
ſe irrigaſſe, id eſt, fructum jucunditatis vel ſatietatis ſibi conciliaſſe. Contrà aſſerit, quòd *ſe fecerint ſervire propter peccata ipſorum & laborare propter pravitates ipſorum*, id eſt, quòd ipſi ſuis peccatis occaſionem dederint, ut volens miſericordiâ uti, fieret ſervus, & laborem animæ ipſis impenderet, ad peccata & pravitates ipſorum abolendum. Unde conſequitur, Judæos in ſuis ſacrificiis præ reliquis *gentibus* gloriari non poſſe. Sed *Deum propter ſe delere pec-* 25.
cata Iſraëlis, atque ita eſſe juſtitiam Iſraëlis.

26.27. Tum etiam provocat Judæum ad contentionem ex adverſo. Is allegat (nam hoc ſubintelligitur in hac lite) זמת אבות & ſacerdotium Aharonis tanquam non minimam partem juſtitiæ ſuæ. Deus reſpondet, 1. *omnes ipſorum patres*, ne *primo* quidem excepto, *peccaſſe*. Poteſt intelligi Adam, vel etiam Abraham. 2. *Oratores ipſorum*, id eſt, Sacerdotes, qui ad hoc erant ſumti ex fratribus ſuis, ut pro ipſis apud Deum intercederent, *defeciſſe à Deo*. Vide Mal. 1:6. 2:8. Quòd autem defecerint à Deo, inde clarum eſt, *quòd Deus illos prin-*
28. *cipes ſanctitatis, ut profanos, tractat, & Iſraëlem cum illis tradit in perſeverans anathema atque opprobrium.*

Cap. XLIV.

1.2. A Judæis ſeſe convertit Deus ad verum *Jacobum* & *Iſraëlem*, eique promit-
3. tit, ſeſe omnem *ſitim* extincturum, omne deſiderium impleturum, omnem dolorem ſedaturum, omnes lachrymas abſterſurum. Tum etiam labori Eccleſiæ benedicturum, *effundendo profluentes ſuper aridam*. Explicatur metaphora, *quòd ſit Spiritum ſuum effuſurus in ſemen Eccleſiæ*, ut per illum Spi-
4. ritum mortui excitentur & vivificentur, & aridi vigorem recipiant. *Germinabunt* à Spiritu meo, ab aquis meis, adoleſcent & fructum ferent, *in loco graminoſo*, ita ut ab omni parte ſint, qui ipſos oblectent, cum quibus de nomine Dei ad mutuam conſolationem colloquantur; & *tanquam ſalices ad amnes a-*
5. *quarum*, feliciter creſcent. Præterea etiam ſemini tribuit *confeſſionem faciendam voce, etiam ſcripto.*

6—23. 13. Nova inſtructio de vitando falſo capite, & falſis Prophetis, imaginum cultoribus.

7. Inprimis ad redarguendum caput fictitium utitur ratione deſumtâ ab eo, quòd *nemo ita vocet, ut Deus*, & quidem ab omni tempore, quo Deus *poſuit populum æternum*. Deus ſcilicet vocat illa, quæ non ſunt, ut quæ ſunt, & quidem κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου, & in æternum, ut alio Deo & aliâ rupe Eccleſia non indigeat.

℣. 11. Eſt commemoratio abolitionis imaginum in toto mundo, & fugæ regum ac populorum, qui Chriſtianos ad colendas imagines voluerunt adigere, in exemplum pudoris iis, qui jam colunt eas.

℣. 17. 18. Homo ſtatuam facit Deum, vocando eam nomine Archetypi, & quia putat Deum adeſſe ſtatuæ, eamque eſſe quaſi Dei corpus. Quo pacto non Deus, ſed is, qui imaginem facere docuit, adoratur, is ſcilicet, qui hominum oculos & corda *oblevit*, ut neque videant neque conſiderent, Diabolus.

℣. 20. dicitur, quòd imaginem formare ſit *mendacium*, quia nunquam poteſt imago eſſe ſimilis ei, qui adorandus eſt, neque poteſt Deus habitare in imaginibus, aut velle in illis coli, aut cum illis nomen ſuum communicare. Igitur præceptum de non faciendis imaginibus non eſt poſitivum, ſed fundatum in veritate.

℣. 22. Significat Deus, ſe *peccatum Eccleſiæ*, quod inſtar *nubis opacæ* in altum excreverat, & nimbos, procellas, fulgura & fulmina minabatur, *deleviſſe*, quemadmodum ſcilicet ventus ſolet nubes diſſipare. Denique rogat, ut *revertatur*. Innuit, ſibi rem eſſe cum Eccleſia aberrante. *Quia aſſerui te*, ſanguine meo redemi, nec tantùm, ſed etiam ex poteſtate aliorum dominorum te vindicavi, ne ergo.

Clau-

Clausula prophetiæ de regno Christi significat, *Deum* tandem *omnia effecturum & perfecturum.* Mandat *cœlo & inferioribus terræ*, *montibus item & sylvis cantum & jubilum*, hoc est, angelis & beatis in cœlo, mortuis, ut mox resurrecturis, denique cœlo & terræ novis, ut in quibus justitia habitatura sit: *postquam Deus asseruit Jacobum, & quia in Israële vult condecorari.* 23.

℣. 24. cap. 44. incipit nova ❧, quâ tempora & opera Dei usque ad Christum, & ipsius cum Judæis disceptatio explicantur. Articuli rerum notabiles sunt isti:

1. Hierosolymæ destructio, & reædificatio per Cyrum. 26:28. & c.45: 13.

CAP. XLV.

Hunc necdum natum Spiritus per apostrophen compellat nomine suo, ac simul ei promittit vocationem ad regnum & summam felicitatem in expeditionibus. 1—7.

2. *Cæli stillant*, *ut nubes manent justitiâ*, per descensum scilicet ejus, quem Deus vocavit cum justitia, ex cœlo in terram. 8.

Beneficium cum hoc descensu auctoris justitiæ connexum indicatur, *apertio terræ* hactenus clausæ, *ut fructificent*, homines, *salute*, ut fructus salutis ferant, & justitiam *faciat germinare*, propaget ad plures.

Christus *se occultat*, in forma servi, & quum resurrexit, in publico non versatur amplius. 15.

3. Postquam justitia de cœlo pluit, *oritur contentio* hominum cum formatore suo. Contendunt autem de justitia, item de eo, an sit formator ejus. Nam hoc in seqq. Christus probat. Specialis contentio in hoc versu est, de opere formatoris, nempe quasi *illud oporteat habere manus*, *quibus se fingat.* Ea arrogantia est populi Judaïci sibi attribuentis vires ad parandum justitiam & vitam. 9.

Item criminantur Judæi Christum filios facientem ex miseris peccatoribus, adeoque cum iis versantem. 10.11.

Contra illos apologiâ utitur Christus 1. ab eo, quòd omnia creaverit, cœlum & terram, & quæ in eis: assumtionem igitur vilissimorum in filios, quæ ceu nova creatio est, se non dedecere. 2. ab eo, quòd *Cyrum* non indignè *excitaverit*, *& per eum exules suos liberos fecerit*, *& urbem suam ædificaverit.* 12. 13.

4. Externi magno numero *ad illam* Hierosolymam civitatem Dei, de qua versu præcedenti, *veniunt*, *partim volentes*, partim *quasi catenis tracti*, ac de voluntate principum suorum, non tantùm ut *ipsius sint proprii* & hæreditas, sed etiam *ut versus illam adorent*, quippe *quum in ea* sola *sit Deus*, *& alibi non sit.* 14.

Est etiam, unde avara gens Judæorum incitetur ad lubentiam externos excipiendi, *nam*, inquit, *labor & negotiatio* etiam *hominum mensuræ*, tractantium unam, unà cum gentibus ad te transibunt.

Gentium etiam nomina specificantur, *Ægyptus*, *Cuschæi*, *Sabæi.* Intellige ænigmaticè Imperii Romani, Persici ac Sarracenici reliquias, Christo servituras, ut suprà c. 43: 3. vel etiam hæ gentes specificantur, ut opulentissimæ & notissimæ eo tempore, in exemplum reliquarum omnium.

Eadem gentium vocatio quoque fit per apostrophen ad gentes. *Congregamini*, propter multitudinem; *accedite*, propter communionem cum Israële; 20.

appropinquate, nempe ad Deum, propter libertatem & juſtitiam. Juſtificatur autem vel commendatur hæc vocatio ab ἀγνωσίᾳ Θεοῦ, in qua hæreant idolifabri & cultores.

21. Eædem gentes jubentur *indicare*, Euangelium non ſilere; & porrò multos *adducere*, idque omiſſis interim aliis, ut ipſi *deliberent inter ſe*, quid ſibi ſit agendum. Inſtigantur autem ad prædicandum, *quòd nemo hoc futurum indicaverit, præter Deum.*

22. Rurſus electi gentium jubentur *ad Chriſtum ſpectare*, cum promiſſione *ſalutis.*

Non poterant gentes fidem ſuam dirigere in Chriſtum, niſi de ejus divinitate
15. conſtaret. Atqui dicunt fideles, *eum ſe occultaſſe*, non ut Deum, cum irrefragabili majeſtate inter homines verſatum. Haud inutile igitur eſt, conſiderare ordine argumenta, quibus oſtenditur, quòd Salvator ſit verus Deus.

16. Eorum primum ducitur ab eo, quòd fabri imaginum, & ipſæ imagines ipſius verbo cedant.

17. Secundum ſumitur à ſpe Iſraëlis, nempe quòd *ſalvetur in Domino*, ſalvatione æternâ.

18. Tertium à creatione cœli & terræ. Ejus enim eſt ſalutem facere, cujus eſt cœlum & terram creare, qui & conſilium de ſalute facienda in ipſa creatione patefecit. Inprimis *non incaſſum creavit terram*, neque in hoc eam viſitat ſuis beneficiis, ſi tantùm hæc vellet impendere peccatoribus, neque vellet per ea glorificari. Decrevit igitur hominem ſalvare, qui creavit terram.

19. Quartum ſumitur à publicatione ſermonis Dei. *Non in occulto locutus ſum* &c. ſed in Sinai.

20. Quintum à terrore ſermonis, quem locutus eſt ad Iſraëlem. Dicit enim ei, *quærite me.* Id dictum peccatori eſt. Qui non poteſt, ubi hoc audiverit, exiſtimare ſuum factum juſtitiam. Neque hoc ei *fruſtra* dictum eſt. nempe quæſtio Dei tendit ad vitam in communione ſui.

Sextum argumentum ab auctore ſermonis & objecto ejus: *Ego Jehovah* ſum is, *qui loquitur juſtitiam*, id eſt, præceptum fidei ad juſtitiam, & promiſſionem juſtitiæ donandæ. Idem eſt auctor juſtitiæ, qui promiſit. *indicans recta* vel *æqua*; indicans bonum, quod Deo gratum eſt, in quo eſt רצן, & certiſſimam viam juſtitiæ indicans.

23. Ampliùs confirmatur gentium ad Deum converſio, *juramento Dei per ſe ipſum*, de quo dicit, quòd ſit juſtitia, *verbum ἀμεταμέλητον*, & quod impediri nullâ ratione poſſit. Quomodo igitur ad talem dubitent accedere, cui Deus dedit gloriam, *ut omnis lingua ei juret?*

24. Tandem divinitas veri Salvatoris probatur eo, *quòd Dominus de ipſo dixerit*, nempe ab omni tempore, quo ſermo factus eſt ad homines de juſtitia & ſalute. 1. *In Domino eſſe juſtitias*, conſummationem juſtitiæ, vel omnia jura ad omnem benedictionem, *& robur*, ad præſtandum omnia, quæ ad ſalutem pertinent. 2. *ad illum acceſſuros eſſe*, nempe omnes fines terræ. 3. *habiturum illum hoſtes excandeſcentes in illum.* 4. eos *pudefactum iri.* 5. in Domino juſtificatum iri & glorificaturum eſſe omne ſemen Iſraëlis

CAP.

CAP. XLVI.

1. Diripitur aurum, argentum, æs fanorum Babyloniorum, ipſius templi 1.2.
Hieroſolymitani jam fit captivum.
2. Chriſtus reliquias Jacobi, ſive oves domûs Iſraëlis ab initio hucuſque por- 3.4.
tatas & geſtatas ſolatur, declarando ſe eundem eſſe, eaſque in omnem ætatem
geſtaturum, nihilque de iis, quos portandos ſuſceperat, perditurum.
3. Dehinc convertitur ad *defectores* facientes ſibi imagines, oſtenditque, *ni-* 5—10.
hil eſſe, cui aſſimilari poſſit, 1. ab imaginum vilitate. 2. à commemoratione
operum priorum, quæ oſtendunt Deum incomparabilem, ſive in potentia,
unde אל, ſive in fidelitate, unde אלהים. 3. à prædictione rerum futurarum
& præformatione omnium, quæ à principio ad finem fient.
4. Inter prædicta eſt *Adductio volucrium ab Oriente*, & *viri conſilii ſui à* 11.
longinquo, quem ſcilicet Deus ſingulis temporibus excitat ad conſilium ſuum
exſequendum. Illud verò de *volucribus* videmur poſſe explicare ex Ezech.
39:16. & Apoc. 19:17. & Apoc. 16:12. ubi *Orientis* mentio eſt.
5. Tandem jubet Deus *valentes corde*, qui ſibi videntur ſufficere ad ſalutem, 12.13.
& ſunt tumidi, ut audeant loqui, quod Deus non dixit, vel invitos audire:
quòd *juſtitiam ſuam habeat in promtu*, hoc eſt, omnia apparaverit & expe-
diverit, quæ ad efficaciam ſuæ juſtitiæ demonſtrandam pertinent, nempe *ut*
in Sione det ſalutem vero *Iſraëli, qui decus ipſius eſt.*

CAP. XLVII.

1. Innuitur, fore etiam ſub regno Chriſti tanquam *Babylonem* aliquam, in qua 1.
vetus Babylon quaſi reviviſcat, quæ adſtrictura ſit religionem ad nomen
humanum & auctoritatem vel capitis vel multitudinis, certamque ſedem.
Thronum ei attribuit. 1.
2. Caſus ſive *deſcenſus Babylonis in terram*, ut tanquam lugens *ſedeat in* 1.
pulvere.
Factum id, quando Antichriſtus perdidit auctoritatem in Eccleſia, & ſpre-
tus eſt, & Concilium Tridentinum rejectum eſt, nec tantùm, ſed etiam Eccleſia
incepit habere locum ſuum, ubi pacatè ſine dominatione Antichriſti ageret.
Ex illo tempore non potuit Babylon eſſe ſecura & quieta, ſed coacta eſt *la-* 2.
borare, ut tueretur auctoritatem ſuam. Multi etiam *trans fluvios* coacti ſunt
recedere. Nam regnum Antichriſti ex multis locis fuit exactum. Accedit,
quòd coacta eſt Babel ad recolligendas ſuas jacturas, & retinendas reliquias,
clam & non ſine periculo terras, ex quibus expulſa eſt, adire. Fuit hæc quæ-
dam Dei *vindicta*, quà cœpit Babylon ἐρημοῦσθαι, &, quæ irriſerat Deum & fi- 3.
deles perſecuta erat, ipſa cœpit irrideri, & exilium ex multis locis paſſa eſt.
Idque potenter ac divinâ manu, *nullo occurrente homine*, qui illi reſiſteret. Ita
in Germania Mauritius Cæſarem oppreſſit imparatum, ut ei pacificationem
Paſſavienſem extorqueret.
3. Gloriatur Eccleſia *in Deo recuperatore ſuo*, hoc eſt, tum redemtore unico, 4.
tum etiam donatore illius libertatis, ut non ſubeſſet dominis aliis. Eumque
aſſerit

asserit *esse sanctum Israëlis*, propter quem Israël sanctus est. Hæc est prædicatio Euangelii æterni.

6. 4. *Effervescit Deus in populum suum*, hoc est, orthodoxam Ecclesiam, & quasi non sanctam *profanat*, & impuris hominibus fœdandam tradit, satellitibus scilicet Babylonis.

Hoc tempore *nullâ usa fuisse clementiâ* dicitur Babylon, atque *etiam senibus grave jugum imposuisse*. Quod facilè intelligere est de victoriis Papistarum in Germania & vicinis regionibus.

7.8. 5. Atque hic simul ὑπονοῖτη Babylonis, hoc est, Antichristi & cœtûs ejus, opinio vel fastus, nempe quòd in voluptate demersi in pace atque in securitate sedeant, sibique persuadeant, *se solos esse aliquid*, hoc est, Spiritum, justitiam, regnum Dei, & verbum ejus, fidem, auctoritatem, tantùm âpud se esse, & omnes, qui secum non faciunt, perituros vel tanquam hæreticos vel tanquam schismaticos. Quòdque sibi persuadeat illa civitas, quòd *viduitatem non sit visura* per subtractionem brachii carnalis, regum terræ, mœchorum ejus; vel *orbitatem* per subtractionem plebis & auditorum, sive sequacium ejus.

9. *Affluxum regum & populorum ad illam* attribuit *multis præstigiis*, *& τῇ ἐνεργείᾳ incantationum ejus*. Verba Dei in speciem prolata, & sapientia humana omnibus modis inculcata est hæc *incantatio*.

10. Rursus ostendit *fiduciam in malitia sua*, sive intelligas securitatem, sive conscientiam in malis artibus & factis malis cauterisatam. Sed majus hic videtur denotari, quia additur, *dixisti*, *non est qui videat me*. q. d. adeo induratam esse, ut, cùm maximè peccaret, putaret, sua facta Deo placere, atque etiam crederet, sibi arbitrium regendæ Ecclesiæ commissum esse, quasi Deus curam ejus abdicasset. Hujus indurationis causa ostenditur *sapientia*, sive ingenium hominum suis commentis torquentium Scripturas, & *cognitio*, hoc est, vigilantia, attentio, & diligens observatio, ne quid dicatur aut agatur, quod sapientes illi non approbent. Hinc igitur sibi persuadet, *præter Clerum Romanum nihil esse*.

12. *Tempus* quoque *utendi præstigiis suis*, *si fortasse possit obtinere*, ei datur.

6. Excidium Babylonis per gradus appropinquat.

5. Primò jubetur *immota in tenebris considere*, & derogatur illi vocabulum *heræ regnorum*.

6. Secundò innuitur coërcitio violentiæ, & ademtio potestatis in populos.

9. Tertiò minatur ipsi *viduitatem & orbitatem eventura uno momento*, & *mala*,
11. quæ *subitò*, *nec prævisa*, ipsos sint occupatura.

13. Deinde cùm omnia consilia incassum ceciderint, indulget ipsi, *ut captet astrologorum suorum præsagia*, & illis se consoletur. Sunt enim inter illos, qui prophetias Scripturæ detorquent: Et multum genethliacis tribuunt.

14. Ostendit denique, *omnes*, *ut stramen*, *flammâ combustum iri*, & quidem ita, *ut non supersit* incendio quicquam, quod vel sit ut *pruna coquendo pani*, *vel* ut *accensus focus ad calefaciendum se*.

15. Epilogus indicat, *ita in nihilum redactum iri omnia*, *in quibus laboraverat*, *fugituros mercatores*, *servatorem nullum fore*. Confer Apoc. 18.

CAP. XLVIII.

1. Judæi volunt *de urbe ſanƈta nominari*, & *in Deo Iſraëlis recumbere*, cùm 2.
jam tempus eſſet, ut vocetur *Deus exercituum*, nempe gentium.

Itaque *jurant in nomine Jehovæ*, & *in nomine Iſraëlis commemorationem inſti-* 1.
tuunt non in veritate, cognitione, *& juſtitia*, fide illorum, quæ Deus de ſe dixit, atque ita non ſine hypocriſi.

2. Modus agendi, quo Deus apparens in carne uſus eſt cum populo, declaratur.

Oſtendit quædam *priora*, quæ ſcilicet ante adventum ſuum fieri debebant, 3—6.
ipſis fuiſſe indicata, propter duram cervicem eorum, ne dicerent, cùm evenirent, *Idolum meum fecit illa*.

Cum prioribus comparat *nova de nunc*, id eſt, præſentia, eaque dicit *re-* 6.7.
tenta fuiſſe, quæ ſimul faƈta, ſimul prædicata apud ipſos ſint. Novitatem illam deſcribit, *nunc creata ſunt*, q. d. nunquam talia faƈta ſunt. Deinde *negat illa faƈta eſſe ante diem ſuum*, adeo ut non poſſint Judæi ambigui eſſe, qualis illa res nova ſit. Concludit, quòd Judæi planè iſta ignoraverint.

Hic verò accuſat Judæorum incredulitatem, quòd nuntiata nova *nec audi-* 8.
verint, *nec cognoverint*: quòd olim & auris ipſorum fuerit obturata, ut non attenderent ad ænigmata & figuras, & prædiƈtiones propheticas. Addit rationem, quare non clariùs illa revelaverit Iſraëlitis, *quia Iſraël perfidus & apoſtata eſſet*. Nam qui Prophetas lapidarunt nimis apertè loquentes, quid non feciſſent, ſi hoc locuti fuiſſent, quod Apoſtoli prædicarunt majori claritate?

Commemorat etiam, quomodo Iſraëlem & tulerit & caſtigaverit. Caſtiga- 9—11.
tionis exemplum ponit, quòd *conflaverit eum in catino inopiæ*, (puta captivitate Babylonica) meras ſcorias, *non in argento*, non habentem argentum. Attamen in illa caſtigatione ſe *Iſraëlem elegiſſe*, hoc eſt, tanquam ex medio igne aſſumſiſſe, & ex ſcoria argentum feciſſe. Cauſam eleƈtionis refert ad ſe, *propter me feci*, *ne* ſcilicet *profanaretur* gloria ipſius, *quam alteri dare non vellet*.

3. Chriſtus à Judæis ſeſe convertit ad oves ſuas inter Judæos, quos appellat 12.
Jacobum & Iſraëlem, non qui ab homine vocetur, ſed qui *à Deo vocetur*.

Iis exponit, quid credendum de ſe habeant, nempe 1. *quòd ipſe idem ſit*, 12.
nec mutetur, hoc eſt, quòd conſtans ſit in propoſito gratiæ, & tantùm uno modo fiat Deus peccatoris, nempe per ſanguinem Mediatoris, & Spiritum fidei. 2. quòd *ipſe ſit primus & poſtremus*, id eſt, ſolus creator, & juſtitia & 13.
vita hominis. 3. quòd *ipſius manus formaverit terram*, &c. Si hic nulla eſſet diſputatio de perſona ſalvantis, vana utique illa contentio cum Iſraële eſſet.

Tum jubet illos *congregari* in proprio ac ſeparato cœtu, & ibi verbum ſuum 14.
ad confirmationem fidei etiam atque etiam *audire*. Simul convenit, num *quis inter illos* Judæos immorigeros *iſta indicaverit*? nempe, quòd is, *quem Jehovah diligit*, cujus gloriam quærit Pater, *fecerit voluntatem ſuam in Babylone*, & quòd *brachium ipſius fuerint Chaldæi*. Debuiſſent ſcilicet turgidi iſti agnoſcere, quòd deſtruƈtio Hieroſolymæ & imperii Babylonici fuerit opus ejus, quem Deus diligit, Filii Dei.

Opponit igitur veritatem illorum mendacio: *Ego*, inquit, *locutus ſum*, fui 15.
Zz doƈtor

doctor Iſraëlis ab antiquo. Inde λόγος. *Etiam vocavi illum*, Cyrum, *adduxi illum*, *& proſperavit viam ſuam.*

16. Adhuc oves ſuas vocat ad ſe, & qui dem ut proximè accedant, quaſi in ſecreto ipſis tanquam amicis ſuis rem maximè mirabilem dicturus: nempe *quòd ipſe locutus ſit à capite*, & quidem *palàm*, & quidem *fuerit*, *antequam fieret illud*, ſive terræ geneſin, ſive deſtructionem Hieroſolymæ intelligas, *nunc autem miſerit ipſum & Spiritum ſuum Dominus.* Nempe quòd conſpiciendum ſe præbeat, qui olim conſpectus non erat, ſed tamen locutus fuerat palàm. Additur & bonum comitans adventum ipſius, *miſſio Spiritûs ejus*, qui eſt Spiritus gratiæ & precum.

17. Porro Deus *ſe Jehovam & Deum Iſraëlis* appellans, obteſtatur populum ſuum, ut ſe recognoſcat *doctorem & ductorem* ad bonum, & adjutorem ad eundum in via, quæ non perit.

18. Rurſus obteſtatur de bono, quod Iſraël per obedientiam præceptorum Dei aſſecuturus fuiſſet. *Pax inſtar fluvii* perennis, & *juſtitia tanquam fluctus maris*, abſorbens & deglutiens omne peccatum, & aſſerens vitam æternam; *ſe-*
19. *men innumerabile*, & æternum nomen habens.

20. &c. Se nihilominus, non attentâ ipſorum ἀπειθείᾳ, opus ſuum, quod eſt opus ſalvationis, perfecturum. Ejus operis hos facit gradus.

20. 1. Eductio populi ex captivitate Babylonica.

20. 2. Populus reductus implet totam terram, atque ita *notum facit gentibus*, ſe fuiſſe captivos in Babylone, & Cyri ſententiâ ſecundùm prophetias inde liberatos fuiſſe, & hæreditatem patrum ſuorum obtinuiſſe. Hæc reductio, & famigeratio ejus ad gentes eſt quaſi præparatio ad novum opus ſalvationis.

20. 3. Redemtio facta.

21. *Non ſitiunt* ampliùs *aſſerti*, ut qui habeant verbum Domini, quo ſe conſolentur ubertim. Id eſt bonum conſequens redemtionem.

20. 4. Prædicatur uſque ad fines terræ.

21. 5. Deus *ducit aſſertos* & redemtos *ſuos per deſerta*, hoc eſt, per omnes regiones mundi gentilis, in quibus peregrini erant, & Satanas regnabat.

21. 6. *Dedit* autem *ipſis aquas ex* vera *rupe*, ac tandem etiam *rupem*, hoc eſt, dura corda gentium, & principum inter gentes, *fidit*, emollivit, fecitque, ut *aquæ* ἀνάψυξις & recreatio redundaret.

22. 7. *Improbis* autem tum ex Judæis, tum ex gentibus, *nulla pax.* Non habent ſcilicet charitatem, non cogitationem fixam, non locum, in quo ſubſiſtant, ac tandem etiam in hoc mundo Dei judiciis exagitantur, & fiunt tanquam palea coram vento. Exemplar ſint Judæi, & illi inter gentes, qui Chriſto repugnarunt, & tanquam aſſentati ſunt.

CAP. XLIX.

Chriſtus exponit *Inſulis*, hoc eſt, in inſulis habitantibus, & *nationibus*, duodecim tribubus Iſraëlis, quid de ſe credere debeant. Sunt autem iſta:

1. 1. Chriſti nativitas ſupernaturalis, & *prædicatio nominis ejus ante conceptionem*, vel cum ipſa conceptione.

Gabriel locutus eſt ad Mariam, & priùs ad Zachariam Elizabeth, cùm ea uterum

uterum gereret, eam matrem Domini sui vocavit. Cùm Johannes nasceretur, palàm factum est, quid Zachariæ prænunciatum esset.

2. Quòd Deus *posuerit os Christi tanquam gladium acutum.* Hic est sermo 2.
Euangelii, qui solus anceps est, & penetrat in animam & spiritum, & dijudicat ac patefacit hominum cogitationes, quinam pii, qui hypocritæ. Hic sermo Christi ex ore Christi & Apostolorum ejus auditus est.

3. Quòd *umbrâ manûs suæ Deus occultaverit se*, id est, ita se protexerit, 2.
ut nemo posset ipsi nocere. Id de corpore Christi mystico, sive Ecclesia, intelligendum est, cùm nutritios cœpit habere Cæsares, qui non passi sunt Christianos attingi.

4. Quòd *posuerit se in telum electum*, quando Ecclesia incepit distinctè loqui 2.
de gratia justificante, de Ecclesia Christi; & *in pharetra se abscondiderit*, quando magnâ hominum multitudine circumvallavit Ecclesiam suam, promendam suo tempore & manifestandam.

5. Quòd denique *sibi dixerit Deus*, *servus meus tu es Israël*, (hinc apparet, 3.
Christum etiam de corpore suo mystico, vero Israële, locutum fuisse.) *in quo condecorabor.* Id jam dixit palàm scilicet. Innuitur separatio & expromtio Ecclesiæ suæ. Cùm scilicet illi, qui amârunt veritatem, & publicè locuti sunt, & protectione Dei defensi sunt, & nomen acceperunt in mundo Reformatorum sive Euangelicorum, Deo ipsis pacem procurante.

Hæc comparat cum apparentiæ exiguitate, ℣. 4. ubi ordine dicit ista.

1. Ea species futura primi temporis, quo Christus apparuit, & locutus est, 4.
& discipulos misit, & quo dominatus est Antichristus, quasi vel parum esset morte ejus effectum,

2. Attamen habebat *judicium ejus* tendens ad profligationem hostium, & *ibid.*
operæ pretium ejus in multiplicatione fidelium, *apud Deum suum.*

In seqq. ordine sunt ista:

1. *Formatio Christi ex utero.* 5.

Intentio. *ut esset servus Dei*, implens omnem justitiam *ad reducendum Jacobum ad ipsum.* Infrà dicitur *contemtus animæ*, in quo nihil reperias, quod 5. & 6.
concupiscas, *abominatio gentis* Judaïcæ, & *servus potestatem habentium.* 7.

2. Disceptat Christus cum iis, qui dubitant, an Israël debeat recipi, nec 5.
ne. Respondet negando. Reliquiæ tantùm, & *retenti*, sive non omissi duo- 6.
decim Tribuum *reducuntur.*

3. Dat rationem suæ negationis, nempe quòd *gloriosus sit futurus in oculis Jehovæ*, Deus quæret ejus honorem, & quòd *Deus extiterit robur suum*, 5.
in Ecclesiæ collectione, revelatione, purgatione, conservatione, liberatione, non minùs, quàm in sui resuscitatione ex mortuis.

4. Opere aliquo Deus ostendit, atque adeo reipsâ sive complemento *dicit*, 6.
Leve est, præut sis mihi servus, erigere Tribus Jacobi, & retentos Israëlis reducere, sed *do te in lucem gentium*, cum isto fructu, *ut perveniat salus Domini usque ad finem terræ*, ut scilicet nulla sit gens, in qua non sint σωζόμενοι, & omnia regna Christo serviant.

5. *Reges* Christum *contemtum animæ* & *abominationem gentis* Judaïcæ, non jam ampliùs populi, *sed gentis* scilicet, *servum potestatem habentium*, *vident*, agnoscunt eum Dominum suum; *assurgunt ei*, ut obedientiam præstent; *principes* autem, imperium habentes in mundo, *eum adorant*, ut Deum.

Eadem replicantur hoc ordine:

8. 1. *Deus reſpondet Chriſto* oranti pro populo ſuo, & quidem *tempore, quo placatus eſt*, dando ei poteſtatem in cœlo & in terra; & *in die ſaluti* faciendæ præſtituto, *adjuvat illum*, liberando ex morte; & *retinet illum* in poſterum, non admittendo alios ſacerdotes vel reges in populum ejus; & *dat illum in fœdus populi*, proponendo eum ἱλαστήριον & ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας, ut, quiſquis credat in illum, ſit populus *ad erigendam terram*, hoc eſt, Eccleſiam, in qua regnet, quæ frugem ferat; *ad hæreditates deſertas*, mundum, ſive gentes

9. oblitas Dei, *partiendum* ſanctis; *ad dicendum vinctis*, τοῖς πεφραγμένοις ὑπὸ τὸν νόμον, *exite*; *iis, qui in tenebris ſunt*, qui latent in populo, *revelamini*, tanquam luminaria in populo & in toto mundo.

9. 2. *Hi paſcuntur juxta vias*, id eſt, in conſpectu omnium hominum habent auditores, qui cum ipſis, ut cibus ipſorum, concorporantur: *Et in omnibus faſtigiis eſt paſtus illorum*, nullus locus tam arduus eſt in mundo, ubi non inveniant electos.

10. 3. Quamvis autem occurrat ipſis tribulatio, tanquam *æſtus & ſol*, tamen *nec eſuriunt nec ſitiunt*, non deſiderant quicquam ad conſolationem ſuam. *Æſtus & ſol non ferit illos*, nempe ut illos faciat languere. *Nam miſerator eorum ducit illos* in viam rectam, ut inveniant locum habitationis, nec in retia aut præcipitia incidant; *& ad ſcatebras aquarum agit ipſos*, leniter & clementer ipſos propellit, donec eò perveniant, ut ſuperent omnia tentamina, & veniant tempora refrigerii.

11. 4. *Ponuntur omnes montes Dei in viam* apertam atque expeditam Eccleſiæ, ut nihil Euangelio obſtet; *& aggeres ejus elevantur*, habent fideles adjumenta, ut tanquam in aggeribus ambulent, non metuentes aberrationem.

12. 5. *Gentes de longè, ab Ortu & Occaſu*, itemque *à Septentrione & terra Sinæorum*, id eſt, Meridie, *veniunt* & accedunt ad Eccleſiam.

13. 6. Ἐπιφώνημα, quo *cœlo & terræ*, itemque *montibus*, id eſt, angelis & beatis hominibus in cœlo, hominibuſque in toto mundo, demandatur *cantus & gaudium*: quia *Dominus conſolatus ſit populum ſuum, & inopes ſuos miſeretur*.

Cum ſuperioribus promiſſionibus comparatur cogitatio Eccleſiæ, & querela ejus de divina deſertione & oblivione ſui, ℣. 14. Cui Deus reſpondet. Hic ordine dicuntur iſta.

14. 1. Eccleſia Novi Teſtamenti poſt initia ſua habet ſpeciem *derelictæ*, ſecundùm apparentiam ſcilicet, & ſecundùm judicium mundi. Nam reverâ, dum *Jehovam* nominat, qui ſit, quod eſt, & *Dominum*, cujus eſt populus & regnum, ſpem fidemque ſuam, nullis tentationibus expugnabilem, teſtatur.

15. Hanc itaque ſolatur Deus, *negando, ſe Eccleſiæ obliviſci poſſe*, ut regnum, in Sione inchoatum, per filios ejus non perpetuetur in ſeculum. 1. quia mulier non poteſt obliviſci ſui fœtûs. 2. quia magis diligit quàm mulier, & major eſt omnibus.

16. Tum etiam illuſtrat curam ſuam erga Eccleſiam ſimilitudine ejus, qui inter operandum ante oculos & quaſi *in manu* ipſa habet pictam ideam operis ſui, quo notatur, omnes Dei actiones collimare ad Eccleſiæ bonum. Porrò *muros ipſius ſemper eſſe coram oculis ipſius*, tanquam ſapientis τεχνίτου, ut eos exſtruat.

17. 2. Effectus curæ divinæ in præſens proventus filiorum. *Feſtinarunt filii tui*, ex quibus minimè putabas, celeriter nati.

3. Eruen-

3. *Eruentes Ecclesiam ac desolantes ex ea exeunt*, recedunt ab ea, ut pauci cum ipsa maneant: quo tempore maximè habuit Ecclesia speciem *desertæ*. 17.
Jubet autem sperare, etiam interposito juramento, omnes illos, *qui congregantur, accessuros ipsi, ut illi fiant ornamentum*. 18.
4. Commemorat *vasta Ecclesiæ* & *desolata*, & *terram destructionis*. 19.
5. Sed contrà affirmat, futurum, ut *arctè habitet*, *remotis corruptoribus*. 19.
Adeo ut *filii orbitatis de loci angustia* quodammodo sint *conquesturi*. 20.
Et admiratura sit ipsa mater, *unde tot filii provenerint*, *quomodo nati* sint, *quomodo educati*, *ubi fuerint?* 21.
Ostendit etiam, quomodo futurum sit, ut filii Ecclesiæ adducantur, nempe *elatâ manu Dei ad populos*, *& ostenso ipsis signo suo*. *Signum* id est Christus ex Scriptura demonstratus. *Manus Dei* est interna tractio. Addit, filios adducendos *in sinu*, & *in humeris*, cum commoditate scilicet. 22.
Regibus & reginis ancillantibus, & quidem cum reverentia & summa demissione. Fructus hujus beneficii, ut *cognoscant*, *quòd ipse sit Jehovah*, tenax sui propositi; *quem qui exspectant*, *non pudefiunt*. 23.
Tandem in visione spectanda proponuntur ordine ista:
1. Diabolus *fortis* ille, habens τὸ κράτος τοῦ θανάτου, & quidem per legem, unde *justus*, spoliatur robore suo, *ut captiva ipsius capiantur*. 24.25.
Hoc jam incepit fieri, cùm Christus appareret in carne. Vide Matth. 12: 29. Heb. 2: 14.
2. Hoc facto Diabolus *vim exercet*, & fideles carceri includit. Hæc *captura violenti*. 24.25.
3. Sed & hinc *evadit* Ecclesia, ligato scilicet Satanâ. *ibid.*
4. Suscitat Diabolus *adversarios* multos, impugnantes Ecclesiæ confessionem, & inter illos unum quendam, præ cæteris eminentem, qui suo quodam jure appelletur יריב *adversarius*, *litigator*. 25.
5. Christus *cum Adversario* Ecclesiæ *litigat*, dando scilicet Ecclesiæ suæ os & sapientiam, ut eum confutet. 25.
6. *Filios* Ecclesiæ *salvat*, nempe ut à bestia & pseudopropheta non exscindantur, imò ut à communione ejus liberentur, exeuntibus destructoribus ejus ex medio ipsius, præcedenti Peric. §. 3. 25.
7. *Vexatur* Ecclesia separata à communione Adversarii. 26.
8. *Objicit* Christus *vexatoribus* Ecclesiæ suæ *propriam carnem comedendam*, hoc est, persecutores committit inter se, ut mutuis bellis sese conficiant, & *sanguine proprio inebrientur*. 26.
9. Ita denique *cognoscit omnis caro*, *quòd Dominus sit Salvator Ecclesiæ*, qui pro illa hactenus militaverit. 26.

CAP. L.

Christus in hoc capite sibi & sufficientiam ad pretium idoneum solvendum, & potentiam ad eripiendum redemtos ex manu injustorum vendicat. Notabiles partes sunt istæ:

1. Affirmat, *Judæos propter pravitates* nondum expiatas *in servitutem venditos fuisse*, subjectos dominantibus, qui jugum legis illis imponerent, & in servitute illos continerent; itemque *dimissam fuisse matrem eorum*, patres ipso- 1.

rum, egreſſos ex Ægypto, traditos in manum virorum aliorum, præter Deum,
propter defectiones ipſorum, quia in fœdere non ſtetiſſent.
Negat tamen, *ſe dimiſiſſe illos vel vendidiſſe* principibus ſive patribus carnis,
quaſi illorum proprii ſint, & ut illos in perpetua ſervitute tenerent. Dati enim
erant populo, ut tutores & curatores, imò ut paranymphi, qui ſponſam ad
Chriſtum deducerent.
2. 2. *Venit* itaque ad populum ſuum ex ea ſervitute liberandum, & *præconium*
apud eum *exercet*, populumque vocat ad ſe.
2. 3. Cùm autem vix ullum reperiret dicto audientem, utitur demonſtratione,
quòd apud ſe ſint omnia, quæ in perfecto Salvatore & Deo Iſraëlis requirun-
tur. Videlicet 1. *quòd non abbreviata ſit manus ſua à redemtione*, adeo-
que ſit ſufficiens ac dives ad pretium idoneum ſolvendum. 2. *quòd ſit potens ad
eripiendum* ſuos ex manu injuſtorum dominorum.
2. Poſterius probat his argumentis. 1. quòd *is ipſe ſit, qui increpatione ſuâ ſiccat
mare, fluvios, ut piſces fœteant*, qui ſcilicet mare rubrum ſiccavit, & non
3. pauca regna in gratiam Iſraëlis evertit. 2. *quòd cœlo induat atrorem* ad pluviam
faciendam, tonitrua, fulgura & fulmina jaculandum, vel etiam quòd homi-
nibus adimat aſpectum lucis triſtitiâ & anguſtiâ eos puniens.
4. Prius probat 1. ex eo, quòd *dederit ipſi Deus linguam eruditorum ad oppor-
tunè loquendum feſſo*, longâ ſcilicet exſpectatione & gravi ſervitute laſſato. Ergo
ſufficit ad doctrinam; quòd nempe *Dominus ipſi excitet aurem ad audiendum
inſtar eruditorum*, quòd ſcilicet, quæ in lege ſcripta ſunt, tam penitùs intelli-
5.6. gat, ut qui Deo doctore ea perdidicerit. 2. ex δικαιώματι, nempe ex obedien-
tia, & quidem uſque ad omnia probra ferenda. Atque hic pars paſſionum Chri-
7. ſti ſpecificatur: quòdque hæc obedientia Deo ſit grata. Id probat (*a.*) ex eo,
quòd *Deus auxilietur ipſi*, nempe per totum tempus prædicationis ſuæ. Quo-
ties enim voluit, præſens ipſi fuit divina vis ad faciendum miracula. Hanc
8. cauſam dicit ſuæ conſtantiæ, & patientiæ, ac libertatis. (*b.*) ex eo, quòd
propinquus ſive præſens ſit judex, *qui juſtificet illum* tum à criminationibus ad-
verſariorum ſuorum, tum à peccatis populi ſui, per reſurrectionem ex mor-
9. tuis. (*c.*) *quòd opituletur ipſi*, per miſſionem Spiritûs Sancti & efficaciam in
converſione hominum, atque ita regno Chriſti erigendo.
9. Concludit igitur, *ſe non poſſe condemnari*, vel ut non ſufficientem, vel ut non
ſatis potentem Salvatorem.
9. 4. Pronuntiat ſententiam in adverſarios ſuos, *quòd illi, tanquam veſtis, uni-
verſi antiquabuntur*, non aliter, ac ſi *tinea illam corroſiſſet*. Notatur abolitio to-
tius politiæ Judæorum cum omnibus principibus.
11. Irridet etiam Judæos *ardentes igne, & ſe flammis accingentes*, & per ἐμπυρι-
σμὸν jubet *illos ire in igne ſuo & in flammis ſuis*, id eſt, perire in bello, quod
excitaverint. In poſterum verò *illos in dolore eſſe decubituros*, hoc eſt, nec
die nec nocte habituros eſſe requiem, ut in bona conſcientia Jehovam appellent
Deum ſuum.
10. 5. Ab altera parte jubet *timentes Dominum* inter Judæos, & *auſcultantes vo-
cem ſervi Dei*, credentes in Chriſtum, etſi *ambulent in tenebris, & nullus ſit ipſis
ſplendor*, *confidere in nomine Domini*, id eſt, in Domino per Euangelium nomi-
nato, & auctore credendi in ſervum ſuum facto, & *in Deo ſuo niti*, ſervo ſcili-
cet Dei habenti poteſtatem ad eripiendum, ſicque Deo Iſraëlis.

6. Pau-

CAP. LI.

. Paucitas & ſtatus deſolatus populi Dei. Quando enim Judæi dimitteban- 6.
ut abirent in flammis, quas accenderant, nulla videbatur eſſe ἐπισυναγωγὴ
uli Dei: quin etiam Chriſtiani paſſim trucidabantur. Ii hic *perſequentes*
tiam, & *quærentes Jehovam*.
los Chriſtus ſolatur, jubetque reſpicere ad *rupem*, *unde exciſi ſint*, & *ad* 1.
men ciſternæ, *unde effoſſi ſint*. Is eſt Chriſtus ipſe, rupes ſalutis, ex cujus
e, ceu foramine ciſternæ, profluxit Eccleſia.
einde jubet intueri Abrahamum & Saram, quorum filii ſunt fideles propter 2.
nplum fidei, qui unus fuerit ac ſolitarius, cùm egrederetur ex terra ſua.
um etiam promittit, ſe juramentum ipſi factum impleturum *benedictione* &
iplicatione.
romiſſionem confirmat ex eo, quòd Deus *jam inceperit Sionem ſolari*. Nam 3.
riſtus venit, ut ſolaretur, & Spiritus Sanctus effuſus & Euangelium præ-
um, & velum ablatum in deſtructione Hieroſolymæ & politiæ fecerunt,
on haberet aliam ſpeciem *non deſerti*, *ſed paradiſi*. Promittit igitur, in
hilaritatem in incitatione ad apprehendendum arcem ſalutis, & regnum
ti cum labore & tribulationibus multis; & *lætitiam* in ſenſu ſuavitatis di-
cum voce confeſſionis & cantûs repertum iri.
Chriſtus jubet *populum ſuum*, ut qui alium regem non habeat, & *natio-* 4.
ſuam, quæ alium fratrem non agnoſcat, *ad ſe attendere*, & *ſibi aures ac-*
odare, neque ulli homini attendere. Nam *legem à ſe* auctore, doctore
ectore, non intercedente humanâ ſapientiâ vel auctoritate, *exituram*:
dicium ſe adminiſtraturum, & quidem *celeriter*, quaſi in momento, ita *ut*
inde *illuminentur*.
nfirmat dicta 1. à *juſtitia ſua*, quòd ea *præſens* ſit, id eſt, quòd jus filio- 5.
Dei redemtione partum & paratum ſit. 2. *à ſalute ſua*, *quòd ea exiverit*,
cta ſit notoria in converſione Judæorum & gentium,& in deſtructione ve-
γήματος, & in idololatrarum infirmatione,ac liberatione Eccleſiæ ex ma-
rum. 3. *à brachiis ſuis*, *quòd ea populos judicatura ſint*. Innuit, ſibi vires
ficientes ad judicium peragendum. 4. à jure ſuo, quod *ſibi datum ſit*,
ulæ ipſum exſpectent, & *ad brachium ejus ſperent*. 5. à *præteritione cæli*
e & habitatorum ejus, id eſt, omnis poteſtatis & principatûs, nomina- 6.
onorum in Eccleſia collocatorum, in quibus ſedentes tanquam ex cœlo
tur, & hominum iis parentium. quòd contrà ea *ſalus ſua erit in ſæcu-*
& juſtitia ſua non conſternabitur, id eſt, efficacia ſalutis & juſtitiæ partæ
m interibit. Oportet igitur, ut ad me tantùm attendatis.
nde Chriſtus eos, *qui cognoſcunt juſtitiam* hominis peccatoris ſcilicet, 7.
m fit hæres vitæ æternæ, de qua diſputant cum iis, qui nomen Catho-
habent, & *populum* jam ſeparatum à cœtu Antichriſti, *in quorum*
lex Chriſti, ex Scripturis cognita, & amata, & credita, eos, in-
Chriſtus hortatur, *nolint timere convitium hominis*, qui pro lege Dei
trudit, & *ob blaſphemias illorum ne conſternentur*.
o contemnendæ ſententiæ ipſorum eſt duplex. 1. quia ἀναλωθήσονται. 8.
rat comparatione *veſtis conſumendæ per tineam*. Fore enim, ut illumi-
cordium multis in locis & in multis partibus doctrinæ effectâ ſit cauſa,
quare-

quare *veſtis* illa, ceu velum omnibus populis impoſitum, laceretur primùm, deinde fatiſcat magis magiſque. 2. quia *juſtitia Chriſti & ſalus ejus in perpetuum manebit*.

9.10. 9. Eccleſia anguſtata implorat opem Dei, petitque, ut ſic intereant adverſarii, quemadmodum olim Rex Ægypti Pharao in mari rubro, & poſtea Romani perſecutores cæſi & peſſumdati ſunt: utque ſic ad Eccleſiam Reformatam confluant omnes gentes, quemadmodum poſt victoriam Conſtantini omnes gentes certatim nomen Eccleſiæ dederunt.

10. Interim verò parat media carnalia ad reſiſtendum hoſti, tanquam ſi *ti-*
12.13. *meret hominem*, & *formidaret propter æſtum coanguſtantis, quando paravit de-*
ſtruere; atque ita *obliviſcitur Dei ſui*.

12. 11. *Solatur* Deus Eccleſiam ex verbo ſuo, & revocat à timore carnali, ar-
13. gumentis ductis 1. ab eo, quòd *homo ſit mortalis*, Deus verò *fecerit Eccle-*
ſiam, non tantùm creatione, ſed & illuminatione, ejuſque ex Babylone e-
1.3.f. ductione & multiplicatione, ut jam hoſtibus terribilis ſit. Tùm & ab eo,
quòd Eccleſia videat hunc & rurſus alterum tyrannum diſparentes, & in medio
14. furore ſuo exſtinctos. Itemque ab eo, quòd, qui non ſubſiſtit præ metu, ſed
gradum facit, is & velocem habeat anguſtiæ *ſolutionem*, & non ſit moriturus, ut
15. *recondatur in fovea*, nec *deſtituendus pane*? Præterea commemorat etiam
nomen & fœdus ſuum, quòd is, qui occaſione prædicationis Euangelii *irritá-*
rit gentes & tyrannos, ut tanquam ſævum *mare* fluctus attollant ad inundandam
terram Dei, is, inquam, ipſe ſit *Jehovah Deus exercituum*, qui in repræſentatione
hæreditatis gentium promiſſiones ſuas Chriſto atque Abrahamo factas imple-
16. tum eat. Commemorat etiam curam ſuam circa Eccleſiam, quòd interim, dum
movetur mare, Eccleſia habeat verbum Dei, *quod poſuerit in ore ejus*, quòd-
que eam *protegat umbrâ manûs ſuæ*, ut deleri ab hoſtibus non poſſit? Denique
etiam indicat conſilium ſuum, fore, ut ex illa confuſione mundi oriatur no-
vum *cœlum* & nova *terra*, quam det populo adhærenti Sioni; utque ſuo tempo-
re ipſi dicat, *tu es populus meus*, ſive vera Eccleſia mea.

18. 12. Deſcribitur Eccleſiæ infirmitas & *inopia*. 1. quòd *non ſit ipſi clementer*
agens, vel *manum apprehendens ex omnibus liberis, quos genuerit ac educave-*
19. *rit*. 2. quòd illi duo calamitatum genera evenerint, *vaſtatio* regionum facta ab
hoſte & *fractio* à peſtilentia; itemque *fames* & *gladius* inteſtinus. Addit,
Quis conſolabor te? ſignificans, calamitatem tantam eſſe, ut vix ſit ratio, quâ
20. effici poſſit, ut doloris ſui obliviſcatur. Inprimis notat ſtragem *filiorum Eccle-*
ſiæ, quòd paſſim jaceant confoſſi & telis confixi, ut belluæ, idque propter ar-
dorem & increpationem Domini.

17.21. 13. Tandem jubetur *Hieroſolyma reſurgere* & vires redintegrare poſt gra-
22. viſſimas ærumnas, atque ad Deum attendere; qui promittit, *ſe diſceptaturum*
eſſe cauſam populi ſui, & jam *auferre calicem ex manu ejus*, *quem in poſterum*
non ſit bibitura.

23. 14. Contrà, quòd *illum tradat bibendum vexatoribus ejus*, qui illam depreſſerint & pedibus conculcaverint, cum ſumma ejus patientia.

CAP. LII.

1. 15. Tandem, ut ℣. 17. cap. præced. jubetur Hieroſolyma *excitare ſe*, &
adjunguntur ea, quæ ad ampliorem Eccleſiæ conſolationem pertinent. Nempe
jube-

betur *induere robur suum*, Deum nempe perpetuò apud ipsam mansurum, sique subjecturum omnia; & *vestes ornatus suas*, depositis scilicet erroribus, andalis, & inutili regimine: *Non* enim *venturum* vel *intraturum in ipsam plius præputiatum & impurum*, imposterum scilicet cessaturam illam mixtum gentium cum fidelibus, quæ calcarunt civitatem sanctam, & abolendum rbum non divinum, & dominationem alienam.

C. 52: 2. Ex amplissima illa promissione, quæ est ℣. primo hujus cap. oritur occasio dicendi de rebus omnibus, quæ debuerint antecedere hæc Dei beneficia, tum ante, tum post adventum Christi. Quarum hic est ordo.

Hierosolyma *excutit pulverem*, & *surgit*, reædificatur scilicet à funda- 2.
entis, & reædificata stat & *habitatur*. Nehemias post Zorobabelem, qui temum fundavit, hanc ædificationem absolvit.

Captivitatis & servitutis gentium solutio. Vide historiam in Notis Cocceji. *ibid.*
Libertatis promissio confirmatur ratione, quod cum *gratis venditi essent* 3.4.
tum *Assyrio*, Ninevitæ & Babylonio, qui *pro nihilo contra jus eum rapuerant*, tum in terra Romanis, qui Judæam jam redegerant in potestatem, 5.
sicque *populum Dei gratis acceperant*; *principibus ejulantibus* propter imminuta bona terrena. Vide Not. ad ℣. 7. jam *redimendi sint* à nexu legis: 3.
à reatu, ab accusatione peccati, & consequenter à servitute, idque *per Goël*, *pretio* quidem, sed *non* auri vel *argenti*.

Ad hoc autem requiritur, ut *populus* misso prodrŏmo Johanne Baptistâ *co-* 6.
oscat nomen Dei, & *in die illo*, quando scilicet cognoscit nomen Dei, *cognot, quod Deus is sit, qui loquitur*, *Ecce me*; sicque præsentiam suam testatur.

5. Interim *toto die nomen Dei blasphematur*, tum ab hostibus externis, tum 5.
doctoribus populi, justitiam Dei ignorantibus.

6. Imminet igitur nova calamitas urbi & templo ac terræ. Id testatur verbis. 6.
unc igitur quid mihi hîc?

7. Israëlitæ verò, qui speraverunt salutem Dei, inter sese colloquuntur & 7.
mirantur *decus prædicantium Euangelium*, Apostolorum scilicet qui instruomni divina virtute, ab uno monte ad alium per totam terram proficiscun-, & Euangelium nunciant *de bono*, id est, de illo sacrificio, quòd Deo pla-, & fide, quâ obtinetur justitia; *de pace*, quam obtinent justificati; *de* -
ute animarum & liberatione Ecclesiæ ab omni servitute legali; item de *no Dei* opposito principatui hominum jam rejecto. ℣. 5.

Iidem fideles Synagogam excitant ad animadvertendum *vocem speculatorum* 8.
s, qui exspectaverant Christum, & ad signa temporis adventus ejus attenrant, *tollentium vocem*, ut qui viderent id, quòd exspectaverant, sicque nagogam somnolentam excitantium, Rom. 13: 12. & quidem cum *cantu versali*, *quòd oculis suis videant*, *Deum id agere*, *ut reducat Sionem* ad se verbum Euangelii & virtutem Spiritûs Sancti effusi in omnem carnem.

Reliquos fideles, *desolata Hierosolymæ*, afflictos scilicet à Judæis egenos, 9.
tes inter Israëlitas, adhortantur ad *gaudium & cantum similem: quia* scili*Deus populum suum sit consolatus*: quæ consolatio est justificatio & libers donatio: & quia Deus *vindicavit Hierosolymam* ceu rem Christi pretio ptam.

Addunt ad lætitiam eorum excitandam amplitudinem hæreditatis ipsorum, 10.

quòd ſcilicet *Dominus exeruerit brachium ſuum ſanctum coram oculis gentium*, id eſt, fecerit, ut gentes cognoſcerent virtutem Spiritus Sancti in Apoſtolis, & in aliis fidelibus, atque etiam in ſe ipſis; quodque *omnes fines terræ* in omnibus tribubus ſcilicet, *ſalutem Dei*, quam ſcilicet Deus fecit. *viderint.*

11. Jam porro ſe mutuo fideles adhortantur *ad exeundum illinc*, *ex medio illius*, urbis ſcilicet, ubi ſunt *deſolata Hieroſolymæ*, id eſt, illi, quibuſcum reliqui Hieroſolymitani nolunt coædificari, atque ita ex ipſa Hieroſolyma. Qui jubentur exire, dicuntur *ferentes vaſa Domini*, vaſa ſcilicet teſtacea illa, quæ gerunt theſaurum verbi Dei. *Ne impurum tangant.* Templum ſcilicet jam olim inquinatum peccatis Iſraëlitarum, multo magis autem nunc, poſtquam Deus inde diſceſſiſſet: Judæos verò etiam ipſos aſpernantes τὸν κληρονόμον τῶν ἁμαρτιῶν: utque *ſeſe purgent* ſubducendo ſeſe ab incredulis, puri cum puris congregentur.

12. Hæc receſſio & quidem maturata ſuadetur à comminatione, quòd ſi reſiſtant diutiùs, aliquando cogentur fugere cum præcipitatione. Subinnuitur promiſſio, Deum ipſis, ſi maturè exeant, paraturum locum habitationis.

13. Tum etiam ſuadetur egreſſio maturata à profectu regni Chriſti. In genere dicitur Chriſtum *ſervum Dei feliciter proceſſurum.* In ſpecie, quòd *ſupereſſeretur*, & magis magiſque altior fiet. quando ſcilicet altitudo ejus magis magiſque & à pluribus cognoſcetur. Pergit, *& elevabitur*, ſupra hoſtes ſuos; *& exaltabitur valde*, cognoſcetur ſine controverſia altiſſimus.

Illuſtratur hoc 1. quod *multas gentes ſit aſperſurus*, id eſt, purificaturus à peccatis ſuis, & ſigillum quoque hujus purificationis, aquam baptiſmatis, ipſis ſit applicaturus. 2. quòd *reges ſuper ipſo ſint clauſuri os ſuum.* Inter illos quoque illi, qui Beſtiæ tradiderunt poteſtatem ſuam, & contra veritatem dura pronuntiaverunt. Nempe *cùm viderint non narrata*, hoc eſt, qualia in nulla hiſtoria antehac geſta exponuntur, *& clarè ac diſtinctè perviderint*, *quod hactenus non audiverant.* Claram nempe expoſitionem verbi Dei, ac demonſtrationem tùm doctrinæ, tùm implementorum prophetiæ. Hanc Chriſti gloriam

14.15. comparat cum præcedenti ſtupore multorum ſuper Eccleſiâ, quæ Chriſtum audeat nominare Deum ſuum, cùm in mundo non habuerit id, unde *vir* appellari poſſet, imperii nempe dignitatem, & dixerit ea, quæ vix in hominem cadunt, nempe ſe eſſe filium Dei, fuiſſe ante Abrahamum, & ſimilia.

CAP. LIII.

1. Conqueruntur hic fideles de paucitate credentium Euangelio, quibus gratia doni fidei à Deo concederetur.

2.3. & Confitentur etiam errorem priſtinum nomine totius populi, atque etiam no-

4.*p.a.* mine ſuo, quatenus ante illuminationem Spiritus Sancti in ipſo ſcandalizati fuerunt, & ſine illa non potuerunt aliter judicare. Nempe viderant ipſum ut *ſto-*

2. *lonem* aſcendere, qui non ex arbore, ſed ex radice progerminat. Itaque viſus eſt adnaſci populo, quaſi ad illum non pertineret, ita tamen, ut *coram Domino*, & quaſi ipſo inſpectante & curante adeoque ſine auxilio humano aſcenderet, & creſceret. *Et ut radix ex terrâ aridâ*, tardè ſcilicet crevit. *Non ſpecies ipſi & majeſtas* aliqua terreſtris erat, aut ſigna manifeſta, qualia patres in deſerto viderant. Et quamvis talia dicebat & faciebat, unde ignorari non poterat, tamen *aſpectus non erat ipſi*, hoc eſt, id quòd in ipſo æſtimandum erat,

non

non ad oculum apparebat, unde percelli omnes possent. Igitur concludunt,
se illum non desiderasse.
• Amplius ὑποτύπωσις Christi humilitas, quòd fuerit *contemtibilis*, & *deficiens* 3.
virorum, non viros sed pueros, rudes, mulieres, meretrices, probra populi
circa se habens; *vir dolorum* animi & corporis, & *cognitus infirmitate*: Deni-
que tanquam *absconsio faciei*, abominabilis, quemque vellent de medio subla-
tum, ut quem cogitarent extitisse ad tentationem & seductionem populi, *præ*
nobis, ita ut nullum inter Judæos haberemus æque abominabilem. Quod pa-
tuit, quando Barrabam potius quam ipsum vivere voluerunt. Concludunt igitur
quoad hanc partem, quòd *ipsum non reputaverint*, sive, prout dignum erat,
æstimaverint.

In hoc versu adhuc continuatur confessio præjudicii fidelium de Christo,
quem censuerant *plaga affectum*, *percussum Deorum* & *subactum*. Sed huic con- 4.
fessioni jam opponunt argumenta suadentia contrarium. *Enimvero morbos no-*
stros ipse tulit, & *dolores nostros ipse bajulavit*, non tantùm auferendo morbos
& sanando, sed etiam morbis ac doloribus tentatus, ut nos ab illis liberemur.
Vide Matth. 8: 17. Judæi eum censuerant *plagâ affectum*, malè sibi conscium,
ut cum in judicio conticisceret. Revera enim mala conscientia instar habet
plagæ lepræ.

Opinioni de plaga opponitur Christi συμπάθεια. *Atque ille dolore afficieba-* 5.
tur à defectionibus nostris, *enervabatur à pravitatibus nostris*, inprimis in animo
maximos patiebatur dolores, quos clamore & lachrymis & sudore & oratione
testatus est. Qui dolores & metus eum fecerunt ἀπονοῦντα, & stupentem, & quasi
enervatum, sive consideraret meritum peccati, sive peccata & tentationes Ec-
clesiæ futuras, sive interitum suorum hostium, quibus ceu fratribus indolescebat.

Judicatus est Christus *percussus Deorum*, justè à diis flagellatus. Huic præ- *ibid.*
judicio opponitur, quòd *exemplaris pœna super* ipso fuerit, causa *pacis nostræ*
& *incolumitatis*, factus pro nobis peccatum, & exemplum iræ divinæ, ut nos
essemus incolumes, & maledictionis expertes: & quod *in vibice ejus est nobis*
facta sanatio. Totam passionem per partem designat.

Judicatus est Christus *subactus*, & victus, quando mortuus est. Huic opi-
nioni opponitur ratio passionum ejus, quòd cùm *omnes nos*, tam gentes, quam 6.
Judæi, *ut oves aberrassemus* à pastore animarum, & *quisque ad viam suam re-*
spexissemus, consilium quisque proprium de paranda justitia secuti. *Dominus*
fecerit incurrere in ipsum pravitatem omnium nostrum, eum faciendo servum
suum, & constituendo sub legem dilectionis fratrum & obligando ad volunta-
tem offerendi se victimam pro illis: Quòd, cum *exigeretur* pravitas omnium 7.
nostrum, ac tempus venisset, quo Deus volebat condemnare peccatum, tùm
ipse se submiserit, ac steterit tanquam sponsor, & sacerdos paratus ad exci-
piendas plagas pro nobis. Et quidem cum silentio & tolerantiâ, *tanquam a-*
gnus &c.

Deinde & morti ipsius opponitur exaltatio. *Assumtus est ex imperio* Pilati, à 8.
quo *coarctatus* & *inclusus* erat, ut non exiret, adeoque ex ipsa morte & se-
pultura; & *ex judicio*, tum injusto Seniorum, tum justo Dei, postquam fa-
ctus esset ab ipso peccatum. Ergò resurrexit ex mortuis & ascendit in cælos;
& quidem ut æternum vivat, & ut plurimos gignat filios. Et, *quia excisus est*
ex terra viventium propter populi defectionem à rege suo, ejusque rejectionem,

ideo *plaga* ſive impuritas & mala conſcientia *eſt ipſis*, Judæis defectoribus, de quibus etiam judicium acturus eſt: quod etiam ad exaltationem Chriſti pertinet.

9. Actus defectionis populi etiam diſtinctè explicatur, quod eam oſtenderint inexplicabili odio, perſeverante etiam poſt mortem. Id demonſtratur ex eo, quòd populus non contentus ei contradicere, cum eo tempore judicia capitalia non haberet, *dederit ſepulturam ejus cum damnatis*, omnino volentes ipſum crucifigi, *& cum divite in mortibus ejus*, cum ſcilicet non ſimplici morte interfactus eſſet. Præſides enim populi & ſepulchrum obſignarunt, & cuſtodiam appoſuerunt, volentes eum ibi manere; & quidem innoxium, nulliuſque mendacii compertum.

10. Ad exaltationem Chriſti pertinet, quòd *Dominus* Diabolum *volentem enervare ipſum infirmarit*, ac ad impotentiam redegerit; quodque *cum poſuerit anima* ſive enixa voluntas, & charitas *ejus*, *ſatisfactionis pretium* vel *ſacrificium pro reatu*, ſit *viſurus ſemen*, peculium, populum, filios non ex generatione carnali, ſed divina regeneratione prognatos: quod ſemen *ſit habiturum longitudinem dierum* vitam æternam; & *in cujus manu voluptas Domini ſit proceſſura*, Chriſtus ſcilicet ipſos faciet facere voluntatem Dei, & labor eorum in Domino non erit fruſtra. His verbis non tantum fideles corrigunt priſtinum errorem, verùm etiam querimoniam ℣. 1. de paucitate credentium in exſpectationem ſeminis melioris mutant.

11. Hanc fidelium ſpem atque exſpectationem Deus confirmat, declarando Chriſtum *à labore animæ ipſius* ſive obedientiâ, compaſſione, triſtitiâ & anxietate, *viſurum unde ſatietur. In agnitione*, hoc eſt, fide fiducia ac cultu *ſui*, *juſtum ſervum ſuum*, qui ſcilicet legem impleverit, *juſtitiæ cauſam atque auctorem fore multis*, omnibus ſcilicet familiis terræ, quarum Abrahamus eſt conſtitutus hæres. Modum juſtificationis hujus explicat, *& pravitates eorum ipſe bajulabit*, nempe intercedendo pro peccatis Eccleſiæ.

12. Ex dictis porrò deducit, quod Chriſto *daturus ſit Deus partem in multis*, *& cum robuſtis* vel *robuſtos & numeroſos ſit partiturus pro ſpolio.* Senſus eſt, tandem πλήρωμα τῶν ἐθνῶν ad Chriſtum acceſſurum. Cauſa hujus gloriæ regni Chriſti adſcribitur ipſius obedientiæ, quod *effudit in mortem animam ſuam.* Deinde, quòd, cum hoc faceret, *cum defectoribus numeratus eſt*, damnatus injuſte ab hominibus. Tertiò, quod *peccata multorum*, non unius generis, *tulerit*. 4a. ratio ſumitur à perfectione obedientiæ, quod & *pro defectoribus oraverit.*

CAP. LIV.

Quandoquidem in ſuperiori Capite ſignificata eſt rejectio Judæorum, & paucitas credentium ex iis, & datio hæreditatis Chriſti inter multos, & plurimi ſeminis proventus: idcirco hæc mater, cui ſunt filii iſti multi, hic compellatur, ac diſtinguitur ab ea matre, cujus filii rejiciuntur.

1. Quotquot per fidem promiſſionis juſtificati ſunt ante lationem legis in deſerto, nomine *matris* indicantur, quia habuerunt promiſſionem de ſemine, eamque ſua fide ratificarunt, & exemplum credendi ad juſtitiam dederunt. Hæc mater dicitur *deſolata*, quia nunquam habuerunt hi patres faciem populi: nec maritos habuerunt in terra, hoc eſt, principes, legiſlatores, nuncupatos Deos, ut *maritata*, quæ accepit Vetus Teſtamentum ſub monte Sinai, & cum

eo

eo tabernaculum ad inhabitationem Dei, & cathedram principum, qui Dii vocati ſunt. Hæc mater fuit ſerva, adeoque generavit filios in ſervitutem. 1
Prior autem peperit, & quamdiu ipſa ſerva peperit filios, tamdiu patres priores non habuerunt filios ſuos, genuinos ejuſdem hæreditatis hæredes. Igitur comparatur cum *ſterili* Sarà, & ipſis attribuitur *nec peperiſſe*, quia nullus ex filiis ipſorum fuit ſimilis ipſorum durante Veteri Teſtamento, *nec parturiviſſe*, quia etiam ipſi neſciverunt, dùm in carne verſarentur, quo in ſtatu filii ſui genuini futuri eſſent. Nam quæ Deus præparabat exſpectantibus ſe, ſuperabant hominis cogitationem. Nunc verò jubetur *cantare* ſterilis *propterea* quod *plures ſint futuri filii ejus præ filiis maritatæ*. Illius vicem jam ſuſtinebant Apoſtoli, repræſentantes patres in fide & juſtitia & libertate.

Hos autem jubet *dilatare locum tentorii ſui*, *ubi cortinas tabernaculorum ſuorum extendant* &c. id eſt, animo complecti totum mundum convertendum, 2.
& ſine diſcrimine omnes gentes recipere pro filiis, & *paxillos defigere*, id eſt, inculcare verba veritatis, & fidis teſtibus commendare, ut nomen & verbum Chriſti radices agat in mundo, & exſtirpari non poſſit.

Ratio ducitur ab incremento in omnem plagam cœli; adeo ut ſemen ipſorum 3.
gentes hæreditet, & urbes vaſtatas faciat habitari.

Munit eos adverſus *timorem* adeoque & certamina. *Nam non iri pudefactum.* 4.
Vetat *ſubterfugere*: *non* enim futùrum, ut *compungantur*. Quinimo *oblituros eſſe pudorem adoleſcentiæ ſuæ & probrum viduitatis*, id eſt, illam ſpeciem ſolitudinis & infœcunditatis, quam Eccleſia primis temporibus habuit.

Ratio ſumitur ab eo, quòd *qui illam* abrogatis principibus *ſibi deſponſaverit*, ac deſtinaverit omnem amorem ſuum ei impendere, *ſit factor ejus*, qui 5.
eam conſummaverit ſecundùm ſtatum & conditionem, adeò ut jam ad pariendum Abrahamo liberos ſint aptiſſimi.

Ampliùs roboratur promiſſio à priſtina conditione Eccleſiæ vocatæ, nempe 6.
quod *illam vocaverit Deus*, *ut uxorem deſertam & cruciatam ſpiritu*, aut *ut uxorem adoleſcentiæ ſpretam*. Vide cap. 50. §. 1. Conveniens igitur eſt, ut pro derelictione accipiat magnam conſolationem.

Id ampliùs declarat, quòd *parvo momento* Eccleſiam *dereliquerit* & tradi- 7.8.
derit principibus, ſed quod *gratiâ ſæculi ejus ſit miſerturus*: quod *pauxillo fervoris*, quem operabatur lex, maximè quando coacti ſunt chirographum adverſus ſe ſcribere, & ſubjecti ſunt tutoribus, qui dominarentur in ipſos, *abſconderit faciem ſuam ab ipſa*; ſed quod *miſericordiâ magnâ eam ſit collecturus*, 10.
per fœdus ſcilicet *pacis*, quæ opponitur diviſioni gentium.

Confirmatur hæc promiſſio juramento, eique juramento fidem facit ſervatio- 9.
ne alterius juramenti & de re ſimili. q. d. quemadmodum ſervavi juramentum de diluvio non reducendo, ita ſervabo juramentm de jugo non reducendo, de non iterandâ *irâ*, de non repetendâ *increpatione*, ſive accuſatione peccati.

Ad conſolationem ampliorem promittuntur chariſmata abundantiora, ut 11.
illa, quæ erat *inops & horrens*, id eſt, quæ acceperat Spiritum ſervitutis ad metum, ſit exædificata, fundata, coagmentata, exornata. Omnibus *lapidibus*, id eſt, membris, tribuitur nitor, *tanquam ſi in ſtibio aut vitro eſſent poſiti*, id eſt, confeſſio illius verbi, quòd eſt lux & ſapientia & charitas, per quam emicat virtus Spiritus Sancti. Fundamentum dicit *rubinos*, ſive *pyropos*. Fundamentum Eccleſiæ eſt Chriſtus crucifixus.

12. *Specularia* facit *ex Cadcod*, gemmâ lucidâ vel pellucidâ, ut notetur, Ecclesiam vel domi habere lucem, vel versari in luce. *Portas* assimilat *carbunculo*, sive ardenti gemmæ. Christus, in quo est lux & amor, est via. Denique *totum terminum*, singulos fideles, dicit *gemmeos*, quia æque pretiosâ fide sunt præditi.

13. Ad cumulum consolationis promittitur, *omnes filios Ecclesiæ fore discipulos Dei* solius scilicet, cujus verbum solum sint audituri, & sine medio recepturi, & per ejus internam illuminationem credituri: tandemque *pacem filiorum ejus multiplicatum iri.*

14. Promissionibus intertexitur admonitio, ut *se confirmet in justitia*, id est, in Christi obedientia, & jure, quòd per obedientiam consecutus est, quodque offertur credentibus: & fide ac confessione veræ justitiæ. *Afraudatione* verò *longè recedat*, id est, à doctrina & judicio pugnante cum justitia, quo scilicet Christo eripitur gloria, errantibus veritas & salus, justis debita consolatio &c. ut vero talem fraudationem caveat, *ne percellatur*: *Quia non accedet ad illam*, Deus non patietur eam tentari ultra quam possit ferre.

15. Ampliùs suadetur firmitudo & fiducia animi, quia *nemo timendus est præter Deum*: Et quia quicunque accedunt ad Ecclesiam, aut illi cohabitant, in illius partes sint transituri, quamvis initio eorum injurias & odia experiatur.

16. Deum enim præesse illis, qui parant instrumenta ad lædendum, & creasse instrumenta, per quæ hostes comminuantur.

17. Denique & *hæreditatem ac justitiam*, sive jus proprium *servorum Dei* esse, ut *judicio vincant omnem linguam accusantem* aut veritati contradicentem, & pudefaciant omne telum, quod contra ipsos paratur.

Cap. LV.

Quemadmodum cap. 54. est sermo ad credentes: ita in hoc cap. est sermo ad Judæos partim addubitantes de libertate Christiana & regno Christi, attamen justitiam Dei sitientes, qui monentur, ut servitutem legis, & omnia, quæ habebant in terra Canaan, relinquant: partim improbos, sive justitiam Euangelii rejicientes. Igitur

1. A. Compellantur *sitientes*, exspectantes ac desiderantes videre complementum promissionis, & *qui argentum non habent*, qui non habent meritum vel causam justitiæ in se, tam gentiles, quam Judæi, invitanturque, *veniant, edant ac bibant aquam, vinum & lac*, id est, judicent & credant, se in Christo adeptum esse non tantum sublationem doloris malæ conscientiæ, sed etiam causam lætitiæ in spe cum omni exultatione, & abundantiam consortium in communione Christi & omnium sanctorum. *Emant* vero *hæc*, id est, ad adeptionem hujus consolationis perveniant *sine argento* cum abnegatione omnis meriti proprii, & *sine pretio*, quo quasi remuneretur hunc esum & potum.

2. Porro ostenditur, nihil esse, quod ære vel labore comparari possit, qualis erat habitatio in terra Canaan, communio populi carnalis, admissio ad atrium domus Dei, pro quibus rebus Judæi multa cogebantur facere, & de opibus suis multa dare, quod pro vero pane & pro verâ satietate dari possit, nec enim vitam dare, neque rectus appetitus in iis acquiescere potest. Sed *Deo auscultent*, & quidem *edendo bonum*, id est, credendo, quod in Deo per Christum ipsis sit parata justitia & vita. Ita enim *delitiaturam animam ipsorum in opimo*, Spiritus ipso-

ipſorum omni alacritate, promtitudine & vitulatione elatum iri, uſque ad contemtum omnium periculorum, atque ipſius mortis.

Ampliùs inſtat Deus, & inſtigat cunctantes, ut abeant ab iis rebus & ho- 3.
minibus, qui ipſos detinebant, & *accedant ad ſe*. Ita enim *victuram animam ipſorum*, id eſt, veræ lucis ac lætitiæ compotem futuram. Item *ſe ipſis* veluti *pacto addicturum eſſe in perpetuum ſtudia æterna*, quæ Davidi promiſerat, quæque in *Davidis* filio fundabantur. Hic enim per Davidem filium Davidis primariò intelligi, patet ex ℣. 4. Significatur ergo quod tanquam ex pacto daturus ſit ipſis, quod dederat Chriſto, omnes nimirum benedictiones, & ipſam quoque reſuſcitationem ad vitam æternam. Vide Act. 13: 34.

Inter bona Chriſto data, & cum Eccleſia communicanda, eſt primo hære- 4.
ditas *nationum*, id eſt, Tribuum Iſraëlis, quarum ipſe factus ſit *teſtis*, ut habens verbum antè non auditum, verba ſcilicet Dei, quæ ſuperſerant dicenda, & habens auctoritatem & nomen, propter quod ipſi ſit credendum: *princeps*, quia ipſius ſunt populus, & *præceptor*, quia habet legem, quam ipſis proponat, & quidem ſuo jure ut Dominus, legem nempe fidei & charitatis. Hæc cum principum prioris ſæculi auctoritate & nomine conſiſtere non poſſunt.

Deinde etiam obedientia gentium. *Vocabis gentes incognitas* per verbum Do- 5.
mini, & *gentes accurrent ad te*: Namque eas cogrituras, *Jehovam* eſſe *Deum ipſorum*, & *ſanctum Iſraëlis* amaturas, eo quod ſint chariſmata ſpectaturæ, quibus ipſos condecorarit.

B. *Improbos* Judæorum, plenos ſuâ juſtitiâ, & juſtitiæ Dei ſe non ſubjicien- 6.
tes, *viros vanitati*, falſæ religioni, ſtudentes, per apoſtrophen monet Propheta, *Dominum quærant & invocent*. Rationem deſumit ab opportunitate, quia *invenitur*, & *propinquus eſt*. Fore enim tempus, quo faciem ſuam ſit abſconſurus ab ipſis.

Deinde monet, ut *relinquant ſuas vias & cogitationes*. Rationem deſumit à 7.
differentia viarum Dei & hominum. naturam ſcilicet humanam talem non eſſe, 8.9.
ut ipſi viæ Dei placeant, aut ſuæ viæ aut cogitationes cum divinis coincidant. *Convertantur* autem *ad Dominum*, eumque ut *Deum Iſraëlis*: *Ampliter enim eum condonare*, id eſt, & multum condonare, & ſine commemoratione peccati condonare impoſterum.

Neque verò ut putabant Judæi, gentes per ſpecioſum illum cultum & no- 10.11.
men Judæorum, ſed ſolo verbo fidei, ad Deum converti poſſe. Verbum enim Dei non emitti ſine fructu, quemadmodum pluvia & nix ſine fructu non dantur.

Rurſus ſitientes ſive infirmiores fidelium ex Judæis muniuntur adverſus me- 12.
tum ejectionis ex populo ſuo, & exilii. *Namque*, ſi ipſi auſcultent, *exituros cum lætitia*, neque fugam habituros incommodam, ut in Sabbato vel hyeme. Itemque *in pace adductum iri* eos in locum habitationis ſuæ. *Montes enim & colles & arbores ipſis applauſuras*, id eſt, tanta cum gratulatione gentium excipiendos, ut ipſi montes & arbores videantur ridere & lætari.

Deinde & longe meliora inventuros in gentilitate, quam reliquerint in Ju- 13.
daïſmo, *abietem pro frutice, & myrtum pro paliuro*. Idque ipſum *futurum in nomen Domino*, ut ille ſuper ipſis nominetur, *& in ſignum, quod in perpetuum non exſcindatur*. Id ſignum eſt lex Dei, Chriſtus Dominus, ipſius juſtitia, Scriptura regula, ab injuſtis ſemper contradictum, à ſemine Dei approbatum, imo per ipſorum os & ſanguinem factum omnibus familiare.

Sermo

CAP. LVI.

1. Sermo hic compellat 1. Eos, qui nomine Chriſti uti inceperant, quibus commendatur *judicium* in diſcretione boni à malo, veri à falſo, non fratrum à fratribus &c. & juſtitia, fides, & bona opera fructus juſtitiæ. Suadetur hoc à *propinquitate ſalutis*, hoc eſt, parato auxilio ad liberandam ipſos ex manu hoſtium; & *ab inſtanti revelatione juſtitiæ Dei*, hoc eſt, juris filiorum, quod accipitur per fidem. Id quidem per Euangelium & effuſionem Spiritus Sancti revelatum erat. Sed ampliùs erat revelandum per deſtructionem templi ac diſperſionem populi, atque ita ablationem veli.

2. Suadetur amplius per μακαρισμὸν univerſalem eorum qui hæc faciunt, quibus adjungit obſervationem Sabbati, & cohibitionem manus ab omni malo. Sabbatum poſt prædicatam juſtitiam profanatur vel confuſione ejus temporis cum tempore umbrarum & ſervitutis, vel ex altera parte operibus iis, quibus in gentilitate aſſueverant.

3. &c. Manifeſto tollitur diſcrimen gentium & perſonarum, & qui nullo loco erant in Veteri Teſtamento æquiparantur iis, qui ſunt in ſummo loco, & dicuntur habere nomen & filios, etiamſi naturâ ſteriles ſunt, & quidem naturalibus filiis digniores, utpote filios Dei. Proprietates verò civium regni Dei ponuntur iſtæ: *Agglutinari Domino ad miniſtrandum ipſi*, neminem recognoſcere ſalvatorem & doctorem præter ipſum, & cum fiduciâ prope ad illum accedere, neque ſervire elementis mundi; *amare nomen Domini ad ſerviendum ipſi*, id eſt, tanti facere gloriam Dei, ut cupias ei ſervire; *eligere ea, quæ Deus probat*, non vias aut cogitationes ſuas; *retinere fœdus Dei*, id eſt, manere in aſtipulatione Dei ad ſtipulationem Dei, quâ jubet credere ad juſtitiam; *obſervare Sabbata Dei*, id eſt, omnia tempora quietis Novi Teſtamenti & occaſiones celebrandi Deum in cœtu magno.

7. Porro promittit, *ſe eos introducturum in montem ſanctum ſuum & lætificaturum in domo orationis ſuâ, & accepta habiturum eorum ſacrificia in altari ſuo.* Promittit *montem*, id eſt, magnum populum ex lapidibus vivis coædificatum, & *altare* promtum omnibus accedentibus in cœlo; *holocauſta* ſignificant deditionem ſui in obſequium Dei per charitatem; *ſacrificia* ſignificant omnia opera, quibus Deus glorificatur, & nominatim obitionem mortis pro nomine ejus. *Nam*, inquit, *domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus*, Chriſtus, Eccleſia eſt domus orationis, ad quam accedunt omnes populi. Ubicunque Deus invocatur, ibi eſt domus Dei.

8. 8. Poſtquam per diſtinctionem populi juſtitia Dei revelata erat; ac ſervati eſſent fideles ex manu perſequentium, ac domus Dei eſſet facta domus orationis omnibus populis, & mons ſanctus exaggeratus eſſet, &c. de quibus in ſupe-
11.12. rioribus actum eſt, inceperant homines *gulæ & lucro ſervire*; atque hinc nata affectatio poteſtatis ad ſatisfaciendum luxui, neglectâ interim meditatione
10.11. verbi; *(pravitas avaritiæ*, notatur infrà c. 57: 17.) & ſi quæ *ſpeculationes* fuere, humanis *ſomniis* fuerunt permixtæ: quique debebant eſſe *canes* ad abigendos lupos, & *paſtores* ad *docendum* gregem, facti ſunt *cæci* ac *muti*,

9. Affectatio poteſtatis ſignificatur per vocabulum *ſylvæ*, in qua ſcilicet Epiſcopi ceu proceræ & frondoſæ arbores eminebant, ſub quibus ſtare ceu latitare alii cogerentur, quique haberent arbitrium diſpenſandæ lucis.

In

In medio iſtius ſylvæ ſtabulatæ ſunt *feræ beſtiæ*, id eſt, homines animales Spiritum Dei non habentes, ſed imperium tenentes in terra, maximè reges & principes illorum.

9. Deus volens *ad collectos Iſraëlis plures aggregare*, ſicque nomen & regnum 8.
ſuum ulterius per totum mundum propagare, & *percutere populum ſuum* ob c.57:17.
pravitatem avaritiæ, *vocat animalia agri*, populos barbaros extra Chriſtianum
nomen poſitos, ut intrent in mediam ſylvam, & *devorent animalia ſylvæ*, id 9.
eſt, tyrannos & alios θηριώδεις homines conſumant.

CAP. LVII.

Sed non profuit hoc ad ipſorum emendationem, ſed *averſus ivit* populus *in* 17.
via cordis ſui.

10. Interim dum ingraveſcit corruptio morum ac doctrinæ in Eccleſia, *perit*, 1.
ſive à conſpectu hominum aufertur, *juſtus*, qui per fidem juſtificatur; *viri pii colliguntur* ad populum ſuum, nempe cœtum juſtorum in cœlo; *nemine obſervante*, Dei conſilium eſſe, ut *juſti colligantur propter malum*, id eſt, ne corruptio generalis eos depravet.

Ad indurationem improborum multum facit *pax*, quam Deus advocat, ut 2.
veniat: ita tamen, ut interim iis, qui *recto itinere incedunt*, proſpiciat de *quiete in cubilibus ſuis*, id eſt, quiete domeſticâ ad refrigerium aliquod capiendum, & deinde morte in pace.

11. Dehinc jam exagitat falſos Chriſtianos. Eos jubet *accedere*, nempe ad 3.
audiendam diſceptationem ſive increpationem: quæ aliquando à piis facta eſt.

Vocat illos *filios auſpicatricis*, Jeſabelis, ſe prophetiſſam dicentis, ſed lo- 3.
quentis verba dæmoniorum, ut auſpices ſolebant; *ſemen mœchi*, populi illius, qui labiis ſuis acceſſit ad Deum, corde autem ab ipſo receſſit; *qui fornicaris* à Chriſto, & propter nomen humanum eligis dicere & facere, quæ dicis & facis.

Exprobrat ipſis, quòd *ſuper aliis* tanquam hæreticis, eorumque exitio *de-* 4.
licientur, *& os dilatent*, cùm ipſi ſint *nati defectionis*, & non ſint *ſemen* pro-
miſſum Abrahamo & Chriſto, in veritate. *Incaleſcere enim eos in potentibus* 5.
hujus mundi, regibus, angelis item ac mortuis hominibus, ceu diis tutelaribus, *ſub omni arbore viridi*, ſub nomine ac regimine poteſtatum Eccleſiaſticarum; *& mactare* non tantùm ſenes & juvenes, ſed etiam *pueros*, non tantùm in urbibus & agris, ſed etiam *in vallibus* horridis, & *ſub cacuminibus petrarum*, ut nuſquam poſſint eſſe tuti.

Aſſignat itaque illis ſuam portionem & ſortem ſive hæreditatem *læves vallis* 6.
ſcilicet lapides nudos, deſertum, non terram frugiferam. *Nam iis ut placeret & fudiſſe libamen* vino, & *obtuliſſe munus* ex farre ſive farina aut pane. Gloriatio hujus falſæ Eccleſiæ eſt maximè in ſacrificio, quod pane & vino conſtat, ut notum eſt.

Ampliùs demonſtrat ſpiritualem fornicationem falſæ Eccleſiæ, & maximè 7.
falſorum prophetarum in ea, quorum corpus *meretrix* appellatur in Apocalypſi. *In monte alto poſuiſti cubile tuum*, teque contaminandam præbuiſti proponendo gratas doctrinas omnibus hominibus in faſtigio ſummæ auctoritatis, quam tibi ſumſiſti in magno imperio. *Aſcendiſti ad ſacrificium offerendum*, id eſt,

illam altitudinem obtinuiſti nomine ac titulo ſacerdotis, abnegando verum ſacrificium, atque ita ſacrificando in celſis.
8. Progreditur ulteriùs, *quòd* etiam *ſeipſam* adorandam in memoriali ſive imagine *collocaverit* in domo Dei, ſive Eccleſia, & quidem *poſt januam*, obtento nomine Chriſti, inter confitentes illud, *& poſtem*. Is eſt caput Chriſti Deus. Per *monumentum* ſui, vel *memoriale ſuum* intelligitur imago ſive repræſentativum Eccleſiæ ſpuriæ & pſeudoprophetarum, quod eſt Papa, itemque χάραγμα ſive lex ejus, quæ eſt lex non ſcripta, traditio. Quòd *retecto ſtragulo*, tanquam adultera, à *Chriſto* ad aliud caput *ſurrexerit*, & aſcenderit ſcilicet in magnum illum montem, ut ibi ſcortaretur; *& dilataverit cubile ſuum*, ut multos mœchos reciperet, & *quoſdam ex illis, quos dilexerat, exciderit*, id eſt, eradicaverit imperio, regno, principatu, vitâ, genere ac proſapiâ. Vide Dan. 7. Quòdque *manum viderit*, id eſt, homines præſto ipſi fuerint, qui ipſam adjuvarent, & *manum* ſive poteſtatem ſuam ei traderent.
9. Ulteriùs fornicatio procedit ad cultum falſi Chriſti. *Comparuiſti* colendi cauſâ *coram rege cum oleo*, hoc eſt, ſpiritu, dediſti ſpiritum, qui non permittat falli uni, qui ſit princeps veſter & vicarius Chriſti; *Et multiplicaſti pigmenta tua*, feciſti te amabilem omnibus per verba Scripturæ, & patrum, per ſacramenta Eccleſiæ, per nomina martyrum, per vota, per ſapientiam humanam; *Et miſiſti legatos tuos in longinquum*, in ultimas uſque terras, ad Garamantas & Indos, ut illos quoque ſcortatione tuâ impleres; *Et demiſiſti uſque ad infernum*, uſque ad purgatorium, quod in inferno exſtruxit falſa Eccleſia.
10. Pertinacia hujus fornicationis oſtenditur, quòd, quamvis multum laboris ceperit, nunquam tamen animum deſponderit, quia *invenerit vitam manûs ſuæ*, vel fortè *beſtiam manûs ſuæ*, id eſt, manui ſuæ obſequentem.
11. Arguit hypocriſin, quòd *mentita fuerit*, id eſt, falſò nomen Chriſti nuncupaverit. Admiratur autem, cur non palam ſe abnegaverit, cùm *ſe non metueret*, *& ipſe* Deus *ſiluerit*, & *quidem à ſæculo*, non puniverit.
12. 12. Deus poſt diuturnum ſilentium tandem *indicat juſtitiam* falſæ illius Eccleſiæ, per verbum ſuum ſcilicet, in ore virorum, quos in eum finem excitat, ut palam fiat, quòd juſtitiam non habeat, unde verſ. 20. appellantur רשעים itemque *opera ejus* ſuperſtitioſa, idololatrica, tyrannica, ad luxum & potentiam mundanam comparata, quæ *non proſunt* ad vitam æternam, vel etiam ad obtinendum id, quod in hoc ſæculo quærit.
13. Hinc ſecuturum, ut regnum Antichriſti paulatim deſtruatur, & Chriſti liberetur & ad victoriam procedat. Itaque finem hujus regni proponit his verbis: *Cùm clamabis*, *eripient te collectiones*, confœderationes, *tuæ*, (ironicè hoc dictum.) *ſed illas omnes auferet ventus*, &c. hoc eſt, multitudo tua derelinquet te: *At qui ſe receperit ad me, poſſidebit terram*, &c.
14. 13. Modus, quo utrumque futurum ſit, in ſequentibus declaratur. Nempe 1. eſt vox jubentis *viam parari & exaggerari & ab omnibus ſcandalis repurgari*, ut & ſimplex non aberret ſcilicet. Intelligitur redargutio abuſuum, errorum, ac ſcandalorum, in quibus hærere poteſt ille, qui Chriſti nomen ſuſcipit.
15. Adſtruitur hæc promiſſio, *quia Deus*, *qui habitat altum & æternitatem*, cujus thronus expugnari non poteſt, nedum, ut eum hominibus tradat, *& qui ſanctus eſt*, neque inhabitat cor obſcœni hominis; *habitat cum contrito*, *& qui humilis ſpiritu eſt*, *ut ſpiritum illorum vivificet*, refocillet, ac recreet, ſpem illorum implendo. Am-

Ampliùs, quia Deus etiam non vult æternùm contendere & iraſci, ſed potiùs oſtendere ipſo facto, quòd ſpiritus ab ipſo progrediatur, & quòd ipſe animas fecerit. Ideoque promittit, ſpiritum à ſe prodeuntem *operturum*, quemadmodum ſcilicet aqua alveum maris operit. Eſ. 11 : 9. 16.

14. Quandoquidem igitur *Deus viderit vias ejus*, & compertum ſit, Chriſtianos pleroſque eſſe pueros in Chriſto, nunc tempus eſt, ut Deus etiam oſtendat potentiam & gratiam ſuam, *& ſanet ipſos*, eoſque errantes *ducat* in vera via, *& reddat populo ſuo, & triſtibus ejus* ob errores & ſcandala quæ vident, *conſolationem*, compenſando plagas, caſtigationes, & afflictiones ſuperioris temporis. 18.

Conſolationis hujus initium eſt præconium *pacis* politicæ inter partes diffidentes de religione, quarum una eſt *longinqua*, id eſt, à Deo recedit, altera eſt *propinqua*, id eſt, ad Deum accedit. 19.

Hâc pace & quiete improbi negantur vel ſincerè vel in æternum fruituri. 20.21.

CAP. LVIII.

15. *Populus* Dei ſeparatus jam ab Improbis, & pacificatus, *deficit* à vero fundamento, & *domus Jacobi peccat.* 1.

Opponitur, *quòd quotidie Deum conſulant*, accedant ad audiendas conciones, quòdque *delectentur cognitione viarum Dei*, id eſt, ſtudeant Scripturæ, & libenter audiant & cognoſcant, quid Deus fecerit; quod *poſtulent Deum judicia juſtitiæ*, id eſt, ab ipſo petant, ut judicet hoſtes ſuos & Eccleſiæ; quòdque *delectentur acceſſu ad Deum* tanquam judicem; quòdque utantur illâ libertate, quaſi eſſet *gens faciens juſtitiam*, *& non reliquiſſent judicia Dei ſui.* 2.

Alii quoque murmurant adverſus Dei patientiam. *Jejunavimus, animas noſtras afflximus, & non cognoſcis?* Jejunium id eſt abſtinentia à ſcortatione cum meretrice, & potu de poculo ejus. Reprobatur jejunium illorum, quòd *inveniant in eo oblectationem*, in eo glorientur, vel lucrum ſibi reportent: quòdque *omnes dolores ſuos exigant*, & propter eos judicia Dei implorent, cùm vel pro perſequentibus ſe orare deberent: quòdque *jejunent ad contentionem & jurgium*, ſive quòd ipſorum Reformatio nullum ferè fructum tulerit, ſed diſputationes mutuas, ſuſpiciones & rixas: denique quòd *percutiant pugno improbitatis*, id eſt, quòd unus alterum injuſto judicio damnet. 3. 4.

Hoc igitur jejunium prohibet, & vetat efferri vocem, demonſtrans, nihil reperiri in tali jejunio præter externa, curvationem capitis, cilicium & cinerem. 4.5.

Contrà docet veri & grati jejunii rationem, nempe in *ſolvendis nodis improbitatis*, id eſt, tollendis omnibus laqueis conſcientiarum, quibus intricatus facilè à juſtitia abducitur. Item *in laxandis manipulis vectis*, ſive *jugi*, id eſt, in ſolvendis faſcibus præceptorum humanorum. Item in *dimittendis liberis*, *qui per calumniam vexantur.* In quo genere intelligitur omiſſio ſuſpicionum, damnationum, gravationum per conſequentias, & ſimilia. *In frangendo omni jugo*, id eſt, tollendâ omni dominatione humanâ, ut in Eccleſia nihil valeat præter obedientiam conſiliorum Dei. Item in miſericordia, hoſpitalitate, & opitulatione aliorum, qui ejuſdem carnis participes ſunt. 6. 7.

Porro oſtenditur, quantum fructum neglexerint, omittendo iſta officia. Si enim iſta facerent, *emicaturam fuiſſe lucem ipſorum tanquàm auroram*, ut omnes homines viderent, ipſos eſſe verè Reformatos; & ipſos habituros fuiſſe incrementa magna & celeria, ipſoſque tutos & ſecuros futuros fuiſſe, ſive etiam in 8.

ſacra ſua militia progreſſus felices, tanquam *præcedente juſtitiâ* Chriſti, qui impetravit hæreditatem mundi, & *agmen claudente gloriâ Dei*, hoc eſt, be-
9. nedictione ejus & abundantiâ ſpiritûs. Itemque Deum reſponſurum ipſis fuiſſe invocantibus ſe, & in neceſſitatibus ſuppetias laturum fuiſſe.

9.10. Atque hic repetit ea officia, quæ ſuprà requiſiverat, additque *amotionem porrectionis digiti*, id eſt, obtrectationis, & *loqui vanitatem*, id eſt, ſermonis otioſi & inutilis non tantùm in docentibus, verùm etiam in omnibus hominibus.

11. Tum pergit in exaggerando bono & benedictione divina, quòd in *tenebris critura ſit lux*; quòd *maximæ tenebræ futuræ ſint ut meridies*; quòd *Deus illos rectâ viâ ducturus ſit*, quòd *ſatiaturus*, *corroboraturus*, *fructuoſos facturus*
12. *inſtar horti irrigui*; quòd *quidam illorum deſolata ſæculi ſint ædificaturi*, & *fundaturi Eccleſias non interituras*; quòd merituri ſint nomen *ſepientium rupturas*, hoc eſt, ſchiſmata tollentium & *reſtituentium vias*, ut non tantùm perambulentur, ſed etiam habitentur.

13.14. Tandem concluditur hæc admonitio promiſſione, ſi Sabbatum ſervaverint & honoraverint, fore, ut poſſideant arces terræ & hæreditatem Jacobi cernant, ſive hæredes mundi fiant. Circa Sabbatum verò præcipitur *reductio pedis ſui*, propriorum incœptorum vel priſtinæ conſuetudinis carnalis; Item *ſ facere oblectamenta*, quæ carni quidem, Deo autem non ſunt grata. Ratio, quia eſt *dies ſanctus Domini*, id eſt, tempus Deo ſanctificatum. Jubet Sabbatum vocari *delicias*, id eſt, ceſſationem ab operibus ſuis, ſive malis ſive vetuſtæ ſervitutis vel ſub lege, vel ſub jugo Antichriſti; itemque *ſanctum Domini vocari honoratum*, ne ullum tempus profeſtum putemus, idque honoremus, *non faciendo vias noſtras*, & *non inveniendo voluptatem noſtram*, & *non loquendo ſermonem*, hoc eſt, λόγυς inanes, vel ratiocinando ratiocinationes. Ita *deliciaturos in Domino*.

Cap. LIX.

1. 16. Hoſtes veritatis invaleſcunt, & Reformationem impediunt, ipſos Reformatos redigunt in poteſtatem. Quæ res in amatoribus veritatis excitat quæſtionem de ratione, quare Reformatio non procedat, ſi ea à Deo eſt. Præit Propheta, quid in tali quæſtione debeant probi illo tempore reſpondere, nempe *non abbreviatam eſſe manum Jehovæ, ne ſalvet, neque aggravatam eſſe aurem ipſius, ne audiat.*

2. Veram autem cauſam impediti curſûs Euangelii eſſe *peccata & pravitates* eorum, qui ſe amatores veritatis ferunt. Qualia in multiplicibus ſchiſmatibus & diviſionibus, & multorum etiam ad pravas hæreſes defectionibus, & conſequentibus inter ſocios ejuſdem confeſſionis ſuſpicionibus & jurgiis, viſa ſunt: *Ea verò feciſſe, ut Deus quaſi receſſerit ab ipſis.*

3. Similia ſunt 1. *manus ſanguine maculatæ*, id eſt, bella injuſtè vel ſaltem inſolenter geſta, mutua odia, proditiones, frâtrum deſertiones, &c. 2. *digiti pravitate maculati*, id eſt, ſtudium rebus inutilibus & noxiis impenſum. neque poſſunt hic omitti ſcriptiones librorum inutilium & peſtilentium. 3. *ſermo*
4. *falſus* non tantùm in commercio, ſed etiam in doctrina. 4. corruptio judiciorum, ut nec actor nec reus juſtitiam aut veritatem obſervet. 5. fiducia in rebus nihili. 6. ſermo ſive doctrina non fundata in verbo, ſed temeraria.

7. cogi-

7. cogitatio & prolatio ærumnæ atque vanitatis, hoc est, ejus, quod neque ut finis, nec ut medium approbari potest. 8. Præterea *parere ova basilisci*, quæ 5.
qui comedit, moritur, qui comprimit, pungitur tanquam linguâ aspidis, id est, quòd tales educent auditores; quibus si quis ut fratribus ἀδελφοῖς, moritur morte spirituali, si quis *comprimit* tanquam expressurus quod latet, in morsionis, obtrectationis & calumniæ periculum venit. 9. Ad hæc *texere telas aranei*, 6.
quæ non sint vestitui, id est, talia operari, qualia nuditatem non tegant, & gentilitatis ostensionem impediant, quippe *cùm opera ipsorum sint vana, injuriam tractent manibus, currant ad malum, festinent ad effundendum sanguinem innoxium*, non tantùm in bellis non necessariis, verùm etiam privatim per simultates, odia, iras, persecutiones, injurias. 10. *cogitationes vanitatis* de Deo & vera religione. 11. in tutissimis & munitissimis ipsorum est *vastitas & fractio*, id est, quòd in optimis ipsorum institutis desit concordia, & animus conspirans ad commune bonum, unde mutuæ destructiones oriuntur. 12. quòd *nesciant viam* 8.
pacis, nec sciant, nec scire curent, quomodo loquendum & agendum sit, ut omnes idem dicant & sentiant. 13. *quòd non sit judicium in orbitis ipsorum*, quòd eodem modo versentur cum improbis ac cum probis. 14. quòd *vias suas sibi perversas fecerint*, id est, quòd utantur viâ duplici, eligentes quædam dicere & facere, ut assententur Christo, & rursus in dictis & factis placentes mundo; in qua via negat *pacis* cognitionem esse, hoc est, tum bonæ conscientiæ coram Deo, tum etiam pacis fraternæ, quâ membra Ecclesiæ debebant inter se devinciri.

Hinc igitur ostendit effectum, ut Deus distulerit hostium Ecclesiæ *judicium*, 9.
sive coërcitionem, quòdque nondum viderint magnum proventum fidelium, quem ipsis Christus per *justitiam* suam meritus sit: quòdque *frustrà exspectaverint lucem*, id est, liberationem à manu persecutorum, omniaque in contrarium cesserint, & *tenebræ tenebras, caligo caliginem exceperit*. Adeò quidem, 10.
ut tanquam cæci palparent in tenebris, ut nescirent, quid sibi agendum esset, & *in ipso meridie palparent*, nempe illa agentes ad promovendam liberationem Ecclesiæ, quæ postea majoris calamitatis fuerunt causa. Cujus generis est depositio Ferdinandi regis Bohemiæ, & bellum quod inde secutum est. Frederici electio, unio, & bella ducum, principum & regum. Et *in opimitatibus*, & rebus florentibus, *ut mortui*, sine animo & consilio aut voluntate agendi aliquid utile. Igitur *se omnes gemuisse & fremuisse instar ursorum & columbarum*, 11.
afflictionem suam non læto animo tulisse, sed illi concessisse & propemodum succubuisse, quippe *cùm nullum judicium, nulla salus appareret*. Confer Zach. 14:6.

17. Interim gratia Dei non abest ab Ecclesia, sed relinquuntur non tantùm qui alios increpent, verùm etiam qui propria peccata confiteantur, ut sermonem patientiæ Christi retineant, Apoc. 3:10.

Confitentur autem Deo, quòd defectiones ipsorum multiplicatæ sint coram 12.
ipso, & quòd peccata sua invaluerint, ut contra ipsos respondeant in judicio, ut indignos divinâ liberatione. Nam *defectiones suas apud ipsos manere*, & quasi in morem vertisse, & *pravitates suas non esse obscuras*, sed publicè notas. *Nam* 13.
se defecisse non attendendo ad verbum Dei, & *abnegasse Jehovam*, ne illi adhærescerent, humanâ scilicet ope confisi. *Locutos* esse *injuriam & recessionem*, id est, illa, quæ pertinebant ad condemnandum innocentes, & Deum suo honore

14. privandum. Igitur *judicium retrocessisse*, & *justitiam longè stetisse*, quando-
quidem *in foro veritas offenderit*, & *rectum non potuerit incedere*, id est, tum
in Ecclesia, tum in politia & curia id, quod rectum, bonum & salutare est, sup-
15. pressum esse, atque impeditum. *Deum* autem *hæc vidisse*, & ipsi displicuisse
meritò, quòd non esset *judicium*, id est, luctus ob peccatores fratres.
16. 18. Cùm autem videret Deus *nullum esse virum*, id est, nullum esse robustâ
fide & strenuâ charitate præditum; neque ullum piis esse præsidio in potentibus
hujus sæculi; & *nullum esse intercessorem*, qui in veritate & fide cum sincera cha-
ritate pro fratribus oraret:
16. 19. Tum *salutem ipsi fecit brachium ipsius*, id est, tum in illis, qui de no-
mine ipsius appellabantur, tum in adversariis illorum potentiam suam osten-
dit, dissipando omnium consilia, turbando conatus, rumpendo fœdera, com-
mittendo populos inter se, multas castigationes & afflictiones immittendo,
semper fugæ locum parando suis, denique verbum Euangelii non patiendo op-
17. primi: Idque fecit propter *justitiam* suam, & propter *salutem*, quam sangui-
ne suo pepererat.
17. 20. Tandem tanquam Imperator prodiens in aciem contra hostes suos *in-
duit vestimentum ultionis*, id est, omnia signa imminentis vindictæ ostendit.
19. Convenit *hostis veniens tanquam fluvius, in cujus medio Spiritus Domini pro signi-
fero sit incessurus.*
18. 21. Atque etiam vindictam exercet ἐκ περιουσίας nominatim & *in hostes suos
insulas*. (Convenit fortè, quod est in Apocalypsi de insularum fuga.)
19. 22. Cum eo effectu, ut *ipsum metuant ab ortu ad occasum.*
20. 23. Tum deinde *venit assertor Sioni & convertentibus se à defectione in Jacobo*,
id est, toti Israëli, Rom. 11 : 26.
21. Atque hic etiam repetitur promissio Dei *de non auferendo verbo & Spiritu
suo.*

Cap. LX.

Habet hoc caput consolationes directas ad Ecclesiam ultimi temporis, qui-
bus obliquè etiam innuuntur terrores ejus.

1. Inprimis Ecclesia *surgit & lucet*, id est, novos animos sumit ad loquendum
veritatem, redarguendum errores, & omnem reformationem curandam. Ta-
lia conanti hic animus additur, ut surgat & luceat, nihil timeris. Suadetur
hoc officium, quòd *venit Lux tua*, Christus, qui te illuminat & lætificat, jam
stat præ foribus cum regno suo, idque ex signis deprehendere potes; *Et gloria
Jehovæ super te exorta est*, hoc est, jam aliquid factum est in Ecclesia, quod sit
argumentum divinæ inhabitationis in Ecclesia, & adventûs Christi jam cum re-
gno appropinquantis; nempe prædicatur Euangelium æternum apud Eccle-
siam, eaque liberata est à retibus Antichristi.
2. Interim dum lucet Ecclesia, etiam oppugnatur, etiam comparantur omnia
ad hoc, ut de hostibus sumatur judicium, & ut ultimæ gentes in Ecclesiam at-
trahantur. Hic igitur non possunt non fideles percelli, & de conservatione sui
esse solliciti. Contra hanc sollicitudinem roborat fideles, concedens, quòd
terram & nationes tenebræ & caligo sint operturæ; sed quòd *super illis Dominus
sit exoriturus, & gloria ipsius sit videnda:* Atque ita quidem, ut *gentes ad lu-
3. cem ipsius ambulent, & reges ad splendorem exortûs ejus*, id est, ut gentes, quæ
hactc-

hactenus in erroribus versatæ sunt, veritatem recognoscant, in eaque cum fidelibus ambulare gestiant.

Hic ut illud fortiùs insinuet, jubet fideles quaquaversus oculos tollere, & 4.
inprimis eos, qui *collecti sunt* in unum, & *è longinquo veniunt*, intueri, vel
tanquam fratres suos, vel tanquam eos, qui adducant filios & filias. Ii fortè
reges ab Oriente (Apoc. 16.) collecti sub uno capite, venturi fortè in expeditione aliqua bellica, sed ut sint Ecclesiæ. Dicit enim, *venient tibi.* vel saltem, ut tibi operam præstent in adducendis filiis tuis & filiabus tuis, iisque commodè habendis.

Tunc videbis, quòd vertetur ad te multitudo maris, copiæ gentium venient 5.
tibi. Interimque attribuit Ecclesiæ *lucere*, quia nec verbum nec Spiritus Dei ab illa recedit, *pavere* propter terribilem speciem in motibus regnorum, in casu montium, in fuga insularum &c. ac *dilatari corde* per spem ex promissione, & lætitiam ex conversione gentium.

In specie innuit eos populos, qui abundant camelis, & nominatim Midia- 6.
nitas, Sabæos. Orientales hi sunt nobis. Tales populos ostendit in magna copia venturos esse cum auro & thure, illudque cum Ecclesia communicaturos,
atque interim *laudes Dei enarraturos*, fortè ut apud suos renuncient, quid au- 7.
diverint in Ecclesia. Ita *omnes oves & arietes Kedar & Nebajoth ministraturos esse Ecclesiæ, & acceptationem ascensuros in altare Domini.* Possumus intelligere, opes istarum gentium Christo inservituras, atque ita gratam oblationem in altari Domini futuras.

Tanquam ex abrupto, quasi subitò videret aliquos *tanquam nubem citò ad-* 8.
volare, & tanquam columbas ad columbarium, interrogat, *quinam hi?* Ut nobis inexspectatus sit ille accessus, non debuerunt nominari. Hariolari possumus, eos Judæos esse.

Concludit illam specificationem complexione generali, *insulas Deum spe-* 9.
ctaturas, & primas fore naves Oceani, ut adducant filios & filias è longinquo cum ipsorum auro & argento. Utinam nostræ naves, quæ advehunt opes remotarum gentium, sint medium adducendi eas ad fidem! *Deum enim Ecclesiam condecoraturum*, manifestatione veritatis, bono ordine, & honestâ conversatione.

Inter operas peregrinorum, quas navabunt Ecclesiæ cum regibus ipsorum, 10.
recenset *ædificationem murorum ejus*, ut nempe rupturas Ecclesiæ restaurent, pomœria ejus proferant, tueantur ordinem, defendant, protegant.

Apertæ erunt portæ tuæ &c. Vide Apoc. 21:25. 11.

Significat, etiam se compulsurum gentes, ut intrent, partim castigationi- 12.
bus, partim pœnarum exemplis: *Peritura enim regna, quæ Ecclesiæ non servient, & gentes desolatum iri.* In hisce regnum Antichristi contineri necesse est.

Ornatum iri Ecclesiam omni ligno vitæ, sive fragranti & viridi, ut locus ha- 13.
bitationis Dei sit decorus & honoratus.

Persecutores & osores daturos Deo gloriam, ut Ecclesiam vocent urbem 14.15.
Dei, & in ejus communione glorientur.

Gentes & reges Ecclesiæ quasi uber porrecturos, ut illam alant. 16.

Omnia apud illam in melius commutatum iri. Et ponam *visitationem tuam,* 17.
ἐπισκοπήν, inspectores tuos, *pacem*, pacificos & quærentes pacem Ecclesiæ; & *exactores* fructuum fidei, *exactores justitiæ*.

Con-

18. Conſequens talis inſpectionis & exactionis, ut *vis*, *injuria*, *fractio*, *vaſti-
tas in terminis eius non amplius audiatur*, id eſt, ſchiſmata & talia, qualia
cap. 58. increpabantur. Sed *muros Eccleſiæ fore ſalutem, portas laudem.*
19. *Deum ipſis pro luce fore.* Apoc. 21: 23. id eſt, homines non ſpectaturos no-
men & auctoritatem humanam, etiamſi fuerint tam clari, ut Sol & Luna.
20. *Non obſcuratum iri amplius Euangelium, quia Dominus in lucem ſæculi futu-
rus ſit.*
21. *Et populus tuus omnes juſti*, ita ut omnes errores revictos abnegent, & fun-
damentum in ſua explicatione confiteantur, & laudes Dei annuncient, & ope-
ribus confeſſionem ſuam non abnegent. Tales enim in veritate & ſecundùm di-
ſciplinam pro fratribus habere poſſumus. *Eoſque in perpetuum hæreditaturos ter-
ram, & cognitum iri plantationem Dei opus manuum ejus, ad ſe condeco-
randum.*
22. Denique neminem fore infrugiferum, ſed quemvis habiturum eſſe ſpiritua-
lem propaginem. Hiſce omnibus tempus à Deo definitum eſſe, & quum id
tempus advenerit, *celeriter*, non tardè, ſed cum quadam violentia haſce be-
nedictiones Eccleſiam & mundum inundaturas.

CAP. LXI.

1. 1. PRodit aliquis in medium, qui dicat hæc verba Iſraëli: *Spiritus Domini
eſt ſuper me*, id eſt, plenitudo Patris habitat in me, atque ita & gratia
& potentia Patris in me eſt, & Spiritus Sanctus à me procedit. Hæc theſis eſt.
Eam probat, *quia unxit me Jehovah*, id eſt, 1. æterno conſilio me deſignavit,
ſive definivit, quemadmodum per unctionem reges ſolent definiri ac deſignari.
2. per effuſionem Spiritûs Sancti in nomine meo me potenter demonſtravit re-
gem ac Sacerdotem, quemadmodum reges per unctionem manifeſtantur. Addit
finem unctionis, *ad euangeliſandum manſuetis*, id eſt, ad annuntiandum bonum
diu exſpectatum, & ablationem moleſtiæ diu latæ *manſuetis*, ſive iis, qui pa-
rati ſunt relinquere bona terreſtria propter ipſum. *Miſit me* de cœlo *ad obligan-
dum confractos corde*, id eſt, ad lætificandum eos, qui lugent atque ita cor quaſi
vulneratum gerunt propter peccata, & quia nomen Dei blaſphematur. Fit au-
tem illa obligatio per *prædicationem libertatis* ad exeundum ex captivitate &
carcere, id eſt, abolitionis imperii mortis, quod habebat Diabolus, & chiro-
graphi, quod erat contrarium etiam ſperantibus, & ſic omnis jugi & ſervi-
2. tutis. *Ad prædicandum annum acceptationis Domino*, id eſt, tempus conde-
mnationis peccati ſecundùm promiſſionem Novi Teſtamenti. *Et diem ultionis
Deo noſtro.* nempe prioris temporis fuit quidem ira, quam operabatur lex, cui
jam opponitur רצון ſive acceptatio, ſed & ejuſdem fuit ἀνοχὴ, ſive tolerantia
non modò gentium, ſed etiam populi utut carnalis: Jam verò aperitur dies iræ
& ultionis omnibus non obedientibus Chriſto, tum Judæis, tum gentibus. *Deo
noſtro* dicit, id eſt, Deo ſuo, & Apoſtolorum, ad quos hîc loquitur, ut Joh.
20: 17. *Ad conſolandum lugentes* ſuper jacturis Iſraëlis, maximè etiam ſuper
imminuta gloria Dei. Conſolatio hæc fit per incrementum regni Dei, & ab-
ſciſſionem eorum, per quos nomen Dei blaſphematur. *Ad ponendum lugenti-
3. bus Sionis, ad dandum ipſis ornatum*, id eſt, cœlitùs demiſſa chariſmata, qui-
bus conſpicui in mundo evadant; *oleum hilaritatis*, id eſt, ſpiritum patientiæ,
forti-

fortitudinis, ad alacriter ſubeundum omnes paſſiones; *operimentum gloriationis*, id eſt, gloriationem in ſalute, in ſpe gloriæ Dei, in afflictionibus, in Deo, *pro ſpiritu bebeti*, id eſt, animo demiſſo, non audente accedere ad Deum, affixo elementis mundi, quem habuerunt Veteres. *Et vocabuntur quercus juſtitiæ*, germina juſtitiæ in ſtabilitatem & πλήρωμα provecta, utpote conſummati, & creſcentes ad ſtaturam, vim & menſuram proceritatis ejus, quam Chriſtus implet; *plantatio Domini*, creatio nova, *ad condecorandum ſe*, ut glorificet ſe in illis, & divitias gratiæ in illis oſtendat.

2. Promittit lugentibus Sionis, diſcipulis ſuis, opus felix: *Et ædificabunt*, 4.
prædicatione ſalutis ſalvabunt, *vaſta ſæculi* &c. multos ex Iſraële in omnibus tribubus, quæ antea erant tanquam domus collapſæ; & inter gentes integras Eccleſias excitabunt, inter quas nihil niſi periens & infrugiferum fuerat à multis ſæculis. *Et ſurgent alieni*, ex ipſis gentibus doctores, *& paſcent oves ve-* 5.
ſtras, oves ſcilicet perditas domûs Iſraëlis, & cum ipſis hæreditabunt mundum, in quo ſint exercituri culturam, & vitem Iſraëlis paraturi ad fertilitatem, & fructus collecturi, ut *ruſtici & vinitores. Vos autem*, ô diſcipuli mei, *ſacerdotes Domini vocabimini*, paraturi ſcilicet oblationem gentium, ut ſit ſancta & accepta Domino; *& miniſtri Dei mei & veſtri. Copias gentium comedetis*, dum vobis accorporabuntur, *& in gloria ipſorum dicetis vos*, tanquam hæredes ejus. Hinc Eccleſia Apoſtolica vocatur.

3. *Pro eo* autem *quòd duplum* ſive bis *pudefacti fuerint* Apoſtoli, 1. quando 7.
Chriſtus crucifixus eſt. 2. quando Judæi Euangelium rejecerunt; & pro eo, quòd diſcipuli ipſorum maximè ex gentibus *confuſionem cantarent partem ſuam*, gloriantes ſcilicet in cruce Chriſti & in afflictionibus.

4. Promittit ipſis, diſcipulis Apoſtolorum, quòd *duplum in terra gentium* 7.
poſſeſſuri ſint, alterum tantum ſcilicet pro toto Iſraële, qui rejectus eſt: vel quòd bis hæreditaturi ſint mundum, ſemel ex errore gentili, & ſemel ex apoſtaſia Antichriſtiana; quòdque *lætitia ſæculorum ipſis ſit futura*, id eſt, quòd lætitia Spiritûs Sancti nunquam ab ipſis auferetur, præcipuè poſt Antichriſti deſtructionem.

Seſe enim diligere judicium tum fidelium non gloriantium in ſe, neque in 8.
terra Canaan, ſed in eo, quòd apud Judæos eſt ignominia, tum ſuum in diſcretione incredulorum ab omnibus tribubus Iſraëlis; *& odiſſe raptum in holocauſto:* non enim poſſe ſacrificia à Judæis ut impuris ſine furto, vel ut habentibus præjudicium, quòd ſint verum placamentum, ſine raptu gloriæ Dei, & ſacrilegio, offerri; *& daturum operæ pretium eorum*, hæreditatem, pro qua laborarunt, *in veritate*, ut expleam meam promiſſionem; *& fœdus ſæculi pactum ipſis*, hæreditatem ab ipſis non ablatum iri, & ſpiritum ac verbum meum ab ipſis non receſſurum, &c.

5. Primorum Chriſtianorum diſcipuli gentibus, vel etiam quum gentes in- 9.
trarunt in civitatem ſanctam, οἱ δόκιμοι manifeſti fiunt, atque ita *cognoſcuntur in gentibus*.

6. Multiplicantur quoque, ac tandem verbo & converſatione omnium ipſos *ibid.*
videntium conſcientiis fiunt manifeſti.

7. Geſtit Eccleſia, præcipuè ultimi temporis, accedere ad Deum: quia *illam* 10.
induerit veſtibus ſalutis, & pallio juſtitiæ amiciverit. Veſtibus ea comparatur ob conſummationem, ornatui ſponſi & ſponſæ ob pulchritudinem.

11. Ampliùs teſtatur Eccleſia gaudium ſuum ex *proventu juſtitiæ & gloriationis coram omnibus gentibus*; & quidem tam copioſo & tam facili, ut terra gramen, & hortus ſata profert. *Juſtitia germinans* eſt fides & charitas multorum ubique cum confeſſione proveniens propter juſtitiam Chriſti.

C A P. LXII.

1. 1. CHriſtus teſtatur amorem ſuum erga *Sionem*, id eſt, eos, qui ad ſe in Sione manifeſtatum acceſſerant. Illorum gratiâ profitetur *ſe non taciturum neque quieturum*, *donec juſtitia eorum exeat*, manifeſtetur, *tanquam ſplendor*, & *ſalus ejus tanquam lampas ardens*.

Ea manifeſtata eſt effuſione Spiritûs Sancti in credentes, prædicatione ejus ſecundùm Scripturam, virtutum Dei comitatione, abolitione veli, id eſt, templi, urbis, politiæ, cum qua tota ſervitus cerimonialis abrogata eſt.

2. 2. *Gentes vident juſtitiam Sionis*, id eſt, illuminantur, ut attendant ſermoni, & cognoſcant fideles verè juſtos eſſe; & *omnes reges gloriam ejus*, id eſt, Chriſtum, Eccleſiæ caput, in quo gloriantur.

Vocaturque Sion nomine novo, honoratiore; ut quando Chriſtiani dicti, ſancti, fideles, amici Dei, non ſervi, *quod* poſtremum *ipſum os Jehovæ expreſſit*, Joh. 15.

3. 3. *Fit* inſignis, ut & *diadema regni*, *corona ornatûs*, *in manu Jehovæ*. Exemplum eſt in martyribus, qui morte ſuâ Deum glorificarunt coram toto mundo, adeo ut in locum eorum decedentium ſæpe ſpectatores & carnifices ipſi ſucceſſerint, ad eandem coronæ claritatem properantes.

4. Hoc tempore viſa eſt Eccleſia habere ſpeciem *deſertæ*, & *terræ vaſtatæ*, diſperſa nempe, diſſipata ac diruta.

4. 4. *Non dicitur ampliùs*, *Deſerta*, *ſed vocatur voluptas Dei in ea*, id eſt, homines cognoſcunt, quòd Deus eam diligat; & *terra ejus*, *maritata*, id eſt, cœtus ejus accipit Epiſcopos, doctores, rectores; defenſores item & nutritios reges.

5. Qui regunt, docent ac miniſtrant, *habent Eccleſiam*, *tanquam ſponſam paranymphi*: eorumque officium eſt, ſponſam ad *ſponſum* adducere. Sponſus Eccleſiæ Deus eſt, qui hoc tempore ſe promittit *hilaraturum ſuper Eccleſia tanquam ſponſa ſua*, ut quam velit amorum ac deliciarum ſuarum & omnium bonorum ſuorum participem facere. Vide Cantic. Salom.

6. 5. Admonet Chriſtus Eccleſiam ſuam, ut attendat ipſa quoque ſuis Epiſcopis, qui hîc *vigiles*, *murorum cuſtodes*, *ne conſileſcant*.

ibid. 6. Compellat quoque *eos*, *qui Deo ſunt à memoria*, id eſt, eum invocant, *ne defetiſcantur*, neque intermittant Deum commonefacere, *ne dent Deo ſpacium*, id eſt, occaſionem differendi opem ſuam, non vigilando, non clamando, non
7. inſtando: *donec exaptet Hieroſolymam & ponat illam gloriationem in terra*.

Innuitur his obiter negligentia Epiſcoporum non ſine culpa Eccleſiæ, poſt aſſertionem ejus, & concinnationem in ſpeciem urbis habentis muros & vigiles.

8. 7. Ex ea negligentia & incuria Eccleſiæ ſecutum eſt, *ut frumentum Eccleſiæ*, id eſt, catechumeni, *fieret cibus inimicis ejus*, id eſt, ab Antichriſto & cœtu ejus abſorberentur.

8. Ju-

8. Jurat verò Deus, ſe in poſterum non daturum frumentum Eccleſiæ ejus 8.9.
inimicis, neque muſtum potum; ſed *colligentes ea*, id eſt, eos, qui in erudiendis per verbum veritatis laboraverint, *comeſuros* atque incorporaturos *ea*, & *bibituros*, id eſt, ex iis voluptatem capturos; Et *laudaturos Deum*, ipſis dantem hunc cibum & hunc potum; *Edituros* autem & *bibituros in atriis ſanctis Dei*, id eſt, ut ii, qui pro reconciliatione Deo gratias agentes per ſacrificium Deo vivunt & lætantur, parantes ſe, ut quantociùs recipiantur domum.

9. Excitantur, *qui egrediantur foras per portas*, & *ex omnibus viis offendicula tollant*, & *ſignum ad populos efferant*, ut tuto & certo itinere ad civitatem 10.
Dei accedant, & in illam per portam, Chriſtum, intrent. Hæc eſt incitatio ad Reformationem Eccleſiæ.

10. Poſtquam Dominus audiri fecerit uſque ad finem terræ nuntium ſuum, 11.
oſtendit tempus eſſe, ut dicatur Sioni, *Ecce ſalus tua venit*, id eſt, Chriſtus eſt ante fores, *ad repræſentandam mercedem ſuam*, & *operæ pretium ſuum ſtatim reddendum*, ut Eccleſia recipiat fructum laboris ſui.

His ſubjiciantur ea, quæ ſuprà §. 8. dicta ex ℣. 9.

11. Tum verò illos populos vocatum iri *populum ſanctum*, *redemtos Jehovæ*, & Eccleſiam, per quam gentes crediderint, *vocatum iri curatam*, *civitatem non deſertam*, in qua habitat Deus, à qua nemo deficit, ad quam gentes accedunt, foribus patentibus die ac nocte. 12.

C A P. LXIII.

1. *CHriſtus, is qui loquitur in juſtitia, amplus ad ſalvandum*, prodit ex 1.
Edom & *Botſra*, id eſt, in tali temporis articulo revelatur, quo populus Judaïcus unus eſt cum *Edom*, & ſub regibus Idumæis.

Habitus Chriſti inter Judæos revelati eſt 1. *fermentatus veſtes*, id eſt, tur- 1.
gentibus veſtibus, ſive *cujus veſtes ſunt, ut calcantis in torculari*, uvidæ ſci- 2.
licet ac turgidæ. Humor, quo dicuntur veſtes fermentatæ & turgidæ, *ruber* dicitur. Is eſt color ſanguinis. Significatur igitur hic abundantia dolorum, & totius carnis cruentatio. Eadem *venerandum* quid eſt, quod animum ſcilicet movere poſſit, & ad inquirendum de cauſa ejus incitare. 2. tribuitur ipſi procedere *cum magnitudine virium ſuarum*. Significatur Chriſti ſtrenuitas & ſedulitas in faciendo officio ſuo tum prædicando, tum ſanando morbos populi, tum patiendo.

Inquiritur de cauſa paſſionum Chriſti, unde ſcilicet ſanguis adſit ejus veſti- 2.
mento &c.

Reſpondet Chriſtus, ſe *populos calcaſſe*, omnem carnem aboleviſſe, cru- 3.
cifixiſſe vetuſtum hominem ad ſalutem Eccleſiæ & abolitionem omnium refra-
ctariorum, tam Judæorum, quàm gentium, per crucifixionem ſuam. *Diem enim* 4.
ultionis, abruptâ tolerantiâ erga populum literalem, & *annum aſſertorum ſuo-*
rum, prioribus diebus, qui erant dies jugi & ſervitutis, finitis, *adveniſſe*. Ita- 3.
que *ſe ſanguine* omnium *populorum*, tum redimendorum, tum inobedientium,
aſperſum, id eſt, cum ipſis ſe ſanguine inquinatum eſſe.

Porrò ſibi ſoli tribuit hoc opus cum excluſione omnis viri, etiam ex Iſraële, 3.
quamvis etiam *circumſpectaſſet* ad ſocios & adjutores ac ſuſtentatores, id eſt, 5.
ſatis diu exſpectaſſet, an quis homo inveniretur, qui quicquam ad condemna-

tionem peccati per legem potuiſſet conferre. Ergo Iſraël ipſe inter calcatos, id eſt, quorum caro abolenda fuit, neque potuit hoc torcular calcare. Omnem verò efficaciam tribuit *brachio ſuo & ardori ſuo*, id eſt, divinæ potentiæ ac voluntati ſuæ, quâ dilexit juſtitiam & odio habuit improbitatem. Eâ potentiâ dicit, *ſe ſibi ſalutem attuliſſe*, id eſt, jus ſuum Patri & ſibi reſtituiſſe, vitam in lucem produxiſſe, regnum obtinuiſſe, hoſtes confeciſſe.

6. Addit, ſe ſuâ paſſione hoc aſſecutum eſſe, ut *proculcentur*, tanquam pulvis platearum, & *inebrientur* mutuo ſanguine, & *profundatur ſanguis illorum in terram*, qui ipſum rejiciunt, & tantam ſalutem negligunt. Idque attribuit *iræ ſuæ & æſtui ſuo*. In paſſione ſua Chriſtus non tantùm habuit voluntatem ſalvandi, ſed etiam puniendi.

7. 2. Narrat Eccleſia Apoſtolica, *ſe gratias Jehovæ commemoraſſe*, nempe apud populum Iſraëliticum; *laudes Dei, ut ſuper omnibus*, id eſt, tales ac tantas, ut conveniens erat omnibus, *quæ plenè nobis tribuit Jehovah* &c. In ſpecie commemorat, ſe narraſſe *amplitudinem bonitatis erga domum Iſraël, quâ ipſos affecerit ſecundùm miſerationes ſuas, & amplitudinem gratiarum ſuarum.* Hæc ſignificant exhibitionem promiſſionum, & πλείωσιν ſanctorum.

8. Nempe *quòd factus ſit ipſis Jehovah in Salvatorem.* Quòd ipſis ſcilicet apparuerit ut ſervus circumciſionis, & venerit ad ſalvandas oves perditas domûs Iſraël, & ipſis ſe oſtenderit ut Salvatorem, idque tum auferendo morbos eorum, tum patiendo in conſpectu ipſorum, tum effundendo Spiritum ſuum, tum prædicando Euangelium, ipſis demonſtraverit. *Hunc* enim peculiariter eſſe electum ex omnibus populis, ut eſſet *populus Dei*, cui notificarentur eloquia Dei; & *dictos* à Moſe apud Pharaonem *filios*, quorum poſteros ſit veriſimile & juſtum apud Deum *non mentituros*.

9. Illuſtratur hoc beneficium nuperum & magnum, quo factus erat ipſis in Salvatorem à gratia ſuperioris temporis, & inde exaggeratur. Nempe quòd *in omni anguſtia ipſorum non oppugnaverit eos* quiſquàm, *quin ſtatim Angelus faciei Domini*, id eſt, qui eſt apud Deum & faciem Dei videt, & in quo videtur Deus, quando mittitur ad homines, *ipſos ſalvârit, & in dilectione ſua & clementia ſua ipſos aſſeruerit ſuos*, ſive pro ipſis tanquam ſponſor interceſſerit, & ſibi liberos dimitti petierit; *quòdque illos ſibi quaſi impoſitos tulerit* verbo potentiæ ſuæ, *omnibus diebus ſæculi*. Nota, Jehovam fieri ſalvatorem in Angelo faciei.

10. 3. Hìc querela inſtituitur de domo Iſraëlis, quòd non ſecundùm exſpectationem Dei egerint, ſed Domino & Angelo faciei ejus *inobedientes exſtiterint*, id eſt, non crediderint Euangelio; quòdque *etiam dolore affecerint Spiritum Sanctum ipſius*, effuſum ſcilicet in Apoſtolos, qui eſt Spiritus promiſſionis, antea non datus, & Spiritus filiationis, per quem locuti erant prophetæ, quorum dictis non paruerunt.

ibid. 4. Quo facto ipſi dederunt occaſionem id faciendi, quod ſolent irati, & *ſe ipſis convertendi in hoſtem*, id eſt, populum abjiciendi, regnum ſuum ab illis auferendi; quin etiam *præliandi in ipſos*, id eſt, immittendi in ipſos exercitus ſuos & carnifices, qui ipſos occidant, urbemque illorum ac politiam deſtruant.

11. Nempe Judæi *recordabantur dierum antiquorum Moſis, populi ſui*, exſpectantes regem, qui ipſos ſimiliter liberaret ex manu gentium, ut Moſes, qui populum eduxit ex Ægypto per mare rubrum, quique ſignum daret de cœlo,

ut Moses. *Recordabantur* quoque *pastorum gregis sui*, id est, 70 seniorum, qui consederunt in cathedra Mosis, quorum successores præsidebant Hierosolymis, requirentes, *Ubinam esset, qui posuerat in medio Israëlis Spiritum suum?* Credebant enim, Synedrium non posse labi aut errare. Itaque stomachabantur, quòd videretur Spiritus Sanctus ab ipsis discessisse, aut irascebantur illis, qui iis tanquam mortuis, hariolis, magis, fidem abrogabant. Denique pro illorum auctoritate & regno voluerunt periclitari. Porro recordabantur, quòd *bra-* 12.
chium Domini incederet ad dextram Mosis, cùm contrà Christus cum discipulis suis versaretur in ærumnis; quòd *fissæ essent aquæ* Jordani, ut populus intraret in terram. Itaque putabant, Deum miraculum facturum, ut Hierosolymam ex obsidione liberaret. Denique cogitabant, *quàm leniter & clementer Deus anti-* 13.14.
quum populum duxisset, & mirabantur, non idem nunc fieri. Ecclesia in fine ℣. 14. affirmat, quòd ita Deus populum suum duxerit, *ut faceret sibi nomen perpetuum.* Jam itaque, cùm paraverit sibi nomen, tempus talia opera faciendi præteriisse.

5. Ecclesia miserationes Dei implorat, & petit illuminari oculos fratrum 15.
suorum, *ne corda ipsorum indurentur*, & Israël fiat tanquam populus, cujus 17.
Deus nunquàm fuerit Jehovah, *utque* miserando fratres *misereatur ipsos*, & *convertatur ab ira propter servos suos*, *tribus hæreditarias suas*, id est, ut impleat desiderium tum patrum, tum etiam tribuum illius temporis, qui cuperent illum populum salvum fieri cum ipsis.

Se non, ut Judæos, spectare ad Mosen & rectores populi, *ne quidem A-* 16.
brahamum patrem suum appellare, sed Deum, qui in Christo factus esset pater; neque confidere Abrahami meritis, sed gloriari in eo, qui major esset Abrahamo: *cùm Abraham non cognosceret ipsos, nec Israël*, id est, cùm Abraham non inspiceret corda & renes, neque haberet eum locum apud Deum, ut tanquam sponsor & caput seminis sui pro ipsis intercederet; sed *Jehovam ipsum esse patrem ipsorum*, & *nomen ipsius esse à sæculo Vindex Israëlis.*

6. Hierosolyma obsidetur à Vespasiano, jussu Neronis, atque ita jam ferè in 18.
eum statum populus deductus est, ut, qui eum aspiceret, nullum vestigium habitationis Dei in illo populo, & potentiæ in illo asserendo, videret. Cùm etiam 19.
Christiani essent contemtissimi, & diffamatissimi, & paucissimi.

7. In hoc statu rerum datur tum Judæis tum Christianis occasio petendi, id- 19.
que ex consilio carnali, *ut Deus de cœlo appareat*, *montes tangat*, *ut colliquescant.*

Dum Hierosolyma obsidetur, Nero subitò sibi manus infert violentas. Quo facto imperium nutavit, & successores uno anno exorti sunt, Galba, Otho, Vitellius, qui opibus totius orbis inter se conflixerunt, & Italiam ipsam ac Romam sanguine impleverunt; denique Capitolium incenderunt. Quis dubitat, quin eo tempore erecti multorum oculi fuerint ad cœlum, & restitutionem regni per Christum exspectaverint, non tantùm Judæi, sed etiam Christiani.

CAP. LXIV.

8. *Tanquam ardente igne liquationum*, igne gradu maximo, ardet, & *tan-* 1.
quam aqua, *quam scrutatur ignis*, ebullit, fervet, evaporat & consumitur populus.

Finis hujus judicii est *ad notificandum nomen tuum hostibus tuis*, id est, Ju-

dæis hostibus Euangelii Christi, ut desinant blasphemare, & intelligant, verum prophetam fuisse, qui ipsis talia prædixerat.

1.2.3. 9. *Gentes commoventur coram Deo, dum facit terribilia, quæ non exspectaverant* ipsi Christiani, *& descendit, & coram ipso montes evilescunt*, id est, trepidant gentes ad nomen Christi, & omittunt persecutionem Christianorum, Christo sese quasi palàm ipsis ostendente, & omnes altitudines sese elevantes instar montium resolvente in arenam.

Factum id, quando Constantinus Christi nomen professus perdomito Licinio imperium solus occupavit, fana destruxit, eorum reditus Christianis assignavit.

4. 10. Hic nova est oratio plena gemituum & suspiriorum propter ingruentes abominationes in Ecclesiam.

Anxiè nimirum cogitant fideles, quomodo salvari possint, & iram Dei effugere, cùm Deus priscis Christianis, qui *alacres* fuerint in certamine fidei, qui *justitiam fecerint*, *qui in viis Dei ipsius recordati fuerint*, tanquam adversarius *occurrerit*, pugnans cum ipsis per manus gentilium; *Deinde in Judæos & gentes efferbuerit*, *cum tamen Christiani non essent absque culpa* & à peccatis immunes: *Quomodo igitur possint salvari*, Deum quasi interrogant.

5. *Sese enim omnes factos esse ut immundum*, peccata & conversationem gentilium imitari: *justitiasque suas esse ut vestem abjiciendam*, id est, quòd ipsa verba, quæ loquuntur Christiani, sint contaminata, & mixturâ sapientiæ humanæ adulterata: *omnes sese emarcuisse ut folium*, nec vitam nec vigorem Spiritûs Sancti in se ostendere; *pravitatem suam tanquam ventum se auferre.* Ea est corruptio doctrinæ, judiciorum & factorum.

6. *Neminem esse*, *qui nuncupet nomen Dei*, qui suorum dictorum & factorum auctorem nominet & probet Deum; *qui se exeitet ad tenendum Deum*, ne transeat ad aliud caput, aliam legem &c.

Causam corruptionis tam generalis reddit iram Dei in peccata etiam fidelium, quòd scilicet *absconderit faciem suam ab illis*, *& illos faciat colliquescere in manu pravitatis suæ.* Negligentia scilicet fidelium est causa tantæ corruptionis.

7. 11. Fideles se recolligunt & recordantur, *Deum esse patrem suum* in Christo per regenerationem, seque alium patrem in terra non habere; *Deum esse formatorem suum*, *seque esse opus manuum ejus*, *&* ad formationem Dei *habere instar argillæ*, quæ sibi ipsa formam dare non possit.

Hæc fidei cogitatio est opposita doctrinæ Pontificiæ & Pelagianæ de libero arbitrio.

8. 12. Deprecantur iram & petunt, ut Deus respiciat ad ipsos tanquam populum suum, non exclusis etiam fratribus suis, licet in illis ignorantias, errores ac titubationes inveniant. *Intuere*, *age*, *quòd omnes nos simus populus tuus.*

9.10. Deplorant quoque *vastitatem Ecclesiæ*, id est, paucitatem fidelium.

11. Concludunt tandem, tempus esse, ut *Deus ad illa non sileat*, aut *se contineat*, aut *ipsos usque & usque debilitet.*

CAP. LXV.

1.2. 13. Deus defendit severitatem suam à gratia in vocandis gentibus, & longanimitate in invitandis Judæis rebellibus dudum exercita.

Cau-

Causam reddit iræ, quòd illa multitudo, quæ vocatur *populus* & non est, 3. & 5. f.
quia non tenet caput, *est fumus in naso suo*, id est, causa, quare nasus ejus fumet.
Eam multitudinem describit à factis, quòd *ægrè ipsi faciant semper in con-* 3.
spectu ipsius, id est, quòd illa faciant, quæ Deo displicent, & quidem sine
intermissione, & dum nominant nomen meum, & volunt videri exercere cul-
tum meum. In specie, quòd *sacrificent in hortis*, non accedentes ad altare
verum, sub umbra procerum & sapientum hujus sæculi; *quòd adoleant su-
per lateribus*, accedentes ad Deum fiduciâ suorum operum, vel ejus consilii,
quod ipsi adinvenerunt. Concesserat quondam Deus fieri altare ex lapide
non polito, vetuit fieri ex lapide cæso aut lateribus. Quòd *sedeant in cæmete-* 4.
riis, congregati apud monumenta mortuorum, quos invocant, & quo-
rum meritis fidunt; & *in claustris pernoctent*, religionem in eo ponant,
quòd includantur muris; quòd *edant carnem porci*, id est, communi-
cent cum hominibus sordidis, qui non habent ruminationem, id est, medita-
tionem verbi, ut porcus impurus, & volutantur in cœno, ut porci; quòd-
que *exuviæ abominationum sint vasa illorum*, id est, iis rebus se ornent, quas
mutuati sint à gentilibus; *quòd dicant* fratribus suis, *contrahe te* &c. jubent il- 5.
los recedere, ne cum illis sedeant scilicet, *quia sanctus sum tibi*, tanquam do-
minus fidei, sacerdos, sine quo non possis accedere ad Deum.

Pronuntiat, *id scriptum esse coram se*, illam apostasiam se nunquam oblivio- 6.
ni mandaturum, neque condonaturum, *neque se requieturum, donec rependat
in sinum ipsorum* apostatarum *pravitates* etiam fidelium sese convertentium &
pravitates patrum ipsorum, sive illi fuerint proximi inter apostatas, sive remoti
inter gentes. Denique, *se fructum operæ apostatis ante omnia in sinum refu-
surum.*

14. Deus propter servos suos conservat aliquas reliquias; 8.

15. Atque etiam *educit ex Jacobo semen*, & *ex Juda hæredem montium suo-* 9.
rum, id est, filios regenerationis, qui omnes *montes Dei*, id est, omnia re-
gna & provincias, saltem eas, in quibus nomen Dei invocatum est antea,
sint occupaturi.

16. Mutatio rerum in mundo propter bonum Ecclesiæ, nempe ut *Saron*, lo- 10.
cus compascuus aptus saginandis bobus, *sit mansio ovium*, & parvæ pecudis.
Significatur, opimissima quæque danda ovibus Dei; item ut *vallis Achor mutetur
in accubitum armenti*, id est, loci horrentes & insignes calamitate, ut erat
vallis Achor, sive populus Dei insignis pœnâ anathematis, mutetur in fœcun-
ditatem, ut bubus, nec tantùm ovibus sufficiat.

17. Sed *derelinquentes Jehovam* ejusque legem; & *obliti montis sancti Dei*, 11.
Sionis, in qua Christus revelatus est, & regni Christi ac Ecclesiæ; *quique
mensam cum cramate*, sive vino aquâ misto, *instruunt in honorem turmæ* & *nu-
meri*, id est, angelorum omniumque sanctorum, non-deorum. Unitas est
Dei, numerus Bestiæ. Isti, inquam, qui ita delinquunt, *numerantur ad gladium*, 12.
& *incurvantur ad mactationem.* Unus aliquis hic nominatim per apostrophen 15.
compellatur, & *interficiet Te.*

18. *Edunt* itaque & *bibunt*, *lætantur* & *cantant servi Dei*, Apostatis esu- 13. 14.
rientibus, sitientibus, pudefactis, & ejulantibus ex fractione cordis.

Nomen Apostatarum *electis Dei fit in juramentum*, id est, exsecrationem, 15.
abominationem. Quale est, dici Papistam.

Contrà

ibid. Contrà *ſervis Dei aliud nomen datur.* Confer Ezech. 39:13. Ipſa videlicet Reformatio ipſis cedit in nomen.

16. Nomen ſervorum Dei ex ipſorum actu poteſt colligi, qui eſt *ſibi benedicere in Deo Amen & jurare in Deo Amen.* Innuitur ſtatus Eccleſiæ ultimi temporis, quo Eccleſia videbit in rebus omnes benedictiones, quas hactenus legerat in prophetiis futuras. Itaque *afflictiones priores mandandas eſſe oblivioni, ita ut ſint abſcondita ab oculis Dei.*

17. *Deum enim creare cœlum novum*, abolito cœlo veteri, iis nempe, qui os ſuum ponunt in cœlo, *& terram novam*, Eccleſiâ non tantùm ſeparatâ à Babylone, ſed etiam conjectâ beſtiâ cum pſeudopropheta & Diabolo in ſtagnum ignis.

18.19. Gaudium & hilaritas perpetua Hieroſolymæ & populo ejus addicitur, *Deo gaudente & ſe exhilarante ſuper ipſis*, id eſt, pro voluptate ac delectatione habente, ut illi benefaciat.

19.f. Illi tempori negat convenire *lachrymas & clamorem.*

20. Per ænigma indicat ſufficientiam doctrinæ & cognitionis, quum puer tantum poſſit ſcire, quantum antea alius, qui per 100 annos vixiſſet, ita ut nemo moriturus ſit, etiam peccator, quin habeat occaſionem diſcendi parvo labore, quod aliàs 100 annis non fuerit cognitum.

21—23. Præterea promittit, piorum habitationem fore tranquillam, proventum uberem, & qui ipſis cedat ad fruendum, neque rapiatur ab alio, non vanos labores, ſemen benedictum. Hæc & literaliter & ſpiritualiter intelligi poſſunt.

24. Deum promtum fore ad exaudiendas preces ipſorum. Nam quod ſecundùm promiſſiones ipſius ſperare poſſint, id eum repræſentaturum.

25. Habituram Eccleſiam pacem, & lupos ac leones ei non incommodaturos, ſed potiùs ſervituros. *Leonis cibus erit fœnum*, id eſt, innocuus. Reges & tyranni non vivent ſanguine. *Serpentis*, id eſt, Diaboli, *cibus pulvis*, id eſt, homines pulverei & carnales. Ergo Eccleſiam non lædet, niſi quatenus abſorbeat carnem illorum, ut ab illa liberentur.

CAP. LXVI.

1. 1. DEus exprobrat Judæis ſtudium inutile *faciendi Deo domum*, cùm Deus *thronum ſuum collocaverit ſupra cœlos*, ita ut nec Hieroſolyma nec templum ſit ampliùs thronus gloriæ, *& terram fecerit ſcabellum pedum ſuorum*, ita ut omnes homines in toto mundo ſine diſtinctione ſtent ad pedes ipſius, neque habeant locum proprium, ad quem Deus velit venire.

2. Id amplius aſtruit eo, *quòd manus ipſius omnia iſta fecerint*; & quòd in omni loco videat & aſpiciat *inopes*, viribus ſuis & juſtitiæ ſuæ diffidentes, & *percuſſos ſpiritu*, lugentes ob peccatum & imminutam gloriam Dei, & *trepidantes ſuper verbo ipſius*, de gratia, id cum timore recipientes.

3. Sacrificia quoque damnat, adeo ut offerentes illa habeat pro homicidis, canem offerentibus, vel porcum, & idolo ſuffitum facientibus. Tum etiam accuſat ipſos apud Eccleſiam, quòd *elegerint vias ſuas*, & delectentur ſuis abominationibus.

4. 2. Revelat fidelibus, quid de Judæis conſtituerit, qui ipſo clamante non audive-

diverint. Hoc per Chriſtum & Apoſtolos fidelibus eſt prænunciatum, caſum Hieroſolymæ imminere.

3. Nominatim fideles conſolatur ſuper eo, *quòd fratres ipſorum* Judæi *eos odiſſent & ἀποσυναγώγους* facerent. Illorum ſymbolum proponit, quòd dicant, *propter nomen meum glorificabitur Jehova.* Cui opponit *lætitiam* fidelium, & *pudorem* ſeparantium ipſos. 5.

4. *Vox tumultus ab urbe* auditur, quando urbs obſidetur & oppugnatur; *vox tumultus à templo*, cùm, expugnatâ urbis parte Septentrionali, vis in templum fit; *vox Jehovæ tribuentis meritum inimicis ſuis*, cùm templum accenditur, & Deus recedit à populo. 6.

ꝟ. 7. Incipit Deus commemorare opera gratiæ hoc ordine.

1. Oſtendit Eccleſiam Iſraëliticam puerperam, quòd peperit ante parturitionem, & quidem *maſculum* ante dolorem, id eſt, quòd viderit Chriſtum, antequam de nativitate ejus, ut jam inſtante, cogitâſſet, vel propter regnum ejus in ullum dolorem fuiſſet conjecta. 7.

2. Commonſtrat felicem proventum & nativitatem filiorum Dei in omnibus tribubus, *quòd* veluti *uno die*, ut die Pentecoſtes, *tota gens nata ſit.* 8.

3. Nec tantùm gloriatur ſe *gignere*, facere ut pariat, vel partum parientis adjuvare, ſed etiam *parere*, id eſt, advocare gentes, quæ de ipſo ne cogitaverant quidem. 9.

4. Hortatur verò *diligentes Hieroſolymam ad lætitiam*, quamvis ſtatus aſpectabilis terrenæ Hieroſolymæ talis eſſet, ut *luctum* etiam fidelibus poſſet inſerere. Eſſe enim hanc potiùs occaſionem gratulandi veræ Hieroſolymæ, quòd ea ſalva eſſet, & interitu illius facta libera, ut jam habeat communionem cum cœleſti Hieroſolyma. 10.

Eamque lætitiam Eccleſiæ neceſſariam eſſe demonſtrat, ut ad ſatietatem poſſint ſugere de ubere conſolationum ejus, & *de animalibus gloriæ ejus*, id eſt, de populis, qui vitæ Dei fiunt participes per prædicationem Euangelii, ſuntque Eccleſiæ opes & decus & cibus. 11.

5. Explicat delicias, quas cum gentibus fideles ſuper Hieroſolyma lugentes percepturi erant, ex *abundantia pacis inſtar fluvii*, & gloriæ gentium inſtar torrentis exundantis. Itemque ex *geſtatione* tanquam in ulnis & in gremio, quemadmodum filii deliciarum haberi ſolent. 12.

Ulteriùs promittit *conſolationem ſuam*, qualem ſolet mater adhibere, & quidem in *Hieroſolyma*, id eſt, Eccleſia congregata & ordinata. 13.

6. Corrumpitur & inquinatur Eccleſia jam congregata, quæque ordinari cœperat. Inde diſcrimen inter *ſervos Dei* & *inimicos ejus.* 14.

7. *Manus Domini manifeſtatur cum ſervis ejus*, ut illi roborentur, illuminentur, excitentur ad prædicandum Euangelium contra ſcandala, & ad ferendam crucem in perſecutione Antichriſti, & ad conſervandum, eoſque liberandum à jugo ipſius. 14.

8. Contrà *cum inimicis Domini ſeverè agit.* *ibid.*

Explicatur ea ſeveritas, quòd *cum igne tanquam procella repentina venturus ſit, ut reddat iram & increpationem.* 15.

Quòd *diſceptaturus ſit cum igne, & cum gladio ſuo cum omni carne, ita ut multiplicentur cadavera Domini.* 16.

Hoſtes ſuos deſcribit, *qui ſe ſanctificant*, id eſt, ſibi ſanctitatem præcipuam ar- 17.

arrogant, non contenti nomine fratrum; *qui se purificant ad hortos*, id est, qui pœnitentium speciem assumunt, ut in hortis Deo sacrificent, *post unum in medio*, id est, vel post verum Mediatorem, qui est unus, 1 Tim. 2:5. vel post falsum ejus vicarium; *qui edunt carnem porci* &c. Hisce omnibus prædicit *consumtionem*.

18. 9. Interim ostendit rationem patientiæ suæ, quòd nempe velit illorum operâ abuti, ut, ad quod *opera & consilia ipsorum comparata sunt*, id fiat, sed cum alio eventu: nempe *ut congregent quidem populos & nationes* tanquam sub unum imperium, & in unam civitatem, *sed illæ* congregatæ *videant gloriam Dei*.

19. Id explicat, quomodo in congregatione gentium sub imperium Antichristi futurum sit, ut gentes gloriam Dei videant.

(A.) *Ponam in illis signum*, id est, efficiam, ut suo χαραγμα possint distingui à servis meis. Ea est lex, sive doctrina bestiæ, cum rejectione auctoritatis Scripturæ: quæ lex bestiæ maximè in Concilio Tridentino confirmata est.

19. 10. (B.) *Et mittam ex illis effugientes ad gentes*, id est, faciam, ut multi effugiant eos, qui in errore versantur, & ut ii, qui effugerint, habeant occasionem adeundi multas gentes.

Ut *Tarsis* in Asia minori, *Pul* fortassis in Ægypto. Vide Bochartum in Phaleg p. 304. & 305. & *Lud* ex posteris Mitsrajim, Gen. 10:13. Vide Eund. p. 307. 308. & 309. *qui trahunt arcum*, sunt τοξόται. Item *Tubal*; vide & Ezech. 38:23. & *in Græcia*: denique *in insulis longinquis*, quæ de Christo antea non audiverunt, & non viderunt gloriam Dei, *ut gloriam Dei indicent in gentibus*.

20. 11. Fructus & eventus est, ut *adducant omnes fratres fidelium ex omnibus gentibus munus Domino*, sese sistentes scilicet Deo in sacrificium vivum: & quidem adducant eos *in equis & curribus* &c. opibus gentium adjutos, ut ad Deum convertantur: *Ad montem sanctum Domini*, *Hierosolymam*, ut habeant communionem cum Apostolis & primis fidelibus.

Hoc munus Deo gratum & acceptum fore, quemadmodum Israëlitarum munus *in vase puro* oblatum: vel eos abductum iri in ornamentis sanctitatis, in decora conversatione, quemadmodum *vas purum* ad munus offerendum eligebatur.

21. 12. Deum *ex illis* adductis ex omnibus gentibus *assumturum Sacerdotes & Levitas*, qui & alios adducant.

22. Confirmat promissionem *à perpetuitate seminis & nominis ipsorum*, qui sunt & vocantur populus Christi.


ibid. Hanc verò perpetuitatem confirmat à *perpetuitate cœli novi & terræ novæ*.

23. 13. Extendit bonum hoc ad omnem carnem & ad omne tempus, & felicitatem illius temporis ænigmaticè indigitat. Semper erit *nova lux*, & quasi *νεομηνία*, semper *Sabbatum*, *quies & pax*. Et nullo non momento affulgentis novæ lucis & concessæ pacis *veniet omnis caro ad adorandum Deum*, saltem suspiriis proficiscentibus ex fide fundata, & permanente verbis & operibus bonis.

24. 14. Ex altera parte illos visuros *cadavera hominum deficientium à Deo*, id est, homines manentes in morte spirituali, occisos verbo Dei, sive quos ex verbo Dei mortuos esse demonstratum sit; *quorum vermis non sit moriturus, neque ignis exstinguendus, quique omni carni sint futuri nauseæ*.

ORDO RERUM EX JEREMIA.

CAP. I.



SUmma operum Dei, de quibus locutus est hic Propheta, habetur vers. 10. cap. 1. Locutus est enim de migrationibus populorum, in specie Judæ; de perfractione urbis; de occidione populi; de eversione templi: Rursus de plantatione Judæ in terra sua, de ædificatione templi veri, & plantatione Ecclesiæ ex Judæis & gentibus ad fructificandum Domino.

Judæi tempore Josiæ reformationem instituerunt & voluerunt videri observantissimi legis Mosis. Sed Deus ostendit, se illis imputare omnem idololatriam & Jeroboami & Achabi, & eos pro Idololatris adhuc habere & puniturum esse; eò, quòd non essent conversi ad fidem Christi mediatoris ac redemtoris sui. Ubi Christus non colitur, verus Deus non colitur. Vide ℣. 16.

Ex Septentrione adventuros reges omnes, sive dynastas collectos sub uno monarcha, qui sint obsessuri Hierosolymam & civitates Judæ. ℣. 13. 14. 15.

CAP. II.

1. POpulus, cùm non attenderet ad Deum, nunc confugit ad Ægyptios, nunc ad Assyrios. ℣. 18.

2. Nihil assequuntur, nisi ut *biberent aquas Nili & Euphratis*. ibid. & vers. 36. Josias Ægyptio proficiscenti adversus Assyrium se opposuit: ut videtur, quia fœdus cum Assyrio habuit. Josias occisus est. Ita sanè Ægyptii *depasti sunt verticem Israëlis*, vers. 16. servos eos fecerunt. Deinde rursus serviverunt Assyriis, & iis non fuerunt fideles, sed fœdus cum ipsis factum violarunt, fœdus facientes cum Ægyptio.

3. Monet, imminere deportationem, ut *nudipedes & in siti* deducantur in aliam terram. vers. 25. & 37.

CAP. III.

4. COnvertuntur Israëlitæ in exilio suo ad Deum. vers. 12. 13. 14.
Locus exilii, *terra Septentrionis*. vers. 12.

 5. Pauci

5. Pauci ex illis, quorum scilicet cor tetigisset Deus, revertuntur Sionem. vers. 14. Eodem scilicet edicto Cyri, quo Judæis in captivitate Babylonica, etiam Israëlitis decem Tribuum data est potestas revertendi in terram, & Sionem reædificandi. Indicatur, tum *arcam non futuram*, adeoque nec σκήνωσιν super ea, vers. 16.

(*b.*) 7. Dantur ipsis reductis in terram *pastores secundùm cor Dei*, vers. 15. non qui in ipsos ut servos dominationem exerceant, sed qui eos *pascant*, ducant, regant suis admonitionibus, tanquam oves Dei, idque faciant *peritè & circumspectè*, utpote ducti à Spiritu Sancto.

Pastores illi sunt Christus & Apostoli ejus, & prodromi Zacharias, Malachias, & Johannes Baptista.

6. *Multiplicantur & fructificant in terra*. vers. 16.

(*a.*) 7. Deus se in vicis Hierosolymæ, imò in tota terra manifestat, unde *Hierosolyma* tota *solium Jehovæ appellanda* erat. vers. 17.

Ea melior σκήνωσις, quàm ea, quæ fuit super arca, adeo ut hæc propter illam *ne recordanda* quidem vel *quærenda* dicatur. vers. 16.

Dantur jam quoque populo pastores &c. Vide suprà §. 7. (*b.*)

10. *Gentes vocantur* vers. 17. nempe per pastores illos promissos. *ad nomen Jehovæ* autem vocantur, id est, ut id cognoscant & nominent. *Hierosolymam*, ut habeant communionem cum sanctis, qui Hierosolymæ Christum exspectarunt, & jam sunt in cœlo. Confer cap. 4 : 2.

Ab hoc tempore *Israël & Juda* appellantur credentes ex Judæis & gentibus.

8. Deus tum ipse, tum per pastores illos Israëlitis prædicat Euangelium. Suadetque fidem in se & libertatem filiorum Dei argumentis ductis à maximis beneficiis inde consecuturis, qualia sunt, quòd *positurus sit ipsos in loco illustri & magnifico inter filios*, Spiritu adoptionis præditos; quòd *daturus sit ipsis terram decoris*, locum præparatum Ecclesiæ inter gentes, præsertim in insulis maris, hoc est, Europa; *exercitus gentium. Tantum*, inquit, *voca me*, *Pater mi*, abjectis illis, quæ sunt servitutis, assume per fidem & libertatem filiorum Dei. Vide Rom. 8 : 15. Gal. 4 : 5. 6. Hæc vers. 19.

9. *Deficiunt Judæi à Christo* rege suo. vers. 20.

11. Per tempus accessus gentium ad populum Dei fideles ex Judæis & gentes illis concorporatæ dant operam, ut loquantur cum reliquiis Israëlitarum non reductis, quæque non viderint gloriam Dei Hierosolymis manifestatam, & cum Judæis ejusdem pertinaciæ consortibus. Id ita dicitur: *Ibunt domus Judæ ad domum Israël*. vers. 18. ὑποτύπωσις hæc loquela Christianorum cum Judæis vers. 22. *Revertimini* &c.

12. *Vox in culminibus auditur*, *ploratus supplex filiorum Israël*, deplorantium, *quòd pravam viam inierint*, *obliti fuerint Iehovæ Dei sui*. vers. 21.

13. Ac deinde exprimunt Judæi sese convertentes ad Deum confessionem suam, *Ecce nos*, *venimus tibi*: quia tu *es Iehovah Deus noster*, vers. 22. *Enimverò in vanum tam colles*, Sion & Morija, ubi fuit templum, *quàm turba*, multitudo populi in Veteri, & meretricis magnæ in Novo Testamento, *montes*, regna mundi fuerunt, ut iis confideremus. *Enimverò in Iehova Deo nostro salvatio Israëlis*, vers. 23. *Et pudendum devoravit laborem patrum nostrorum à pueritia nostra, oves illorum & boves illorum*, *filios illorum & filias illorum*, vers. 24. *Cubemus in*

pudore

pudore nostro & operiat nos ignominia nostra; quia Jehovæ Deo nostro peccavimus nos & patres nostri à pueritia nostra & usque in diem hunc, & non auscultavimus voci Jehovæ Dei nostri, vers. 25.

14. Tandemque *unà cum Christianis veniunt ex terra Aquilonis*, ubi hactenus dispersi inter gentes, *ad terram, quam Deus hæreditare fecerat patres ipsorum.* Ita rursus Euangelium prædicabitur in Judæa, & Judæa fiet Ecclesiæ. ℣. 18.

CAP. IV.

EX Septentrione Deus adducturus malum & fractionem magnam prædicitur ℣. 6. Leonem ex perplexo suo, & perdentem gentes ex loco suo, ut ponat terram Judæ in vastitatem, ℣. 7. Is *ventus nitoris culminum*, id est, destructio oppidorum in collibus positorum, ipsius templi ad arcam usque. ℣. 11.

1. Summa: A ℣. 5. ad 12. describitur repentina calamitas, quæ imminebat Judæ.

2. Attamen *consummationem* Deus in hac calamitate *non erat facturus.* Nempe debebat relinqui populus in terra & extra terram, per quem terra habitaretur in posterum, & templum & urbs reædificaretur. ℣. 27. & cap. 5 : 10. & 18.

CAP. V. VI. VII. VIII. IX.

EAdem calamitas & ruina populi & urbis ac templi prædicitur cap. 5. 6. 7. 8. 9. Ubi ℣. 24. 25. Deus minatur, *se* in posterum *visitaturum in omnes gentes, circumcisas præputiatas, nempe Ægyptios & Judam*, (de conversione gentium in locum Judæorum infidelium agitur etiam cap. 6 : 18.) *& Edomum, & filios Ammon, & Moabum, & omnes præsectos extremitate* (circumcisos) *in deserto.* Quòd si illæ gentes tempore prophetiæ circumcisionem non habuerint, saltem referat hoc ad tempora sequentia reductionem ex captivitate Babylonica. Nam sub Maccabæis regibus gentes vicinæ redactæ sunt in ditionem Judæorum, & receperunt circumcisionem. Eas autem omnes unà cum Judæis per Romanos visitavit, ostenditque se illorum circumcisionem præputium habere. Nunc etiam Turcæ & Persæ & Sarraceni circumciduntur. Ad eos etiam se extendit hæc prophetia: ut & ad omnes eos, qui fœdus & sacramenta Dei non in fide & circumcisione cordis habent.

CAP. X.

1. ℣. 22. & seqq. inde à ℣. 17. Iterum vastitas Judæ prædicitur.

2. Interferuntur in hoc capite vers. 10. per parenthesin verba Chaldaica, ostendenda Chaldæis à Judæis exulibus, quibus declaratur, Deos ipsorum perituros &c. Huc refer ℣. 1--16.

CAP. XI.

℣. 15. notabilia sunt verba: *Quid dilecto meo in domo mea?* Loquitur Deus de Filio suo angelo Testamenti, cui domum suam dederat inhabitandam. Ergo significat, quandoquidem is, qui est dilectus Domini, nihil aliud videat in domo

Dei, quàm quòd non unus, sed multi, imò tota multitudo facerent scelus, nihil superesse, quare velit in ea domo habitare.

C A P. XII.

A ℣. 14. ad finem Cap. hic rerum ordo est.

1. *Vicini* Judæorum Moabitæ, Ammonitæ &c. evelluntur ex terra sua. Ipsaque domus Judæ cum ipsis. vers. 14.

2. Postquam evellerit eos Deus, reducit eos in terram suam. vers. 15. Ita licuit & Moabitis, Ammonitis, &c. redire in suam terram, & viciniam Judææ, in ipsam Judæam, & in medio Judæorum habitare, quorum habitatio fuit etiam usque ad Euphratem, imò per totum Orientem, ut liquet ex Act. 2.

3. Revelatur ille, quem omnes *audire* oportet, atque ab eo *discunt vias populi Dei*, *ut jurent in nomine Dei*, *vivit Jehovah.* vers. 17. 16. Atque ita *ædificantur in medio populi Dei.*

4. *Qui non audiunt*, *avelluntur & perduntur penitus.* vers. 17.

Hinc provenerunt tot gentium exstinctiones & nominis illarum. Nam quod de Ismaëlitarum & Arabum imperio antè dixit Es. Cap. 21: 13. & seqq. id quoque in excidium terminatur. Quemadmodum reverâ cum ipsis actum est. A Turcis enim redacti sunt in potestatem.

C A P. XIII.

℣. 18. Prædicitur abolitio regni è domo Davidis.

Et nominatim vers. 17. captivitas, & vers. 19. abductio populi in exilium. Instrumentum, populus ex Septentrione. vers. 20.

Prophetat etiam in hoc cap. vers. 12. de sterilitate, dicens, *omnem lagenam impletum iri.* Quæ est irrisio falsæ persuasionis, quòd in posterum fertilitas futura esset, uti apparet ex vers. 13. Hinc dicitur Cap. XIV. vers. 1. *Quia* factum erat verbum Jehovæ ad Jeremiam *de sterilitate.* respiciendo ad vers. 12. & 13. cap. 13.

C A P. XVI. vers. 13. & seqq. hi sunt articuli.

1. PRojectio Judæorum ex terra sua in terram aliam, nempe Septentrionalem. vers. 13. & 15.

2. Ibi Deus reliquias quasdam dignatur *gratiâ* suâ, ut ad se convertantur. vers. 13.

3. Easdem reliquias facit ascendere ex terra Aquilonis, & aliis terris, quò eos pepulerat; & reducit in terram ipsorum. vers. 15. flexis scilicet animis eorum, qui eos detinebant, *manu ac potentiâ suâ*, ℣. 21.

4. Reductis mittuntur *piscatores* & *venatores*, qui eos ad Deum vel escâ propositâ vel violentiâ quâdam reducant & colligant. vers. 16.

Ii Prophetæ & Apostoli, qui eos claritate demonstrationis suæ coëgerunt manum dare veritati, vel saltem confutârunt, & obtuderunt vi veritatis.

Convenit, quòd post demonstratam *manum ac potentiam* Dei, §. 3. dicatur *nomen Dei manifestandum*, vers. 21.

5. Gen-

5. Gentes convertuntur ab idolis suis ad Deum. ℣. 19. 20.

6. His demùm conversis fit propriè, quòd dicuntur Judæi colligendi per venatores *ex fissuris petrarum*, incitandi scilicet ad æmulationem. vers. 16. f.

CAP. XVII.

1. PRophetia templum secundum extollit supra primum, eò, quòd esset futurum *solium gloriæ in celso*, ℣. 12. propter apparitionem scilicet Christi regis diu *exspectati ab Israële* vers. 13.

2. Etiam *fractionem alteram* distinguit, vers. 18. quâ confracti sunt Judæi, per Romanos scilicet. Prior facta erat per Babylonios.

In hac ultima fractione populi Deus excitavit *ex hæreditate ejus*, id est, ex terra ipsorum Judæorum, qui eos frangerent, perderent, ac opes ac thesauros eorum diriperent, vers. 3. 2. Hi non tantùm Romani, & Idumæi, sed ipsi Judæi, ut Johannes, Eleazarus & Simon inter sese discordes & populum certatim trucidantes.

Atque hîc etiam inprimis impletum est illud, quod dicitur vers. 11. *Eum, qui paret divitias sine judicio*, (quales Israëlitæ, nihil quærentes nisi terram suam & bona ejus, sine discrimine inter vera ac sua bona, & inter aliena) *in dimidio dierum suorum relinqui ab illis*, (nempe habebant Israëlitæ promissionem retinendæ terræ, si Christo crederent, vide vers. 25. atque ita per duos dies, sive duo tempora Veteris & Novi Testamenti suis divitiis fuissent gavisi: cùm autem eas amiserint, cùm Vetus Testamentum aboleretur, & Novum aperiretur, *in medio dierum* eas amiserunt.) *ac tandem stultum fieri*, id est, tradi stultis cogitationibus, quemadmodum sanè Judæi non tantùm terrenis bonis, verùm etiam intelligentiâ verborum Dei privati sunt, ut in suis cogitationibus magis magisque stultescerent.

Cap. XIX. vers. 11. de hac posteriore confractione rursus loquitur Propheta. Agit enim ibi de tali confractione populi & templi & urbis, *quæ non sit sananda* ampliùs. At Hierosolyma, quæ fracta est per Nebucadnezarem, restituta est.

CAP. XX.

HOc demum capite vers. 4. specificat magis Propheta, quisnam Israëlitarum hostis futurus; & quò abducendi illi fuerint. nempe à Rege Babel Babyloniam. Cap. XXI. vers. 7. quòd nominatim Zedekiam regem cum populo esset traditurus in manum Nebucadnezaris eos jam obsidentis: quique urbem esset crematurus igne. vers. 10. Nota hic Hierosolymitanos appellari *habitatores vallis & habitatores petræ in planicie*, vers. 13. Et *ignem accensum iri in sylva ejus* habitantis vallem, id est, in ædificiis omnibus & inprimis templo & regia; confer vers. 5. & 6 cap. 22. *qui sit comesurus omnia, quæ circa illam sint*. ℣. 14.

1. Cap. XXII. vers. 11. 12. prædicit, Sallumum, qui successerat Josiæ patri, abductum non reversurum.

2. Ibid. vers. 18. 19. Jojakimum filium Josiæ regem Judæ non deplanctum, sed sepulturâ asini sepultum, id est, tractum & projectum iri ultra muros Hierosolymæ. De ipso constat, quòd vinctus & abductus sit Babylonem, 2 Chron. 36: 6. Potuit in itinere mortuus vel projici vel leviter terrâ operiri.

3. Præ-

3. Prædicitur de Choniahu, *fore sterilem*, verſ. 30. non quòd filios non ſit ſuſcepturus, ſed quòd illi non futuri ſint hæredes regni. Nam Zorobabel nepos ejus præfectus quidem fuit Judæ, ſed non rex. Hic Jeremias innuit ablationem ſceptri terreſtris à Juda.

Quod in cap. XXII. verſ. 7. dicitur de *cedrorum exciſione*, cùm addatur verſ. 8. *gentes Dei judicium approbaturas*, id de ſecunda Hieroſolymæ ac templi deſtructione cum proceribus populi intelligendum eſt.

4to. loco ſubjici poteſt prophetia de Zedekia rege, quam ſuprà ex cap. 21: 7. notavimus.

5. Judæi in captivitate per *condolentiam Dei* convertuntur ad Deum. cap. 22: 23. *ut pudeat ipſos malitiæ ſuæ*. verſ. 22.

CAP. XXIII.

6. Reducuntur reliquiæ ovium Dei ex captivitate Babylonica in terram ſuam. verſ. 3.

7. Fructificant & multiplicantur in terra. ℣. 3.

8. Dantur ipſis paſtores, qui eos paſcant (confer ſuprà c. 3: 15.) cum eo effectu, *ut non timeant ampliùs*, quemadmodum hactenus multa metuerant, ipſos paſtores; *& non conſternentur* propter perſecutiones vel paſſiones, quin imò pro gloria ducant, aliquid pati pro nomine Dei, *& non deſideretur* ullus ex iis, quos Deus elegit, nec ullo quidem tempore. ℣. 4.

Nempe futurum erat, ut paſtores ovium Dei prædicarent juſtitiam, id eſt, verba illa loquerentur, in quibus juſtitia Dei explicatur. ℣. 6. *f.*

Ut verò juſtitia Dei prædicari poſſet, oſtendit Propheta *germen Davidi excitatum iri*, id eſt, Chriſtum, qui quidem germen Davidis, fructus terræ, Eſ. 4: 2. ſed & eſt germen Jehovæ, Eſ. 4: 2. quod à ſe ipſo naſcitur: & quidem *germen juſtum*, quia non tantùm non mentietur, ſed & munia ſacerdotis & ſponſoris implevit. verſ. 5.

Fit *Rex*, abrogatis ſcilicet paſtoribus illis veteribus, ut ipſe ſolus ſine ſociis in peculium ſuum regnet.

Proſperatur, ut habeat populum amplum non tantùm in Judæis, ſed etiam in gentibus.

Facit judicium in terra, ſeparando incredulos à cœtu ſuorum; *& juſtitiam*, ſuum cuique tribuendo, juſtificatis ἀσεβεῖς, injuſtis, nominatim Judæis altercantibus cum ipſo, θλίψει, ut quos cum terra ipſorum plagis affecerit. verſ. 5.

In diebus illius ſalvatus eſt Juda à peccatis ſuis, à reatu & accuſatione legis, à poteſtate paſtorum ſive principum, à ſervitute elementorum mundi &c. *& Iſrael* (nam omnium tribuum ſalvator eſt) *habitavit ſecurè*, nihil in mundo metuens, de urbe & politia non ſollicitus. verſ. 6.

Et hoc nomen ejus, qui vocat Iſraëlem, vel, *Et hoc nomen Iſraëlis, quo appellat cum* unuſquiſque, *Iehova juſtitia noſtra*. Significat, eos, qui ſalvantur, juſtitiam habituros promtam, atque eam ipſis prædicatum iri, ipſoſque habituros hunc characterem, quòd vitâ oſtendant ac profiteantur, *Iehovam eſſe juſtitiam ipſorum*. Hæc ℣. 6.

Ita *ſibi gratulaturos Iſraëlitas, quòd eos reduxerit Deus ex Babylone, tanquam obli-*

oblitos eductionis ex Ægypto: quo ipso significatur, majus bonum reducibus ex Babylone, quàm eductis ex Ægypto paratum fuisse. vers. 7. 8.

N. B. in fine vers. 8. innuitur, ipsos *habitaturos in terra sua*, donec id fiat.

9. Inde incusat Propheta habitatores terræ, quòd *mœchi* sint, hominibus placere studentes, vers. 10. quòd Propheta & Sacerdos *hypocrisin exercerent*, id est, nominarent Deum non in veritate; quod maximè fit per abnegationem veræ justitiæ, & gloriationem in falsa. ℣. 11. *A Prophetis Hierosolymæ hypocrisin exivisse in totam terram.* vers. 15. *ipsum Deum in domo sua invenisse malum ipsorum*, vers. 11. Prophetas dicere justos, qui non sunt, eos nempe, qui non secundùm verbum Dei, sed secundùm proprias cogitationes loquerentur & agerent, vers. 17.

Confutat eorum vanitatem Propheta, quòd, cùm Deus ipsis promisisset Prophetam, qui verba Dei loqueretur, Deut. 18. quique quæ vidit & audivit, ea testaretur, Joh. 3: 32. ipsorum nullus esse possit, qui *stetisse in secreto Dei*, id est, familiarem à Deo revelationem habuisse, *nedum ipsius verba vidisse & audivisse* dici possit: unde apertum est, eos non mereri fidem. ℣. 18.

Probat autem, *ipsos in secreto Dei non stetisse*, id est, ab ipso familiariter edoctos non esse, neque revelationis ipsius participes esse, ab eo, quòd *verba Dei*, quæ scilicet solus Deus loqui poterat, quæ sunt verba vitæ, *non proposuerint populo*, adeoque *non abduxerint homines à peccato & via mala*, atque etiam à falsa justitia. vers. 22. Pertinet ad viam malam & falsam justitiam opinio, quòd Deus sit *Deus à propinquo*, qui scilicet è propinquo adiri debeat, quòdque adeo habitet in templo manufacto. ℣. 23.

Refutatur hæc opinio ab eo, quòd nihil sit occultum à Deo, quod non videat, quòdque impleat cœlum & terram, ℣. 23.

Porrò accusantur, quòd vaticinarentur falsum, & fraudem cordis sui, vers. 26. per somnia sua, quòdque darent operam, ut populus oblivisceretur *nominis Dei*, quemadmodum patres ipsorum obliti erant Dei per Baalem. vers. 27. nempe *qui verbum Dei & somnium suum non loquitur verum*, vers. 28. is fraudem cordis sui loquitur: cujus autem verbum non potest manifestari ad conscientiam, ut sit *simile igni & malleo facienti dissilire petras*, id à Deo, adeoque verum non est. ℣. 29.

Accusantur etiam, quòd *furentur verba Dei quisque à proximo suo*, id est, quòd abscondant clavim cognitionis. ℣. 30.

Denique accusantur, quòd *mutarint verba Dei vivi*, vers. 36. Cujus rei exemplum proponitur in verbo משא יהוה. *latio Jehovæ*, quod cùm de omni verbo Dei usurpassent Prophetæ, quomodo dicimus ferre verbum, vel parabolam vel convicium &c. adeoque etiam de verbo salutis, & justitiæ, & pacis frequentatum esset, ipsi illud mutassent in *verbum onerosum*, quemadmodum sanè Lex erat verbum onerosum, quasi scilicet, quicquid Deus sit locutus, debeat esse verbum onerosum.

Hic ergo per Jeremiam vituperat usum hujus vocabuli, vers. 33. 36. 38. & postulat, ut distinctè dicant, *verbum Jehovæ*, jubetque de illo inquirere, an non illud verbum Dei, de justitia & salute, jam auditum esset, ℣. 37.

Quòd si quis obstinatè *onus* sentiret, ei verbum suum oneri futurum, vers. 36. Et si porrò hoc bonum Dei verbum non quærerent, vult illos scire, Dei lationem ad ipsos non pertinere, neque ferri eos à Deo, sed *omitti* atque abjici. vers. 33. & 39. ubi etiam משא mutat in משה lationem in *oblivionem*.

10. Denunciat ipsis pœnam, quæ vi *maledictionis* legis incumbit iis, qui verbis

Dei non auscultant, & in obfirmatione cordis sui obstinatè ambulant, vers. 10. 12. 14. 15. 19. 20. Quibus adde, quæ de *omissione & oblivione* jam dicta sunt.

Is est *annus visitationis Judæorum* ℣. 12.

Perpetuam fore hanc plagam *supra caput improborum* non justificatorum, & in Deo justitiam non quærentium, prædicitur ℣. 19. & ℣. 40.

11. Eos tamen *in extremo dierum*, postquam omnia ista jam facta fuerint, ad ista mentem adversuros, quæ scilicet patres ipsorum neglexerant. vers. 20. & conf. cap. 3: 23—25.

C A P. XXIV.

Deus in duo tempora dirimit captivitatem Hierosolymæ, quæ in emblemate duarum ollarum, ficubus plenarum, repræsentat, quarum una ficus bonas, altera malas continet. ℣. 1—3. Hæc ita explicantur ℣. 5. & seqq.

I. Primo tempore, quum abductus est Jechonias, optimos quosque cum ipso eductos, atque in ipsis Deum expleturum esse suas promissiones, hoc ordine.

1. quòd *illos sit agniturus in bonum, & oculum suum super ipsis fixurus in bonum.* vers. 5. 6. id est, quòd ipsos sit conservaturus, & conversurus ad se. ℣. 7. f.

2. *quòd illos sit reducturus in terram.* ℣. 6.

3. quòd *illos sit ædificaturus & plantaturus*, id est, amplificaturus & collecturus in unum, ut non ampliùs sint duo populi & duo regna; eosque confirmaturus, ut obtineant terram, & non sint in potestate aliórum. ℣. 6.

4. quòd apud illos sit patefacturus veritatem nominis sui, & *ipsis*, hoc est, quibusdam inter illos, *sit daturus cor*, oculos illuminaturus, *ut cognoscant, se esse* reverà *Jehovam*, & factum esse Deum ipsorum. ℣. 7.

Inde futurum, ut sint *ipsius populus*, & non populus Deorum nuncupatorum; & *ipse* vicissim *ipsis fiat in Deum*, id est, ipsis det omnem gratiam & benedictionem, quam ipsis promiserat. nempe ut effundat Spiritum Sanctum, Spiritum nempe adoptionis, & det hæreditatem mundi, quoad omnes gentes eis serviant. ℣. 7.

II. Secundo tempore captivitatis superstites Hierosolymæ, tam regem Zedekiam, quàm populum, qui remanserint in terra, & habitantes in Ægypto, fame, & peste & gladio consumtum iri de terra, & in terrorem & opprobrium, & commemorationem, & exsecrationem futuros in omnibus locis, quò pulsi fuerint. vers. 8—10. Confer cap. 29: 16—18. Sic Ezech. 11: 13. 15. ostenditur, relictos in Hierosolyma non esse reliquias Israëlis, sed qui abducti essent.

C A P. XXV.

1. ℣. 11. definitur numerus annorum Babylonicæ captivitatis, 70 *anni*. Initium eorum vide vers. 1.

2. Post expletos illos 70 annos, Deum visitaturum esse super rege Babel, & super gente & terra Chaldæorum pravitatem ipsorum, eamque positurum in vastitates sæculi. vers. 12. inter gentes ac reges alios iis servis usuros, vers. 14. Confer vers. 26. ubi Rex Scheschach, qui Babylonius, dicitur bibiturus calicem iræ Jehovæ post alias gentes, quæ illum biberint.

Hicque vers. 17—26. habetur catalogus gentium illarum, quæ à Babyloniis subactæ fuerunt, vel eorum vim expertæ sunt. Suntque Judæa, vers. 18 Ægyptus, vers.

verſ. 19. Palæſtina, verſ. 20. Idumæa, Moabitis, & Ammonitis, verſ. 21. Tyrus, Sidon, & Inſula, quæ eſt ultra mare, Aſia minor videlicet, ℣. 22. Dedan, Thema, Buz, & omnes præciſi angulo, verſ. 23. Arabia, verſ. 24. Ii omnes à verſu 20 ſunt ערב ſive populi Occidentales. Simri, & Elam, & Madai, verſ. 25. Omnes reges Aquilonis, propinqui & longinqui, ℣. 26.

C A P. XXVI.

℣. 20. Urias quidam prophetaſſe ſecundùm verba Jeremiæ de deſtructione urbis & templi dicitur. Hic videtur eſſe nominatus ante nativitatem ejus, Eſ. 8 : 2.

Citantur etiam hanc in rem verba Michæ ex ejus cap. 3 : 12.

C A P. XXVII.

1. NOtandum, quòd initio regni Jojakimi, longè antequam Zedekias fieret rex, acceperit mandatum Jeremias ad reges vicinos, nimirùm Regem Edom, Regem Moab, Regem filiorum Ammon, Regem Tyri, Regem Sidon, per legatos ipſorum venturos Hieroſolymam ad Zedekiam regem Judæ, verſ. 1---4. ut ſe ſubmitterent Nebucadnezari, ſi velint terram ſuam obtinere, verſ. 11. niſi id faciant, fame & peſtilentiâ & gladio conſumtum iri, donec abſolverit conſumere ipſos Deus manu ipſius regis Babel, ℣. 8.

Suprà cap. 22. à verſ. 10. de Joachazo, Jojakimo, & filio ejus Jechonia vaticinatur. Hìc oſtendit, Jechoniæ ſucceſſurum Zedekiam & fœdera cum vicinis facturum contra Babylonium.

2. *Servituras* autem *Nebucadnezari omnes gentes*, & *filio ipſius* Evilmerodacho, & *filio filii ipſius* Balſazari. ℣. 7.

3. *Donec veniat tempus etiam terræ ipſius*, & *eo ſervo utantur gentes magnæ* & *reges magni*. verſ. 7.

4. Tunc *Deum viſitaturum vaſa domûs* ſuæ *delata Babylonem*, *ut reducantur Hieroſolymam in locum ſuum*. ℣. 22.

C A P. XXVIII.

PRophetat de morte Chananiæ falſi Prophetæ, qui locutus erat receſſionem de Jehova, idque eodem anno, quo falſum prædixerat, verſ. 16.

Hanc prophetiam eventus confirmavit, ℣. 17.

C A P. XXIX.

1. QUia promiſerat Deus, ſe deportatos cum Jechonia *agniturum* & *oculum ſuum ſuper ipſis fixurum in bonum*, ſuprà cap. 24 : 5. 6. atque etiam ipſos multiplicaturum, c. 3 : 16. fidei erat, quærere ſemen multum. Atque ideo per Jeremiam ipſos hortatur ad curam multiplicandæ ſobolis, in Babylonia, ℣. 6.

Tum etiam, cùm adhuc *longum eſſet* tempus, antequam reducerentur, jubet eos ædificare domos, plantare hortos, cum promiſſione divinæ benedictionis, verſ. 5.

Atque etiam orare pro pace civitatis illius, in quam erant deportati; namque in pace illius ipsis pacem futuram, vers. 7.

Promittitur etiam donum fidei, exspectationis, spei, patientiæ, & conversionis ad Deum, vers. 12. 13.

Et fructus fidei ac conversionis *restitutio jacturarum* populi, & collectio eorum ex omnibus populis, quò pulsi erant, & reductio in terram, vers. 14.

Tum autem sese ad orationem composituros, (℣. 12.) *cùm cognoverint, quòd Deus ipsis Prophetas dederit etiam Babylone*, vers. 15. id est, quòd Deus impleverit verba prophetarum, qui in captivitate vaticinati sunt. Exemplum implementi est in Daniele, cap. IX. qui, cùm LXX. anni desolationis Hierosolymæ præteriissent, consuluit Prophetæ Jeremiæ libros, & tum Deum oravit.

2. *Simulac* autem *impleti fuerint septuaginta anni Babyloni, Deum ipsos visitaturum, & facturum, ut exstet*, id est, pronuncietur *super ipsis verbum suum bonum de reductione ipsorum in terram suam*, vers. 10.

Id verbum per Cyrum pronunciatum est. Ad hunc locum respicit Daniel cap. 9: 2. & vers. 25.

CAP. XXX.

℣. 2. Iterum agitur de restitutione jacturarum populi *Israëlis & Judæ*, & reductione illorum in terram patrum suorum, ut hæreditent eam. Nota, Israëlem & Judam in hac promissione conjungi.

Cæterùm in sequentibus est hic ordo.

1. Trepidatio & pavor, qui fuit in populo, cùm adventaret hostis, item magnus dolor & cruciatus, tanquam parturientis fœminæ, piorum hic proponitur, exspectantium scilicet ac desiderantium adventum Christi regis ad templum suum, cùm interim viderent templi cremationem. vers. 5. 6. Hic dies & tempus angustiæ, vers. 7.

2. Ex illa angustia tamen Jacob salvatur, vers. 7.

3. *Frangitur*, non tantùm Babylonii, sed & omne *jugum Iacobi à collo* fidelium, *& vincula eorum rumpuntur, neque ampliùs utuntur alieni Iacobo ut servo*, vers. 8. id est, 1. Israëlitæ fiunt αὐτόνομοι & liberi à dominatu gentium. 2. in posterum fideles in regnum Dei & Christi translati liberi fiunt à regno & dominatione humana, nec ullius legem præter Christi agnoscunt, nec hæreditatem aut politiam in mundo curant.

4. *Serviunt* autem *Iehovæ Deo suo*, non elementis mundi aut diis nominatis, nec peccato tanquam nondum expiato, per prolationem chirographi contra se; *& Davidi regi suo*, id est, filio Davidis exhibenti veritatem typi, qui fuit in Davide, Domino suo, cujus facti sunt peculium; *quem ipsis Deus excitat*, sive nasci facit. vers. 9.

℣. 10. Iterum salvationem & reditum populi è longinquo, ejusque tranquillationem aperit.

℣. 11. Quòd quidem Deus sit facturus consummationem in omnibus gentibus, quò Judæos pepulerit, sed quòd cum ipsis consummationem non sit facturus.

℣. 16. Omnes vocantes ipsum Israëlem vocatum iri, & omnes hostes ejus in captivitatem abituros; &c.

℣. 17. Deum Sionem erecturum in staturam proceram, & à plagis ejus sanaturum.

A vers.

A verſ. 18. porrò hæc dicuntur.

1. Reſtituit Deus jacturam tentoriorum Jacobi, & tabernacula ejus miſeratur, & *ædificatur urbs ad metam* & colophonem *ejus*, *& palatium ad conſuetudinem ejus habitatur*. verſ. 18.

Hujus rei effectus, *confeſſio & vox ludentium* facilè ſubintelligitur. verſ. 19.

2. Multiplicantur neque diminuuntur; & amplificantur neque fiunt parvi, verſ. 19.

Fiunt itaque *filii Iacobi ut antè, & cætus ejus coram Deo conſtabilitur*, verſ. 20.

3. *Viſitat Deus in omnes opprimentes ipſum*, verſ. 20.

4. *Exiſtit*, five naſcitur *Dux ejus ex ipſo*, Chriſtus, filius Davidis, *& poteſtatem habens ejus*, qui ſcilicet dignus eſt accipere regnum & gratiarum actionem & gloriam & poteſtatem in cœlo & in terra, *ex medio ejus exit*, verſ. 21.

Hunc facit Deus appropinquare, tanquam Sacerdotem, ad expiandum peccatum, & ad accipiendum bonum pro peccatore: Et quidem cum excluſione omnis alterius: *Nam quis eſt, qui in fidem ſuam recipiat* ac tranquillet *cor ſuum*, ut, conſiderato, quòd ipſe ſit peccator, & Deus ignis devorans, *auſit ad Deum accedere*, ad petendum aliquid, vel ad offerendum aliquid Deo, quod ipſe gratum habeat? verſ. 22.

Ita futurum, ut *fiant Dei populus*, abrogatis principibus ac patribus carnis, & *ipſe fiat ipſis in Deum* in Chriſto, per gratiam & veritatem.

5. Ab altera parte revelatum iri de cœlo *procellam Iehovæ, æſtum, procellam ſe protrahentem, quæ ſuper capite improborum permanebit. Ita ut non avertatur fervor iræ Iehovæ, quoad fecerit decreta cordis ſui*. verſ. 23. 24.

6. Tandem *in fine dierum* Judæos *id conſideraturos*, atque ita converſum iri ad Deum. verſ. 24.

CAP. XXXI.

7. IN *tempore illo* declarat Deus *ſe fore Deum omnibus familiis Iſraëlis*, ſublatâ ſcilicet diſtinctione inter infideles Iſraëlitarum & fideles ipſorum, itemque ut eæ gentes, quæ dudum Chriſtianæ appellatæ ſunt, & inter quas Chriſtiani agunt, rurſus audiant Euangelium, poſtquam variis erroribus illaqueatæ fuerant. *Et fore illum ſibi populum*, non adoraturum ampliùs alios Deos, ut Judæi, Chriſtum abnegantes, neque ſubjectum iri aliis Dominis, ut Papiſtæ.

Et *ſeſe Iſraëlem tranquillaturum ſuperſtitem à gladio*. verſ. 1. & 2.

Ratio convertendi & tranquillandi verum Iſraëlem deſumitur à gratia Dei, quam invenerit Iſraël in deſerto, poſtquam effugiſſet gladium Pharaonis, cui reſpondet amor Dei erga populum ſuum, & voluntas benè illi faciendi poſt multas perſecutiones. verſ. 2.

Neque illud conſilium eſſe repentinum, cùm *Iehovah ſibi* (Chriſto tranquillanti Eccleſiam ſuam) *ſit viſus à longinquo*, id eſt, à ſæculo conſilium pacis cum Patre habuerit; *& dilectione æternâ* ſecundùm voluntatem Patris *dilexerit illam: ideoque traxerit illam*, inde à deſerto uſque ad ultima tempora, ad Patrem ſuum verbo veritatis & Spiritu ſuo, *cum ſtudio*, id eſt, gratia pœnitudinis experte. Unde fit, ut inde à deſerto uſque ad ultima tempora ſit Iſraël. verſ. 3.

8. Chriſtus ſecundùm id, quod Pater ipſi dixit, tranquillandum eſſe Iſraëlem, *ædificat* diruta ejus: *Et ipſa ædificatur* in templum Domino, in urbem habitatam, in regnum magnificum; *virgo Iſraël*, quæ non mœchata eſt cum procis, vel mœchari

chari desiit. Et ipsa cum sono tanquam *tympanorum* occurrit regi suo Christo; & quidem *in chorea ludentium*, cum multis iisque concordibus. vers. 4.

Significat etiam futurum, ut Ecclesia adhuc aliquando habeat *vineas*, & habitet in iis locis, quæ videntur maximè ab Ecclesia esse alienata: quemadmodum *Samaritani* & ante & post captivitatem Babylonicam Judæis infensissimi fuerunt, ac tandem, cùm prædicarent Apostoli Euangelium, id receperunt, Act. 8: 14. vers. 5.

Tum Deum excitaturum etiam *in monte Ephrajim retinentes* fœderis, & qui student conservare fratres suos, *qui inclament* aliis, *surgendum* esse ex somno & ex morte, & *ascendendum ad Sionem*, id est, quærendam communionem cum Christo, in Sione manifestato, & uncto, quando Spiritum Sanctum effudit in Apostolos; *ad Jehovam Deum nostrum*, non ad homines dictos deos, non ad templum. vers. 6.

Spem illam de Samaritanis & Ephraim confirmat ab eo, quòd Deus decreverit *dare Jacobo*, Ecclesiæ collectæ ex Judæis & gentibus, *lætitiam*, ita ut omnes eam ipsi *cantent* & gratulentur; *in summa gentium*, id est, in omnibus gentibus. Opposita est hæc lætitia tristitiæ ob alienationem Judæorum & gentium quondam Christianarum. vers. 7.

Jubet etiam tum *prædicari* Euangelium, & quæ Deus opera fecit, & *celebrari* illa, & ut orent pro salute Judæorum, *dicendo, Salva Domine populum tuum, residuum Israëlis.* vers. 7.

Respondet orationi Ecclesiæ *reductio reliquiarum ex terra Aquilonis*, & *ex lateribus terræ*, id est, ex omnibus plagis cœli, ubi illæ reliquiæ sunt dispersæ; earundem *congregatio* in unum ovile; *cæci & claudi*, (Es. 35: 5. 6.) *gravidæ & puerperæ unà*, ita ut *cœtus magnus revertantur.* vers. 8.

Dicuntur autem adventuri *cum ploratu*, & *supplicatione*. Vide suprà cap. 3: 21--23. *accessuri ad torrentes aquarum*, quibus significatur satietas consolationis Euangelicæ, & ubertas donorum spiritûs, sapientiæ & prudentiæ, Joh. 7: 38. *in via recta*, nempe via justitiæ, *in qua non offendant*, amotis scandalis. Deum enim *extitisse Israëli patrem*, & *Ephraimum primogenitum ejus*, Judæos, Romanos, Græcos, qui ante alias gentes Euangelium audiverunt. vers. 9.

Vers. 10. Jubet, ut Ecclesia *gentium* dicat, Deum aliquando *reconcinnaturum* fracturas populi sui, & *custoditurum* Ecclesiam suam, *ut pastor gregem* custodit, ne ampliùs lupi intrent. vers. 10.

Deum enim *redemisse* sibi sanguine suo Ecclesiam, eamque *asseruisse* tanquam peculium suum, & *è manu ejus, qui validior ipsâ erat*, id est, Diaboli, eduxisse, vers. 11.

Venturos quoque & *cantaturos in celso Sionis*, & *affluxuros ad bonum Jehovæ*, *ad frumentum* & *ad mustum* &c. & *fore animam ipsorum ut hortum irriguum.* vers. 12.

Tunc *lætaturam virginem in chorea*, (vide vers. 4.) & *juvenes ac senes unà*, *mutato luctu eorum in hilaritatem*, & *consolationem*, & *lætitiam à mœrore suo.* vers. 13.

Tunc Deum *irrigaturum* esse *animam Sacerdotum*, adducentium alios verbo ad altare, Christum, ut in eo offerant cum ipsis sua sacrificia, *opimitate*, id est, fortitudine, alacritate, hilaritate, lætitiâ; & *populum Dei bono ejus satiatum iri*, id est, impletum iri plenitudine Euangelii, id accipiendo in plano & pleno explicatu cum πληροφορίᾳ, vers. 14.

Quemadmodum suprà vers. 2. ratio benefaciendi Israëli sumitur à gratia Dei, quam invenerit in deserto populus superstitum à gladio, (quod tam de veteri, quàm de

de novo Iſraële verum eſt,) cùm æquum ſit, ut paſſiones fidelium compenſentur gratuitâ benedictione; ita hic rurſus confirmatur ſpes de converſione Iſraëlis ex iis, quæ paſſus eſt circa Chriſti apparitionem, in ſpecie fideles in Bethlehem & Rama, cùm Chriſtus eſſet natus. Eorum paſſio ſub emblemate Rachelis plorantis ſuper filiis ſuis hîc proponitur, quia qui habitabant in locis vicinis Bethlehem, erant ex Tribu Benjamin & Ephrajim, quorum mater Rachel, quæ etiam in vicinia Bethlehem ſepulta fuit. *Plorabant* autem fideles matres ſuccedentes quaſi in locum Rachelis *ſuper filiis ſuis* occiſis ab Herode: *neque conſolationem admittere voluerunt, quòd ille* Dux Iſraëlis cap. 30: 21. *non eſſet.* Quærebatur enim Chriſtus ad cædem & non reperiebatur. Dolebant autem piæ matres magis, quòd Chriſtum non viderent ampliùs, quàm quòd liberi ſui occiderentur. verſ. 15.

Significat autem, non debere illis videri ſuam calamitatem intolerabilem propter maximum fructum & conſolationem *in operæ pretium* pro dolore ſuo exſpectandam. *Reverſuros* enim *ex terra inimici* Joſephum & Mariam cum Jeſu ex Ægypto. Nec tantùm, ſed etiam *tandem filios* ejus, Ephraimum, & qui ſub eo nomine intelliguntur, Judæos apoſtatas & Chriſtianos in errore verſantes, *reverſuros ad terminum ſuum*, id eſt, ad Eccleſiam, à qua receſſerant, verſ. 16. 17.

Illa quoque Ephraimi reverſio ſive pœnitentia ἐπιστρεπτικῆ. *Audiendo*, inquit, *audivi: Plangit Ephraim* ſuper ſe ipſo: *Caſtigaſti me ut vitulum non aſſuefactum*, ad jugum ferendum adeoque renitentem, recalcitrantem, ac in diverſa tendentem. *Se* tamen tandem *diſciplinam admiſiſſe*, & colla ſua jugo ſubdere: orare igitur, ut *Deus ſe velit convertere, ut* plenè *convertatur.* Nam ſe ipſum agnoviſſe *Deum ſuum* & quidem *Iehovam.* Chriſtum alloquitur.

Nam poſtquam converſus ſit, depoſuerit averſionem priſtinam, & aurem ſubſtrinxerit verbo Dei, *pœnituiſſe ſe* ſuæ blaſphemationis; & *poſtquam innotuerit*, factus ſit παράδειγμα humanæ cœcitatis ac impotentiæ & duritiei, *percuſſiſſe femur*, reprehendiſſe ſuam ſtultitiam cum ejulatu & lamento; *puduiſſe ſe*, doluiſſe ex animo; & *confuſum fuiſſe*, vel *occultaſſe ſe*, non habuiſſe παῤῥησίαν ad ferendum aſpectum oculorum. *Nam ſe tuliſſe opprobrium juventutis ſuæ*, dedecus ſuæ puerilitatis, ſtuporis ac indocilitatis, quâ uſus ſum, quo tempore primùm Deus mihi Euangelium prædicari curavit, verſ. 18. 19.

Continuat Chriſtus orationem ſuam, & quaſi ſeipſum miratur, quòd, ex *quo cœperit de Ephraimo loqui, non poſſit de ipſo ſilere.* Et ſe interrogat, an hoc ex eo fiat, quòd *Ephrajim ſibi ſit filius pretioſus, puer delitiarum?* Nempe hoc ipſum, quòd Deus tam ſæpe de Ephraimo loquitur in Scripturis, argumentum eſt, quòd ſit apud Deum in pretio. Ideo nempe, quòd ipſi pretioſus Ephrajim, *ſtrepuiſſe viſcera ſua ſuper ipſo* in diebus carnis ſuæ, & oraſſe ſe pro crucifigentibus, ne hoc ipſis imputaretur, quia neſcirent, quid facerent. Adde Eſ. 16: 9. *Seque* deinceps *miſeraturum ipſum*, ex ſententia Jehovæ. verſ. 20.

Ideo autem ſe ipſum exhortari ad pœnitentiam, ad quam hoc modo procedere poſſit: *Statuat ſibi ſigna*, quemadmodum qui iter ingrediuntur, maximè navi, ſolent à peritioribus diſcere, quos fluvios, quas inſulas, quæ promontoria debeant prætervehi, & in qua forma hæc vel illa terra navigantibus appareat, ita diligenter notet, quid primò, quid ſecundò, quid tertiò cognoſcendum ſit ad cognoſcendam veritatem Dei & regnum ejus &c. *Ponat ſibi amaritudines*, non induret cor ſuum, vel quærat voluptates in exilio, ſed admittat ſenſum divinæ excandeſcentiæ: *Advertat cor ſuum ad viam munitam*, ad verbum Euangelii, &

nomi-

nominatim eum, qui ibi nominatur via, *& ad viam, in qua* hactenus *ambulaverit*, & videat, an in ea lucem, & sapientiam invenerit. Moneat ipsam nomen & professio ejus ad *revertendum. Israëlem* enim nuncupari; & *virginem* castam, sponsam Dei viri sui. Cur igitur virum suum non agnoscat, & ab ipso justitiam & regnum accipiat? Capiat illam cupido possidendi oppida, quæ regno suo ipsi paraverit, & *ad illa revertatur*, quæ habuerit antea. vers. 21.

Quousque se circumductura sit à salute sua, & ab iis, qui nomen Christi profitentur, & à via munita ad clivum, & ad doctores & patres suos, *filia aversa?* Non enim esse cur se subducat, *cùm res quædam nova* atque inusitata *facta sit in terra*, stante adhuc politiâ, quæ à seculo inaudita sit; quam patres exspectaverant, quâ factâ, certum sit, Jehovam factum esse populo suo in Deum. *Fœmina circumdat masculum.* Virgo concepit ac peperit masculum: qui, cùm ipse non noverit peccatum, positus sub lege, tulerit peccata mundi. Ad illum accedendum, non ampliùs ad altare aut templum. vers. 22.

Nam Deum voluisse in illa terra habitare, & per eam ambulare, & Hierosolymam nominatim facere solium gloriæ, & pro eo, quòd in ea terra anteactis temporibus impuritas humani generis fuerit demonstrata, in ea prædicatum iri *justitiam*, & habitaturos justos. Hoc igitur etiam importare *restitutionem jacturarum* Israëlis & damnorum ejus: & tum eam *benedicendam* esse. ℣. 23.

Et *habitaturos in ea Judam*, Ecclesiam ex Judæis & gentibus. Est occulta oppositio ad Ephraimum aversum. *Et omnes civitates ejus unà, agricolas, & qui proficiscuntur cum grege*. vers. 24. *Cùm irrigaverit animam defessam, & omnem animam, quæ tabuerat, impleverit.* intellige animam lassam eorum, qui per multas afflictiones tendunt ad regnum & victoriam. vers. 25.

Propterea, quia scilicet impleturus esset animam tabescentem, & irrigaturus animam lassam, *sibi somnum suum suavem fuisse, cùm evigilavit & vidit*, id est, sibi & mori dulce fuisse, & se non pœnituisse mortis ac passionum suarum, cùm resurrexisset, & primitias electorum suorum ex Judæis, discipulos suos revisit, & eos reperit adhuc amantes sui. vers. 26.

Sese autem *conseminaturum domum Israëlis & domum Judæ* (diversos conjungit.) *semine humano*, ut videant multos fratres, sorores, filios, omnes ejusdem prosapiæ, nempe filios Abrahami; *& semine pecoris*. Id & propriè & metaphoricè de hominibus animalibus Ecclesiæ servientibus intelligi potest. vers. 27.

Et futurum, ut pro eo, quòd *vigilaverat super ipsis ad evellendum* ex sedibus suis, *& ad diruendum* templum & urbem, *& ad evertendum* politiam, *& ad perdendum* cædibus homines, *& ad malo afficiendum*, omni genere calamitatis; jam *vigilet super ipsis ad ædificandum & ad plantandum*, vers. 28.

Illo tempore fore, ut & legis onus sit ablatum, quod olim etiam sancti & fideles cogebantur ferre propter transgressiones patrum; & inimicitia, quâ gentes fuerunt ad tempus relictæ in mundo sine Deo, idque ob peccatum primi parentis, interfecta in Christo cesset. vers. 29. Qui autem moritur, ob impœnitentiam suam, & quòd non credat Euangelio, moriturum, vers. 30.

Namque fore, ut Deus ipsis declaret Testamentum sive voluntatem suam olim patribus per promissionem indicatam, & fide ipsorum ratificatam, ut jam instar habeat Testamenti ratificati, quia Deus non potest mentiri: quâ declaratione auditâ ii, qui eam sint audituri, obligentur ad bona oblata accipiendum, & contraria vitandum: sicque *pangant fœdus cum domo Israël & domo Juda*, cum omnibus

bus ſcilicet tribubus, atque etiam cum gentibus promiſſis Jacobo in ſemen. *Fœdus* autem *novum*, propter oblationem novorum bonorum, puta lætitiæ & libertatis, quæ antea habere non poterant & invitationem ad ea accipiendum, cum interdicto volendi aliud. quæ eſt quodammodo nova Lex. verſ. 31.

Non ut fœdus illud prius, quo ad promiſſionem, quam patres habuerant, acceſſit pignoris datio, *quod pepigerat cum patribus ipſorum*, illis ſcilicet, qui fuerunt in Ægypto, quibus parabat repræſentare hæreditatem terræ promiſſæ, atque ita demum reverâ erigebat & ſtabiliebat hoc fœdus, & obligabat, ut alacres ad terram illam proficiſcerentur, eamque occuparent. *die, quo apprehendit manum eorum*, ut quibus jam in Ægypto hanc propoſiti ſui declarationem & legiſlationem additam inſinuaverit, *ut educeret eos ex Ægypto*, duceret autem in terram promiſſam, ad Teſtamentum ſuum implendum. *Qui irritum fecerunt fœdus meum*, receſſerunt à via juſtitiæ, quæ ducit ad cœleſtem patriam, cujus terra Teſtamento data erat pignus. Spectarunt ad Deos alios, & ipſam terram repudiarunt. *Quare dominationem exercuit in ipſos.* Retinuit illos in vinculis tanquam captivos, parte illorum trucidatâ, & impoſuit ipſis gravia ſtatuta, & præfecit ipſis principes, ut per pœnas ſeveriſſimas eos adigerent ad ea obſervandum, atque ita non habuit eos ut pueros delitiarum, ſed neglectim omnes ut ſervos tractavit, ne quidem piis inter eos à neceſſitate jugi ferendi exceptis. Nempe Deus ita hoc Teſtamentum fecerat, ut relinqueretur locus tranſgreſſioni Iſraëlitarum, & propter imperfectionem illius poſſet introduci etiam in pios & ſanctos dominatio & ſervitus gravis, atque ita poſſidentes illud pignus, etiam qui rei non eſſent rupti fœderis, cum fœdifragis poſſent puniri. Itaque neque ἄμεμπτον illud Teſtamentum, neque ἄμεμπτα bona. verſ. 32.

Sed *hoc fœdus ſe pacturum*, id eſt, declarationem ſe ipſis facturum, quòd ſit talia effecturus, atque etiam ea reverâ effecturum, cum ea lege, ut talia à ſe exſpectent; *domui Iſraël*, ſive illis, quos promiſerit Iſraëli filios, *poſt dies illos*, dies nempe Veteris Teſtamenti, qui jam præterierunt: *Dare ſe legem ſuam*, id eſt, clarâ & minimè velatâ expoſitione viæ juſtitiæ hoc agere, ut videri poſſit ad ipſos ſemper dicere, Ecce, hæc eſt lex mea. *in medium ipſorum*, ita ut lex Dei, & clara ejus expoſitio perveniat ad omnes, & facilè ab omnibus poſſit haberi, & cognoſci: *Et ſuper corde eorum ſcripturum illam*, ut illâ delectentur, neque ejus obliviſcantur. *Et fore ipſis Deum* Næ & Amen, in quo glorientur; *& illos ſibi fore populum*, id eſt, ſibi obedituros, nec ampliùs futuros deorum nuncupatorum, verſ. 33.

Neque fore, ut quis *doceat alterum* tanquam habens verbum, quod non pervenerit ad omnes, per quod Deus cognoſcendus ſit, vel tanquam habens privatam expoſitionem illius verbi, quod ad omnes pervenerit, quaſi ſine illo Deus ex iſto verbo cognoſci non poſſit. *Omnes* enim *cogniturос Jehovam*, ſive habituros poteſtatem eum cognoſcendi, quomodo factus ſit peccatori in Deum, qui & nomen ejus ſint confeſſuri, neque factis illud abnegaturi. *Nam ſe condonaturum*, neque vindicaturum vel imputaturum *pravitatem ipſorum*, ipſiſque annunciaturum ἀπολύτρωσιν jam factam, atque ita ipſos conſummaturum; *& ipſum peccatum eorum non recordaturum ampliùs*, ſive ſtatum impurum, in quo eſt homo ante regenerationem, & reatum, contractum ipſâ nativitate, non commemoraturum ampliùs, non facturum ejus mentionem, nihil ipſis imperaturum, quo cogantur teſtari, peccatum nondum eſſe expiatum, verſ. 34.

Porrò pronunciat Christus, Patri suo decretum esse, *non rejicere Israëlem*, æquè atque ipsi decretum est conservare discrimen diei & noctis, & tempora frugifera quotannis restaurare, & mare quidem commovere, ita tamen, ut locum suum non egrediatur. Addit etiam, nomen Jehovæ esse *Dei exercituum*, id est, multarum gentium. ℣. 35. 36. 37. Ergo significat, 1. Deum non repulsurum semen Israëlis, quin, quos præcognovit, servet. 2. Deum non in finem & omnino repulsurum maximam partem Israëlis, quemadmodum repulisset, si tantùm illi servarentur, qui ab initio Euangelio crediderunt.

Denique spondet *reædificationem Hierosolymæ*, & quidem, *ut sit Jehovæ*, id est, Christi, & à Christianis, & quidem Israëlitis Christianis teneatur. Pertinet hoc etiam ad restitutionem jacturarum Jacobi. Addit, *vallem*, (quæ est vallis ben Hinnom, quam etiam denominat à *cadaveribus & cineribus*, propter horrendam idololatriam ibi exercitam, & quòd in illa valle à posteris omnia purgamenta urbis huc delata cremarentur) & urbem, *& agros* propinquos *fore sanctum Domino*, non minùs atque solum templi olim fuerat. Quod de ædificatione urbis per Sorobabelem intelligi potest, cùm ibi relinqueretur vel poneretur distinctio inter sacrum & profanum. Tandemque *negat*, *eam urbem* in posterum vel *evulsum iri* per ἀνασπάσεως sive abductionem populi, vel *eversum*, usque ad ultimum diem. vers. 38. 39. 40.

CAP. XXXII.

De urbis desolatione per Nebucadnezarem, ejusdemque & populi restitutione agit hoc ordine.

1. Traditur urbs & Zedekias rex in manum Nebucadnezaris. vers. 3, 4. 5. 28. 36. 43. Acccenditur, vers. 29.

2. Recolligitur populus ex dispersione sua, & reducitur in locum suum, vers. 37. 15. 43.

Neque erat cogitandum, quâ ratione futurum esset, ut Israël restitueretur in integrum, cùm Deus sit *Deus omnis carnis*, ℣. 27. in cujus manu sint corda omnium hominum, quique adeo per Spiritum suum posset efficere, ut, qui ipsum antea non cognovissent, cognoscerent, & inservirent consilio ipsius.

3. Benè facit ipsis Deus & plantat ipsos in terra, vers. 41. 42. & facit, ut habitent securè, vers. 37.

4. Fit ipsis in Deum & fiunt sibi populus, vers. 38.

Simul dat ipsis cor unum & viam unam ad timendum se, vers. 39. & paciscitur ipsis fœdus æternum, quòd non aversurus sit se ab ipsis, & timorem sui dat in cor ipsorum, ut non recedant à se. vers. 40.

CAP. XXXIII.

Jehovah facit & format, ut aptè & suo tempore fiant ista, vers. 2.

1. *Diruit domos* Hierosolymæ & domos regum Judæ *ad aggeres*, id est, ut inde faciant aggeres, *& ad gladium*, id est, ut gladius in eas penetret, vers. 4.

2. *Quæ ad hoc sunt*, *ut prælium fiat cum Chaldæis*, & ut impleantur cadaveribus hominum, quos percusserit in ira sua, & propter quorum malitiam absconderit faciem suam ab ipsis, vers. 5.

3. Fa-

3. *Facit Hierosolymæ ascendere prolixitatem* & *consolidationem*, *& reconciunnat eos*, vers. 6.

4. *Manifestat illis abundantiam pacis*, id est, facit, ut coram cernant omnem pacem, cum Deo, ad absolutionem conscientiæ, cum gentibus, ut fiant unus populus, neque coëant amplius cum fœdifragis, sed ut soli credentes inter se sint unus populus; *& veritatis*, ut omnes promissiones Dei fiant Næ & Amen, & tollantur omnes figuræ & umbræ, vers. 6.

Pertinet huc *purificatio eorum*, meliori sanguine, quàm victimarum. Hæc est expiatio Israëlis ab omni pravitate, quam sequitur *condonatio peccatorum ipsius*, id est, testificatio Dei, quòd deinceps nullum λύτρον aut pretium neque verum neque typicum esset exacturus. vers. 8.

Hæc purificatio quomodo facienda, explicatur vers. 15. 16. quæ etiam habuimus suprà cap. 23: 5. 6. Unde intelligitur hoc esse maximum mysterium, & *arduum* quid, superans scilicet cogitationem & fidem humanam, vers. 3.

Quæ autem de *sacrificiis* & *holocaustis* & *muneribus*, *quæ Sacerdotes & Levitæ sunt oblaturi* hoc tempore, dicuntur vers. 18. ea spiritualiter intelligenda sunt.

5. *Id fit Deo in nomen alacritatis*, quod audientes faciat alacres, ut per ipsam mortem ad Deum nitantur; & in *celebrationem*, ut omnium ore Deus feratur magnus & mirabilis; *& in ornatum* sive laudem *omnibus gentibus*, ut Deum & *bonum* & rectum cognoscant; *& paveant* & *commoveantur* sicque accurrentes accurrant ad Deum. vers. 9.

Eadem redduntur hoc ordine.

1. Restitutio populi & Hierosolymæ, vers. 10. 11.

2. *Pax*, v. 12. & *multiplicatio pecoris*, & consequenter opum. Simul innuitur, decimas datum iri, atque ita cultum Dei celebratum iri, vers. 13.

3. *Facit Deus extare verbum bonum illud*, promissionem de Christo, *quod locutus erat ad domum Israël*, *& de domo Judæ*, vers. 14.

Nempe *facit exoriri Davidi germen justitiæ*; *quod sit facturum justitiam & judicium in terra*, vers. 15. *& sedeat in throno domûs Israël*, vers. 17.

In diebus illis salvatur Juda, *& Hierosolyma habitat securè*; *& hic*, *qui vocat illam*, *Jehova justitia nostra*, vel etiam, *hoc*, *quod vocabitur*, *Jehova justitia nostra*, vers. 16.

Neque Sacerdotibus & Levitis exscinditur vir à conspectu Dei, *qui offerat holocaustum*, *sacrificium & munus omnibus diebus*. vers. 18.

Id fœdus, id est, hanc promissionem esse tam ratam, quàm ratum est *fœdus diei & noctis*, Gen. 9: 1. 10. 11. 12. &c. vers. 20. 21.

4. *Multiplicatur semen Davidis*, id est, Christianorum, & *Levitarum*, id est, colentium Deum, qui sacerdotes sunt habentes jus accedendi ad Deum, & partim præparantes oblationem fratrum suorum, ut sint oblatio sanctificata in Spiritu Sancto. vers. 22.

Vers. 24—26.

1. Eò adducitur populus utriusque familiæ, ut coram gentibus ne *gens* quidem esse videatur, vers. 24.

2. Restituitur respublica contra opinionem & populi & gentium; ut non tantùm sint seniores & principes secundùm legem omnia agentes in populo, sed etiam filios Abrahami & Isaaci, id est, Idumæos, Arabas & alias vicinas gentes habeant in potestate, vers. 26.

C A P. XXXIV.

1. Traditur urbs in manum regis Babel, qui eam cremat igne, vers. 2.
Zedekias ipse non effugit, sed venit in potestatem regis Babel, & deducitur Babylonem, vers. 3.

In pace, neque gladio moritur, & ut patres ejus, reges, qui ante ipsum fuerunt, crematur ipsi, & Eheu Dominus, plangitur ipsi, vers. 4. 5. Confer cap. ultimum.

Et quidem hæc futura, quamvis *discessissent copiæ regis Babel ab ipsis*, vers. 21. 22.

C A P. XXXV.

Habetur historia Jonadabi filii Rechabi, qui, ut testaretur suam fidem, quam habebat prophetiis, quibus toti reipublicæ inevitabilis calamitas denunciabatur, simulque consuleret utilitati temporali suorum filiorum, ipsis præcepit, ut in tempore abstinerent à vino, ne domos ædificarent ad habitandum, & vineam & agrum & sementem non haberent; sed in tentoriis habitarent, ut commodiùs ab uno in alium locum possent transmigrare, & futuram calamitatem æquiore animo subirent. vers. 6. 7. Quod etiam illi exactè observarunt, vers. 6—11.

Igitur promittitur ipsi semen benedictum, vers. 19.

C A P. XXXVI.

Vers. 30. prædicit Jeremias, *non fore Jojakimo sedentem in throno ejus*, & cadaver ejus projectum iri æstui de die, & frigori de nocte.

Sensus est, aliquando ablatum iri regnum ab ipso aut à filio ejus, ne is rex moriatur. Implementum vide Cap. XXXVII. vers. 1.

Cap. XXXIX. habetur historia oppugnationis & destructionis Hierosolymæ per Chaldæos.

Cap. XL. vers. 11. notandum, Judæos in Moabitiden, & ad filios Ammon, & in Idumæam confugisse, ne inciderent scilicet in exercitum Babyloniorum. Baalisum autem regem filiorum Ammon vel invidiâ ductum in Gedaljam, vel quòd populi mala, quantum in se, augere vellet, misisse Ismaëlem, qui occideret Gedaljam præfectum Judææ. vers. 14. Confer cap. 41 : 10.

Conservasse verò Deum reliquias in terra, quibus benefecerit. vers. 11. 12.

C A P. XLIII.

Vers. 10—13. est prophetia de Ægypto, quòd Nebucadnezar eam sit invasurus, & percussurus, & domos deorum Ægyptiorum crematurus igne, & cippos

eorum

eorum confracturus, ac denique quòd convoluturus sit sive strictè induturus, id est, ablaturus secum totam Ægyptum, & in pace rediturus.

Cap. XLIV. vers. 30. Pharaonem Ophram traditum iri in manum inimicorum ejus.

1. Cap. XLII. & XLIV. est prophetia adversus Judæos, qui cùm relicti essent à Nebucadnezare in Judæa ad colendum terram, cæso Gedaljâ ob metum regis Nebucadnezaris fugerunt in Ægyptum; eos ibi fame & peste & gladio perituros.

2. Superstites à gladio homines paucos reversuros in terram, cap. 44: 14. 28.

CAP. XLVI.

Duplex habetur prophetia de Ægyptiis, edita anno quarto Jojakimi.

1. Eos profligatum iri apud Euphratem, usque ad vers. 13. & porrò ad vers. 18.

2. De eo, quòd expeditionem esset suscepturus Nebucadnezar contra Ægyptum, eamque vastaturus. vers. 13—26. inprimis à vers. 18.

3. Postea Ægyptum restitutum & habitatum iri, ut antea, vers. 26.

4. Judicium Dei peragendum in Israële, ita tamen, ut consummationem non faciat. vers. 28.

5. Conservatio Israëlis & reductio ejus, vers. 27.

6. *Tranquillatio Israëlis* reducti, ut sit *securus*, neque timeat vel curet terrestria, sed cœlestia, vers. 27.

Id scilicet futurum erat, cùm Deus *Israëlem non esset dimissurus impunitum*, sed in ipso Israële, id est, in aliquo Israëlitarum editurus esset exemplum severitatis suæ ad sanctificandum se, & ad sanctificandum sibi populum ex ipsis, cui remittat peccata & cujus carnem per afflictiones & castigationes perdomet. vers. 28.

CAP. XLVII.

Ad Palæstinos, antequam percuteret Pharao Gazam, vers. 1.

Vastatur omnis Palæstina, & exscinditur Tyro & Sidoni omnis superstes auxilians, vers. 4.

Inde in Gazam venit calvities, occidit Ascalon. vers. 5.

CAP. XLVIII.

1. Vers. 1--28. describitur in visione calamitas & vastitas ventura in Moabum, ita ut desoletur privata habitatoribus, quos *vastator* aliquis in exilium abduxerit. Vide inprimis vers. 7. 8. 9. 11. & regnum ejus destruatur, vers. 17.

Citò hæc eventura dicuntur, vers. 16.

Causa judicii hujus: Fiducia in operibus & thesauris suis, vers. 7. Tum *quia contra Jehovam se magnificaverit*, vers. 26. Ut quando pro eo, quòd de Israële plagis affecto non debuerit loqui nisi cum commiseratione & comploratione, contrà fecit, & gavisa est super malis ejus, vers. 27.

2. Sub nomine Moabi depingitur & damnatur *fastus & erectio* Judæorum adversus Christum & regnum ejus: Itemque *excandescentia ejus* adversus Christum

& Apostolos; & *perversitas*, & quòd *vaniloqui*, sive falsi doctores ejus, *non rectum facerent*, vers. 29. 30. quòdque *se magnificarent contra Iehovam*. vers. 42.

Pertinet hoc scilicet ad illud tempus, quo post captivitatem Babylonicam Moabitis in Judæorum potestatem redacta, incolis ejus circumcisis, pars Judææ facta est: quo facto ipsi Judæi, si præsertim unà cum corporibus & opibus Moabitarum, etiam animos & veterem illam ferociam ac profanitatem illorum induant, Moabitæ appellari possunt.

Inde jam tota Judæorum gens *vitis Sibma*, quæ scilicet ex terra Dei, vel ex semine benedicto, Abrahamo, Isaaco & Jacobo non sit, sed ex Moabitide; ipsaque Hierosolyma *Hesbon* vel *Kir Cheresch* vel quidvis potiùs, quàm Hierosolyma appellatur. vers. 32. 45, 31. 36.

Fletus Christi super Hierosolyma & gente Judaïca hic etiam repræsentatur, vers. 31. 32. 36.

3. Fames sub Claudio Cæsare, vers. 33.

4. Minatur excidium templi & sacerdotii, vers. 35. & confractionem totius populi, vers. 38. 42.

Instrumentum hujus plagæ dicitur aliquis *instar aquilæ advolaturus*. Titus is est cum Romano exercitu. vers. 40.

Ad umbram Chesbon, id est, Hierosolymæ, *sese* quidem multi recipiebant. Frustrà. *Ignis enim exivit ex Chesbon* metropoli Judæorum & Moabitarum fœdere junctorum, *& flamma, quæ comedit omnes angulos eorum*. Hierosolymâ enim captâ tota terra in potestatem venit, neque quisquam, qui in terra mansisset, potuit effugere; *Et verticem filiorum tumultûs*, eorum scilicet, qui tumultum exorsi, eoque delectati, tandemque in eo consumti sunt.

5. *Restituit Deus jacturas Moabi in ultimo dierum.*

Id exspectandum est in conversione Judæorum, cùm dies vastitatis & conculcationis Hierosolymæ per gentes fuerint finiti.

CAP. XLIX.

IN hoc capite continentur quinque prophetiæ.

I. De filiis Ammon, vers. 1. hoc ordine.

1. Culpæ ipsis datur, quòd terras populi Dei, nempe tribûs Gad, quæ ultra Jordanem habitabat, & Ammonitis finitima erat, invaserint, atque ita fecerint terram Malcam, sive Dei falsi, quem illi adorabant. vers. 1.

2. Regio Ammonitarum vastatur, vers. 2. confer cap. 25:21. Unde patet, Ammonitas quoque inter illos esse, qui à Nebucadnezare vastandi sint. Facilè enim potuit fieri, ut Nebucadnezar Judæam invadens illis non pepercerit.

3. Israëlitæ occupant locos Ammonitarum, vers. 2.

Factum id est post captivitatem Babylonicam, quando Judæi bellum gerentes cum regibus Syriæ & se in libertatem asserentes etiam hos vicinos suos magnam partem sibi subjecerunt, iisque persuaserunt, ut fœderati sui essent, & iisdem uterentur ritibus, ut Josephus testatur.

4. Nova calamitas & vastitas ipsis confœderatis vers. 3.-5. cum Judæis denunciatur, futura scilicet, quando ipsi cum Judæis à Romanis excisi sunt; & ex terris suis pulsi.

5. Pro-

5. Promittitur ipsis restitutio jacturarum ipsorum, futura scilicet illo tempore, quo Ecclesia liberata erit ab hostibus suis, & omnes populi illi servient. vers. 6.

II. Ammonitas sequitur *Edom*, qui eos occupaverant, ℣. 7. & seqq.

Intelligitur hic populus Judaicus, quatenus illi Idumæi conjuncti non tantùm ratione politicæ gubernationis, cùm etiam ex Idumæis Herodes in Judæa rex fuerit, verùm etiam ratione communis studii in rebus religionis, quòdque Hierosolymam pro sua metropoli, & templum pro suo templo haberent, & cum Judæis contra Romanos starent templi propugnatores. Notandi hi articuli.

1. *Auditus* Euangelii *auditur* in terra, vers. 14.

2. Habentur Euangelii prædicatores, quique iis credunt, pro *pupillis*, qui patrem, & *viduabus*, quæ maritum non habeant. Atque ita *quorum judicium non erat*, cùm justi essent, *bibunt poculum*. Permittit scilicet Deus hostibus ipsorum Judæis Idumæo animo affectis, ac Romanis sub Nerone, ut eos vexent, & diris modis crucient. vers. 11. 12.

3. *Legatus*, sive Apostolus, ut Paulus, *mittitur ad gentes*, vers. 14.

4. Postquam Euangelium annunciatum est gentibus, imperat Deus, *congregent se gentes*, *& surgant ad prælium* adversus populum inobedientem, vers. 14.

Deo sic dirigente *ascendit* aliquis *tanquam Leo ab elatione Iordanis in mansionem asperi*, Hierosolymam scilicet, sitam in montibus & collibus, & cinctam deserto. Vespasianus is fuit. vers. 19.

5. *Facit* Deus, *ut* ille Leo *ad parvum tempus currat ab ea*. Nam cùm nuncius de morte Neronis allatus esset, atque ita cessaret imperium, quod Vespasianus exequebatur, cessavit oppugnatio, donec, interfectis Galbâ, Othone & Vitellio, Vespasianus Imperator factus esset. vers. 19.

6. *Iuveni*, Tito, *datur mandatum de Hierosolyma*, vers. 19. Atque is, *tanquam aquila ascendit & volavit & expandit alas suas super Botzra*, metropoli gentis profanæ, vers. 22.

Inde *fuga, calamitas*, vers. 8. *vastatio*, vers. 10. 13. 17. *desolatio* urbis ac terræ, vers. 13. *eversio instar Sodomæ & Gomorrhæ*, vers. 18. ac *desolationes sæculi*, vers. 13.

Exaggeratur hæc pœna, quòd non ad repurgandum, ut in vindemia, ubi relinquitur racematio, sed ad extirpandum, sit comparata, vers. 9. quòd nulla sit futura latebra, in quam se quis salutis causâ abdere possit: cujus rei exemplum est in Simeone Gioræ filio, qui, cùm in cuniculis lateret & ignoraretur, in solo templi prodiit, & captus, & in triumpho ductus, & Romano more capite plexus est, ℣. 10. quòd, *etiamsi nidum suum collocarent in alto*, *ut aquila*, & oppida ejus, inprimis Hierosolyma, forent munitissima, neque sine Deo expugnabilia *inde tamen dejecti sunt*, vers. 16.

Iustificatur id judicium 1. ab eo, quòd viam salutis & conservationis suæ aspernantes, alia consilia inirent. Quale est, quærere justitiam ex operibus. Atque ita *deficeret sapientia in Theman*, *& consilium à prudentibus*, &c. vers. 7. 2. quòd Christianos non *reliquissent*, quin eos indignè tractarent, vers. 11. 12. 3. quòd *terribilitati* ac majestati suæ, quam inter omnes gentes multitudine & opibus obtinebant, nimis confiderent, vers. 16. Cui accessit 4. *ferocia cordis*, ibid. & 5. fiducia in urbibus munitis. vers. 16.

Parvis ovium, minimis ex populo Dei, qui Deo pastori suo animas suas concrediderunt, tribuitur hæc eorum *distractio*, vers. 20. Confer Apoc. 6: 4.

Inde

Inde Judæi *parvi in gentibus*, *contemti in hominibus*, & aliorum conviciis ac *ludibriis* expositi, vers. 15. 13. 17.

Ad justificationem hujus judicii quoque pertinet, quòd quasi *condicerent Deo* certum locum & tempus ad conveniendum, & vellent adhuc *pastores stare coram ipso*, vers. 19. Sed hoc potest referri ad primum justificationis argumentum, quod suprà posuimus.

6. *A voce casûs ipsorum movetur tota terra*. vers. 21.

Hoc certè factum est propter casum Hierosolymæ. Rutilius optat, nunquam Hierosolymam captam esse. Ea conversio rerum inde in Imperio Romano consecuta est. Nunc etiam horribilia Dei judicia per exitum Hierosolymæ, tanquam evidens exemplum, solent depingi.

III. Idumæam ex ordine excipit Damascus, unde venit is, qui Hierosolymæ finem imposuit, quæque hoc tempore caput Judææ extitit, vers. 23. & seqq.

1. Culpæ ei datur, quòd ausa sit *urbem gloriationis*, *civitatem hilaritatis Dei* exscindere, quæ à nomine Dei appellabatur, in qua Deus libenter habitabat, ubi unctus erat Christus, unde exiverat verbum Dei in totam terram, vers. 25.

2. Damasco & Chamathæ & Arpad denunciat *pudorem*, *remissionem*, *formidinem*, *fugam*, &c. vers. 23. 24. 26. 27.

Hæc sine calamitate ac debilitatione Imperii Romani ea in parte intelligi non possunt, donec Damascus in potestatem Sarracenorum venit. Ii

IV. *Kedareni* in hoc ordine prophetiæ. Namque & Sarraceni Ismaëlitæ sunt, in quibus Kedareni. Iidem quoque *circumcisionem* à Muhammede acceperunt: adeoque in hac prophetia per irrisionem appellantur *præsecti angulo*, vers. 32. Innuitur ergo,

1. Kedarenos habituros magnam gloriam & potentiam in mundo, quod Esaias clarè dicit cap. 21: 15.

2. Deum finiturum esse fastum & potentiam illorum, per quos sumserat vindictam à Damasco sub Romanis positâ. vers. 28—33.

Sarracenorum imperium in Asia & Ægypto intra anni spatium, quod Esaias d.l. clarè prædicit, profligatum est à Selimo II. Turcarum Imperatore.

V. Devictos ac subjugatos Kedarenos excipiunt in hoc ordine judiciorum Dei victores Turcæ. Ii in Scripturis *Assyrii* solent appellari, nempe quia tenent Assyriam: sed & possunt appellari *Elam*, quæ pars Persidis, propter conjunctionem Turcarum & Persarum qualemcunque: quemadmodum Judæi Edom intuitu posterioris temporis appellati sunt. De *Elam* itaque prædicit

1. debilitationem & dispersionem, vers. 35. 36. 37.

2. quòd *positurus sit Deus solium suum in medio ipsorum*, id est, quòd regnum habiturus sit inter ipsos; *& quod perditurus sit inde regem & principes*: quod potest intelligi non tantùm de rege & principibus Elamitarum, sed & de omnibus potestatibus se efferentibus contra regnum Dei.

3. quòd tandem sit *illorum jacturas restituturus*. Conferri potest Es. 19: 24. 25.

Sed quia hæc nondum evenerunt, nostrum erit tanquam in specula stare, & observare, quid Deus faciat, an fortè adhuc evidens quædam ratio sit futura, cur *Elam* sint dicendi Turcæ.

CAP. L. & LI.

EST prophetia de Babele tam myſtica ac nova, quàm propria ac vetere. Regnum enim Antichriſtianum, quæ & meretrix magna in Apocalypſi, quæ dicitur ſedere ſuper aquis multis, & vehi à Beſtia, eademque vocatur Pſeudopropheta, meritò appellatur Babylon, non tantùm propter priſcæ Babylonis idololatriam, tyrannidem & afflictionem populi Dei, quam ſerò exercuit, ſed etiam propter ejus initia; ut Babylon vocentur, qui ſibi in Eccleſia ſumunt auctoritatem docendi, leges præſcribendi, judicandi, ſub eo prætextu, ut veritas & religio in mundo conſervetur: quemadmodum initium Babylonis antiquæ fuit conſilium hominum de conſtituenda republica & auctoritate erigenda, ut iidem ſermones inter homines conſervarentur, atque ita manerent unus populus, licet per totam terram habitarent.

Nos, quæ in hac prophetia ſunt propria huic vel illi Babyloni, diſtinguamus. Ex prædicatis cognoſcetur ſubjectum.

Jam à principio cap. 51. verſ. 2—16. deſcribitur calamitas & vaſtitas, quæ ventura erat in regnum Antichriſti inde ab eo tempore, quo Reformatio cœpta eſt, atque ita populus aliquis ex eo exire cœpit. Ubi hi articuli ſunt obſervandi.

1. *Indicatur in gentibus*, tanquam res ad omnes pertinens; *præconiatur* Euangelium æternum; *tollitur ſignum*, nomen Chriſti ſtat in ſignum populorum, quod omnes debeant ſequi, ut ſalventur, & pugnent cum Babylone; Et quidem ita *præconiatur*, ut *ne celetur* quicquam, verſ. 2.

2. *Dicitur*, *Capta eſt Babel*, exercitus, qui illam diruit, populus Dei, ii, quibus prædicatur Euangelium æternum, & quibus proponitur Chriſtus in ſignum, intrarunt in illam, & jam liberi verſantur in medio ejus, datâ ſcilicet pace religionis cauſâ.

Inde pudefactus eſt Bel; *conſternatus eſt Merodach*, ille ſcilicet Deus, quem adorat rex ultimi temporis, cum illo Deo, qui quaſi in locamento ſuo ponitur, Dan. 11: 38. jam cœpit contemni, & omnes falſi prophetæ inceperunt formidare, quemadmodum adhuc metuunt; *pudefacta ſunt idola ejus*; *conſternata ſunt ſtercora ejus*, tota illa hierarchia & omnis idololatria cœpit vacillare, verſ. 2.

Cauſa metuendi eſt, quòd *aſcendat contra eam gens ab Aquilone*, tanquam in Bohemia, Saxonia, Belgio, Dania, Norwegia, Suedia; quæ incipiat *ponere terram ejus vaſtitatem*, dum ſcilicet *in ea habitare* ſub illius capitibus ſive præſidentibus recuſant, & *non minùs homines*, *quàm beſtiæ*, id eſt, non minùs ſapientes, quàm inſipientes inde recedunt. verſ. 3.

3. *Iiſdem diebus & eodem tempore* fit converſio multorum, continuanda hactenus, ut etiam convertantur ii, quos Deus ab omnibus tribubus Iſraëlis ſeparaverat, ut ita *accedant filii Iſraëlis & filii Iudæ unà*, & *Iehovam Deum ſuum quærant*, neque Babylon rurſus conſolidetur, verſ. 4.

4. De *Sione* ſive vera Eccleſia *rogatur*, ſive inter multas ſectas quæritur Eccleſia, & *via*, *quæ huc tendat*. Atque interim ſe mutuò cohortantur fideles, ut *ſe adjungant Iehovæ fœdere perpetuo*, *quod non tradatur oblivioni*, verſ. 5.

1. Patiuntur ſe plerique Chriſtiani *ſeduci à paſtoribus ſuis*, & *averti per montes* ſive regna hujus mundi; euntque *à monte ad collem*, id eſt, ab una republica ad aliam, ab una forma regiminis ad aliam; *obliti* ſcilicet *decubitûs ſui*, ſive illius ſta-

tûs, in quo Ecclesia primitus ab Apostolis fuit collocata; qui status requiem & pacem illis afferebat. vers. 6.

2. Ipsi Ecclesiæ hostes clarè vident, Christianos ab Euangelio defecisse, & facere illa, quæ excusari non possunt; quemadmodum reverâ Turcæ in Ecclesia Christiana meritò reprehendunt cultum imaginum, adorationem panis in Missa, traditiones hominum deserto Euangelio. Unde videntur justa esse illorum arma, & *non luituri*, quòd invadant Ecclesiam, vers. 7.

3. Excitat Deus, *qui fugiant ex Babylone*, & *ex terra Chaldæorum exeant*, quærentes scilicet Jehovam Deum suum; & quidem ita, ut quisque alterum prævertere zelo studeat, vers. 8.

4. Suadet fugam argumento imminentis excidii, quod per *gentem Aquilonarem* infligendum pronunciat, vers. 9. 10.

Quænam propriè ista gens sit, adhuc dicere non possumus. Fortasse Tartari, sive ducantur ab aliis, sive ipsi alios ducant. Quando dicit, *inde capietur*, potest intelligi, peremtoriam destructionem à Septentrione venturam.

5. *Sunt*, *qui hæreditatem Dei*, id est, fideles in media Babylone positos, & aliquatenus ab ea separatos, sed tamen non planè liberos ab ea potentia, quæ subservit Babyloni, *vexent*, & ob id *lætentur*, *exultent*, *impinguentur*, & *hinniant*, vers. 11.

6. Illa Ecclesia, quam illi suam *matrem* profitentur, *pudefit* propter lætitiam ipsorum. *Et gentes multæ rediguntur in desertum*, *siticulosam* & *solitudinem*, vers. 12.

Ita Babylon *habitatoribus* spoliatur, & *fit vastitas*, cum eo effectu, ut nemo ipsi condoleat, sed *omnis illam præteriens stupeat*, & *sibilet super omnibus plagis ejus*, vers. 13.

Ipsa invasio ad destructionem Babylonis, etiam ὑποτυπῶν, vers. 14. 15. 16. Quæ sive propriè, sive allegoricè accipiantur, ut scilicet præconio verbi oppugnent Babylonem, & omnia columina civitatis sive regni illius *fundamenta ac muri* cadant, & *seminans*, sive doctor, ac ille, *qui falcem tenet*, Episcopus, obedientiam exigens, exscindantur spiritualibus armis, cùm utrumque intelligi possit, talia sunt, ut eo modo à Cyro & à Persis non sint facta.

Vers. 17. orditur Propheta novum sermonem, & tanquam ab ovo recitat Israëlis calamitates, sub Veteri Testamento; ac porrò ad tempora citeriora sub Novo Testamento progreditur, hoc ordine.

1. Duo leones Israëlem vastarunt, uterque Assyrius, quorum prior quasi carnes ejus comedit; Posterior veluti *exossavit*: quando enim Juda Babylonem abductus fuit, nihil propemodum relictum est, quod pro tribu aut gente haberi posset, ℣. 17.

2. Significat, se eodem modo acturum cum rege Babylonio, quemadmodum egerat cum Assyrio. Babylonicum scilicet imperium cessaturum, ℣. 18.

3. Connexum cum destructione Imperii Babylonici est *Reductio Israëlis in terram suam*. ℣. 19.

4. Deus perfectè populo suo reconciliatur per Messiam, ita ut in posterum *quæratur pravitas Israëlis*, & *non sit futura*, & *peccata Judæ*, & *non inveniantur*, non quidem, quòd nullum in Israële peccatum sit futurum, sed *quòd* Deus perfectè scilicet reconciliatus *condonaturus sit* illa, eo nempe modo, quo antea condonata non erant, vers. 20.

Sub

Subjectum hujus gratiæ dicitur *is, quem Deus reliquum facturus sit*, vers. 20. Reliquos enim fore *contumaces*, vers. 21. Igitur Judæam appellat *terram inobedientiarum*, vers. 21. Nulla enim fuerat terra hactenus in toto mundo, quæ singulariter hoc nomine appellari mereretur, præter Judæam, quia nulli populo antehac datum erat verbum Dei, nisi Israëli, qui isti verbo extitit inobediens. Præterea nominantur *habitantes visitationem*, sive urbem visitatam; confer Zoph. 3 : 1. Præterquam, quòd ea urbs *depositum* Dei accepit.

5. Ad puniendam contumaciam & inobedientiam populi Deus vocat aliquem, qui *ascendat contra eum, & gladium stringat, & devoveat, & omnia ex præcepto faciat*. Is est Titus. vers. 21.

6. Post destructam Hierosolymam multa eaque aspera *bella* in mundo geruntur, & multi populi atque urbes *confringuntur*, vers. 22.

7. Inter illos tumultus & bella & fracturas aliqua urbs, quæ & *malleus totius terræ* & Babylon analogicè dici potest, ita *debilitatur & devastatur*, ut omnes homines cogantur admirari, quomodo id factum sit, vers. 23.

Nempe Constantino venit in mentem Imperii sedem transferre Byzantium. Ea fuit occasio gentibus barbaris multis & magnis invadendi Italiam, in eaque novum regnum erigendi. Factum est, ut imperii vis cesserit, & locum fecerit Antichristo. Quid deinceps de Constantinopoli factum sit, & quomodo Imperium Romanum in ea quoque parte exstinctum sit, notum est.

8. *Aucupium facit* Deus novissimæ *Babyloni, & capitur, ipsâ nesciente id agi* atque fieri, vers. 24.

Nempe qui Occidentem invaserant populi Barbari, omnes sese subjecerunt Papæ Romano cum finitimis regnis, quæ partim ab Imperio Romano abrepta fuerunt, partim etiam ad particulam Imperii Romani accesserunt, ut tota Germania & alia Aquilonaria regna. Videbatur etiam post multas conflictationes Papa dominari in Oriente, sancito tandem imaginum cultu in Concilio Niceno II. Sed paulo post exorti Sarraceni, qui imperium Papæ coërcuerunt: sub quibus licuit Christianis verbo Dei adhærescere, & imagines non venerari. Nec sine causa excitarunt deinde cruce signatos, qui terram sanctam recuperarent ex manibus Sarracenorum, nempe ut ubique dominarentur. Sed effectum est, ut omnia ista molimina in vanum caderent, & novum imperium exoriretur ex vilissimis Turcis, qui & Constantinopolin & ipsam Græciam occuparunt.

9. *Invenitur* tandem, ac *prehenditur*, vers. 24. id est, revelatur Ecclesiis, quòd ipsa, quæ videbatur esse Sion, sit Babylon, & rea peragitur, & in suum quasi carcerem includitur.

Nam, cùm prædicatio Euangelii fortiùs inciperet fieri, coacti sunt Romani convocare Concilium, quod Tridenti actum est. In eo Concilio se absciderunt à communione veritatem loquentium, eosque anathemate percusserunt. Accessit, quòd eodem tempore Deus excitavit Saxonem Mauritium, alioqui satis frigidum, qui, quòd filio Philippi Landgravii spoponderat, Patrem à Cæsare non iri detentum, coactus est armis, quæ pro Cæsare gerebat, Cæsarem invadere, & eum adigere ad pacem, quæ conclusa est Passavii anno 1552, & confirmata Augustæ, anno 1555. Eodem anno Solimannus in Hungariam incubuit, & coëgit Austriacos de pace cogitare. Æmulationes etiam inter Gallos & Austriacos exortæ sunt, à quibus magna bella sunt consecuta.

Quia cum Jehova, ut Antichristus, *conflixerit*, eumque de throno suo detur-

bare conatus sit, ejusque verbum & justitiam oppugnaverit, & officium invadere conatus sit, ideo hæc mala ipsi eventura dicuntur, vers. 24 confer ℣. 29.

10. Procedente tempore, postquam Babel illa deprehensa fuerit, *Deus profert ex omnibus partibus tela iræ suæ*, & *adducit gentes ab extremo*, *ad vastandum omnia*, ℣. 25. 26. 27.

11. *Nuncii & fama per superstites affertur Ecclesiæ, ad indicandam ultionem super templo suo*, Christo, cujus interfecti illi rei sunt, & Ecclesiâ ejus in primo & in ultimo tempore à Romanis oppressâ & corruptâ, vers. 28.

12 *Præconio* de abominationibus regni Antichristiani perveniente ad omnes, redditur illud omnibus odiosum, & *concitantur* adversus illud omnes, qui vindictam possunt exercere, & jubentur *ei facere*, *quemadmodum fecit*, quia *protervè se gesserit contra Jehovam*, & *contra sanctum Israëlis*, vers. 29—32.

Innuitur tempus, quo Deus exsecuturus erat hanc ultionem, nempe cùm *protervia* ejus ad summum venerit, & adversus omnes convictiones fuerit contumax, & illa ausa fuerit, quæ nemo ausus fuerit antea, ℣. 31. 32.

Causa ulciscendi Babylonios non tantùm est, quòd Deus per illos oppugnatus sit, sed etiam quòd Ecclesiæ intersit, quæ *in captivitatem abducta* sit, & *detineatur*, ut liberè Deo suo servire non possit. vers. 33. Ea hic nominatur *Israël & Juda*, quia etiam inter fideles est aliqua divisio, ut olim inter cæteras tribus & Judam.

Christum enim patrocinium ejus suscepisse, ut terram faciat requiescere, & commoveat habitantes Babel. Ideò hominibus cujuscunque generis & conditionis & thesauris ejus comminatur gladium, vers. 35. 36. 37.

Æstum verò se immissurum *in aquas ejus*, *ut exarescant*, vers. 38. Significatur, debilitatum iri populum Babylonicum, ut non possit magnos exercitus effundere. *Quia terra sculptilium est*, &, cùm deberent in Deo gloriari, *in terriculamentis insaniunt*. ℣. 38.

Desertivaga cum insulanis, postquam Ecclesia inde educta sit, *ibi commoratura*, fore scilicet habitaculum Dæmoniorum. Nec tantùm, sed etiam fore, ut homines barbari ibi cohabitent, in quorum potestate illi sint, donec id consequatur, ut tota illa hierarchia planè exstinguatur, *ut Sodoma eversa est*, ℣. 39. 40.

Explicatur porro, quomodo id sit futurum, ut apex ille hierarchiæ tollatur, & terra Babylonis feris impleatur: *Populum quippe* contra eam *venturum ab Aquilone*, armatum tanquam virum ad bellum, & *reges à lateribus terræ*. vers. 41. 42. ii fortè reges ab Oriente, Apoc. 16: 12.

Regem Babylonis mysticæ, cùm audierit initia motûs illorum regum, *trepidaturum*, & *remissis manibus futurum*, vers. 43. Convenit vers. 38. exsiccatio aquarum.

Ad tempus quidem interpellatum iri oppugnationem Babylonis, sed tamen iri instauratum: similemque adeo exitum fore cum exitu Hierosolymorum; idque ob eandem causam, quia grave est Deum ad *certamen* provocare, & quia nullus pastor coram ipso stare potest. ℣. 44. 45. 46. coll. cap. 49: 19. 20. 21.

CAP. LI.

OStendit Deus, *se excitaturum esse spiritum destruentem* vel *corrumpentem*, qui faciat, ut utantur consiliis corruptis, & vitiositatem suam ipsi promulgent, ut

ut ea latere ampliùs non possit, *contra Babylonem* mysticam inprimis, *& in eos*, *qui sedent in corde eorum, qui surgunt contra Deum*, inter adversarios Dei, neque se ab ipsis separant, dum vers. 14. non satis attendunt, quis spiritus regat Babylonem, vel etiam in eos, qui acquiescunt in corde & voluntate adversariorum Christi, quibus ea voluntas pro rupe est, cui innituntur, ℣. 1.

Et se missurum Babeli alienos, homines non eodem spiritu actos, sed diversos à Babyloniis; *qui ventilaturi sint eam*, locuturi ea, quorum occasione manifestæ fiant cogitationes eorum, & separatio fiat, ita, ut vix possint unà manere, qui non idem sentiunt; *& evacuaturi*, desertam facturi, *terram ejus*; *cùm fuerint*, impetum ceperint, *contra eam circumundique* homines infesti, qui *devoturi sint omnem exercitum ejus*, &c ℣. 2.3.4.

Rationes, cur Babylonem exscindi oporteat, sunt 1. quia, ex quo Christus venit ad Ecclesiam suam, qui sponsus ejus est, & sustulit id, propter quod serva videbatur maritata, non relinquat illam viduam, nec patiatur eam rursus reduci in servitutem. 2. *quia terra illorum* Chaldæorum scilicet *impleta est reatu propter sanctum Israëlis*, ℣. 5.

Consequitur ergo, ut, dum tempus est, *fugiant*, & se separent corde & professione, *ex medio Babylonis*, neque se contineant, dum illa peccat. Tempus enim vindictæ instare, ℣. 6.

Admonitio, quâ suadetur fuga. Quòd nempe *Babel* illa splendida & dives *sit instar calicis aurei in manu Jehovæ inebriantis gentes*, quo scilicet Deus utatur partim ad tentandum, partim ad puniendum homines, qui non receperunt amorem veritatis. Et quandoquidem *gentes de eo calice biberint* omnis generis errores, *eas etiam insanituras*, ut ebrii solent. ℣. 7.

Subitò cecidit Babel amisitque in multis populis & regnis suam auctoritatem, quando subitò factum est, ut afflictis daretur pax, & Babylonii seipsos collocarent inter mortuos per sua anathemata, atque ita spes reunitionis decolavit, ℣. 8. confer ℣. 31.

Exinde auditi sunt multi sermones hominum jubentium alios, quos hæreticos judicabant, *ejulare super ea*, & consecuta studia multorum ad reconciliationem faciendam, ut hæc plaga Bestiæ sanaretur. ℣. 8.

Cùm verò hæc studia incassùm caderent, innuitur, multos Babylonem tanquam desperatam deserturos, & fugituros judicium ejus, vers. 9.

Cùm verò pii injustè damnarentur & oppugnarentur, Deus *opere aliquo* mirabili *protulit in lucem justitias ipsorum*, liberando scilicet eos ex manu potentiorum, vers. 10.

Liberati se mutuò cohortantur ad arma capessendum & militiam exercendam, sive se defendant adversus omnes, sive ut unà cum aliis impetum faciant in Babylonem, vers. 11.

Excitasse enim Jehovam spiritum regum Mediæ, Persarum, Tartarorum, Turcarum, *contra Babelem*, *quandoquidem destinaverit Babylonem perdere*, *& vindictam templi sui sumere*. Ne nos igitur imparati simus.

Vicissim Babylonii, qui ab omnibus solebant timeri, ea faciunt, sui defendendi causâ, quæ homines timidi solent, *in muris disponere stationes*, *vigiles* &c. vers. 12.

Denunciatur Babyloni *habitanti super aquis multis finis quæstûs* & scortationis suæ, vers. 13.

Jurasse enim *Deum*, *quòd illam sit impleturus hominibus*, *qui spolient thesauros ejus*, *& euge super ea canant*, ℣. 14.

Illum scilicet hæc jurasse, qui fecerit omnia &c. quæ affert Ecclesia, ut ostendat stultitiam eorum, qui imagines faciunt, & concludat, eos tempore visitationis suæ perituros. Deinde ut Ecclesia habeat certam consolationem, & Deum suâ gloriâ afficiat, ut qui sit formator, ut omnium, ita & *virgæ hæreditatis suæ*. Quod in Babylone non permittitur dici, vers. 15—19.

Significatur, Deum elegisse quendam tanquam *malleum* ad faciendum dissilire gentes, & regna, & equos cum sessoribus suis, & currus cum rectoribus suis, & viros & fœminas, senes & pueros, adolescentes & virgines, pastores & greges eorum, agricolas & juga eorum, præfectos & proceres; denique ad retribuendum Babeli omnia mala, quæ fecerat in Sione aspectantibus illis, quorum operâ Deus vult uti ad retaliationem, vers. 20—24.

Montem verò *perdentem totam terram vertendum in montem incendii*, vers. 25. Is est mons octavus Apoc. 17: 11.

Ita verò perditum iri illum montem, sive imperium illud magnum, ut non sint sumturi ex eo *lapidem* sive principem, *in angulum*, qui ædificium illud Babylonici imperii contineat, *& in fundamentum*, qui rempublicam illam sustineat & & firmet, ℣. 26.

Ad hæc *signum erigendum esse in terra*, ad quod concurrant homines; *& buccinâ clangendum*, quâ ad spiritualia & ad carnalia arma excitentur homines, & sacramento adigantur contra Babylonem; evocanda item *regna Ararat*, (montes Ararat in Oriente esse notum est.) *Minni*, (Dionysius Minnæos conjungit cum Sabæis, & ponit ad mare rubrum, vers. 959. Μιναῖοί τε Σάβαι &c.) *& Ascenas*, (id vulgò apud Judæos Germanorum nomen. Alii in Phrygia eos collocant.) dissitissimas scilicet gentes, ut conspirent in hoc, ut Babylonem perdant, vers. 27. 28. idque ex consilio Jehovæ, ℣. 29.

In Babyloniis interim notatur animus mollis & effœminatus, ut nihil præclari vel audeant vel possint, ℣. 30.

Combustis malis hominibus, quæ solebant eos, ceu juncos, arundines gerere, *stagna*, similiter visa *exaruisse*, ut nemo prohibeat transitum, vers. 32.

Babylonem esse præparatam à Deo tanquam *aream* ad convectandam *messem*: ideo *calcandum esse solum ejus*, id est, omnem sublimitatem Babylonis esse deprimendam, ut in illo colligantur fructus regni Christi, ℣. 33.

Conqueritur Israël de Nebucadnezare & ipsius violentia, ℣. 34. 35.

Respondet Deus, se causam Israëlis suscepturum, & eos ulturum, ita, ut, etiamsi *maria* possideat, & civitate sive territorio suo complectatur, ea tamen sit *exsiccaturus*, *& exarefacturus montem ejus*, ut nunquam possit effundere magnum flumen, id est, exercitum, ℣. 36.

Totius judicii exitum significat, quod dicitur, *fore Babylonem acervos*, *habitationem draconum*, *vastitatem & sibilum*, *ut non sit habitans*, vers. 37. Confer vers. 43.

Violentiam & crudelitatem principum Babylonis, tam veteris, quàm novæ notat, vers. 38.

Daturum verò Deum unum in manum alterius, ut, tanquam *epulis & vino*, satientur carne & sanguine fratrum suorum, *& exultent*, & deinde *obdromiscant*, hoc est, ipsi quoque vendantur aliis, & *tanquam agni ad mactationem* ducantur, ℣. 39. 40.

Ad-

Admirantur, *capi illam* potuisse, *quæ erat gloriatio totius terræ*, & fieri vastitatem in gentibus, vers. 41. Apposite verò Babel hic appellatur ששך, à שכך, quod est *desidere*, Gen. 8 : 1.

Respondetur ad illam admirationem, *quòd ascenderit mare contra illam*, *& fluctibus suis eam operuerit*. Significatur, omnes gentes in eam concitatas fuisse, ℣. 42. Convenit, quod est in Apocalypsi, montes & insulas fugisse.

Cùm igitur hæc sint futura, certum est, *Deum visitaturum ipsum Bel in Babel*, id est, falsum Deum, quem illa adorat, & *bolum ejus ex ore ejus erepturum*, *& tum gentes non ampliùs fluxuras ad eum*. Quandoquidem etiam murus ejus cecidit, ℣. 44.

Exeant igitur *ex medio ejus*, *populus Dei*, *& servent animam suam ab æstu iræ Jehovæ*, vers. 45. Iterum iterumque hortatur ad fugam, ut significetur, lentitudinem Dei ad hoc comparatam esse, ut aliqui serventur.

Neque trepident, cùm effugerint, propter nuncios & famam, ℣. 46.

Cantaturos enim *super Babele cœlos* novos *& terram* novam, *cùm ab Aquilone venient vastatores ipsis*, & *Deus visitabit super sculptilibus Babel* &c. ℣. 48. 47.

Æquitas judicii Dei in Babelem ostenditur, quòd æquum sit, ut, quemadmodum ipsi inservierint gentes, ut fideles caderent in medio ejus; ita etiam omnes gentes pro Babylone dimicantes cadant, vers. 49.

Compellantur ii, qui liberati sunt à gladio, (vide suprà vers. 10.) ut *procedant*, *& non subsistant*, nedum ad Babylonem respiciant; utque in quovis loco & tempore, quamvis diuturnum & lentum videatur opus Dei, *meminerint Jehovæ*, neque relinquant verbum ejus, aut veritatem ejus; & ut *cogitent de Hierosolyma*, hoc est, ut semper ipsis obversetur status Ecclesiæ optimus & maximus, quam vult Deus ædificare civitatem sanctam, vers. 50.

Respondent liberati, agnoscendo suum culpam, & fatendo *pudorem*, & quòd *audiverint probrum*, atque *ignominia texerit faciem ipsorum*, eò, *quòd alieni intraverint in sanctuaria Jehovæ*, id est, quòd non satis vigilaverint, ut in Ecclesia servaretur verus sensus & sanus sermo, & ut essent reverâ fratres & sanctuaria Jehovæ, vers. 51.

Quandoquidem ergo tam valida fuerit ἀνομία, ut fructus ejus mali redundaverint etiam in Ecclesiam Dei, *visitat sculptilia Babylonis*, *& in tota terra ejus ducit ronchum moribundus*, vers. 52.

Et *quamvis ascenderit Babel in cœlum*, *& munierit celsum robustum suum*, id tamen non fore validum, ut vastitatem à Babylone avertat, ℣. 53. 54. 55. 56. 57.

Deumque *vocem magnam*, id est, magniloquentiam illam Babylonicam, falsas doctrinas, gloriationem de potestate & auctoritate sua, sententias, anathemata, *perditurum ex ea*, vers. 55.

Eò usque autem vastitatem illam processuram, ut Babel *denudetur* usque ad fundamentum, neque maneat lapis super lapidem, & *portæ ejus igne crementur*, ℣. 58.

Ita manifestum fore, *gentes laborasse pro eo*, *quod tanti est*, *atque inane*, *& defatigasse se pro eo*, *quod tanti est*, *ac ignis*, vers. 58.

Ita denique Babylonem abolitum iri, ut non memoretur ampliùs & omnes prophetiæ de ea non curentur, ut quarum eventus non sit ampliùs exspectandus. vers. 63. 64.

Huc usque verba Jeremiæ Prophetica.

ORDO

ORDO RERUM EX THRENIS JEREMIÆ.

1. STatum populi ac urbis post primam captivitatem Judæorum, quâ abductus est Jechonias cum principibus & præcipuis, nempe senatoribus, ducibus, magistris fabrorum & omnium collegiorum, ita ut non relinqueretur nisi fæx populi, 2 Reg. 24: 14. Cap. I.

2. in ipsa destructione Hierosolymorum & templi, ac regni domûs Davidicæ abolitione, Cap. II. III. & IV: miseratur ac deplorat. De sua quoque miseria agit Propheta cap. 3: 1--18.

De regni abolitione est cap. 2: 2. *Profanavit regnum*. Deus nempe per Nebucadnezarem ita cum eo egit, ut cum regnis aliarum gentium.

Inimico, id est, Diabolo id tribuitur, cap. 2: 17. 22.

De perseverantia iræ divinæ, ipsos profligantis, donec sub cœlo non sint, est cap. 3: 66. Ea certè regi ac principibus ejus incubuit.

3. Spem verò restitutionis in pristinum ostendit, 1. dum hortatur superstites, quos nomine *muri filiæ Sionis* compellat, eò quòd similes essent fragmentis muri de civitate sua destructa reliqui, & *quorum cor jam clamabat ad Dominum*, dando ipsi gloriam; hanc suam conversionem testentur profusis lachrymis die ac nocte &c. cap. 2: 18. 19. Ubi & oratio Sionis, id est, totius cœtûs Israëlis, ubicunque esset, ad Deum interponitur, vel præscribitur in spiritu, vers. 20. 21.

Cap. III. 2. dum se & omnes sui similes Propheta consolatur, & spem atque exspectationem eorum sustentat argumentis ductis 1. ab eo, quòd Deus gratiosus & misericors sit, nec ullum sit tempus, in quo non velit gratiam & misericordiam suam exercere, vers. 21. 22. & vers. 32. 33. imò etiam nunc eam quasi *recentem* offerat ac ostendat Israëli, dando ipsi reliquias, & reliquiis prophetas. ℣. 23. 2. à divinis promissionibus, à quibus *ampla*, imò majora exspectent in futurum, quàm cogitare possint, vers. 23. Ex quibus præcipuum sit, quòd *Jehova sit pars* ipsorum, in quo scilicet accepturi sint justitiam ac vitam æternam; quam ut adducat, oportere & sacerdotium restitui, ut sub lege nasceretur &c. vers. 24. Quam *exspectationem* Deus utpote *bonus* fallere nolit, vers. 25. Igitur cum silentio operiendam *salvationem Jehovæ*, vers. 26. & jugum, quod Deus imposuerit, esse suscipiendum libenter ac sine recalcitratione, etiam *in pueritia sua*, ℣. 27—30. & inprimis non desperandum. *Fortasse enim esse exspectationem*, ℣. 29.

nequa

neque rejicere in perpetuum illum, qui *Dominus* est illorum, qui eum partem suam dicunt, sed necesse esse, ut pro vultu irato רצון ostendat, vers. 31. Quòd si quis impatiens sit, & cogitet, *Deum non videre*, vers. 36. ei respondet, 1. nihil esse, quod Dominus non præceperit, sive esse jusserit, vers. 37. 2. distributionem bonorum & malorum à solo Deo fieri. Idque ipsius ita proprium esse, ut si id negetur, *Altitudo* ejus negetur, ℣. 38.

3. Dum admonet & hortatur, ut quisque omissâ murmuratione vias suas scrutetur, ad Deum convertatur, eumque ex toto corde invocet, vers. 39. 40. 41. Ubi & formulam confessionis & implorationis subjicit, vers. 42—47. Et suo exemplo alios excitat & commonefacit, ut non desistant à sua supplicatione, *donec Deus prospectet ex cœlo*, per sui manifestationem in carne, *& videat* ea, quæ in terra geruntur, & justitiam ac salutem suis adducat, ℣. 48. 49. 50.

Ad §. 2. De ablatione *σκηνώσεως*, sive inhabitationis divinæ super arca, in perpetuum, est cap. 4: 16. verbis: *Faciem Jehovæ non addet* quispiam *intueri*.

Exstinctio item regni talis innuitur, ut nullus unctus Domini in posterum futurus fuerit, sub cujus umbra habitarent in gentibus, ut à vicinis tuti esse possent, verbis: *Unctus Jehovæ captus est in foveis illorum* hostium persequentium eos, *de quo dicebamus: in umbra ejus vivemus in gentibus*, vers. 20. Ubi emphasis in phrasi *unctus Jehovæ* notanda venit. Regnum enim filiorum David erat regnum Dei. Solomo dicitur consedisse in throno Dei, quippe erat regnum Dei in eum populum, cujus rex erat Deus. Igitur & dii appellantur principes populi, qui verbum Dei acceperant, cum potestate injungendum populo, imperantes ut ea fierent, quæ Deus jusserat. Reges *uncti Dei* dicebantur, quod de aliis regibus non dicitur. Igitur & regnum apud Israëlem sacrosanctum erat: Nam apud eos regnare non poterat, nisi quem Deus elegisset, Deut. 17: 15. Igitur qui fuerunt post captivitatem Babylonicam in Judæa reges, non erant nomine regum digni, neque à Deo auctoritatem habuere, neque fuerunt uncti Jehovæ.

Ad §. 3. Idumæi super casu Hierosolymæ lætantur, cap. 4: 21.

4. *Deus prospectat ex cœlo*, vers. 50. cap. 3. & *finitur pravitas Sionis*, cap. 4: 22. hoc est, id agitur, ut filii Sionis per liberationem ex captivitate Babylonica, & consequentia beneficia in terra provehantur porrò ad exspectandam liberationem illam, per quam non necesse sit ipsos ampliùs communicare cum aliorum peccatis & consequentibus pœnis, sed in toto mundo sine impuritatis accusatione versentur: *neque ullus hostis eos ampliùs in exilium agat*, tanquam affixos certo loco aut populo, cùm libertatem habeant relinquendi omnes, qui nomen Dei non profitentur purè & castè, & se aggregandi fratribus duobus vel tribus. Igitur

5. quod secutum est exilium ac dispersio Judæorum per gentes, non pertinet ad filios Sionis, sed ad hostes Dei & filiorum Sionis, Idumæos Judæis permixtos. Atque ita impletum est vaticinium de Edomo, *Etiam ad te veniet calix, inebriaberis & nudabis te.* vers. 21. Item: *Visitavit aliquis pravitatem tuam, oculos detexit* vel *animadvertit in peccata tua*, ℣. 22.

CAP. V.

QUales afflictiones ac tentationes Ecclesia post judicatum Edomum esset expertura, exponit, idque verbis eorum, qui istas impletas & priori tempore & suo conspiciunt, & finem illarum à Deo petunt, verbis, *Recordare, Jehova, quid evenerit nobis* Christianis, sanctis & justis appellatis, *& vide opprobrium nostrum*, vers. 1. Ipsa expositio sive narratio à vers. 2. usque ad vers. 15. distinctè per partes ostendit, in quantum ceciderint opprobrium, hoc ordine.

6. *Quòd hæreditas*, sive locus habitationis *ipsorum*, quem post exantlatas primas passiones sub Romanis gentilibus in mundo acceperant, *cesserit alienis*, *& domus ipsorum peregrinis*, id est, iis, qui in medio ipsorum exorti sunt Christi nomen nominantes, & doctrinâ ac vitâ ostendentes se à Christianis alienos, & alioqui præter nomen Christi & sacramenta ejus, quæ in Ecclesia sunt externa & terrestria, nihil habentes supra gentes impuras, ℣. 2.

Tum *facti sunt* Christiani ut *orphani sine patre*, cùm loco patrum, docentium scilicet & regentium per verbum Dei & benignam institutionem ac judicium & correptionem sine dominatione, acceperunt pædagogos, qui sederunt super thronis, & quibus judicium datum est: Et per quorum institutionem & vitam exemplarem verbum Dei acceperant, qui *matres* rectè appellantur, sunt *tanquam viduæ*, sine sponso Christo, subjecti scilicet hominibus, eorumque præceptis & judiciis, ℣. 3.

Neque *aquas suas*, institutionem ex verbo, nisi *pro argento* & compensatione redditi honoris ac reconditæ potestatis, & amplissimis reditibus ac territoriis, *bibere*; *neque arbores ipsorum*, donum docendi habentes, ferentes fructum vitæ ad alimoniam & sanationem gentium, nisi soluto *pretio* subjectionis iis, qui se superiores ferunt, *venire* cœperunt, ℣. 4.

Tum *trudi & impelli ab hominibus cervicem suam occupantibus*, eique jugum legum importabile imponentibus, cœperunt, idque usque ad *defatigationem*, & *sine* intermissione aut *requiete*. ℣. 5.

Ita paulatim Ecclesia devenit in potestatem civitatis illius, quæ spiritualiter ditur *Ægyptus*, eique coacta est servire, si vellet vivere, ℣. 6.

7. Sed & magna ex parte cessit iis, qui hoc tempore spiritualiter dicuntur *Assur*, ℣. 6.

8. Hæcque calamitas longa est & ad nepotes protrahitur, quibus convenit dicere: *Patres nostri peccarunt, & non sunt, & nos pravitates ipsorum portamus*, vers. 7. Nec tantùm, sed & quotidie fit durior & asperior: Nempe, *ut & servi*, privati, & qui subditi regum, principum, ac magistratuum suorum esse debebant, *dominentur in eos*, etiam politicam potestatem redegerint in ordinem, & sibi subjecerint, ac coëgerint reges potestatem suam ipsis concedere in omnes cives, ut pro lubitu cum illis agere possint; & *nemo* illorum principum vel regum possit, vel audeat, vel velit cives suos *eripere ex manu servorum*, ℣. 8.

9. Etiamsi autem dominetur Improbitas, tamen sunt & sancti, qui cupiunt verbum Dei audire, tanquam *panem* animarum suarum. De quibus dicitur, quòd non possint illum panem domum referre sine periculo suæ vitæ, propterea quòd servi illi & reges potestatem suam illis tradentes totum mundum converterint in de-

desertum & *gladium* stringant in eos, qui non cum meretrice scortantur, sed panem suum petunt, undecunque possunt, ℣. 9.

Tandem etiam languere ad mortem, neque multum abesse scilicet à desperatione lucis, quæ illis exoriatur, & tenebras illas dispellat, & periclitari, ne etiam incidat in mortem secundam, dicitur Ecclesia, his verbis: quòd *pellis ipsorum æstuet instar fornacis propter procellas famis*, ℣. 10.

10. Deus *Sionem* aliquam sibi separat, & constituit Ecclesiam tanquam *Judam* in medio gentium, eique dat aliqua *oppida*, in quibus pacificè vivat, nón subjecta potestati servorum, ℣. 11.

11. Post tempus parvum hæc *oppida Judæ* à persecutoribus oppugnantur & expugnantur: in iisque oppidis omne nefas exercetur. Nempe *uxores & virgines violantur*, vers. 11. Id secundùm literam quoque exaudiri potest. Proceres & *principes* boni occiduntur, excarnificantur & *suspenduntur*; *seniores* sive ætate graves, & doctores ac seniores Ecclesiæ *non honorantur*, vers. 12. *Juvenibus mola* imponuntur, & *fasces lignorum adolescentibus*, hoc est, inprimis juvenes & adolescentes cogunt ferre præcepta, conscientiæ gravia, per quæ corrumpantur juvenes & *offendant*, vers. 13. Tandem etiam *in publico seniores non præsident amplius* inter fratres, quemadmodum in cœtu, ubi verbum Dei proponitur, fieri solet; & *juvenes desistunt à cantione sua*, hoc est, à psalmodiis suis, vers. 14.

12. Ecclesia pro liberatione ab istis opprobriis orat, & affert argumenta ad impetrandam istam liberationem: quorum primum est, *quòd nulla lætitia in Ecclesiâ* Christiana *sit*, (cùm tamen bonum regni Dei sit lætitia spiritûs) & *quòd hilaritas ejus in luctum sit versa cum choreis*, id est, quòd conventus fratrum, qui ad celebrandum Deum & mutuâ charitate se exhilarandum, sint instituti, non nisi tristes & luctuosi sint propter dissidia, suspiciones, rixas, obtestationes; qualia diminutâ charitate vigere solent, ℣. 15.

Quin imò deplorat Ecclesia, quòd usque adeo *peccaverit*, *ut corona capitis sui*, id est, verbum Dei purum putum, ejusque sana intelligentia & veræ fidei confessio, concordia, mutua charitas & studium bonorum operum, *ceciderit*, vers. 16.

Ex eo dicit & *cordi languorem*, ut sit parva spes, & *oculis tenebras* esse, ut scilicet nihil vel parum videant, quod ipsos oblectet, aut ipsis pro luce sit, ℣. 17. *Quandoquidem mons Sion sit vastus*, id est, Christiani & fideles nusquam habeant eos cœtus, in quibus triticum & vinum & oleum abundè nascatur, & in quibus non sint spinæ & vepres: & *vulpes per illum ambulent*, id est, callidi potiùs, quàm sapientes, quærentes commodum suum & frugibus noxii; quò pertinent, qui falsas doctrinas ferunt, ℣. 18.

Secundum argumentum, quod affert Ecclesia ad impetrandam liberationem ab opprobriis suis, ducitur à throni & regni Dei perpetuitate, vers. 19. Cum qua non videatur convenire, quòd ita Deus Ecclesiæ suæ *pertinaciter obliviscatur*, & sinat eam tamdiu in probro jacere, ut videatur *illam reliquisse per longitudinem dierum*, id est, quamdiu dies terræ durent, usque ad ultimum judicium, vers. 19. 20.

13. Cùm autem videat Ecclesia, nihil boni sperandum esse, nisi homines convertantur ad Deum, orat Deum, *convertat eos*, qui ab ipso scilicet defecerant, ab

ab erroribus ſuis *ad ſe*, ad cognitionem veritatis, & amorem ejus, ut Deo ſerviant, ℣. 21.

Deinde orat, *ut Deus Eccleſiam Chriſtianam reſtituat in ſtatum priſtinum*, ut ſint quemadmodum erant diſcipuli Apoſtolorum, & hæredes mundi fiant, & in ea non ſint peregrini, verſ. 21. Hæc petitio competit iis, qui quidem vident deformationem Eccleſiæ, & judicia Dei nondum viderunt, ſed cùm videant ea appropinquare, propter iram Dei & indurationem hominum, cupiunt ea precibus ſuis avertere.

14. Deus non vult omnium errantium miſereri, atque ita rem Chriſtianam reſtituere, ſed inſtituit judicia ſua in Babylonem & meretricem prædeſcripta exercere, & perdere corrumpentes terram. Id Eccleſia fatetur his verbis: *Sed ſpernendo ſpernis nos, efferbuiſti in nos vehementer admodum*, verſ. 22. Ita petitio §. præced. ſignificatur non impetranda, ut avertantur ſcilicet judicia, quæ prædicta ſunt.



ORDO

ORDO RERUM
EX
EZECHIELE.

CAP. I.

1. *Rocella veniens ab Aquilone.* Ea statim post tempus editæ visionis incubuit terræ sanctæ. Notat enim exercitum Babylonium, qui terram, urbem, templum prostravit, & populum magnam partem ex ea ejecit. ℣. 4.

2. Procellam sequitur *nubes magna.* Expeditionem Babylonicam status miser plenus tristitiæ & obscuritatis Nam ad septuagesimum annum fuit continuata captivitas. Adfuit tamen & protectio. Nubes enim est aliquid, quod recreat ab æstu. ibid.

3. Intervenit calamitati *ignis amplectens* non diffundens se, incendens quicquam & devorans, sed se continens, Deus nempe, qui est ignis devorans & charitas & lux, se exhibens populo vindicem, & ostendens, se adhuc velle habitare in medio populi, & se continere, neque illos consumere propter peccata illorum. Ideo tribuitur igni *splendor.* Quo notatur gratia illuminationis multorum, ad conversionem. ibid.

4. *Ex igne prodit Chasmal*, quæ vox infrà vers. 28. explicatur per iridem. In iride mixtura colorum ignei, rubri & viridis significat mixturam justitiæ & misericordiæ vivificantis per sanguinem Mediatoris, ibid.

5. A Deo & gratia ejus, quæ in justitia Mediatoris fundatur, *existunt quatuor animalia*, id est, Ecclesia redemtorum à Deo vivificata ex quatuor plagis mundi, ut Apoc. 5 : 8. 9. explicatur. *Speciem humanam* illis tribuit. Homines enim notantur, vers. 5. *Vultus & alæ quatuor cuique animalium* significant omnia ἰσόνομα in omnibus, ℣. 6. 8.

Describit hæc animalia. *Fuisse pedem rectum.* Notatur erectio fiduciæ. *Plantam vitulinam*, quo significatur gradus fixus & non vacillans. Fissio enim ungularum gradum fixum notat. *Scintillantes pedes instar æris candentis*, id est, ambulationem lucentem sive manifestantem se ad conscientias, ℣. 7.

Manus humanas, id est, operationem, quæ deceat imaginem Dei, quæ est in homine, *ad quatuor latera*, id est, ubique in toto mundo conspicuam eandem, *sub alis.* Eæ significant vim se elevantem & alacritatem ac celeritatem, vers. 8.

Alarum binæ jungebantur supernè tanquam volantium & sursum tendentium. In motu observatur *abfuisse retrogradationem & circumgyrationem.* In viis Dei non retroceditur &c. vers. 9.

Vultus notant virtutes animalium, quarum in ipsis saltem simulachrum est. In homine est ratio, veri cognitio & amor. *Facies Leonis* significat animum magnum & in-

& intrepidum; *Tauri* laboriositatem & patientiam, fortitudinem quoque ad debellandum hostes; *Aquilæ* pernicitatem aut perspicacitatem ad inveniendum cibum, quod est πτῶμα sive Christus mortuus, Matth. 24: 28. vers. 10.

Et vultus illorum & alæ illorum erant passæ sursum versus thronum, ceu columnæ quædam: *cuique duæ junctæ inter se*, quia sine claudicatione est intentio; *& duæ tegentes corpora ipsorum.* Quæ in ipsis est παῤῥησία, ut se elevent, eadem est in ipsis ingenuitas, ut se abnegent. vers. 11.

Causa motûs recti, de quo vers. 9. est à *Spiritu* Sancto Ecclesiam ducente in hoc mundo, vers. 12.

Attribuit animalibus speciem *ignis*, qui & super Apostolis apparuit, Act. 2. Is est Spiritus inhabitans in Ecclesia, eamque faciens ardere charitate & zelo, & lucere verbo veritatis & actione virtutis & patientiâ afflictionis. *Fulgur ex igne exiens* notat tum evidentiam tum terribilitatem Ecclesiæ & regni Christi in mundo, prodeuntem à Spiritu, qui versatur in Ecclesia. Ecclesia injustitiam damnans improbis est terrori, vers. 13.

Animalia currebant & redibant. Quo significatur Ecclesiæ in mundo motus perpetuus, ut non affixæ certo loco, & in quo loco est, se effundere conantis, & si ej resistatur, eo violentiùs βιαζομένης & omnia proruentis obstacula, & unde expulsa est, tandem vi redeuntis, *instar scintillæ* per stramen combustum aut fomitem incensum discursitantis, vers. 14.

Rotæ visæ in terra juxta animalia ad quatuor facies ejus significant angelos non jam ampliùs subjicientes Ecclesiam, sed illis sustentationem aliquam ministerio suo præbentes, Heb. 1: 14. vers. 15.

Species Sardonychis, in quo lapide est albor & nitor, rubore temperatus, sanctitatem angelorum in respectu ad hoc ministerium: (quæ est amare sanctificationem Dei in sacrificio. Ergo illorum lux est sanguine tincta.) *Rota in rotâ* plenissimum consensum omnium angelorum denotat, vers. 16.

Motus congruus & rectus rectam semper intentionem vers. 17. Rotunditas rotarum æquabilitatem in motu significat.

Oculi in canthis sapientiam & vigilantiam; *formidabilis altitudo* multitudinem inenarrabilem & potentiam magnam ac terrorem, quem suâ præsentiâ faciunt in mundo, significat, vers. 18.

Motus earum cum motu animalium & similis elatio notat, angelos semper Ecclesiæ præsentes adesse, vers. 19. Unus agit Spiritus Ecclesiam & Angelos. Ideoque unà stant, unà efferuntur, unà procedunt, vers. 20. 21. Confer vers. 14.

Super animalium capita visum est cœlum expansum instar glaciei terribilis, ad quod porrectæ alæ fuerint. Intellige τὰ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, hoc est, spiritus justorum consummatorum habentes instar cœli, cùm sudum est, lucem scilicet meram, & cum nulla re luctantes, quæ tanquam heterogenea visum offendat. *Alæ arrectæ ad hoc cœlum* significant Ecclesiæ militantis, maximè in motu, aspirationem & affectationem ad superna; ita tamen, *ut aliis alis texerint corpora*, ℣. 22. 23.

Vox alarum in motu animalium significat sermonem, rumorem, famam, tumultum, quæ sunt in mundo, quando Ecclesia movetur. Ea est *vox aquarum multarum*, & crescit, & fit *vox omnipotentis.* Ecclesia enim sine voce magna in mundo non est, inprimis quando vadit de loco in locum. Est illa *vox articulata*, quia nempe est vox docentium, interrogantium, respondentium, disceptantium, *qualis est vox exercitûs*, sive hominum in castris, maximè in certamine sese mutuò cohor-

cohortantium, vel etiam unanimiter regi ſuo acclamantium: Quod aptiſſimum eſt huic loco, ut intelligamus, in Eccleſia ſemper ſonare laudes regis. *Alis* verò attribuitur hæc vox, quia eſt à fide, annectente Eccleſiam militantem triumphanti, & Chriſti throno, eumque quaſi trahenti in omnem partem, quocunque vadit. Sed *alæ remittuntur*, & thronum Chriſti ac Hieroſolymam cœleſtem ſtudiis ac votis propiùs ad ſe deducunt in terram, *quando ſubſiſtunt animalia*. Datur enim aliquando ſubſiſtere Eccleſiæ in loco, verſ. 24.

Ut ſubſiſtant, *vox auditur ſupra illud cœlum*, hoc eſt, Chriſti vox de cœlo ſonat in cordibus hominum, ut detur Eccleſiæ locus ad ſubſiſtendum, verſ. 25.

Suprà expanſum capiti animalium ſuperpoſitum viſus eſt tanquam thronus ex Sapphiro. Ea eſt gemma rubri coloris, ex Jer. 4: 7. Thronus gratiæ in ſanguine ædificatus eſt. *In throno viſus eſt tanquam homo.* verſ. 26.

Ei ſpeciei hominis tribuitur *aſpectus chaſmal*, *ut ignis introrſum undiquaque pleni à lumbis ſurſum*, *& rurſus à lumbis deorſum ſpecies ignis cum ſplendore*, ℣. 27. ita, *ut ſplendor ille fuerit inſtar iridis in die pluvis*, verſ. 28. Utrobique miſtura & iræ & gratiæ notatur. Sed in ſuperiore parte, id eſt, primis partibus regni Chriſti major fuit iræ cohibitio in refractarios; in inferiori parte, ſive poſterioribus regni Chriſti in mundo major iræ effuſio eſt, ſed cum magna luce, & cum magna gratia. Confer cap. 8: 2.

Claudit viſionem quaſi per rubricam, verſ. 28. Dicit enim, quid illud fuerit, quod viderit. *Hic erat aſpectus ſpeciei gloriæ Jehovæ.* q. d. ita adumbrata mihi fuit glorioſa apparitio Jehovæ in carne cum regno ſuo. Tota viſio appellatur *gloria* à præcipuo: Et quia cætera, quæ viderat, ad gloriam Dei pertinebant. Viſus eſt enim hic Filius Dei ut caput & rex cum fratribus ſuis tum beatis in cœlo, tum militantibus in terra, & ſervis ſuis, ac conſervis fratrum ſuorum, & propter eos miſſis angelis.

Cùm vidiſſet, narrat *ſe in faciem cecidiſſe*, vel præ infirmitate & terrore, vel ob reverentiam & adorandi cauſa, verſ. 28.

Ab eo autem, qui ſedebat in throno, juſſum ſurgere, immiſſo quoque ſpiritu factum ut ſurgeret, cap. II. verſ. 1. 2. In hoc eſt typus noſtræ regenerationis.

Erectus *mititur ad filios Iſraël*, *ad gentes*, duodecim Tribus, *rebelles illas*; cum articulo, ut notetur, hoc ipſis proprium quaſi eſſe; *quæ rebelles ſunt contra Deum*, illum ſcilicet, qui in throno viſus erat ut homo, adeoque Regem ſuum ac Dominum recognoſcere noluerunt, *ipſi*, quemadmodum *& patres ipſorum*, verſ. 3. *Et ad filios*, *perfrictâ fronte ac firmo corde*, *ut dicat ad ipſos*, ſe vidiſſe humanam ſpeciem in throno, & à throno vocem, quâ juberetur ſedentem in throno appellare *Dominum Jehovam*, verſ. 4. Se verò curaturum, ut ſermo ipſius non cadat in terram. Atque hic Iſraëlitæ duodecim Tribuum *domus* ſive *familia inobedientiæ* dicuntur, cùm hoc apud ipſos ſit παραγνωμονεῖν, non credere vel obedire. Quod ipſum argumentum eſt impudentiæ ac duri cordis in Judæis, verſ. 5.

Rectè hæc quidem accipiuntur de filiis, ad quos tunc mittebatur Ezechiel, ſed & κατ' ἐξοχὴν ſunt applicanda iis, quibus Chriſtus erat apparityrus in carne. Nam ad omnes generationes conſequentes miſſus eſt Ezechiel.

Cap. III. verſ. 6. Exaggerat Deus inobedientiam Iſraëlitarum, *quòd, niſi miſiſſet*

Pro-

Prophetam ad ipsos, *populi multi* diversarum linguarum incognitarum prophetæ, *audituri fuissent sermonem ipsius.* Sic Christus Matth. 11 : 21. Significatur 1. major induratio populi. 2. major decentia dandæ gentibus resipiscentiæ. 3. vocatio gentium in posterum futura.

C A P. III. vers. 12. & seqq.

6. FInitâ primâ visione à spiritu ablatus fuit Propheta. *Cùm auferretur*, *audivit post se vocem motûs magni*, vers. 12. Suprà cap. 1 : 24. dixerat *vocem articulatam.* Hanc vocem dicit factam *aliis animalium sese invicem exosculantibus*, sive per conspirationem fidei, quæ est in Ecclesia; & *prodiisse ex rotis* eandem vocem, cùm non tantùm Ecclesiæ, sed & angelorum esset hæc vox; & *magnam fuisse instar terræ motûs.* Quo notatur mundi motus, qui factus hactenus est, & fit propter prædicationem Euangelii, vers. 13.

Sermonem, quem audivit, pronunciat: *Benedicta gloria Jehovæ ex loco suo.* Animalia scilicet sive Ecclesia hoc optat unicè, ut gloria Jehovæ benedicatur non tantùm in loco φανερώσεως ipsius, sed & inde à loco manifestationis ipsius, nempe per totum mundum. vers. 12.

Vers. 17---21. Propheta admonetur officii sui, quippe quem *speculatorem* Deus constituerit: Qui si negligat admonere, vel improbum, ut is convertatur, vel justum, ne is recedat à justitia sua, futurum esse, ut illi quidem pereant, sed Deus sanguinem eorum ex manu ipsius reposcat.

Notandum hic, quod vers. 20. dicitur de *justo recedente à justitia sua*, intelligendum esse non ratione divinæ justificationis, sed ratione charitatis & judicii, quod homo de homine debet ferre. Qui enim fidem profitetur, & fidei congrua facit, pro justo habendus est à nobis. Attamen, si in homine sit cor durum, solere Deum, *proposito offendiculo*, manifestare hypocrisin, atque adeo eum in peccato suo perdere. Admonendi igitur sunt, qui Christo nomen dederunt & justis annumerantur, id agant, ut fides ipsorum sit radicata.

C A P. IV.

1. HOc capite, quod *primò* exspectandum erat, Prophetæ significatur, nempe obsidio & oppugnatio Hierosolymæ, (post 390 annos tolerantiæ atque exspectationis divinæ, si fortè pœnitentiam agerent. (Ii rectè putantur à divisione regni usque ad captam & incensam Hierosolymam.) Quibus etiam 40 anni tolerationis Judæ includuntur, sive illi ab initio prædicationis Jeremiæ usque ad excidium urbis, sive à Paschate Josiæ, quod celebratum est anno regni ipsius 18, usque ad 23 Nebucadnezaris, quo finita est deportatio, Jer. 52 : 29. numerentur.) vers. 1---8. cum fame, vers. 9--11. 16. 17. Et sequens dissipatio Israëlitarum & Judæorum in gentibus, ubi panem impurum comedant, vers. 12. 13. nempe nullo pro animabus ipsorum oblato sacrificio, Hos. 9 : 4. & in terra impura, ubi signa reconciliationis non sunt, & destructo templo.

Inter eventa obsidionis & deportationis ponitur & *stupor*. vers. 16. 17. Nam quòd ita actum est cum Hierosolyma, id planè præter spem evenit. Videbatur enim Reformatio facta, & fœdus inter Deum & populum renovatum. Unde & Pro-

Prophetis irascebantur prædicentibus mala & excidium resipiscentibus infligendum.

C A P. V.

Continuatur hic descriptio calamitatis hoc modo: Jubetur Propheta *novacula omnes pilos capitis & barbæ demetere.* Quo significatur totius populi, qui hactenus Deo, ut pili capiti, ornamento fuerat, repudiatio. *Pilos demessos* jubetur *trutinâ in tres partes distribuere.* Significatur judicium Dei, quo singulis in populo & Hierosolyma sua attribuitur sors, vers. 1.

Tertiam partem jubet *accendi igne, finientibus diebus obsidionis,* vers. 2. Id explicatur vers. 12. fore, ut *tertia pars peste atque fame consumantur, ita ut filii patres, patres filios devorent.*

Tertiam partem jubet *feriri gladio*; quo significatur trucidatio Judæorum facienda *circa Hierosolymam. Tertiam partem* jubetur *spargere in ventum, quam Deus stricto gladio sit persecuturus.* Quo notatur abductio populi in captivitatem, & fuga in omnes partes, ubi tamen in perpetuo timore vitam degant.

2. Porro jubetur Propheta *de tertia parte capere parum numeratò, idque includere oræ suæ.* Significatur, Deum in illa dissipatione certam partem populi ad numerum, quem ipse novit, in terra retenturum, & quasi in sinu gesturum esse, nec dispersorum in gentes, vers. 3. Hi sunt illi, qui & initio non abducti sunt à Nebucadnezare, & qui ex Babylone reducti sunt, & libero commeatu ex omnibus terris, quem habuerunt præcipuè sub Romanis, usi sunt, & in terra domicilium fixerunt. Erant illi universi pauci in comparatione illorum, qui & tot plagis interierunt, & in dispersione manserunt.

3. Jubetur etiam *ex illis* quosdam *accipere*, vers. 4. Quo significatur, quòd Christus discretionem esset facturus inter remanentes in terra, ut alios liberet ex regno tenebrarum & manu principum, & sibi faciat adhærescere; alios verò non.

4. Quosdam autem jubetur *in ignem conjicere & cremare igne*, vers. 4. Is est ignis iræ divinæ & perpetua malæ conscientiæ vexatio, in quam Deus, postquam eduxisset oves suas ex populo, relictos conjecit: *Ex quo igne exiturus sit ignis ad totam domum Israël:* Quæ ira Dei sit primò exarsura Hierosolymis, deinde verò ad omnium tribuum homines in dispersione agentes & Euangelio non credentes sit pervasura, vers. 4. Hæc de secundo excidio Hierosolymæ accipienda sunt.

Qualitas hujus ultimi maximè judicii explicatur vers. 9. Quòd tale sit, *quod non fecerit Deus antea, & cujus simile non facturus sit posthac.* Quod de primo excidio dici non potest.

Inter effectus vel consequentia hujus pœnæ est 1. *blasphemia* eorum, per quorum manus hoc excidium procurandum erat, vers. 15. 2. *παράδειγμα*, sive *πυρισμός*, ut scilicet gentes afficiantur timore, & propter tale exemplum judicii timeant Christum & justitiam ejus insectari, vers. 15. Quod dicitur vers. 8. *Facturum esse Deum judicia coram gentibus*, id est, populum Judaïcum daturum gentibus in *παράδειγμα*, ut discant Deum timere, & judicia ipsius non contemnere.

CAP. VI.

Ad §. 4. Ab urbe tanquam obsessa jubetur Propheta se convertere ad *montes Israël.* vers. 2. Inprimis distribuit totam terram in *montes*, *lacunas*, *clivos*, *acclivitates*, vers. 3. Denunciaturque *gladius*, *qui perdet altaria & fana* posita scilicet in locis eminentioribus, ubi Deum more gentili colebant, vers. 3. Modus perdendorum celsorum describitur. *Altaria desolata fore*, ut nemo ad illa accedat offerendi causâ; *Chammanim confractum iri*; *cadavera ipsorum projectum iri ante stercora ipsorum.* Ita vocat instrumenta falsi cultûs; nec tantùm, sed & *ossa ipsorum circa altaria sparsum iri*, vers. 4. 5.

Nec tantùm in aliqua parte terræ id futurum, sed *in omnibus habitationibus*, ut *simul & urbes & fana destruantur*, *atque ita deleantur opera ipsorum*, quicquid ibi fecerint. vers. 6.

Repetitur, tanquam in clausula, *projectio cadaverum in medio ipsorum.*

5. Additur effectus sive fructus, quòd *cognoscituri sint, quòd ipse sit Jehova*, is scilicet, qui supra Cherubim in throno sedens visus est, vers. 7.

Hoc explicat, dum ostendit, *superfuturos*, *qui id cognoscant*, nempe *qui effugerunt gladium*, sed *spargendi sint in terras*, vers. 8.

Eos igitur *recordaturos sui in gentibus captivos*, *quòd*, cùm adhuc essent in terra, *Deus*, sive Filius Dei, *se ipsis proposuerit confringendum*, *ipsis recedentibus ab ipso*: Ita *tædio affectum iri malorum suorum, quæ fecerint*, &c. vers. 9.

Ad §. 4. f. Vers. 11. & seqq. jubetur Propheta manu, pede, voce abominationes domûs Israël detestari, & quidem eas exaggerare à malis consequentibus, fame, peste, & omnis iræ effusione usque ad desolationem totius terræ, donec fiat instar deserti vasti & tristissimi, quod desertum *Diblatha* vocatur.

CAP. VII.

IN hoc capite distinctiùs de judicio Israëlitarum agitur. Inprimis dirigit orationem ad terram Israël, quatenus ea theatrum iræ Dei exstitura erat.

3. Inprimis indicat *esse finem*: Eumque nunc *venisse super Israële*, vers. 3. & *in quatuor plagas terræ*, vers. 2. Significatur hîc tolerantiæ divinæ terminus, & colophon, sive consummatio plagarum: Quam dicit toti terræ imminere, nempe *ut terram judicet secundùm vias suas*, & *super illam det omnes abominationes*, *neque illi parcat*, vers. 3. 4. Intelligitur, finem dici 1. ratione longanimitatis, per quam adhuc pepercerat. 2. ratione terræ, quam totam nondum percusserat. 3. ratione plagarum, quæ tantæ sunt, ut omnibus abominationibus coarguendis sufficiant: quod indicatur per sequentia, *Abominationes tuæ in medio tui existent*, q. d. rursus apparebunt, quasi uno die commissæ essent, quæ toto tractu temporis commissæ sunt. Absoluto scilicet tempore tolerantiæ in medium proditura erant omnia peccata per Dei vindictam, ut, quando numeratori fuerint omnia æra exposita, redit per omnia, & in una summa universa exhibet, quod dicitur vers. 7. & 10. *Venit orbis* sive circulus *ad te*; *exivit*, finitus est, in se ipsum rediit *orbis* scilicet peccatorum tuorum. Quod ampliùs exaggerat comparatione *virgæ florentis*: nam *contumaciam* infidelitatis *gemmas protrusisse*, vers. 10. Deinde *violentiam*, quæ opposita est charitati erga proximum, *excrevisse in virgam Improbitatis.*

bitatis. Ea est dominatio Improbi, in quam ablato sceptro Dei & gubernatione justorum semetipsos conjecerant injuriis suis. Id sceptrum extraneum est. Dicit enim, *non* esse ex *ipsis*, *neque ex multitudine ipsorum*, quemadmodum in decem tribubus multi reges ex multitudine ipsorum exstiterant, *neque ex strepente ipsorum.* Φρυαγμὸς regibus vanitati deditis solet esse communis. Innuitur hic fastus regum filiorum Davidis: Et quòd alius rex & alii Domini non ex Davide oriundi obtenturi sint in ipsos potestatem. vers. 11. Connexum externæ dominationis, quòd *non sit ejulatus in ipsis*, vers. 11.

Improbus & extraneus ille rex est *primò* Nebucadnezar.
Deinde successores ejus Medi & Persæ.
Tertiò Græci.
Quartò illi, quorum fuit *corona spuria* in populo, de qua est Ezech. 21:31.
Quintò denique Romani.

3. Sub *primo*, Nebucadnezare, imminebat toti terræ consummatio plagarum, quæ inceperant in decem tribubus, nempe *ut* Deus *judicaret terram secundùm vias suas*, & *super illam daret abominationes suas*, *neque illi parceret*, vers. 3. 4. 8. 9.

Hanc calamitatem vocat *malum malum*, vers. 5. Ejusque malitiam ostendit, quia *est finis*, *qui venit*, *qui expergefactus est*, *qui palàm venit*, *qui ex ordine perfectâ periodo venit in omnes*, *qui habitant in terra*, *qui in propinquo est*, *qui est dies conturbationis*, & *non ovationis montium*. vers. 6. 7.

4. Finis hujus judicii & fructus est conversio reliquiarum. *Et cognoscetis*, *quòd ego sim Jehova*, vers. 4. quem scilicet patres vestri non cognoverint, neque coluerint, ignorantes, angelum Testamenti reverâ Jehovam esse.

In cæteris, qui non ex animo convertebantur, ad minimum id efficiebat hæc plaga, ut *cognoscerent*, *quòd is*, *qui ipsos percuteret*, sit is, quem ipsi appellabant *Jehovam*, ac Deum suum, quamvis ipsum non cognoscerent, non Deus Babylonius, vers. 9. Nempe Deus Israëlis hæc articulatim prædixerat. Neque dii Babyloniorum quicquam de iis rebus dixerant, quas Nebucadnezar esset gesturus: Neque reges Babylonios vel Assyrios aut exercitus eorum servare potuerunt dii ipsorum.

5. Sub *primo* & *quinto* hæc futura prædenunciat Propheta toti terræ mala:

Emtorem non gavisurum ob acquisitam possessionem, *neque venditorem mæstum futurum*, quòd hæreditate careat: omnes enim pariter prædiis suis carituros, vers. 12. Ideo addit, *vendentem* quidem *non reversurum ad* avita prædia, sive *agros venditos*: interim *tamen vitam ipsorum* vendentium *inter vivos fore*, hoc est, vitam pro spolio ablaturos, vers. 13. *Fervorem* enim & *visionem esse in omnem multitudinem terræ*, vers. 12. 13. Attamen *cujus vita est in pravitate ipsius*, *non convalituros.* vers. 13.

Clancturos quidem *buccinâ*, & *omnia apparaturos*, attamen *nullum fore*, *qui exeat in bellum*, *Deo irascente*, vers. 14.

Gladium foris, *domi famem* & *pestem* grassaturam, vers. 15.

Superstites fore tanquam columbas frementes in montibus, *per acclivia*, id est, passim per totum mundum palaturos, ascendentes & descendentes de uno loco in alium, transeuntes cum gemitu & fremitu, ut columbæ gemunt & fremunt, ℣. 16.

Huic gemitui & vagationi adjungit *manus remissas*, *genua labantia*, *vestitum sordidum*,

didum, signum humilitatis, *trepidationem*, *pudorem*, *calvitiem ob evulsos crines*, vers. 17. 18.

Aurum & argentum ipsorum, quo vel putarent se milites posse conducere, vel quod ad ornatum templi conferebant, quasi eâ re Deo gratiores essent, vel quod pro redemtione animarum suarum darent, *projiciendum ab illis esse*, *neque eos erepturum*; *neque ex eo ipsos impleturos animam suam*, *vel viscera sua*, *quia exstiterit offendiculum pravitatis ipsorum*, id est, quia aurum ipsorum ipsis fuit occasio peccandi, vers. 19.

Id quod in terra sit splendidissimum, puta templum, quod in *erectionem sibi posuerant*, *ornamentum* Israëlis, quo nobilitatus erat præ omnibus populis, *ipsis cessurum in menstruum*, vers. 20. Id enim Deum *diripiendum traditurum esse alienis*, *& improbis terræ in spolium*, *& profanaturos illud*, vers. 21.

Nominatim *profanaturos Dei reconditum*, id est, ipsum sanctum sanctorum, dum *in illud intraturi sint violenti*, prædones, ac latrones, qualis fuit Pompejus, qui hujus profanationis pœnam tulit, quòd in littore Palæstinæ occisus est. Ratio, quòd *Deus averterit faciem suam ab Israële*, vers. 22.

Porro jubet Prophetam facere *catenam*. Ejus usus est in vinciendis & abducendis captivis. Ratio, *quia urbs & terra reatu sanguinis & injuriâ sint repleta*, ℣. 23.

Nam *se adducturum pessimos gentium*, *qui occupent ipsorum domos*, ipsis scilicet abductis in captivitatem: Porro *Deum aboliturum celsitudinem robustorum*, *atque ita profanatum iri sanctificantia ipsos*, vers. 24. Atque hic & vers. 20. notatur præcipuum peccatum Israëlitarum, quòd & templum habuerint pro causa animum celsum gerendi, & tum ipsum, tum personas & res templi pro sanctificantibus ipsos habuerint.

Tandem pro rebus tranquillis & animo securo denunciat *venturam in ternam sollicitudinem*, *ut nuspiam inveniant pacem*, unâ calamitate alteram excipiente, *rumore rumori superveniente*. Tum *neque apud prophetas visionem*, id est, cognitionem operis Dei & consilii ipsius, *neque apud sacerdotem legem*, aut doctrinam veritatis, *aut consilium apud seniores repertum iri*, ℣. 25. 26.

Regem ipsum *mœstum*, *principem attonitum*, *populum consternatum fore*, ℣. 27. Additur justificatio judicii, quòd *ex via ipsorum cum ipsis acturus sit*, *& judiciis ipsorum ipsos judicaturus*, ibid.

6. Finis & eventus judicii, *ut cognoscant*, *quòd ipse*, *qui loquebatur*, *esset Jehova*, vers. 27.

CAP. VIII.

Culpantur Israëlitæ

1. quòd *simulacbrum æmulationis* ab Aquilone portæ altaris in ipso introitu portæ collocaverint, vers. 5. loco scilicet ejus, cujus gloria in forma hominis ibidem Prophetæ apparebat, id est, loco Filii Dei, qui carnem induturus erat, vers. 4. Nempe ubi Deus in Christo non colitur, ibi phantasma colitur, quod nusquam est, nedum ut Deus sit.

2. quòd figuris animalium omnis generis suffitum fecerint, vers. 10. 11. Ægyptiorum quondam fuit animalia omnis generis adorare. Populus Israëliticus autem nitebatur eo tempore ope Ægyptiorum. Hoc reverâ nihil aliud est, quàm honorem conservationis populi Israëlitici tribuere diis Ægyptiorum, & Deum accusare *tanquam desertorem terræ suæ*, & populi sui, ut vers. 13. additur. Ubi no-

notandum, quòd hoc peccatum committere dicuntur *in tenebris*, *in penetralibus speculationis suis*.

3. quòd *mulieres deflerent Thammuzum*, sive is Osiris, sive Adonis est, vers. 14.

4. quòd scelus omnium maximum dicitur, vers. 15. 17. quòd *tergo ad templum verso*, sicque abrenuntiato Deo, *facie ad orcum adorarent Solem*, vers. 16. creaturam scilicet pro creatore, sicque *crepitum in nasum suum mittant*, vers. 17. Est hic deflexio orationis in אפם pro אפי. Reverâ enim qui Deum inhonorat, se ipsum contumeliâ afficit.

2. Ex his igitur omnibus concludit, sententiam suam, quâ statuerit *ipsis non parcere*, & *clamantes non audire*, justam esse, ℣. 18.

CAP. IX.

Hoc caput agit de extensione judicii quoad homines ad civitatem Hierosolymitanam pertinentes, & de custodia proborum. Notanda ista:

1. *Permittuntur accedere viri visitationum urbis*, vers. 1. iique *sex*, ex duabus mundi plagis, Septentrione & Oriente, si ad primum excidium, vel ex Septentrione & Occidente, si ad secundum spectes, tres, *venientes à via portæ*, quæ *spectabat versus Septentrionem*. Significatur sine dubio exercitus angelorum noxiorum venientium cum turmis populorum, per quos Hierosolyma visitanda erat. Veneruntque, sive illi Babylonii, sive Romani, à Septentrione, ℣. 2.

Inter illos viros sex constituitur unus, ceu dux illorum, *vir indutus talari*, Spiritus Sanctus indutus etiam in ea visitatione populo aliquo, quem inhabitet & gestet tanquam vestem suam. ℣. 2.

Datur illis locus *apud ipsum altare*, ut notetur inde prodiisse iram, quòd quæsivissent justitiam in fusione pecorum, ℣. 2.

2. *Gloria Dei Israëlis descendit à Cherub ad limen domûs*, id est, Christus apparet in carne, & quidem tum, cùm Hierosolyma esset à gentibus obsessa. ℣. 3. Descendit verò ad *limen domûs*, vel ut servus paratus facere voluntatem Dei, vel tanquam procedens ex templo & domo sua, seque populo ostendens.

3. *Mittitur ab ipso vir ille indutus talari*; id est, Spiritus Sanctus, *ad signandum signum super frontibus virorum suspirantium & gementium propter abominationes Hierosolymæ*, vers. 4. Signum illud est nomen agni publicè per confessionem prolatum, Fides in Christum.

4. *Post ipsum* mittuntur sex illi viri *ad percutiendum in civitate senes, juvenes, virgines, pueros, eosque occidione delendum*, vers. 5. 6.

Jubentur autem *à sanctuario initium facere*. Itaque *à senibus sedentibus coram domo* initium faciunt, vers. 6. 7. Si Josephum consulamus, inveniemus, non tantùm à Romanis, sed & ab Judæis ac Idumæis dirissima patrata fuisse in ipso templo, antequam urbs expugnaretur.

Paucitas superstitum notatur eo, quòd Propheta se solum videret superesse, vers. 8.

Justificatur hoc judicium, quòd *terra impleta sit sanguine & urbs declinatione*, hoc est, apostasiâ à rege suo & lege Dei & via justitiæ: *quòdque dixerint, Jehovam terram deseruisse, & non videre*. Nam Judæi tempore Christi & prædicati

Euangelii cum Romanis ſcortabantur. Quare conſtituerit *nulli parcere*, & *viam ipſorum in caput ipſorum revolvere*, ℣. 9. 10.

5. Ii autem, ad quos notandos Spiritus Sanctus miſſus erat, & ſignati & ſalvati ſunt, verſ. 11. 6.

C A P. X.

CUm ſuperiori cap. 9: 3. mentio facta eſſet deſcenſus gloriæ Dei Iſraëlis de ſolio ad limen domûs, hîc per ἐπεξήγησιν repetit deſcriptionem throni & cœli & animalium & rotarum, quæ ampliter in cap. 1. ſunt expoſita. Sed huic deſcriptioni interſpergitur hiſtoria rei viſæ poſt deſcenſum gloriæ Dei de throno.

1. *Gloriâ Dei deſcendente de throno ad limen domûs, nubes implevit domum*, ℣. 4. Id ſignificat habitationem Filii Dei in populo cum ſpecie humili.

Atrium verò *implevit ſplendor gloriæ Jehovæ*, id eſt, viſa eſt gloria ejus ut unigeniti à Patre in toto Iſraële, ℣. 4.

Tum ſimul Eccleſia ponebatur in ſtatu purificationis, ut liceret eis more Sacerdotum Veteris Teſtamenti accedere ad altare. Itaque *ad dextram domûs*, id eſt, à latere meridionali, quâ parte Sacerdos aſcendebat altare, *conſtitiſſe* dicuntur *Cherubim*, verſ. 3.

2. *Vox alarum Cherubinorum auditur ad atrium exterius*, verſ. 5. Id ſignificat confeſſionem fidelium, qui Chriſtum viderunt in carne, quæ in toto populo Judaïco famam ingentem & multos ſermones concitavit. Simul Spiritus Sanctus accipit mandatum à Filio ſtante ad limen domûs intrandi in medium rotarum, indeque accipiendi ignem porrectum à Cherubinis, quem conjiceret in civitatem, id eſt, irâ divinâ populum & urbem obruendi, idque ſecundùm poſtulationes Eccleſiæ, ℣. 2. 6. 7.

3. *Aſcendit gloria Dei de limine domûs in thronum*, verſ. 18. Hæc eſt aſcenſio Filii Dei in thronum ſuum.

4. Aſcenſionem Chriſti in cœlum ſequitur *exporrectio alarum Cherubinorum*, & *levatio eorundem de terra*, *ita ut ſimul cum ipſis rotæ progrederentur*, verſ. 19. Notatur fidelis voluntas membrorum Chriſti, ut Chriſti regnum extollatur & proferatur cum promtitudine progrediendi cum ipſo, ut aves, quæ ad provolandum ſe comparant, alas extendunt.

Gloria verò *Dei ſuper animalibus ſtetit ad oſtium portæ domûs Dei orientalis*, in aditu ſimul urbis & templi; nimirum, poſtquam gloria Dei in throno collocata fuit, reperitur ſuper animalibus in propatulo in occurſum gentium undiquaque, neque opus eſt eam quæri alibi. ℣. 19.

Ad §. 2. Intrante Spiritu Sancto in medium rotarum inter Cherubinos, *nubes operuit atrium interius*. verſ. 2. 3. id eſt, Eccleſia Dei vivi eam ſpeciem accepit apud populum, qui in litera ambulabat, ut in ea ſcandalizarentur, non minus, quàm in Chriſto.

Cæterùm verſ. 9--13. repetitur deſcriptio rotarum & motûs illorum & animalium, ut oſtendat, quid verſ. 2 fuerit nominatum *Galgal*; quod ſignificat *orbem*: nimirum *rotæ illæ, quæ erant juxta Cherubinos*, & *ſimul cum illis movebantur*, id eſt, myriades ſanctitatis in toto mundo circumvallantes Eccleſiam, ita appellatæ fuerunt.

Verſ. 14. rurſus de quatuor faciebus agit. Ubi notandum, quòd pro nomine שׁוֹר, quod

quod erat cap. 1: 10. ponat כרוב. Unde intelligimus, hoc esse nomen & totius animalis, *propter pedes vitulinos*, cap. 1: 7. & cujusvis ex quatuor animalibus, propter faciem כרב est arare.

Vers. 15—17. per parenthesin interseritur descriptio vetusti motûs, & figuræ animalium. De figura expressiùs vers. 20. 21. 22.

C A P. XI.

5. Exponitur *cogitatio multorum* in Israële de Hierosolyma, quòd scilicet *non tutum esset ibi* habitare, vel *domus struere*, *quòd scilicet* habitantibus in illa *sit tanquam olla, in qua caro coquitur*. Quæ cogitatio erat contraria verbo Dei, quo jubebantur agere pœnitentiam, ut civitas maneret. vers. 2. 3.

6. At Deus per Prophetam significat, scelere intestino & fame multos perituros, quibus Hierosolyma sit futura pro olla, Hierosolymam verò non esse cædendam gladio hostili, sed esse capiendam, & *captivos ejus educendos*, *atque gladium, quem timebant*, *in eos adducturum*; *eosque traditurum in manus* hostium & *peregrinorum*, & tum *in ipsis judicia exerciturum*. Atque ita futurum, partim ut effugere non possint, sed gladio occidantur; partim ut ad terminum Israëlis judicentur; & civitas ipsis pro olla non sit, vers. 6—11.

7. Fructus hujus judicii: *ut cognoscant*, *quòd ipse sit Jehova*, *cujus præcepta spreverint*, &c. vers. 10. 12.

Secunda prophetia hujus capitis, incipiens à versu 15.

1. Exponuntur cogitationes Hierosolymitanorum, *quòd ipsis terra esset data hæreditanda*, sive possidenda, abductis verò cum Jechonia non, quibus idcirco dicebant, *Recedite à Domino*, quasi in exilio essent morituri, vel diis illis servituri, vers. 15.

Ea cogitatio Hierosolymitanorum patuit ex eo, quòd consilium caperent urbem & terram obtinendi per potentiam Ægyptiorum.

2. At Deus pronunciat, *se* abductis *fratribus Prophetæ* & consanguineis, qui Prophetam fratrem vocare non dedignarentur, atque adeo eum assererent tanquam suum, itemque *toti domui Israël*, *quanquam eos elongaverit in gentibus*, & *disperserit in terris*, *futurum in sanctuarium paucorum*, id est, se per inhabitationem suam paucos ipsorum sanctificaturum, & conversurum ad se, vers. 15. 16.

3. Deinde *se illos collecturum & recepturum ex populis & terris*, *iisque daturum terram Israëlis*, vers. 17.

4. Tum *illos ex terra ablaturos abominationes*: quemadmodum factum est Esræ, Nehemiæ & Maccabæorum tempore. vers. 18.

5. Denique *se ipsis cor unum daturum*, & *spiritum novum*, & *ablato corde lapideo daturum cor carneum*, vers. 19.

Hoc κατ' ἐξοχὴν per dationem Spiritûs filiationis, vel certè per dationem fidei in Christum, *ut* scilicet *in statutis Dei ambulent*, & *sint Dei populus*, *qui ipsis futurus erat in Deum*, sive beneficium sanctificationis, consummatum est, cœpitque impleri hæc promissio, cùm missus est angelus ad præparandam viam Domini. vers. 20.

6. *Hierosolymitanorum* contrà *cor ambulat secundùm cor detestabilium suorum &* abo-

abominabilium suorum. Ea Diabolus & homines doctrinas dæmoniorum loquentes, qui ipsis videbantur esse prophetæ & verbum Dei loqui, vers. 21.

7. Denunciat igitur, *se viam ipsorum in caput ipsorum revolvisse*, vers. 21.

8. Narrat Propheta, *se postea vidisse, animalia sustulisse alas suas, & rotas juxta illa, gloriâ Dei Israëlis super illis existente*, vers. 22. *Et gloriam Jehovæ de civitate in montem oppositum*, qui est mons Oliveti, in quo Christus sæpe versatus est, & ex quo ascendit in cœlum, *profectam esse*, vers. 23.

CAP. XII.

1. Agit *primò* de exilio populi, regisque Zedekiæ, vers. 1--15. Vide inprimis vers. 10. 11.

1. Specialiùs agit de *principe*, sive rege, *quòd onustus sarcinâ in caligine per foramen tectâ facie exiturus esset.* Ita Zedekias fugam adornavit. vers. 12.

Regem autem *in fuga deprehensum iri, & deducendum esse Babylonem, & eam non visurum*, quippe excæcatum, *& ibi moriturum*, vers. 13.

Porro *omnia ipsius auxilia dissipatum iri in omnem plagam mundi*, & nuspiam à *gladio* tuta fore, vers. 14.

2. De conversione ac conservatione paucorum quorundam, *ut* scilicet *cognoscant, quod ipse, qui eos dispergit, sit Jehova*, vers. 15. *& narrent in gentibus omnes abominationes suas*, vers. 16.

3. *Ut & ipsæ gentes cognoscant Deum Israëlis, quòd ipse sit Jehova*, vers. 16.

Ad §. 1. *terror & pavor* notatur, *in quo panem suum sint comesuri incolæ terræ*, & *terram vastatum* iri prædicitur, vers. 17--20.

In reliquis agitur de prophetiarum celeri completione.

Nimirum dicterium inter Israëlitas vulgatum erat, *omnem visionem perire diebus prolongatis*, Prophetas scilicet mori, & deinde nihil fieri eorum. quæ prædixerint. Ita plerosque obfirmare animum suum contra prædictiones propheticas, vers. 21. Ad Ezechielem quoque id applicant, vers. 27.

Pronunciat verò Propheta, *hoc dicterium mox cessaturum:* Quippe *advenisse dies & rem omnis visionis*, vers. 22. *Neque porro futurum, ut quis videat temerarium, & divinet blandum in medio domûs Israëlis*, vers. 23. Innuit Deus, per destructionem Hierosolymæ primam inchoandam esse impletionem omnium prophetiarum priorum: Ea autem facta est *in diebus illorum, ad quos Propheta loquebatur*, secundùm prophetiam, vers. 24. 25. Tum deinde desituram esse prophetiam fallacem & assentatoriam, quippe cùm Deus missurus esset prophetas veros, ut Haggæum, Zachariam, Malachiam, quorum prophetiæ statim essent habituræ astipulantem eventum: Quique tempora sequentia usque ad Christum & deinceps describerent ordine tam evidenti, ut nemo falsus propheta surgere potuerit, qui in nomine Dei falsum potuerit pronunciare, quin statim ex volumine prophetarum erroris convincatur. Saltem sermo Christi & Apostolorum non potest dici *visio temeraria*, quia sortitus est eventum, neque *divinatio assentatoria*, quia contrarius est concupiscentiis Judæorum.

CAP.

CAP. XIII.

Hoc caput agit de judicio Prophetarum & Prophetissarum. De Prophetis est ad ℣. 17.

1. In Prophetis culpat, quòd *prophetent de corde* suo, cùm sint *stulti*, mortui in peccatis; *& ambulent post spiritum suum*, id est, propriam sapientiam & concupiscentiam; & *secundùm id, quod non viderunt*, quod neque in Mose & Prophetis, neque per immediatam revelationem ipsis patefactum est. vers. 2. 3. quòd *instar vulpium* vineæ Dei nocuerint, vers. 4. quòd *non steterint in ruptura* ad occurrendum Deo irato, *neque maceriem fecerint* ad consolidandum populum, & scandala ex eo arcendum, ut ita Israël posset *stare in prælio*, subsistere adversus omnes tentationes, *in die Domini*, Christo apparente, vers. 6.

Taxat illorum temeritatem, quòd *dicant*, *Deus dixit*, *cùm* tamen Deus *non dixerit*, *neque miserit ipsos*, & quòd *sperent constabilitionem verbi*. ℣. 6. 7.

2. Declarat, se contra ipsos fore, & *fore exsortes concilii populi & catalogi domûs Israël*, sive ex hæreditate Israëlis ejiciendos esse, *nec in terram Israëlis venturos*. vers. 9. Innuitur post ejectionem eorum ex terra.

3. Reversio pœnitentium ex Babylone in terram Israëlis. Atque etiam

4. *In die Domini*, hoc est, Christo apparente, vers. 5.

5. Pharisæorum, Scribarum & Legisperitorum docentium falsam justitiam, & sibi promittentium liberationem ex manu ac potestate Romanorum, *deletio ex catalogo* veri *Israëlis*, eò, ut ne *hæreditatis mundi participes fiant*.

Justificatur hoc judicium ex eo, quòd *fecerint populum errare*: Ex quo consecutum est, ut alius *ædificaret parietem*, *quem ipsi levi calce ineptè obleverint*. Significatur, populum per verba ipsorum seductum posuisse falsum fundamentum, & in eo collocasse fiduciam suam, prophetas autem collaudasse tale opus, & impletionem legis vocâsse. vers. 10.

Denunciatur itaque *parieti ruina*, & *tectorii ablatio per imbrem*, *grandinem*, *procellam*, vers. 11.

Et *tum tectorium illud*, quod parieti fecerat speciem muri solidi, *evaniturum*, vers. 12.

Vers. 13—16. continuatur denunciatio eversionis populi & vanæ fiduciæ ipsorum, & auctoritatis doctorum tanquam per grandinem & procellam, ut ædificantes murum unà cum ipso evertantur & opprimantur.

6. Ita demum *cognituros*, *quòd ipse sit Jehova*, vers. 14.

De prophetissis est à vers. 17. ad finem.

1. Ostendit in populo Israëlitico eò impudentiæ provectas fuisse etiam fœminas, ut auderent docere tanquam ex verbo Dei, quod Deus ipsas non docuerat neque per Scripturam, neque per Spiritum suum, idque ut homines facerent securos, & ita animarum aucupium exercerent, quæstum facientes ex hominum interitu; itemque tantam fuisse in populo vecordiam, ut facilè crederent mulieribus mentientibus in nomine Domini, & sese prophetissas jactantibus. vers. 17. 18. 19.

2. Demonstrat, *illas* ipsas *animas suas non vivificaturos*, vers. 18.

Itemque *Deum pulvillos & culcitras ipsarum laceraturum*, *ut* instar plumarum mendacia ipsorum *avolent*, vers. 20. 21.

3. *Se* autem *ex manu illarum erepturum populum suum*, verf. 21. eò *quòd hebetaverint cor justi*, id eft, lætitiam, promtitudinem & alacritatem justi imminuerint, *quem* tamen *Deus non terruerat*, vel *dolore affecerat*; & *improbos confirmaverint in via mala* ipforum, ℣. 22.

Explicat, quomodo erepturus fit populum fuum ex manu ipfarum, nempe *faciendo*, *ut non prophetent ampliùs*, id eft, quòd jamjam effet inchoaturus telam impletionis prophetiæ, quo ipfo omnis falfa prophetia præcedens erat confutanda. Et quòd paulò poft Deus Novi Teftamenti exfecutionem effet præftiturus. In quo eft legis Dei pofitio in medio, ut omnes facili negotio eam cognofcant, & falfitatem refutent, ℣. 23.

C A P. XIV.

OStendit in confulentibus caufam effe, quare falfi prophetæ excitentur. *Deum* enim *iis*, *qui cor suum onerârunt stercoribus*, qualia funt juftitia propria, magna opinio de fuis operibus, nomine & prærogativis externis, &c. & *offendiculum pravitatis suæ ante se posuerint*, id eft, propofuerint fibi fequendos doctores, qui non poffunt effe nifi offendiculum, in quos offendens peccet, *respondere in stercoribus suis*, immittere efficaciam erroris prophetæ, ut refpondeat confulenti fecundùm ftercora & præjudicia fua, verf. 3. idque ut tandem *prehendantur in propriis conscientiis*, & rei peragantur, *quòd sese abalienaverint à Deo*, verf. 4. *Prophetam* enim, *qui seductus loquitur verbum*, *à Deo seductum esse*, id eft, Deum illi non dediffe oculos illuminatos ad cognofcendam veritatem. 2. effeciffe, ut illi in mentem venirent, quæ plaufibiliter cum fophifmate ad deceptionem poterant proferri.

Subnectitur admonitio, ut convertantur ipfi, & alios revocent à fuis ftercoribus, & ab omnibus abominationibus faciem fuam avertant. ℣. 5.

1. Nifi id faciant, ipfos indurandos, five Ifraëlitæ, five profelyti fuerint, & datum iri ipfis doctores, *qui consulentibus contra Deum respondeant contra Deum*, verf. 6.

> Ita factum eft, cùm Chriftus apparuit. Populus confuluit mortuos de vivis, contra Chriftum Deum fuum, & Prophetæ contra Deum refponderunt. Confer Ef. 8 : 19.

2. Quòdque porrò futurum fit, *ut Deus ita consulentem sit in stuporem acturus*, *ut fiat signum & exemplum*, verf. 7.

> Hoc etiam evenit in apparitione Chrifti. Profecerunt magis magifque, dum legerunt Sacras Literas, in commentatione fophifmatum, quibus falfas opiniones de juftitia, de Chrifto & regno ipfius confirmarent. Sed coacti funt *stupere*, cùm nihil haberent, quod dicere poffent de iis rebus, quas Deus fecit contra ipforum exfpectationem.

3. Ac tandem Deus populum *exscidit*, verf. 7. unà cum falfis prophetis, verf. 8. 9. Ita Rabbini *profligati sunt ex populo Dei.*

4. Neque tantùm *hoc evenit* in Judæis, fed & *in proselytis*, id eft, hæreticis & falfis Catholicis, qui nomen Chrifti fufceperunt, ita ut in corde fuo ftercora fua retinerent, & pro Deo docente offendicula fua intuerentur. Ita Antichriftus, ita hæretici *profligati sunt ex populo Dei.* verf. 7. 8. 9.

5. Judicii fructus, *ut non aberrent ampliùs* veri *Israëlitæ*, fpectato tali exemplo aberra-

aberrationis & profligationis, & Deum non deserant, *neque se inquinent suis apostasiis*, sed *fiant Deo populus, atque ipse illis fiat Deus*, ℣. 10.

Adde ℣. 7. ubi est, *& cognoscetis, quòd ego sim Jehova.*

Reliqua pars capitis à vers. 11. ostendit diversitatem modi agendi cum Israëlitis, & inprimis Hierosolymâ præ aliis terris atque gentibus.

Nempe ostendit, se aliquando ita agere vel egisse cum aliis populis, ut integros exscinderet, & tantùm justus aliquos conservaret, idque inflictis plagis singulis, per quas conficerentur, vers. 12—19.

Quantò magis Deum justificandum, si loco singularum omnes plagas in Judæos immittat, maximè si superstites quidam serventur, ex quorum factis & moribus cognoscant ii, qui jam abducti in captivitatem erant, illos nihilo meliores factos esse, atque ita, quàm justum ac necessarium fuerit, Deum Hierosolymam cum templo funditus evertere, ℣. 20. 21. 22.

1. Per hoc judicium, quod dicitur Cap. XV. vers. 4. 5. *lignum vitis, habitantes Hierosolymam*, quatenus, acceptâ lege, acceperant speciem arboris frugiferæ, ut vitis uvas daturæ, Es. 5. *datum est igni in cibum*: *utrumque extremum eorum comedit ignis*, id est, divinis plagis politia eorum est enervata; *& medium* sive *medulla ejus ambusta est*, id est, doctores & sapientes eorum per sapientiam divinam excœcati & indurati sunt.

2. *Ex igne exiverunt* habitantes Hierosolymam, abducti in Babyloniam, (ex cap. 14: 21.) ℣. 7.

3. & 4. Reducti sunt Hierosolymam, *igne comburendi* per Romanos.

Ita exæquatum est ipsorum judicium judicio cæterarum gentium prævaricantium, vers. 8. *Prævaricatio* significat, quòd se nominarent populum Dei non in justitia & in fide, sed velut cliens patronum prodens, vel adultera in matrimonio cum mœcho sese miscens.

5. Finis ac fructus hujus judicii in eo est, *ut cognoscant Jehovam, quis sit*, vers. 7.

CAP. XVI.

ORdine tempora Israëlis detexuntur hoc capite. Sed quæ citeriora, hæc sunt.

1. Quædam nuper facta narrat, nempe, quòd jam cum Ægyptiis, jam cum Assyriis, atque ipsis denique Babyloniis scortati fuerint Israëlitæ, eorum gratiam magnâ mercede redimere conati, vers. 26—34.

2. Per amasios ipsorum auferuntur ipsis omnia ornamenta & vestes suæ, *ut nuditas ipsorum*, id est, injustitia, infidelitas &c. appareat. vers. 37.

Hæc est destructio templi & urbis, & captivitas Babylonica.

3. Tum rursus *mœchantur*, cum Romanis scilicet, & *fundunt sanguinem*, inprimis Christi Filii Dei, quod זמה *scelus*, & quidem cum articulo, q. d. magnum & incomparabile illud scelus, appellatur vers. 43. & Apostolorum ejus, vers. 38.

Vers. 59. dicuntur *adjurationem* factam in nomine Dei *sprevisse, & fœdus rupisse.*

4. *Judicantur judiciis mœcharum* & *fundentium sanguinem*. nimirum quoad posterius, quòd *Deus ipsos daturus sit sanguinem excandescentiæ & zeli*, id est, tantam copiam sanguinis in populo effusurus, ut appareat tum Dei ira, tum & æmulatio adversus imagines & falsos Deos & pro sanguine filiorum suorum, ℣. 38.

Quoad prius, nempe judicium mœcharum, *quòd ipsos traditurus sit in manum amasiorum suorum*, qui sint destructuri celsa ipsorum, & detracturi ipsis vestes & ornamenta sua; itemque *coacto cœtu lapidibus* emissis ex balistis in ipsorum mœnia & turres, *ipsos lapidaturi*, & obvios quosque *gladiis concisuri*, & *domos ipsorum crematuri igne*; & *facturi in ipsis judicia coram mulieribus*, id est, nationibus & regnis *multis*, ut Hierosolyma fiat exemplum in posterum toti mundo, atque ipsi Judæi fiant multitudo contemta, cum qua nullus regum, nulla respublica fœdus facere velit: quemadmodum hoc tempore post excidium Romanum Judæi sunt ubique viles & contemti in omnibus partibus mundi, vers. 39—41.

Ita *fecit Deus requiescere ardorem suum in illis*, sive iræ suæ in illos satisfecit, vers. 42. & *dedit viam ipsorum in caput*, vers. 43.

5. Consequens hujus judicii, quòd omnis parœmiastes de Israële parœmiam ferat, nempe *filiam esse similem matri*, vers. 44.

Reverâ enim *Israëlem se gerere instar matris suæ fastidientis & virum suum & filios suos*, nempe *matris Chittææ & Amorræi* patris. Nec tantùm, sed & *assimilatum esse sorori suæ*, *majori Samariæ*, & *minori Sodomæ, imò ipsas justificasse*, ideoque incidisse in idem judicium. vers. 45.46.47—51.52.

Atque hic juramento confirmat Deus, inprimis de Sodoma, non fecisse similia, vers. 48. Confer Matth. 11:23.24.

6.7.8. Promittitur *restitutio Sodomæ & Samariæ & Hierosolymæ in medio illarum*, vers. 53.55. *ut ferat ignominiam suam*, & *illam pudeat omnium*, *quæ fecit*, vers. 54.58. Is pudor sanctus est, oriens ex restitutione & reparatione, seu talio sceleris ipsorum.

Significatur vocatio gentium, quarum instar est *Sodoma*. Præter *Samariam* intelligimus omnes, qui à fœdere Dei desciverunt, abducti, & cum gentibus mixti sunt, sive Judæi sive Christiani.

Tum cessaturam fabulam, *quam Judæi de Sodoma in die elationum suarum ferre* solebant, se justificantes præ illis in diebus festis suis, vers. 56. *antequam revelaretur ipsorum malum tempore opprobrii*, quod *ab Aramæis & Palæstinis* passi sunt, atque ita conviciis à vicinis gentibus impetiti sunt, nunquam audentibus ipsos lacessere, nisi cùm peccatum inveniretur in ipsis, ℣. 57.

Tum *Deum memorem* quidem *fore fœderis sui*, *quod in diebus adolescentiæ cum eo populo pepigerat*, ℣. 60.

Sed *accepturum eum populum sorores suas in filias*, (notatur hic quidam ordo in conversione Judæorum & gentium, ut illorum præcedat.) *non ex fœdere suo*, quod scilicet propriè post fœdus cum patribus factum cum Israëlitis fecerat, ex quo dedit ipsis terram in hæreditatem & templum & politiam, & alia istis rebus similia, vers. 61.

Et *Deum erecturum fœdus suum cum ipsis*, secundùm quod scilicet ipse fiat ipsis in Deum, & illi sibi populus; & *cognituros*, *quòd ipse sit Jehova*, ℣. 62.

Atque ita *recordaturos eos & pudefactum iri*, & *non aperturos os*, *Deo expiante omnia peccata*, ℣. 63.

CAP. XVII.

IN hoc capite duo tractantur. 1. in parabola vitis plantatæ ab Aquila, Nebucadnezare, & spectantis ad aliam Aquilam, Pharaonem regem Ægypti, ostenditur

ditur destructio regni Zedekiæ sine successore, tum propter iram illius Aquilæ, quæ plantavit, tum propter iram Dei, cujus adjuratio ab ipso spreta erat, usque ad vers. 22. 2. in eadem allegoria promittitur plantatio regni Christi, ad finem cap. Hic est ordo.

1. *Aquila magna*, *magna alis*, *longa pennis*, *plena plumis versicoloribus*, id est, Nebucadnezar rex potens, atque multos populos subactos habens, majestate insigni præditus, *venit in Libanum*, id est, Hierosolymam arcem regni, (mons pro regno usitatè dicitur.) ubi invenit *cedrum*, domum Davideam dominantem, ut cedrum proceram, virentem, odoratam: *de ejus lanugine accepit*, & *caput stolonum ejus*, id est, regem Jechoniam ac principes; & *deduxit in terram institoris*, *posuit in urbe negotiatorum*, Babylonem deduxit, ut ita haberentur, quemadmodum lignum cedri à mercatoribus haberi solet. vers. 3. 4. 12. Translati Babylonem Jechoniæ Deus se fert auctorem, ℣. 22.

2. *Et accepit de semine terræ*, Zedekiam patruum Jechoniæ, qui erat *de semine regio* oriundus ex illa terra, sive ex isto populo, non Babylonius; & *posuit illud in agro sativo apud aquas multas*, Deo quasi commendavit, ab ipso omni benedictione afficiendum, ex quo hauriret liquorem, qui Deum & homines delectaret, vers. 5. 13. *ut spectarent rami ejus ad ipsam* illam aquilam, & *radices ejus sub ipso*, id est, rectæ *essent*, id est, eà lege, ut sibi fidelis esset. ℣. 6. 13.

3. *Crevit* id semen, & *factum est vitis*, & quidem *abundans ramis*, & quidem *decoris ramis*, sed *humilis staturâ*: Nebucadnezar enim *abductis potentibus terræ* effecerat, *ut esset regnum humile*, quemadmodum vitis humilis est respectu cedri, vers. 6. 14. At permanens in fœdere *fieri* poterat *vitis ingens*, vers. 8.

4. *Vitis hæc curvavit radices suas*, & *ramos suos misit ad aliam quandam aquilam magnam*, *magnis alis*, *amplam plumis*, id est, *rebellavit* contra aquilam plantantem, *Nebucadnezarem*, *mittendo legatos suos in Ægyptum ad Pharaonem*, *ut daret ipsi equos & populum multum*, ℣. 7. 15.

Jamque in eo statu erat vitis, ut cùm ab aquis multis ad aquilam Ægyptiam defecisset, atque ita solum suum quasi reliquisset, *etiamsi non tolleretur à radicibus*, *sed plantata maneret*, nihilominùs tamen *exarescere deberet*, *si* modò *Eurus illam tangeret*, ℣. 10.

5. Ostendit, quid factura sit aquila prior, nempe quòd *radices sit laceratura*, præ indignatione *fructus dissipatura*, ita *ut exarescat tota*, quòd scilicet venturus sit rex Babylonius *cum valido exercitu*, *ut vitem ab radicibus tollat*, id est, regnum Davidis exstirpet, ut nullus ampliùs rex sit. ℣. 9.

Regem verò Zedekiam, *qui fœdus Babylonii irritum fecit*, *cum ipso Babylone moriturum*, ℣. 16.

Neque *Pharaonem magno exercitu depulsurum illum ab obsidione urbis*: Obsidionem autem processuram *ad excidium animarum multarum*, ℣. 17.

Tum, *qui spreverit adjurationem*, *eum omninò non evasurum*, vers. 18. 13. perfidiam ejus *in caput ipsius daturum*, vers. 19. & *tanquam reti vel laqueo ipsum capturum*, & *Babylonem deducturum*, vers. 20. Innuitur fuga Zedekiæ, ex qua retractus est. Seque *Babylone cum ipso disceptaturum de prævaricatione ipsius*, ibid. *Prævaricationem* appellat, quòd jurans Babylonio se quidem Deum suum nominaverit, sed quòd corde aversus sit ab ipso, & hominibus confisus sit.

Denique *copias ipsius*, & *perfugia ipsius* (rursus innuitur fuga). *Deum occisurum gladio*, & *reliquos dissipaturum*, vers. 21. Itaque *cognituros*, *quòd ipse Jehova locutus sit*.

 6. Deus,

6. Deus, cùm se ferat translati Babylonem Jechoniæ auctorem, promittit, *se de capite stolonum ejus* scilicet Jechoniæ, *decisurum molle* aliquid, vers. 22. Innuitur Christus oriundus ex Jechonia per Zorobabelem. *Molle* significat, quòd non potentiâ humanâ instructus futurus sit, sed quòd Deo obediens, eumque timens sit exstiturus. *Decisio* significat mortem.

7. Tum *se illud* molle *plantaturum in monte alto & eminenti*, id est, Christum regem futurum, & regem amplum futurum in membris suis in toto mundo conspicuis, ibid.

Explicat, *quòd in monte celsitatis Israëlis*, id est, in monte Sion, *illud plantaturus sit*; *quòdque* deinceps *ramos & fructus sit laturum & futurum in cedrum ingentem*, *ita ut sub ipso habitent omnes alites magnæ & parvæ*, nimirum *sub umbra ramorum ejus*, id est, quòd omnes gentes sint accessuræ ad ipsum tanquam unicum suum effugium, quòdque tandem pace sint fruituræ sub protectione ipsius solius, regibus & principibus ipsi inservientibus ad præstandam pacem confugientibus ad ipsum. vers. 23.

8. Hujus operis sui fructum sive consequens ostendit, *ita cognituras esse omnes arbores agri*, id est, principes & potentes hujus mundi, ut & populi, *quòd Deus humiliaverit*, *exaltaverit*, *exarescerit*, *gemmare fecerit*, quòdque dein *locutus ita fuerit*. Nempe principes & reges mundi, qui hactenus id regnum ignoraverant, vel etiam oppugnaverant, tandem cum stupore divina judicia animadvertunt, ℣. 24.

CAP. XVIII.

Conditionem Veteris ac Novi Testamenti distinguit.

1. Scilicet olim afflictiones fuere communes, & multi pii fuere involuti castigationi patrum & fratrum suorum. Quo sensu adagium illud Judæorum erat verum: *Patres comedere omphacem*, *dentes filiorum stupere*, vers. 2. Quamvis eo, quo ferebatur à Judæis, sensu, non esset verum, quasi peccata patrum, quæ in deserto commissa erant, præsenti exilio punirentur, ipsi verò nullo eximio peccato id meriti essent: quemadmodum etiam hodie Judæi, videri volentes se præcepta Dei observare, in se putant retaliari peccatum patrum, stante adhuc templo, quod dicunt esse שנאת חנם *odium gratuitum.*

2. Tempus autem instare post captivitatem Babylonicam, quæ in Zedekia erat consummanda, *quo id adagium*, quocunque modo accipias, *sit cessaturum in Israële*, vers. 3.

Dei enim *esse animas & patris & filii*, *adeoque* eum habere potestatem misericordiam exercendi, non obstante peccato patris, & illam misericordiam exercere decrevisse, sicque non morituros illos, qui sese convertant, sed *omnem hominem, qui peccat*, sive peccare persevérat, tantùm *moriturum*, vers. 4. 20.

Hoc tempore neque justitiam, זכות ut Judæi vocant, patris filio injusto profuturam, vers. 5---13.

Neque injustitiam patris filio justo obfuturam, vers. 14—17. 18.

Et victurum eum, qui à peccato patris, vel etiam peccatis propriis resipiscat, atque ita justus fiat, vers. 19. 21. 22. 23. 27. 28.

Filium non laturum de pravitate patris, *& patrem non laturum de pravitate filii*; *justitiam justi super ipso futuram*, & *injustitiam injusti*, *etiamsi antea justus exstiterit*, & multa similiter, ut justi, fecerit, (℣. 24. 26.) *super ipso futuram*, vers. 20.

Hoc

Hoc scilicet illud tempus est, *quo Deus quemlibet secundùm vias suas judicat*, & justos ab injustis separat, vers. 30.

CAP. XIX.

Continet hoc caput, ut ex inscriptione vers. 1. patet, *threnum super Principibus*, id est, Regibus *Israëlis*, simulque regni denunciatur finis. Reges illi duo sunt, Joachas & Jechonias. Hi sunt articuli.

1. *Leæna*, id est, populus Israëliticus, *recubans inter Leones*, id est, populos vicinos, quæ solebat *catulos suos*, id est, principes regum filios, *inter medios juvenes Leones prædatores educare*, à quibus & ipsi discerent bella gerere, prædari, homines occidere; hæc, inquam, Leæna *educavit unum ex catulis suis, qui Leo prædator factus est*, vers. 2. 3. *De quo audiverint gentes, in quarum fovea ipse captus sit, & hamis deductus in Ægyptum*, vers. 4. Joachaz is fuit, de quo vide historiam 2 Reg. 23 : 33. 34.

2. Cùmque deinde *videret mater Leæna, quòd infirmatus esset Leo suus*, deductus in Ægyptum, & *periisset exspectatio sua*, sub Jojakimo, sub quo exspectabat regni instaurationem, & confirmationem, devictis jam atque ad impotentiam redactis Ægyptiis per Babylonios; eo mortuo *accepit unum catulorum suorum, quem juvenem Leonem constituit*, vers. 5. *Qui ambulans inter Leones juvenis Leo exstitit*; sive talem se præbuit, quanquam catulus esset, & *didicit prædari, & homines occidere*, &c. vers. 6. 7.

Jojachin is est, qui puer 18 annorum ad regnum admotus est, quem hic testatur factis violentiam regum præcedentium exæquasse. Per *rugitum ejus* intellige edicta, per quæ factum est *ut desolaretur terra*, & multi suas sedes relinquerent. In historia Regum dicitur malum fecisse in oculis Jehovæ, quemadmodum patres ipsius.

3. Narrat, *gentes in eum impetum fecisse, rete suum expandisse*. Babylonii cum gentibus vicinis Hierosolymam obsederunt.

Ita *in fovea gentium captum esse, & conclusum in cavea deductum esse ad regem Babel, & deductum in arcium* aliquam, *ut vox* edictoria *ipsius non ampliùs audiretur super montibus Israël*, vers. 8. 9.

Atque simul evenisse, ut *vitis illa*, sive populus Israëliticus, tribus Judæ, familia Davidis, *quæ fundata in sanguine regio frugifera & frondosa extiterat ab aquis multis*, id est, à divina benedictione fœcunda exstiterat ad gignendum palmites multos, atque etiam *virgas robustas in sceptra dominantium*, id est, reges potentes, *quorum altitudo creverat usque inter arbores perplexas*, ita ut viderentur exæquare potentissimos monarchas, vers. 10. 11. ut, inquam, *vitis illa evelleretur per excandescentiam, in terram projiceretur, ac ventus Orientalis* (is Nebucadnezar.) *fructum ejus exarefaceret, & evellerentur palmites ejus, & exarescerent, & ignis devoraret ramum robustum ejus*, vers. 12.

Nunc verò plantata sit in deserto, in terra nuda & siticulosa. vers. 13. Significatur hisce transportatio Babylonica prior cum Jechonia. Quæ res *threno* ac lamento digna fuit absque dubio, vers. 14. f.

4. Vite igitur, sive populo in hac conditione constituto dicitur, *ignem prodiisse à ramo palmitum ejus*, id est, ab aliquo principe inter principes, à quo scilicet reliqui principes dependerent, Zedekià, extitisse causam novi incendii; *quod incendium*

cendium devoraturum sit fructum vitis, *ita ut non exstiturus sit in ea vite ramus robustus*, *sceptrum ad dominandum*, id est, ut de populo potestas regia in perpetuum sit abolenda. ℣. 14.

Ita *threnus addita threno* superiori, vers. 14.

C A P. XX.

HOc capite similiter ut cap. 16. ordine tempora populi Israëlitici detexuntur, & ostenditur, quomodo infideles Deo exstiterint & immorigeri, & Deus effecerit, ut Deus ipsis hanc dispersionem, in qua tunc erant, jam olim in deserto comminaretur, & ut eum non pœniteret hujus comminationis, sed eam in actum deduceret: quibus vers. 32. & seqq. subnectitur, quid in posterum Deus cum Israëlitis ita dispersis acturus esset. Quorum hic est ordo.

1. Exponitur cogitatio ipsorum, quòd Israëlitæ in posterum futuri essent ut reliquæ gentes, colentes lignum & lapidem, quasi Deus juramenti sui oblitus esset, dispergendo eos per terras; hancque cogitationem non futuram pronunciat, vers. 32.

2. Sed *jurat Deus, se in ipsis regnum habiturum manu validâ & brachio extenso*, vers. 33. *Et sic illos eductdurum ex populis & collecturum ex terris*, *in quas dispersi erant*, *manu validâ & brachio extenso*, *& excandescentiâ effusâ* 1. in gentes, in quas deducti erant, vers. 34.

Ut liberarentur Judæi & Israëlitæ ex captivitate, Assyrii per Babylonios, Babylonii per Persas oppressi sunt. Edicente Cyro omnibus facta est libertas redeundi in terram. Erant tum reducti servi Persarum, & postea Deus illos habuit populum suum sub dominatione Græcorum. Tandem etiam vindicavit illos ab omni potestate alienigenarum, & solus inter ipsos rex fuit, eosque fecit majores patribus suis, & in indicium libertatis permisit Assamonæis, ut diadema sumerent. Ne hæc quidem liberatio facta est absque ira effusa & brachio valido.

3. Cùm igitur hoc factum esset, paulo momento *introducti sunt in desertum populorum*, quando Judæa facta est pars ditionis Romanorum, & Judæi partim in terra, partim extra terram passim inter medios gentiles habitarunt. ℣. 35.

4. Tunc dicit Deus *se cum ipsis ibi disceptaturum à facie ad faciem*, id est, se venturum ad ipsos, ut ipsum videant & loquentem audiant, & cum ipsis litigaturum de justitia. vers. 35.

Modum hujus apparitionis declarat, *quemadmodum disceptavi cum patribus vestris in deserto Ægypti*, id est, non minùs immediatè, atque locutus erat cum patribus ipsorum in deserto, qui audiverunt vocem ipsius Dei & ipsum in nube viderunt, ℣. 36.

Disceptatio illa est 1. redargutio errorum, & contestatio, quòd ipse sit dignus amari à peccatore, ut causa salutis. 2. vicissim à parte hominis est interrogatio Dei, an non possit ab ipso petere remissionem peccatorum, cùm eam petat in veritate?

Præterea prædicitur, *quòd eos sit traducturus sub virga*, quemadmodum pastor oves sub virga traducit, ut eos numeret & discernat, quòdque ita numeratos & discretos *sit adducturus in vinculum fœderis*, id est, per fidem uniturus sibi & inter se, ℣. 37.

De-

Declarat eam discretionem: *Seligam ex vobis rebelles & deficientes de me*, ℣. 38. Hæc est separatio incredulorum ab omnibus tribubus Israëlis, fœderatis Dei. Infideles jubet *abire & stercoribus suis servire*, *non habentes templum & altare*, *ubi dona sua offerant*, vers. 39.

Ad §. 4. f. Quamvis autem ita abdicaverit domum Israëlis, nempe secundùm partem, tamen gloriatur, *totam domum Israëlis sibi servire*, & quidem *in monte sancto suo*, in Sione, in quo manifestatus erat Filius Dei, & in *monte celsitatis Israël*, id est, in monte Israëlis, qui sit futurus mons altus, illustris & insignis in mundo, in quo Israël exaltandus sit; & quidem *in terra*, ut intelligamus id non futurum extra terram Canaan juratam patribus, ℣. 40.

Præterea dicit, quòd *Israëlitas sit gratos & acceptos habiturus*, & *requisiturus ipsorum consecrata*, ibid.

Causam acceptationis assignat: *Per odorem fragrantiæ acceptos vos habebo*, vers. 41. Confer Eph. 5: 2.

Repetit ibidem circumstantiam temporis, *cùm educam vos ex populis*, & *collegero vos*, aut unum populum fecero, *ex terris*, *in quibus dispersi estis*.

Deinde & ipsum hoc sacrificium, quod odorem fragrantiæ vocaverat, explicat quasi à forma, aut ab effectu: *Sanctificabor in vobis coram gentibus*. Sanctificatus est Deus in Israële, id est, in aliquo Israëlita, nempe Christo, Es. 6: 16. vel in filiis Israël, cùm ambulavit in medio illorum tanquam frater. Tum etiam sanctificatus est Deus in Israëlitis, quando sibi populum sanctum ex ipsis separavit, & in illo, præcipuè Apostolis, per illorum sermonem & sinceram ad ipsum conversionem demonstravit, se sanctum esse, vers. 41.

7. Hisce adjungit beneficium regni & hæreditatis mundi, quod jam dictum erat vers. 38. *Terram fieri Israëlis*, hìc autem, *Et cognoscetis*, *quòd ego sim Jehova*, *cùm deducam vos in terram Israëlis*, *terram*, *quam juravi me daturum patribus vestris*, vers. 42.

Hactenus scilicet mundus fuerat *desertum populorum*, sed cùm gentes ex terra Dei exclusæ sunt, & omnes gentes serviunt Ecclesiæ, tum mundus est terra Dei, & *terra Israelis*: Et tum juramentum illud impletur factum Abrahamo, *Patrem multarum gentium dedi te*.

5.6. Ab hac hæreditate excluduntur ii, qui quidem hactenus *educti erant ex terra peregrinationis suæ*, id est, à popularium suorum erroribus liberati erant, ut Christum & viam justitiæ agnoscerent, attamen *rebelles* postea & *apostatæ* facti erant, vers. 38.

8. Claudit hanc prophetiam promissione, quæ peculiariter ad Israëlitas videtur spectare, quòd *tunc*, sive *ibi*, quando mundus fuerit factus Dei & Israëlis, sive Ecclesiæ Christianæ terra, *ipsi sint recordaturi* & ad animum revocaturi *vias suas*, & *studia sua*, *quibus se fœdaverant*, quòdque *tædium malorum*, *quæ fecerunt*, *sint passuri*, quòdque sint *cognituri*, *quòd ipse sit Jehova*, *cùm agat cum ipsis propter nomen suum*, *non secundùm vias illorum corruptas*, vers. 43. 44.

C A P. XXI.

1. DEnunciatur futurus *ignis* sive *gladius*, *qui exscindat arbores virides & aridas*, sive *justos & improbos*, *in sylva agri Australi*, id est, *in terra Israël*, sitâ respectu Babylonis versus Austrum, eminente in mundo per suas ἐξουσίας & ἀρχὰς, ceu arbores altas, quarum similes non erant in toto mundo, ℣. 2. 3. 7. 8.

2. *Hic gladius* semel eductus contra populum Dei & sanctuaria ejus *grassatur à Meridie versus Septentrionem*, id est, postquam Hierosolymam excidit, etiam persequitur Babylonios, vers. 9. Quod dicitur vers. 3. *inflammatum iri vultus omnes ab Austro versus Boream*, ita ut ab Hierosolyma versus Babylonem nulla gens evadat pœnam gladii.

Ab hoc tempore *gladius non redit in vaginam*, vers. 10. sive *ignis accensus non extinguitur*, vers. 4. id est, Deus judicia ferè continua agit in gentibus repugnantibus Christo & regno ejus; quemadmodum & historiæ gentium à Babyloniorum bellis usque ad hunc diem narrant crudelia bella, & populorum ac regnorum deletiones vix interruptas.

3. *Rumor venit*, *unde liquefiat omne cor*, *& remittantur omnes manus*, *& hebetetur omnis spiritus*, *& omnia genua labantur*, vers. 12.

Nempe *Filius Dei daturus erat gladium* quendam alium *exacuendum* Græcis, à Romanis verò *apprehendendum*, quo uterentur *ad occidendum* homines, vers. 16.

Hic gladius cum quadam diligentia describitur, ut valde acutus & valde fulgens, ut *coruscet*, id est, terribilis fit in toto mundo. Eumque fore *sceptrum Filii Dei*: Tum *spreturum omnem arborem*, id est, exscisurum omne procerum in mundo, ac inprimis in populo Dei, vers. 15.

Interponitur ibid. exceptio gratiæ: *Aut hilarabimur*, Ego & Filius meus habebimus ἐλπίδα, gestiemus, benefaciemus.

4. *Gladius iste venit in populum Dei*, ac nominatim *in omnes principes Israëlis*, vers. 17. ad exscindendum scilicet tres pastores uno mense, Zach. 11 : 8.

Hujus excidii æquitas ostenditur ex eo, quòd jam *probatio facta esset*, id est, Christus humiliatus esset, ut fieret lapis probationis, & manifestarentur cogitationes multorum. Frustra enim hæc exploratio facta fuisset, *nisi & sceptrum ipsi datum fuisset*, quo sceptro omne indignum secerneret, vers. 18.

5. *Conduplicatur* sive iteratur, iterum stringitur *gladius* ille in Judæos. ℣. 19. Id factum est sub Adriano.

6. *Fit gladius profanorum* hominum *tertiâ sui parte*, ibid.

Factum id est, quando in Occidente adversaria Imperia sunt erecta, & multi reges extiterunt bellicosi & avidi fundendi sanguinis.

7. Tandemque *fit gladius Profani illius magni*, ibid. vers. 19. Notatur, inter improbos exstiturum quendam Improbum magnum, cui gladius ille tradendus sit.

8. Effectus gladii hujus est, *ut colliquescant corda & multiplicentur offendicula*, vers. 20. id est, ut mors secunda pallorem inducens adducatur, ponè sequente inferno, Apoc. 6 : 8.

Namque *penetrans ipsis* est, quibus datus est, id est, grassatur in domesticos, qui in eisdem quasi penetralibus sunt, vers. 19. & *gladium hunc factum in fulgur*, id est, potentiam mundanam & propositum exscindendi homines morte spirituali,

rituali, factum acre & ingens; *involutum iri* dolis scilicet *ad mactationem*, vers. 20

Ad §. 6. Quomodo gladius ille, qui fuerat unius in Imperio Romano, futurus sit improborum hominum *tertiâ sui parte*, id explicatur vers. 21. quòd *concesserit ad dextram*, sive ad Meridiem, id est, ad Ismaëlitas; à qua parte *impetum ceperit*, *& ad lævam*, id est, ad Septentrionem, mirabili *transitu concesserit*. Quo facto duæ tertiæ partes istius magni Imperii, quod quondam fuit Romanorum, cesserint illis, qui à Meridie venerunt, unâ tertiâ parte in Occidente factâ improborum hominum.

Ad §. 7. Quomodo factus sit gladius ille Improborum plurium Unius alicujus inter ipsos, id item explicat vers. 21. per *adunationem* scilicet. nempe cùm omnium regum & principum gladio accinctorum μία esset βουλὴ & μία γνώμη, ut traderent potestatem suam Bestiæ, & imagini ejus, atque ita fieret Monarchia multos Reges sub se complectens.

9. Declarat Deus, se aliquando triumphaturum, & *satisfacturum excandescentiæ suæ*, vers. 22.

1. Vers. 23—29. Est nova Prophetia de gladio *Nebucadnezaris venturi contra Hierosolymam*, & *manu illam capturi*.

Causa procatarctica & occasio adoriendi Hierosolymam, cùm deliberaret, adhibitis etiam auspicibus, utrùm Rabbath Ammonitarum metropolin, an Hierosolymam adoriri vellet, in eo fuit, quòd *aliquis peccatum Judæorum commemoraret* regi, de quo quotidie à suis Prophetis corriperentur, ideoque rex vocaretur à Deo per signa felicia, quæ auspices inspecto jecinore prædicabant, ut à rebelli populo exigat pœnas, vers. 28.

Denunciatur item finis Zedekiæ, *principis* sive regis *Israëlis*, vers. 30. Nec tantùm, sed & regni domûs Davidis, verbis: *Auferam cidarim, & tollam coronam*, vers. 31. postquam non uno tempore afflicta & corrupta fuisset, quod innuitur eo, quòd *ter dicat* Deus, *se coronam corrupturum*, vers. 32. Ita, quod *altum* fuerat, (notatur ἔπαρσις contra regnum Dei) *humiliatum est*, ℣. 31.

2. Vaticinatur de corona quadam intermedia, *quòd illa non sit ea*, quæ scilicet promissa est, vers. 31. Intelligitur corona Asmonæorum, quæ quidem concessa est populo, ut signum & argumentum, quòd Deus ipsos liberasset à jugo gentium, quòdque ipsos majores fecisset patribus suis; unde & huic coronæ tribuitur *altitudo*, verbis, *quod humiliatum fuerit, exaltabo*: sed non fuit data, ut eâ delectarentur, quasi cum hac datum esset regnum Israëli patribus promissum.

3. Sed *& hæc nihilum exstitit*, sive in nihilum redacta est, vers. 32.

4. Cum abolitione autem hujus coronæ promittit *adventum illius*, *cujus est judicium*, quo scilicet damnet peccatum, & incredulos separet ab omnibus tribubus Israëlis; & *cui daturus sit illud* judicium, collocando eum in solio ad judicandum, atque ita judicandi copiam ei faciendo, vers. 32.

Natus est Christus sub Herode Ascalonita, qui ab Assamonæis coronam ad se transtulerat; venit ad populum, ut prædicaret Euangelium, quum Judæa sub rege neque Assamonæo, neque de Herodis stirpe esset, Archelao Viennam relegato.

Cùm dicit, *donec* adveniat &c. significat, ita debuisse aboleri istam coronam, ut Christus statim veniret.

Altera circumſtantia adventûs Chriſti notatur verſ. 33. & ſeqq. ubi Judæi appellantur *Ammon* per ἀλληγορίαν, quia Ammonitarum urbes hoc tempore habitabant, eoſque ſecum in unam gentem redegerant.

5. Tribuit eis *convitium & opprobrium*, id eſt, blaſphemationem Chriſti, & juſtitiæ Dei ac regni ejus, verſ. 33. Item, quòd *ſibi videant temerarium*, & *divinent mendacium*, verſ. 34. Significatur Judæorum hallucinatio circa prophetias, quòd ſibi falſas ſpes fecerint, & regnum Dei, quod ad ipſos venerat, non agnoverint.

6. Denuntiat illis Propheta *gladium ſtrictum*, *politum ad mactationem*, *ad comprehenſionem*, ſive univerſalem occidionem, & *ad fulgurationem*, verſ. 33.

Per illum gladium *eos conjunctum iri cum cervicibus profanorum inter improbos*, vel Judæos vel Judæorum proceres, cum quibus Ammonitæ confœderati ſint trucidandi, verſ. 34.

Circumſtantia temporis notatur, *in die pravitatis finis*, deducto ad finem tempore tolerantiæ Judæorum jam abrumpendæ, verſ. 34.

7. *Reconditur gladius in vagina ſua*, & Ammonitæ *in locum*, *ubi creati ſunt*, *in terram originis ſuæ* (ea eſt urbs Zoar, quæ erat in finibus Judææ ad mare mortuum.) introducuntur, ut iſtam poſſideant. ℣. 35.

Factum hoc, quando Arabes terram ſanctam occupârunt. Nam Ammonitæ pars Arabum ſunt. A patre tota gens appellatur.

8. Deus *judicat Ammonitas in terra originis ſuæ*, verſ. 35.

Modus hujus judicii explicatur, quòd ſcilicet *ſeveriſſimum futurum* ſit, & *per homines* vel *ardentes* vel *brutos*, *artifices inſtrumentorum deletoriorum*, peragendum, verſ. 36.

Ii partim ſunt Chriſtiani à Pontificibus in terram ſanctam miſſi, partim Turcæ, inprimis ſub Selimo II.

9. Tandem *conſumtionem* tanquam *per ignem* denuntiat, & quidem ut nemo vindicet illorum ſanguinem, ſed qui illos exciderint, felices ac fortunati ſint; quod dicitur, *ſanguinem eorum in terra futurum*, ut quem nemo curet; denique *illorum memoriam non ſuperfuturam*, verſ. 37.

C A P. XXII.

1. Vrbs ſanguinaria propter omnes abominationes ſuas (verſ. 2. 3---13.) *diſſipatur* per gentes, verſ. 15.

2. *Aufertur penitus ab ipſa fœditas ejus*, *donec fœda fiat in ſe ipſa*, ſive fœditatem ſuam ipſa intelligat *coram oculis gentium*, & *cognoſcat Jehovam quis ſit*, verſ. 15. 16.

Ab urbe fœditas ablata eſt, quando fœdè facientes, inprimis reges ab ipſa ablati ſunt per excidium & captivitatem, ut reductis redderentur loco regum judices & ſeniores. Hoc factum eſt, ut electi ex exulibus cum Zorobabele & poſtea cum Eſra eò habitatum concederent, &, cùm nova civitas conderetur, viris virtute conſpicuis ornaretur. Fœditatem ſuam ipſa cognovit, quando converſi ſunt captivi ad Deum.

3. Hieroſolymam comparat catino, in quem argentum cum ſcoriis & omnis generis metallo *collectum* conflatur, ut nempe boni & mali in ea congregatione per

iram

iram Dei contabescant: quandoquidem *omnes*, hoc est, plerique factæ fuerint scoriæ, vers. 17—22.

Significatur autem argentum & optimos quosque hâc conflatione à scoriis purgatos & liberatos fuisse. Addit enim vers. 22. *Et cognoscetis, quòd ego Jehova effuderim ardorem meum in vos.*

Ad §. 1. Cæterùm *Hierosolymam esse terram non purificatam*, quæ aliàs nominabatur terra sancta; *indignam, ut pluvia ipsius descendat in die severitatis*, id est, indignam divinâ inhabitatione, & missione Spiritûs Sancti ad ipsos: Ideoque eam aliquando relinquendam esse incultam, & spinis horrentem. vers. 24.

Impuritatem civitatis ostendit per corruptelam omnium ordinum.

A. Præstitum. I. *Prophetas*, q.d. Theologos Hierosolymæ, *conspirasse*, id est, pactum inter se fecisse, atque in conciliis definivisse, quam doctrinam ferre vel non ferre vellent, & ut sarta tecta maneret ipsorum auctoritas, ad sanguinem usque *instar leonis rugientis & laniantis* persecutos esse, qui cum ipsis non facerent. Credibile est ergo, ibi etiam Inquisitionem fuisse: Nam & Paulus se Inquisitorem obtulit in Christianos, vers. 25. Eosdem Prophetas dicit eripuisse hominibus bona, & viduas multiplicâsse, vers. 25. Item *Principibus illevisse ineptum*, ut nempe ab iis defenderentur, & auctoritatem conciliarent suis *mendaciis, quæ in nomine Dei loquebantur*, vers. 28. II. *Sacerdotes vim legi fecisse*, vel eam torquendo, vel ejus veros sensus occultando, atque ita clavim cognitionis à populo auferendo. Cætera, quæ contra legem ceremonialem dicuntur peccasse, ostendunt contemtum & Dei legislatoris, & promissionis ipsius ac fœderis Dei, & Christi promissi, vers. 26. III. *Principes* (intelliguntur, qui cum imperio sunt.) comparat *lupis voracibus*, quippe *& sanguinarios & rapaces*, vers. 27.

B. A Præstitibus ad plebem descendit, cui attribuit *calumniam, rapinas, vexationem inopis & egeni, peregrini oppressionem, negato ipsis judicio*, vers. 29.

Ostendit, *se non reperisse in ipsis, qui se sepem faceret*, & *sibi* venienti ad destructionem terræ obviam iret, vers. 30.

Ex iis rebus concludit, *se effudisse*, id est, jam mox effusurum, *severitatem suam in ipsos*, vers. 31.

CAP. XXIII. Tempora populi Israëlitici repetit.

1. ITerum agitur de judicio Hierosolymæ, quòd tradenda sit in manum Chaldæorum amasiorum suorum, qui ipsam omnibus ornamentis sint spoliaturi, & crematuri igne. vers. 22—26. 28. 29. 30.

Justificationem hujus judicii vide in præcedentibus, inde à principio capitis. Nempe *post gentes* vers. 30. ac nominatim *cum Assyriis scortata* erat, veluti Achaz, vers. 12. deinde *cum Chaldæis*, & diis ipsorum, vers. 14—17. tanquam Josias cùm Pharaoni Necho contra Chaldæos eunti occurrit, item Jojakim, qui rebellans Ægyptio fidei Nebucadnezaris sese commisit, 2 Reg. 24: 1. Tertiò denique rursus *cum Ægyptiis*, vers. 18—21. Quâ re commoti Chaldæi priores amasii ejus contra Hierosolymam sint venturi, & judicium dictum in ea peracturi.

2. *Deus abolet scelus Hierosolymæ ab ipsa*, ita *ut non tollat* ampliùs *oculos suos ad Ægyptios, eorumque non recordetur ampliùs*, vers. 27. Est in hoc conversio ad Deum, & reductio in terram. In seqq. *Obola & Oholiba* conjunguntur; unde pateat omnibus tribubus datam fuisse potestatem revertendi, & reliquias ex omnibus

reversas in unum reipublicæ corpus coaluisse, quarum sic conjunctarum post captivitatem Babylonicam in sequentibus peccata & judicia describit.

3. Peccata: Quòd *mœchatæ sint*, puta cum Romanis, *& sanguis* omnium Prophetarum, nominatim Christi & Apostolorum ejus, *sit* (in præsenti loquitur, cùm hæc oratio ipsis Apostolis, imminente Judæorum judicio, tribui possit.) *in in manibus earum*; *quòd cum stercoribus suis mœchatæ sint*, *& eis filios suos obtulerint in cibum*, vers. 37.

Quòdque *eodem die sanctuarium polluerint*, *Sabbata Dei violaverint*, ℣. 38. 39.

Tum quòd *miserint ad viros è longinquo venientes*, *quibus se ornaverit*, nempe Oholiba. Transit enim à duabus fœminis ad unam, in cujus nomen altera concesserat, scilicet vers. 40.

Quòdque tanquam meretrix *consederit in alto lecto*, *mensâ structâ coram eo*, *cui suffitum suum & oleum suum imposuerit*, id est, quòd sese ostentaverit cum omnibus suis cerimoniis in monte templi & atrio domûs Dei, ante altare Dei, & voluerit videri habere Deum suum, quemadmodum singulæ gentes suum, ℣. 41.

Venientibus igitur illis viris è longinquo, Sabæis ex deserto, *extitisse multitudinis felicis*, nullumque metum habentis, *vocem* & congratulationem; *bis se ornasse tanquam armillis & coronis*, vers. 42. Possunt intelligi Romani Ægyptum & finitima, inter quæ Arabes & Sabæi, tenentes, vel ex ea parte, rebus illic compositis, reversi, qui obiter Judæam, Hierosolymam, ipsumque sanctuarium intraverint, ab ipsis Judæis advocati.

Narrat Deus, se miratum, quòd Hierosolyma *illa vetula*, quæ tot jam sæculis notitiam Dei habuisset, & templum, & à nomine Dei appellata fuisset, adhuc *scortaretur*, & novas religiones, novos amicos, nova tutamina quæreret, vers. 43.

Itaque *ventum ad eam esse, ut ad sceleratissimas meretrices*, vers. 44.

4. Igitur *viros justos eas judicaturos*, *ut mœchas & homicidii reas*, vers. 45. Justi dicuntur à justo facto vel judicio.

Venturum enim cœtum contra eas, & *datum iri eas in commotionem & in direptionem*, vers. 46. Et *conjecturos in eam lapides cœtum*, *& illam gladiis suis adornaturos*: *Filios earum & filias interfecturos*, *& domos earum crematuros igne*, ℣. 47.

Ita Deum aboliturum *scelus* ex terra, & *exemplo coërcitum iri omnes mulieres*, id est, populos capturos exemplum, *ne similiter peccent*, vers. 48.

Et daturos *scelus* ipsarum in eas, *ut ferant peccata stercorum suorum*, vers. 49.

5. Tandem fore, *ut cognoscant, quòd ipse sit Jehova*, vers. 49.

CAP. XXIV.

1. Agit de excidio Hierosolymæ & templi. Revelata est hæc prophetia eo ipso die, quo Nebucadnezar Hierosolymam invasit, vers. 2.

Comparat urbem ollæ æneæ, quæ impleta aquâ & carnibus ad summum usque supponitur igni flagrantissimo, quo aqua consumatur, carnes & ossa adurantur, *ærugo* tamen ollæ, quamvis excandefactæ, non tollatur, vers. 3---12. Per æruginem significatur sanguis Prophetarum Dei & omnium Dei timentium; unde & *urbs sanguinis* dicitur vers. 6. 9. Et adde vers. 7. 8.

Ideo decernit, ne purificandam quidem ampliùs ollam esse, cùm sit civitatis impuritas malitiosa, & cum obstinato proposito, vers. 13.

Sed

Sed excandescentiæ divinæ satisfaciendum esse, & judicandam civitatem secundùm vias suas, vers. 13. 14.

Templi excidium ablatione uxoris Ezechielis figuratur, vers. 16, 18. 21.

Jubetur autem Propheta abstinere ab omnibus, quæ solent usurpari à lugentibus, vers. 16. 17. & significat, quòd Judæi, templo exciso, liberis item ipsorum occisis gladio, similiter nullum tristitiæ & luctûs signum sint edituri: quia inter Ethnicos dominantes talis comploratio ridicula fuisset; futurum autem, ut in peccatis suis *contabescant*, id est, malâ conscientiâ utantur, neque solatium aliquod habeant, & tantùm *fremant quisque ad alium*, vers. 22. 23. 24.

2. Tum, *quando hoc evenerit*, *cogni turos* Judæos, *quòd ipse sit Dominus Jehova*, vers. 24.

Eoque die, quum venerit nuncius aliquis annuncians excidium urbis ac templi, Prophetam *liberè locuturum* ad nuncium & populum, eosque *cognituros Jehovam*, vers. 25. 26. 27.

CAP. XXV.

1. Ammonitis gaudentibus pollutione sanctuarii Dei, vastatione terræ Israël, & deductione domûs Judæ in exilium, denuntiat, quòd illos sit daturus filiis Orientis in hæreditatem, qui in Ammonitide & arces & tabernacula ponant, fructus ipsorum percipiant, & in primaria urbe oves suas pascant tutò:

2. *Et, quia* manum percusserint, pedem supploserint, & omni impetu animæ super terra Israël lætati sint; ideo denuntiat, quòd ipsos daturus sit in prædam gentibus, & excisurus ex populis, & perditurus ex terris, imò profligaturus:

3. *Ita cognituros*, quòd ipse sit Jehova, vers. 3—7. 10.

Constat, nullum jam esse populum Ammonitarum. Constat etiam, post reductionem Judæorum in terram, Ammonitidem fuisse possessam ab Arabibus, & partem Arabiæ fuisse. Josephus l. 12. cap. 12. sub nomine Arabum indigitat Ammonitas ultra Gileaditidem habitantes, ut patet ex fine cap. XI. Arabes autem filii Orientis sunt.

1. Moabitis & habitatoribus *Seir* similiter denuntiat, quia dicant, *domum Judæ* reliquis *gentibus similem esse factam*, vers. 8. *se aperturum latus illorum ab omni termino, & eos præter filios Ammon daturum filiis Orientis, & facturum in iis judicia*, vers. 9. 10. 11.

2. Ita *cognituros, quòd ipse sit Jehova*, vers. 11.

Medaba Moabitarum civitas ab Hyrcano fuit expugnata, Joseph. Antiq. 13: 17. Facit idem Moabitarum mentionem cap. 21. & 22. ubi narrat, Alexandrum coactum fuisse loca in Moabitica restituere Arabibus. Cap. 23. inter ea, quæ tum tenebant Judæi sub rege Alexandro numerat octo civitates Moabiticas, quæ etiam, excepta Pellâ, Judaïcos ritus receperint. Quod cùm Pellenses recusarent, civitas eorum diruta sit. Hinc est, quòd sub nomine Moab quandoque in prophetiis ipsi Judæi veniant.

1. Idumæis improperat, *quòd ultionem sumserint de Judæis*, & quidem tum, *cùm Judæi luerent peccata sua*, vers. 12.

Denuntiat illis, *se vastitatem editurum esse in Edom*, & *sumturum de illis vindictam per populum suum Israël*, vers. 13. 14.

Hyrcanus, Simonis Maccabæi filius, Idumæam occupavit, & iis edixit, ut cir-

circumciderentur, nisi vellent è propriis pelli sedibus. At illi amore patriæ admiserunt & circumcisionem & reliquam juxta Judaïcos ritus vivendi formulam, atque ex eo inter Judæos recenseri cœperunt, Jos. Ant. 13: 7.

2. *Cognituros* autem *ultionem Jehovæ*. vers. 14.

1. Palæstinis similiter exprobrat vindictæ studium & implacabile odium, vers. 15.

Idcirco denuntiat Deus ipsis, *se extensurum manum suam super ipsos, & Crethæos excisurum, & perditurum reliquias littoris maris*, vers. 16.

2. Ita *cognituros*, *quòd ipse sit Jehova*, *cùm daturus sit ultionem suam in ipsis*, vers. 17.

CAP. XXVI.

Agitur in hoc capite de judiciis *Tyri*, id est, omnis urbis munitæ seu emporii, *quod propter excidium & jacturas Hierosolymæ*, hoc est, civitatis sanctæ, *exultet*, vers. 2. sicque tam ad mysticam, quàm ad propriam Tyrum hæc judicia spectant. Nota, cùm dicitur, quòd Tyrus exultet, *quòd Hierosolyma, valvæ populorum, confracta sit*, innuitur, Tyrum illam adversariam se pro Hierosolyma adiri voluisse, & ex jacturis ejus locupletari studuisse.

A versu igitur 3. judicia utriusque Tyri in unum cumulum conjicit, ac *primò* ostendit Deus, *se Tyro fore adversarium: & gentes numerosissimas instar fluctuum maris contra eam adducturum*. vers. 3.

Eas muros, turres dirituras, & pulverem ejus ablaturas, ut fiat nitens petra, vers. 4.

Fore eam expandendis retibus: ipsamque à gentibus diripiendam, vers. 5.

Et filias à gentibus in agro gladio occidendas, vers. 6.

Deinde ostendit, quis minister *judicii primi* futurus sit. Is est *Nebucadnezar*, cujus aggressio, oppugnatio & desolatio vivis coloribus depingitur usque ad vers. 14.

> Infrà cap. 29: 19. memoratur ea res ut facta, anno vigesimo septimo; atque ita sexdecim annis post hanc prophetiam, quæ edita est anno undecimo. Vide vers. 1.

Additur vers. 14. *Tyrum ponendam esse in nudam petram, expansionem retium, neque ædificatum iri ampliùs*. Possumus dicere, post excidium renatam, ad pristinam amplitudinem non redituram, ac tandem etiam abolendam esse. Nobis etiam licet dicere prophetiam generaliter loqui de omni Tyro, & significare, nullam metropolin gentium aliquando exstituram esse, quæ Hierosolymæ adversetur.

> Georgii Sandisch Itinerarium Anglicum lib. 3. dicit, Tyrum illam celebrem nunc nihil esse nisi acervum parietinarum, ita tamen, ut ipsius aspectus sit magnificus, & spectatorem ingeniosum pulchritudine suâ instruat. Itinerarium Legati Gallici des Hayes pag. 441. dicit, ibi jam non esse domum, quæ sit integra, nisi unicam. Reliquas domos esse destructas, nec superesse, nisi fornices & cryptas, in quibus ducenti propemodum homines commorentur.

Prosequitur casum Tyri *consternatio & luctus & lamentum insularum*, quarum scilicet opes simul cum ea perierint, vers. 15.

In threno est admiratio interitûs ejus, quæ *habitata fuerit à maribus*, id est, ab homi-

hominibus per omnia maria ad illam confluentibus; *quæ celebrata fuerit*; quæ *fuerit fortis in mari*, ita ut maris vim non metueret; quod ipsa perierit *cum habitatoribus suis*, *qui dederint terrorem suum omnibus habitatoribus ejus*. Nota, distingui habitatores, qui cum imperio sunt, ab aliis habitatoribus, qui vel in ea civitate habitant, vel jus illius civitatis habent in omnibus coloniis: in quo typus est Tyri mysticæ, hoc est, illius civitatis, in qua qui præsident, in totum orbem & ipsos reges tanquam cives suos jurisdictionem exercent.

Porro dicitur, *die casûs Tyri trepidaturos esse* & consternatum iri *insulas*, *quæ sunt in mari*, *ab exitu ejus*, vers. 18. Et hoc in Tyro mystica implebitur, postquam constitutâ eâ tanquam metropoli exortâ ex mari (Apoc. 13:1.) etiam ex mari ascenderunt multæ *insulæ*, id est, Ecclesiæ particulares à throno μητροπόλεως dependentes.

Versu 19. 20. & 21. describuntur judicia Tyri mysticæ hoc ordine.

1. *Vastatur*, *ut fiat instar urbium nunquam habitatarum*. Ut quando Totilas Romam cremavit. Eodem tempore *eam operuerunt aquæ multæ*, hoc est, gentes ex omnibus partibus effusæ, ℣. 19.

2. Deus *illam fecit descendere ad populum sæculi*, *cum descendentibus in foveam*, hoc est, fivit illam λῃστεύειν.

3. Tum illam *fecit habitare in terra inferiore*, quasi in inferno, *in vastis à sæculo*, hoc est, Deus fecit, ut multæ gentes & multi ex gentibus illam derelinquerent & desertam facerent, ut vix unus ad illam accederet habitandi causâ, cùm ipsa suo ore in Concilio Tridentino se inter mortuos collocasset, hoc est, se à veris fidelibus separasset per sua anathemata.

4. Tum verò Deus *dedit decus in terra viventium*, id est, Ecclesiam eductam ex Babylone honoravit pace, & multis dotibus ornavit, ℣. 20.

5. Denique exspectandum est, *ut fiat nebula*, & *non sit ampliùs*, *quæratur*, & *non inveniatur*, vers. 21. Add. cap. 27:36.

CAP. XXVII.

THrenus Tyri hic est, ut præscribitur vers. 2. Summa est, omnia maxima, quibus illa pollebat, bona uno ferè momento periisse & concidisse, cum totius ferè mundi consternatione & mœrore plurimorum, quippe cùm casus Tyri ad omnium civitatum damnum pertineret.

Et hæc quidem de Tyro propria, sive à Nebucadnezare, sive ab Alexandro devicta & excisa; sed & maximè de emporio quodam alius generis, quod & Tyrus & Babylon mysticè dicitur, intelligenda sunt.

CAP. XXVIII.

HIc est threnus super Principe Tyri, qui incipit vers. 11. Præmittitur increpatio ejus. Ea habet 1. declarationem peccati: deinde denuntiationem judicii.

1. Increpatur in genere, quòd *cor illius elatum sit*, vers. 2. & 6. nempe quòd *dixerit*, *Ego sum Deus* potens, utpote persuasus de viribus propriis; & *in sede Dei consedi*, tanquam habens auctoritatem obligandi conscientias ad fidem & obedientiam cum adjuratione, *in corde marium*. Reprehenditur hic fastus ex eo, quòd

ſit homo & non Deus potens, quippe cùm Deus nulli homini iſtam potentiam vel auctoritatem conceſſerit, verſ. 2.

Per ironiam perſuaſio principis Tyri de ſemetipſo indicatur, nempe de *ſapientia* & *cognitione rerum ſecretarum. An ſapientior es Daniele*, qui, ut patet ex cap. 9 in libris Dei ſcrutatus eſt & quædam non intellexit, cùm tu tibi interpretationem Scripturæ, quam non ſcrutaris, arroges? verſ. 3.

Occaſio hujus perſuaſionis: quòd per ſapientiam & prudentiam carnalem ſibi opes corraſerit, & per negotiationem ſuam ſibi multos aſſociaverit, qui propter utilitatem propriam tueantur ejus auctoritatem, verſ. 4. 5.

2. Denuntiat, quòd *adducturus ſit peregrinos*, incognitos homines, *violentiſſimos gentium, qui ſtructuri ſint gladium contra pulchritudinem ſapientiæ ejus, & ſplendorem ipſius profanaturi, quippe ipſum adducturos in foveam, ita ut moriatur morte profanorum & præputiatorum*, verſ. 7---10.

Sarcaſmus interponitur, verſ. 9. Quemadmodum, cùm aliquando Papa Clemens à Carolo Borbonio captus eſſet, nihil profuit illi dicere: Ego ſum Vicarius Dei: ita, quum occidetur.

Occiſio regis Tyri eſt totius iſtius nominis & poteſtatis abolitio. Non audemus tamen dicere, id non futurum ſine magna cæde.

In ipſo threno *primò* enumerantur prærogativæ principis Tyri uſque ad verſ. 16. *Deinde* culpæ, verſ. 15. 16. 17. *Tertio* interitus, verſ. 17. 18. 19.

1. Compellat ipſum *ſignatorem menſuræ*, utpote qui videatur in Eccleſia habere jus edendi regulam & canonem credendorum & agendorum; *perfectum ſapientiâ*, prudentiſſimum, callidiſſimum, quoad omnem artem politicam ad componendam civitatem, eamque transformandam in formam civitatis terreſtris; & *conſummatum pulchritudine*, cui ad commendationem ſui & principatûs ſui nihil deſit, verſ. 12.

Extitiſſe eum in paradiſo Dei. Paradiſus Dei eſt Eccleſia habens arbores vivas frugiferas, & inprimis lignum vitæ. Notatur ergo, quòd acceperit communionem cum fidelibus, & eorum factus ſit particeps. Poteſt hoc intelligi κατὰ δόξαν, quamdiu ſcilicet adverſarius non eſt revelatus. Poteſt etiam intelligi κατ' ἀλήθειαν de iis, qui in prima ſede ſederunt, & egerunt officium pædagogorum in Chriſto.

Omnis gemma tegumentum tuum. Notatur per gemmas id omne, quod excellens eſt in Eccleſia, quod ab hominibus videri & audiri poteſt: quæque faciunt ad fucum & incruſtationem erroris & mendacii. Talia ſunt in Eccleſia Chriſtus & Chriſti nomen, Spiritus Sanctus, fides, prophetæ, verbum Dei, ſacramenta, opera Dei mirabilia, virtutes & patientia ſanctorum, veritas, ſapientia & prudentia, remiſſio peccatorum, juſtitia, &c.

Opus tympanorum tuorum & tibiarum tuarum in die creationis tuæ exaptata ſunt. Caput illud Epiſcoporum ex quo conſtitutum eſt, habuit *tubas & fiſtulas*, id eſt, voces prædicantium nomen ipſius, ipſique adulantium & aſſentantium ad ipſum exhilarandum, & μαγγανείαν ipſius incendendam. Ita Apoc. cap. 13. dicitur, quòd Pſeudopropheta dixerit hominibus, ut facerent imaginem Beſtiæ. Quanquam etiam Epiſcopi non ſine talibus organis creentur. verſ. 13.

Tu Cherub tanquam Angelus vel Apoſtolus Dei, in quo vellet manifeſtari, *unctio tegentis*, id eſt, unctus ad tegendum, (ſi participium pro ſubſtantivo capiamus) ut ſis tanquam tegmen vel velum interpoſitum inter Deum & homines, ut ad Deum niſi per eum nemo poſſit accedere: Vel *unctus à tegente* Chriſto, tanquam vicarius ejus.

Dediſſe

Dedisse illum dicitur Deus, in judicium scilicet eorum, qui non receperunt amorem veritatis, ut salvarentur. Confer Zach. 11 : 15.

Extitisse item dicitur *in monte sancto Dei*, hoc est, intrasse in cœtum credentium, & illis connumeratus esse, tanquam unus eorum, qui accesserunt ad Sion, & consortes facti sunt Hierosolymæ cœlestis.

In medio lapidum ignis ambulasti, id est, in medio lapidum vivorum, 1 Pet. 2: 5. hominum habentium spiritum sanctificationis, verâ charitate flagrantium, & luce veritatis radiantium. Fuerunt enim inter reges illos Tyrios etiam fideles, quamvis errarent ad eum modum, quo Corinthii errabant, putantes, rectum esse, ut dicerentur vel Apollos, vel Pauli, vel Cephæ. Hæc ℣. 14.

Integrum fuisse in viis suis, & professionem rectæ fidei tenuisse adversus hæreticos, *à die creationis suæ*, id est, ab illo tempore, quo in Synodo Nicena judicium Episcopis datum est, atque ita Episcopi principes creati sunt. Hic locus ostendit, quòd eodem tempore sint posita fundamenta Antichristianæ dominationis, quo recta fides exposita est. Innuit autem prophetia, eum aliquando à vera via defecisse, cùm dicit, *donec reperta est injustitia in te*, vers. 15.

Causa corruptionis & peccati ostenditur esse *multitudo negationis*, & cum negatione multitudo *injuriæ*. Ille scilicet, qui inter pædagogos Christianos consedit primus, amplificatus erat opibus, quæ etiam Regibus invidendæ erant, (de quibus etiam Ammianus testatur, loquens de Damaso & Ursicino rivalibus potestatis.) cœpit religionem habere quæstui, & per eam occasionem deinde Ecclesia, cui is præsidebat, repleta est injuriâ, & non recto judicio: Ibique *peccavit* calculum addens falsitati damnans veritatem. ℣. 16.

2. Sequitur judicium. 1. *Profanavi te ex monte Dei, & feci te perire, Cherub protegens, ex medio lapidum ignis.* Hæc est separatio regis Tyri ex civitate sancta. Id factum est, cùm damnare cœpit reprehendentes se, & illos excluderet à societate sua. Sed & in hoc gradu supplicii habet, qui illum pro Angelo Dei habeant, & sub illo velo esse velint, unde & *Cherub protegens* adhuc appellatur, vers. 16.

Ratio hujus & sequentis pœnæ ponitur *elatio cordis in pulchritudine, & corruptio sapientiæ suæ*, vers. 17.

3. Pœna igitur 2da est, quòd *in exemplum regibus in terram conjectus sit*, id est, quòd Deus illam auctoritatem, quam habuerat in Ecclesia, illi ademit, & fecit illum judicari ab omnibus, eumque tam impotem fecit, ut fuerit omnibus tyrannis exemplum. vers. 17.

4. Interserta novâ culpâ, pergit ad tertium pœnæ gradum. Culpa: *quòd multiplici pravitate & iniquitate nundinationis ujus sua sanctuaria profanaverit*, ut nemo bonâ conscientiâ cum ipso posset habere communionem.

Pœnæ gradus 3tius est, quòd Deus fecit *ex medio ipsius exire ignem*, *quo dicitur consumtus, & in cinerem redactus coram omnibus*, vers. 18. *Ignis* iste sunt sanguinaria consilia adversus Ecclesiam.

5. 6. Sequitur, quòd omnes *cognoscentes ipsum stupeant super ipso.* Denique quòd *factus sit nebula, & nuspiam sit ampliùs.* Subintelligitur tanquam vento difflatum. Id alicubi Euro officium deputatur. In verbis Prophetæ abrupta brevitas rem subitam notare potest. vers. 19.

Verſ. 20. 21. Sequitur prophetia adverſus *Sidonem*. Ea antiquior eſt Tyro, & Tyrus Sidoniorum eſt colonia. Poteſt intelligi regnum aliquod, cui Tyrus illa myſtica debet ſuam aut principatûs ſui originem. Cùm à Longobardis Roma premeretur, Papæ confugerunt ad Gallos, quorum auxilio & Longobardi ſunt comprehenſi, & ſedes Romana conſtabilita.

1. Dicit, *quòd contra Sidonem* ſit ſuſcepturus expeditionem, *& in medio ejus ſe glorificaturus*, verſ. 22.

2. *Cùm verò facturus eſt in eâ judicia*, *& ſe ſanctificabit in illa*, *tum cogituros* tam Tyrios, quàm Sidonios, *quòd ipſe ſit Jehova*, verſ. 22.

3. Tum comminatur iis *peſtem*, *ſanguinem*, *gladium*, *ita ut judicetur profanus in medio ejus*, verſ. 23.

4. Tum deinde *domui Iſraël*, id eſt, Eccleſiæ, *non fore ſudem aut ſpinam undiquaque illos*, *qui ipſos flagellant*; *& cogituros*, *quòd ipſe ſit Dominus Jehova*, ℣. 24.

5. Sequitur prophetia de *collectione Iſraëlis ex populis*, *& quòd ſeſe ſanctificaturus ſit in ipſis coram oculis gentium*, verſ. 25.

6. Tum deinde promittit, quòd *ſeſſuri ſint in terra ſua*, *quam dedit Jacobo ſervo ſuo*, Jacobo autem datus eſt totus mundus, verſ. 25. *Seſſuros* autem *in ea ſecurè*, *& ædificaturos domos*, *& plantaturos vineas*, atque ita *cogituros*, *quòd ipſe ſit Dominus Jehova*, ℣. 26.

Circumſtantia temporis additur, quum *facturus eſt Deus judicia in omnibus flagellantibus ipſos undiquaque*, verſ. 26.

CAP. XXIX.

DUæ hìc ſunt prophetiæ de Ægypto, diverſo tempore indicatæ. Vide verſ. 1. & 17.

1. In prima oſtendit, *Deum impetum facturum in Pharaonem regem Ægypti*, quem comparat *Draconi magno*, ſive Crocodilo, ſive alii balænæ aquaticæ, cujus in aquis magna vis eſt. Ei imputat, quòd dixerit, *amnem ſuum*, id eſt, populum Nilum bibentem, *ſuum eſſe*, tanquam propriam ſortem & hæreditatem, quæ ab ipſo auferri non poſſit. Accedit, quòd de ſe ipſo ita cogitet, quaſi non eſſet creatura Dei, ſed ſibimet ipſi deberet ſuam potentiam, ſuum regnum, & ſuum ſtatum. *Dicit* enim, *Ego feci me*. Similiter rex ſpiritualis Ægypti ſuum vult eſſe regnum, neque intelligit ſe eſſe miniſtrum Dei, & officium ſuum eſſe hoc agere, ut omnis populus Deo obediat: Deinde, ſe habere plenitudinem poteſtatis agendi ex motu proprio, quaſi is juſtus, rectus, ſanctus & divinus ſit. ℣. 3.

Comminatur ei *eductionem ipſius cum piſcibus ſuis ex amne ipſius*, *& deſtitutionem ipſius in deſertum*, verſ. 4. 5. Hæc potuerunt impleri per expeditionem ſuſceptam in Arabiam, ubi cæſus ſit; vel per deportationem. Familiare erat Babyloniis, quos devicerant, deportare in alias terras. Similiter, cùm facta eſt ſeparatio eorum, qui præter verbum Dei nullam regulam agnoſcunt, à cœtu Antichriſti, tum Pharao cum ſuis piſciculis in deſertum projectus eſt, non recipiendus aut aggregandus, & ita projectus, ut feris agri ſuo tempore cedat in epulas.

Deinde improperatur Ægyptiis, quòd Iſraëlitis fuerint fallax auxilium, & ſe tales amicos geſſerint ut *arundinis* ſuæ ingenium exhiberent, verſ. 6. Similiter Romani ſub dominatione Papali Eccleſiæ Chriſtianæ fuerunt ſcipio arundineus.

2. Tum

2. Tum denuntiat, venturum gladium, qui faciat vastitatem in omnibus locis, vers. 8. 9. 10.

Vastitatem illam indicat eo, quòd *hominum & jumentorum pes per illam non sit transiturus, & quòd non sit habitanda quadraginta annis*, vers. 11. Idque vers. 12. assignatur *dispersioni Ægyptiorum*. Potest fieri, ut bella inter Ægyptios & Babylonios diu duraverint, atque inde omnibus locis passim nunc hoc nunc illo tempore populus Ægyptius fugerint ad alias gentes.

3. *Post quadraginta annos* ostendit, *se Ægyptios recollecturum*; quod interpretes putant evenisse deficiente Babyloniorum vigore, ℣. 13. 14.

Negat tamen, *eos ad pristinum imperium redituros*, ita ut Israëlitæ non habeant occasionem iis confidendi, vers. 15. 16. An Deus meditetur etiam horum implementum in analogo, id posterioris temporis erit indicare.

1. Altera prophetia serior est septendecim annis, quâ denuntiat, Nebucadnezarem occupaturum esse Ægyptum, & direpturum, ut ipse & exercitus ipsius habeat mercedem laboris exantlati apud Tyrum, ℣. 17.—20.

2. Annectitur promissio, quòd *eo die*, hoc est, postea, *Deus facturus sit, ut germinet Israëli cornu*, vers. 21. Evilmerodach Jechoniam vinculis solvit, & inter reges in prima sede collocavit. Daniel porro magnus fuit & in imperio Nebucadnezaris & in regno Persarum. Cyrus populum reduxit in terram, ut templum reædificaret. Crevit cornu Israëlitarum, quando liberi facti à servitute gentium diadema sumserunt. Maximè verò, cùm ex domo Davidis crevit cornu, quod fecit populum liberum ab omni servitute, quodque hostes contudit, & Israëli gentes subjecit.

3. Hisce prophetiis adimpletis, tum *Ezechiel*, & cæteri prophetæ, *habent apertionem oris*. Loquuntur enim omnibus in nomine Dei in libris suis, & recognoscuntur verba Dei loqui.

CAP. XXX.

1. ETiam hoc capite agitur de desolatione Ægypti, cujus instrumentum dicitur *Nebucadnezar*, vers. 10. *rex Babel*, vers. 24.25. & *populus ejus, violentissimi gentium*, vers. 11. Nominatim hic commemorat Pathros, tum urbes Zoan, No, Noph, Sin, Aven & Phibeseth, &c. ℣. 13—18.

Eandem vastitatem quoque extendit ad *Cuschæos & Lut*, & totam *Arabiam*, denique & *terram fœderis*, nempe Ægyptiaci, id est, fœderatorum cum Ægyptiis, vers. 5.9. *sustinentium Ægyptum, eamque adjuvantium*, ℣. 6.8.

Effectus hujus stragis, *defectus multitudinis ex terra Ægypti*, vers. 10. quod nominatim ad *No*, id est, Thebas Ægyptiacas applicatur, vers. 15. Eæ ita deletæ sunt, ut ne vestigium quidem earum extet. Tum *deportatio in captivitatem*, vers. 17.18. & *dispersio per gentes*, vers. 23. Itemque *sublatio stercorum & idolorum ex Noph*, id est, Memphis, primaria civitate, *& ex Ægypto*, ℣. 13.

2. *Principem ex Ægyptiis non ampliùs futurum*, vers. 13. Fuerunt enim ab hoc tempore primò sub Babyloniis, deinde Persis, tum Græcis, postea sub Romanis, & sic porro.

3. Deumque *daturum timorem in terra Ægypti*, vers. 13. Ostendit, in posterum Ægyptios fore humiliores, & habitantes in Ægypto formidaturos & trepidaturos. (Solet enim cæteroquin Ægyptus appellari רהב *ferocia*. Pharao non timuis

muit Deum, cùm Deus mitteret Moysen, jubens dimittere Israëlem.) Posuit Deus deinde etiam timorem sui in Ægypto, quando prædicatum est Euangelium etiam Ægyptiis. Convenit, quod est vers. 26. *cognituros Ægyptios, quòd ipse, qui hæc locutus est, sit Jehova.*

Nota ex vers. 2. 3. ex quo Hierosolyma destructa est à Nebucadnezare, & Judæi deportati sunt in Babyloniam, judicia Dei in gentes incepisse. Ergo jam tum *appropinquabat dies*, & quidem *dies Domini*, isque *dies nubis*, *tempus gentium* visitandarum scilicet. Inter primas gentes Ægypto denuntiatam vastitatem. Hæc præmittenda sup. §. 1.

C A P. XXXI.

PHarao rex Ægypti se jubetur examinare ad exemplar regis Assur, ut si similis ei factus sit in pulchritudine, vitet ei assimilari in peccato, ne ei assimiletur in judicio.

Neque tantùm regi Ægypti, sed & omnibus dynastis mundi proponitur Assyrius in exemplum, *ne dent lanuginem suam inter crassos ramos*, id est, ne putent imperia sua tam stabilia esse, atque est imperium Dei & Christi; & ne putent, se non magis posse labefactari, quàm Ecclesia labefactari potest, vers. 14.

Pronuntiatur autem sententia in *Pharaonem*, eum *detrusum iri cum arboribus Eden*, id est, principibus mundi divinitus in eo constitutis ad gubernandum & continendum in officio populos, *in terram inferiorem, in medio præputiatorum*, sive exsortium regni Dei, & communionis populi ipsius, *cubiturum cum confossis gladio*, vers. 15. Denique tumulo ipsius inscribit nomen ejus, ut sepulti. *Hic est Pharao & omnis turba ejus.*

Antichristus, qui spiritualiter Pharao appellatur, & reges, qui dominantur cum ipso, habent hic, quod contemplentur, ut Deum revereantur, qui omnibus sese exaltantibus similem exitum prænuntiavit.

C A P. XXXII.

IN hoc capite duæ sunt prophetiæ, quæ adhuc spectant ad casum & exitum calamitosum regni Ægyptiaci.

1. Prior est *threnus* sive lamentum, vers. 2. 16. Tribus verbis comprehenditur propositio: *Leo gentium, occidisti!* Miratur eum, qui solebat inter gentes prædas agere, ad ἀκινησίαν & ἀφανίαν redactum esse. Exaggeratur id ampliùs à statu, quem olim obtinuerat: quòd olim fuerit, ut *balæna in maribus* grassans, terribilis omnibus piscibus, & navigantibus: quòd *in fluviis*, id est, populis & exercitibus *suis cum impetu processerit*, & in omnes partes se effuderit, quemadmodum magnus piscis simul se & aquam incitat; quòd *pedibus suis aquas conturbaverit*, id est, quòd statum rerumpublicarum passim confuderit & conturbaverit, & *fluvios conculcaverit*, id est, exercitus contra se productos prostraverit, ℣. 2.

Modus excidii regis & regni Ægypti parabolicè explicatur. Significat autem, venturos Ægyptios & regem ipsorum in potestatem hostium, quos Deus ad hoc excitaturus erat, & in unum imperium congregaturus ex populis multis, ita ut tanquam indagine cingantur, & in Ægypto subsistere non possint, & partim cædantur, partim exulare cogantur, & in gentibus sint contemtibiles, subditi alie-

næ poteſtati, & ſint prædæ hominibus, & tandem ut cadavera viva in regnis mundi appareant inſervientes continuandis imperiis, quemadmodum expletis vallibus montes continuantur, verſ. 3. 4. 5.

Apparet, Ægyptios primò perveniſſe in poteſtatem Babyloniorum; deinde Perſarum; tum Græcorum; poſtea & Romanorum; Arabum denique & Turcarum. Ita ſine dubio per magna iſta imperia disjecti ſunt Ægyptii & vetuſtæ ipſorum familiæ, veneruntque in locum ipſorum alienigenæ, ipſi autem inſerviverunt rerum potientibus ad imperia continuanda.

Magnam cædem Ægyptiis interminatur, & quidem *ut terra natatûs Pharaonis*, ſub qua etiam vicinæ regiones intelliguntur, in quas frequenter expeditiones ſuſceperant Ægyptii, *à ſanguine ipſius cruentetur*, ℣. 6.

Magnas tenebras fore, id eſt, tantam calamitatem fore, ut ſol ipſis non videatur lucere, ℣. 7. 8.

Ruinam Ægyptiorum & regis eorum cum incommodo populorum & gentium aliarum futuram eſſe, ℣. 9.

Gladium Dei ita vibrandum coram gentibus in Ægyptum, *ut populi & reges horreant*, ℣. 10.

Tum explicat, quo inſtrumento uſurus ſit, nempe rege Babylonio cum maximis copiis militum violentiſſimorum. verſ. 11. 12.

Cum abolitione non tantùm hominum, ſed & pecudum: ut nec homines nec beſtiæ aquas ampliùs *conturbent*, id eſt, ut ceſſent expeditiones bellicæ Ægyptiorum, per quas omnia fuerant confuſa, ℣. 13.

2. Promittit, ſecuturam eſſe pacem poſt Ægyptiorum cladem, *ut fluvii ſint limpidi, ſubſidentibus fæcibus, & tanquam oleum manent*, id eſt, clementer & molliter ſine fluctibus & magno ſtrepitu, ℣. 14.

3. Eam pacem ſubſecuturum eſſe excidium Ægypti & vaſtitatem ejus, ℣. 15.

4. Ex ea re *cognituros, quòd pronuncians hæc ſit Jehova*, ibid.

5. *Huncque threnum dictum iri à filiabus gentium ſuper Ægypto, & omni multitudine ejus*, id eſt, filias gentium in magnis cœtibus hæc de Pharaone & populo ejus dicturos, & amantes Ægyptum cauſam flendi habituros, ℣. 16.

Quandoquidem Ægyptus ſpiritualiter dicitur certum imperium, in quo Antichriſti thronus erigitur, oportet in hoc threno & exitum iſtius imperii contemplari.

Altera prophetia eſt quaſi conſolatio Pharaonis, poſtquam *unà cum filiabus gentium magnarum in orcum deſcendiſſet*, quarum ſcilicet ſors non eſt in altero ſæculo, unde & *præputiati* dicuntur; atque adeo *in medio confoſſorum gladio cecidiſſet, & omnis multitudo Ægypti gladio deleta eſſet*, ℣. 18. 19. 20.

Ad conſolationem autem Pharaonis enumerat quoſdam ſocios culpæ & pœnæ, qui ſimiliter ceciderint, *quia conſternationem ediderint in terra viventium*, id eſt, quia pacem hominum, ordinem rerumpublicarum, & pacem populi Dei turbaverint. Nominatim *Aſſyrium*, intellige illum, qui regnavit in Ninive, verſ. 22. 23. Tum *Elamitas*, qui videntur per Aſſyrios ſubacti. Tempore enim Abrahami fuit Cedar-Laomer rex Elam. verſ. 24. 25. Tum *Meſech & Tubal*, verſ. 26. quos etiam diſtinguit *à fortibus, qui cum aliqua laude occubuerint*, verſ. 27. Crediderim intelligi Scythas: nam & hos Herodotus teſtatur paruiſſe Aſſyriis. Annumerat etiam *Edomum, ejuſque reges & principes*. Confer Gen. 36. Nam per reges Iſraëlitarum

regnum

regnum Idumæorum sublatum est. vers. 29. Tum & *unctos Aquilonis*, reges Asiæ minoris, qui omnes venerant in potestatem Assyriorum; & *Sidonios*, qui excisi sunt, & quorum dignitas civitatis tandem in Tyro restituta est. ℣. 30.

Hisce igitur inventis in inferno, Pharaonem habiturum consolationem, asserit, vers. 31. ipsosque *dynastas fortium ex inferno ipsum advenientem allocuturos, ne ægrè ferat, si ipsis conjungatur*, vers. 21.

CAP. XXXIII.

I. 1. Triplici vel quadruplici Judæorum præjudicio occurrit. 1. *quòd dixerint, sua & patrum delicta ita accumulata esse, ut in iis contabescant, & vivere non possint*, quantumvis scilicet accuratè legem Dei observent, vers. 10. Respondet Deus cum *juramento, se non delectari nisi in conversione improbi, ut is vivat; morte verò improbi non delectari*, quasi resipiscenti non det veniam. *Convertantur ergo à viis suis malis*, vers. 11.

2. Declarat porro vim resipiscentiæ, & ex adverso ostendit impotentiam bonorum operum ad salvandum hominem, qui deficit, vers. 12. Judæi scilicet putant vulgò, bona facta & mala judicio Dei appendi & numerari, ut judicetur secundùm illa, quæ præponderaverint. At Deus prophetæ testatur, nulla bona facta homini prodesse, qui *defecerit* à vera justitia, id est, fidem permanentem non habuerit. Rursus, quando loquitur de salute *improbi*, hoc est, damnati aut damnationem promeriti, nullum bonum factum aut dictum præsupponit, quod ipsi sit causa vivendi. In sola autem conversione ad Deum certam salutem esse affirmat.

Ostendit porro, justitiam à Deo donatam non admittere, ut quis ei confidat ad peccandum: etiamsi Deus de justo dixerit, eum victurum, ℣. 13.

Illam certitudinem salutis resipiscentium adhuc magis exaggerat, & explicat simul resipiscentiam per specimina ejus, qualia sunt inter alia *judicium & justitiam facere*, id est, discernere cogitationibus, dictis, factis, inter bonum & malum, verum & falsum, populum Dei & hostes Dei; & id facere, quod ad acquirendum jus filiorum Dei pertinet, quodque justitia donata exigit: Tum in *statutis vitæ ambulare*, id est, proficere in cognitione & operatione eorum præceptorum, quibus vita annexa est, & quæ qui facit, in illis vivit, ℣. 14—16.

3. Tertio loco disputat contra criminationem viæ Dei, vers. 17—20. In quo & Israëlitas recriminatur, quòd illorum via non sit recta.

In synopsi repetit vias suas, quòd quum avertitur justus à justitia sua, sit moriturus, vers. 18. Quum aversus fuerit improbus ab improbitate sua, quòd sit victurus, ℣. 19.

Denique Deum quemque secundùm vias suas judicaturum, ℣. 20.

4. Detegit cogitationes Judæorum, qui relicti *erant in terra Israël*, post exilium decem Tribuum & deportationem aliorum cum Jechonia Babelem: *quòd nempe sibi, ut semini Abrahæ, pollicerentur possessionem terræ, & quidem tanto magis, quanto plures essent*, ℣. 24.

Vanam illam esse persuasionem arguit ab ipsorum peccatis. Et tum quoque subjungit, terram adhuc ampliùs esse desolandam, & templum exscindendum, ubi erat arca, quæ dicebatur arca roboris Dei: unde templum habebatur tanquam erectio roboris, sive id, in quo confidere possent tanquam in re insuperabili, ℣. 25—29.

Nar-

Narrat autem Propheta, hæc se vesperi liberè locutum, cùm mane adveniret, qui nunciaret, *percussam Hierosolymam*, vers. 21. 22. & confer vers. 33.

II. Tum verò *cognituros Israëlitas*, quòd hæc prænuntians *sit Jehova*, vers 29—33. In posterum autem Propheta se liberè locutum narrat, vers. 22.

CAP. XXXIV.

HOc capite abrogatur pastoribus Israël (tres illi ratione triplicis ordinis vel muneris, vide Zach. 11: 3. 8. Mal. 2: 12.) auctoritas pascendi: Et promittitur regnum Christi ἀρχιποίμενος.

1. Denuntiat pastoribus *væ*: Et quidem *quòd se ipsos paverint, oves non paverint*, ℣. 2. id est, quòd se ipsos saginaverint & vestiverint ex bonis populi, & vel opulentos vel sapientes populi tanquam opimas oves mactaverint: quòdque pastionem in sævissimum dominatum converterint, vers. 3. 4. 5.

2. Consequens neglecti officii schismata populi, deportationes, exilia per totum mundum extra terram sanctam, ubi agebant sine salutari institutione ex verbo Dei, vers. 6.

Orditur sententiam in pastores, juramento sententiæ Dei prærogato: Et causa movens exponitur, nempe misericordia erga oves malè habitas. Vide Matth. 9: 36. vers. 7. 8. 9.

Pronuntiat, se illis adversarium fore, & *requisiturum oves suas ex manu eorum*, id est, pœnam neglectarum ovium ab ipsis exacturum; & quidem ita, ut *ipsis officium pascendi abroget*, & non ampliùs oves possint pascere, aut eas devorare, ℣. 10.

Modus, quo id facturus sit: nempe quòd ipse curam ovium suarum sit suscepturus & eas lustraturus, vers. 11.

Eam lustrationem comparatione pastoris explicat, qui non tantùm oves singulas, sed & totum gregem lustrat, quando in medio ovium suarum est, quum illæ dissipatæ sunt.

3. Ulteriùs, *quòd eas ex omnibus locis sit erepturus, in quos dissipatæ erant, in die nubis & caliginis*, quam scilicet Deus inducturus esset in populos, quò illæ abactæ erant, ne cum illis interirent. Ita Deus Israëlem custodivit in casu dominationis Assyriorum, Persarum, Græcorum, vers. 12.

4. Pergit: se non tantùm erepturum & conservaturum, sed & *educturum ex populis & collecturum ex terris, & adducturum in terram suam*. *Eductio* facta est per Cyrum. Atque etiam ultimo tempore, cùm Deus Spiritum suum effunderet in Apostolos, collectæ Hierosolymæ fuerunt oves Dei ex omnibus populis. *Collectio* facta est, quando omnes tribus in nomen Judaïcum conspirarunt, & ab uno senatu regi vellent, vers. 13.

5. *Se oves reductas* in terram *pasturum in montibus Israël, in omnibus cavis & cœtibus terræ*, & quidem *pabulo bono, ut in montibus celsitatis Israël ipsarum sit mansio, & recubent in mansione bona, & pastu pingui pascantur*, ℣. 13. 14.

Explicatur hæc pastio, ut quæ futura sit immediata, ℣. 15.

Sese autem in illa pastione per misericordiam & justitiam *requisiturum perditam*, id est, non curatis à pastoribus sese exhibiturum; *Depulsam reducturum*, id est, aversos à via bona reducturum in viam, peccatores salvaturum; *Fractam*, id est, contritos corde, & lugentes, *obligaturum*, id est, consolaturum; *Ægram firmatu-*

maturum, id est, languentes propter defectum cibi recreantis animam refocillaturum per verbum vitæ. ℣. 16.

6. Contrà *opimam & validam profligaturum*, id est, divites & potentes populi, acquiescentes in illo statu, nec Christum aut justitiam ejus desiderantes, separaturum ab omnibus Tribubus Israëlis. Sic Luc. 1 : 52. 53. vers. 16.

7. *Pasturum* autem *eam* validam & opimam profligatam *cum judicio*, id est, ita quidem, ut Mosen & Prophetas ipsis det, neque Euangelium suum ipsis neget. Coguntur enim illud audire in omnibus ferè gentibus. Sed nec det illis hæreditatem mundi, & ut ventilet eos per omnes gentes, neque familiariter cum ipsis linguâ suâ, sed per literas & sermones gentium de justitia & salute colloquatur. ibid. vers. 16.

A pastoribus sese convertit ad *oves*, id est, eos, qui habebantur populus ipsius. Iis denuntiat, se judicium inter oves acturum. Confer Matth. 25 : 32. 33. ℣. 17.

Ad §. 1. Increpat eas, quòd, cùm haberent bonum pabulum & potum, non contenti de eo comedisse & bibisse, quantum satis ipsis videretur, *reliquum conculcarent pedibus & conturbarent*, id est, quòd veras oves Dei non paterentur sincerum verbum Dei percipere, sed suis nugis & figmentis corrumperent illud & falsarent; ita ut cogerentur oves Dei conculcatum & conturbatum edere & bibere, vers. 18. 19. Itemque, quòd violentiam exerceant in infirmos, vers. 21.

§. 5. & 6. Pronunciat ergo, *se judicium acturum inter ovem pinguem & macilentam*, id est, saturos & esurientes ac sitientes justitiam, ℣. 20. 22.

§. 5. *Seque salutem allaturum ovibus suis, ut non ampliùs sint direptioni*, vers. 22.

Salutem illustrat, quòd scilicet *pastorem unum ipsis excitaturus sit, servum suum David*, id est, Messiam filium Davidis. Ita *se ipsis fore in Deum, & servum suum Davidem ipsis fore Principem*. Christus enim debuit apparere illis 1. ut pastor docens. 2. ut pastor ponens animam suam pro ovibus suis. 3. debuit etiam inter illos manifestari ut Princeps. Hisce rebus Deus factus est ipsis in Deum, ℣. 23. 24.

8. Promittit *pacem fœdere ipsis addictam, feræ bestiæ averruncationem, ut sedeant securè in deserto & dormiant in nemoribus*, vers. 25. Confer Es. 11 : 16.

Tum etiam promittit benedictionem, *ut cibus ovibus Dei non desit*. Nempe *in omni circuitu collis sui*, id est, in toto mundo cingente montem Sion, *se daturum esse benedictionem*, vers. 26.

Tum arborem & terram daturam fructus suos, & oves Dei securè in terra sua acturas, id est, insignem mundi partem habituras sibi servientem, & quasi propriam, vers. 27.

9. *Imponitur jugum & servitus* ovibus Dei, ℣. 27.

10. Fiunt *direptio gentium, & laniatio ferarum*, inprimis Bestiarum Apocalypticarum, ℣. 28.

11. Tandemque *Deum verè agnoscunt*, beneficio inprimis liberationis à jugo & servitute, vers. 27.

Tum *cessat direptio gentium & laniatio ferarum*, & *habitant securè, nemine terrente*, vers. 28.

Tum *Deus excitat ipsis plantationem in nomen*, & *cessat fames & opprobrium gentium*, vers. 29.

Et cognoscunt oves vel etiam gentes, quòd *Jehova Deus ovium suarum sit cum ipsis, & quòd ipsæ sint populus ipsius*, domus Israël, ℣. 30.

Tandem

Tandem per Apostrophen Deus *oves suas compellat*, approprians illis nomen populi sui & domûs Israël, (ex vers. praecedenti) & *quòd ipse sit Deus ipsarum, etiamsi ipsae* sint nihil nisi *homines*, id est, non ex semine Abrahami, sed ex omnibus gentibus oriundi, ℣. 31.

C A P. XXXV.

Agitur hic de abolitione populi Judaici, qui sub nomine *Edom* & *montis Seir* hic figuratè significatur, tum quia Edom hoc tempore in multitudine Judaeorum continebatur, & pars populi erat, admissâ circumcisione & aliis ritibus; tum quia Judaei regem habebant ex genere Edomitico, unde & tota Judaea etiam à profanis scriptoribus Idumaea appellatur. ℣. 2.

1. Culpae Edomi hic notantur. I. quòd *inimicitiâ saeculi utatur*, & *per gladium filios Israël fecerit diffluere*, tum *in die calamitatis suae*, id est, quotiescunque calamitas aliqua Hierosolymam pressit, tum *in tempore peccati finis*. Notatur tempus abrumpendi tolerantiam Dei circa Israëlitas. Quo tempore peccatum ultimum commiserunt Israëlitae, quod peccatum finem attulit istius politiae. Eo tempore & Idumaei filios Israël interfecerunt, nempe Christum & ipsius Apostolos, Act. 12: 1. 2.

II[da] culpa, quòd dixerit Edom, *duas gentes & duas terras suas futuras jure haereditario*. Ostenditur absurditas hujus cogitationis, *cùm Jehova ibi exstiterit*, sive illas terras adierit & visitaverit.

2. Christus *manifestatur in duabus istis gentibus*, effusione Spiritûs Sancti, & omnis generis virtute, *cùm* ipsos Idumaeos *esset judicaturus*, ℣. 11.

3. Poenae. 1. generaliter dicit Deus, quòd *congredi* velit *cum monte Seir & manum suam in ipsum extendere*. In specie, quòd velit *eum desolatum efficere*, vers. 3. 4. *ut nullus sit*, *qui transeat* vel *redeat*, ℣. 7.

Deinde, interposito juramento, ostendit, *quòd montem Seir sit facturus sanguinem*, *quòdque sanguis illum sit persecuturus*, etiam in posterum; intellige sanguinem Apostolorum & Christianorum, qui etiam à gentibus, instigantibus & laetantibus Judaeis, interfecti sunt. ℣. 6.

Explicatur fusio sanguinis Idumaeorum, & quomodo mons Seir futurus sit sanguis, nempe *quum in montibus & acclivibus & omnibus alveis cadavera sint prosternenda*, vers. 8.

Declarat vastitatis illius durationem, *quòd scilicet ea sit perpetuanda*, puta, donec tempora gentium finiantur, vers. 9.

Rursus cum juramento denuntiat, *se ita cum ipsis acturum*, *ut ipsi egerint*, vers. 11—15. & *supplicium de ipsis sumturum*, vers. 11. f.

4. Ita cogerituros, *quòd ipse*, qui haec ipsis mala denuntiavit, & inflixit, *sit Jehova*, vers. 4. 9. Item cognituros, *quòd ipse Jehova audiverit omnia opprobria Edomi*, *quae dixerit super montibus Israël*, *dicendo*: *Vastati sunt*, *nobis dati sunt in cibum*, vers. 12. itaque *magnificaverint contra Jehovam os suum*, & *multiplicârint contra illum sermones suos*. ℣. 13. Adde vers. 15. f.

Nempe ex Idumaeis & Judaeis reliquiae crediderunt in Christum. Et ea devastatio est argumentum, quòd is sit Jehova, quem spreverunt, & secundùm cujus verbum desolati sunt.

Ad cognitionem sui in medio terrae addit *laetitiam terrae*, id est, fidelium

ex omnibus Tribubus Israëlis in oppositione vastitatis inflictæ Idumæis, vers. 14.

C A P. XXXVI.

IN hoc capite ostenditur, quomodo Deus sit vindicaturus montes Israëlis ex manu inimicorum, & non permissurus, ut illis cedant in hæreditatem, ℣. 2.

1. Inprimis declarat, *gentes undiquaque hoc egisse* perpetuâ vexatione populi Israëlitici, *ut eos montes occuparent*, vers. 3.

Præterea *diffamatam esse terram ab hominibus petulantibus* & temerariis, quemadmodum declaratur vers. 13. quasi comederet homines & orbas faceret gentes suas. vers. 3.

2. Adjungit statum præsentem illorum montium, quòd in iis sit *vastitas & solitudo*, quòdque *direptioni extiterint gentibus & subsannationi*, (de qua vers. 2.) vers. 4.

Quòdque *residuum gentium*, & *Idumæa tota, dederint terram sibi hæreditatem*, quòdque id fecerint *cum lætitia omnis cordis*, nempe *ob suburbanum illius terræ*, id est, propter agrum urbi circumpositum, in quo tentoria Israëlis, atque ita non propter urbem sanctam, in quam populus Dei ex tentoriis suis solebat convenire; item *cum impetu animæ*, quo usi sint non ad inhabitandum, & cum Israëlitis accedendum ad urbes Dei, sed *ad diripiendum*, vers. 5.

3. Hæc omnia in Deo *zelum* nominis & gloriæ suæ excitant adversus homines, qui talia faciunt, & *æstum*, vers. 5. 6.

Jurat igitur, *quòd gentes sint laturæ ignominiam suam*, vers. 7.

Montes autem *Israël sint daturi frondes & fructus populo suo Israël, cum appropinquaverint venire*, vers. 8.

Nam se respecturum ad ipsos, à quibus videatur discessisse, & *tum eos cultum iri & consitum*, vers. 9.

Tum *se multiplicaturum in ipsis homines*, nempe non gentes, sed *totam domum Israël*, & omnium tribuum homines; *ita ut urbes inhabitentur & erema ædificentur*, vers. 10.

Nec tantùm homines, sed *& pecudes*, & *utrosque creturos & fructificaturos*. Et se facturum, *ut montes habitentur ut antea*, *& se benefacturum ultra priora*, vers. 11.

Item se facturum, ut *per ipsos ambulent homines*, intellige in pace, qui in illo tempore vix ab hominibus adibantur, aut à latronibus & prædonibus insidebantur, *nempe populus suus Israël*; itemque, *ut hæreditent Israëlitæ montem*; quòdque is mons *non facturus sit illos orbos*. Intellige montem Judæ, qui propter templum præcipuè erat possidendus à populo Israël, vers. 12.

Infamationi terræ, quasi non satis tutum sit in ea habitare, & populo, qui vocatur Dei, conjungi, quòd *homines illa voret*, *& gentes suas orbas* faciat, sive propter ipsius terræ ingenium, sive propter situm, cui scilicet imminerent gentes inter se infestæ, Ægyptii & Assyrii, sive quòd res odiosa sit & contemta in gentibus, populum Dei vocari; huic, inquam, infamationi reponit promissionem, *in posterum terram non comesuram esse suos homines*, *& gentes suas orbas facturam*, vers. 13. 14. 15. Contrarium hîc subintelligendum est, nempe Deum multiplicaturum esse gentem, & eis longævitatem daturum.

Porro

Porro commemorat Deus, *sese æstum iræ suæ effudisse in Israëlem*, propter viam ipsorum, & studia ipsorum mala: & *propter sanguinem*, maximè prophetarum *effusum in terram*, tum *propter stercora ipsorum*, quæ ipsi quidem habebant in pretio, attamen erant *σκύβαλα*: *quódque ipsos disperserit per gentes*, in captivitate scilicet Assyriaca & Babylonica; *quódque ibi profanaverint nomen suum sanctum apud gentes*, quibus dixerint: *Hi tales sunt populus Dei*, & *ex terra sua exiverunt*, vers. 17—20.

4. Idcirco *se nominis sui quasi miseratione affectum*, vers. 21. *non propter ipsos*, decrevisse *sanctificare nomen suum magnum*, nempe per justitiam sive perfectam obedientiam, quæ sit causa vitæ dandæ peccatoribus, & per judicium, quo damnatur peccatum, ut justificetur Deus justificans improbum; *dum sanctificabitur in ipsis*, id est, in aliquo eorum, in fratre ipsorum & semine Abrahami, *coram oculis ipsorum*, Israëlitarum, qui id sint visuri, vers. 22. 23.

Ordinem ejus rei efficiendæ ostendit in seqq. cujus hi sunt articuli.

1. *Accipit Israëlitas ex gentibus*, ut cùm Zorobabel & Esdras eduxerunt Judæos ex Babylone: & *colligit ipsos ex omnibus terris*, datâ omnium tribuum hominibus potestate redeundi in terram, ut jam omnium tribuum reliquiæ in unum populum colligerentur: & *introducit eos in terram suam*, non tantùm ad habitandum, sed & ad sanctuarium visitandum, quamvis adhuc in διασποραῖς habitarent, vers. 24.

2. *Tum* igitur *se ipsos aspersurum aquis mundis*, id est, obedientiam justum facientem, quæ & res est munda in se, & habet vim tollendi reatum & sordes, eis imputaturum; *ut purificentur ab omnibus suis inquinamentis*, id est, auferatur reatus communis, omnibus incumbens, ut is ampliùs accusari non possit; & *purificentur à suis stercoribus*, id est, pravis de justitia consiliis. vers. 25. Hæc purificatio est consequens & fructus sanctificationis Dei in Israële, de qua suprà §. 4.

Et daturum ipsis, purificatis jam, *cor novum*, *auferendo* scilicet *cor lapideum*, & *dando cor carneum*, quæ est prima hominis novitas, cùm is primò convertitur ad Deum, in eumque credit; & *spiritum novum daturum in medium ipsorum*: quæ secunda novitas est, consistitque in ablatione tristitiæ & malæ conscientiæ sive formidantis, & datione lætitiæ, vers. 26.

Alterum principium regenerationis & mutationis cordis præter aquas mundas, hic adjicitur, nempe *Spiritus Dei*, cui potentia & *efficientia* tribuitur, *ut Israël in statutis* & *judiciis Dei ambulet*. Intelligitur primò præceptum fidei; deinde ea præcepta, quæ qui facit, vivit in eis. vers. 27.

3. Consequens μετανοίας & mutati cordis est benedictio: quòd *primò habitaturi sint in terra*, *quam Deus patribus ipsorum dedit*, vers. 28. Constat ex Actis Apostolicis, quanta fuerit pax in terra Israëlitica, quo tempore Euangelium primò prædicatum est; & quomodo in omnibus locis Ecclesiæ creverint, & pace usi sint.

Secundò, quòd *futuri sint ipsi in populum*, & *ipse illis futurus sit in Deum*. Significatur hic clara prædicatio verbi, ut Deo doctore, neglectis diis nuncupatitiis, veritatem discant, vers. 28.

4. *Tertiò*, quòd illos *salvaturus sit ab omnibus suis impuritatibus*, id est, à jugo legis ceremonialis, ne viderentur ampliùs accusari de reatu & impuritate: quod factum est sublato templo, vers. 29.

5. *Quartò*, quòd *vocaturus sit frumentum*, *idque multiplicaturus*; *ne sit*

ipsis fames. Significatur, fideles habituros copiam fratrum ex gentibus, vers. 29.

6. *Quintò* in hoc genere pergit, quòd *multiplicaturus sit fructum arborum & germen agri, ut non accipiant ampliùs exprobrationem famis in gentibus*. Ostenditur, Ecclesiam habituram etiam *arbores frugiferas*, hoc est, proceres protegentes, & simul cibo spirituali nutrientes cum feracitate totius mundi: ut fidelibus non possit objici paucitas sua, vers. 30.

7. Dum autem illæ benedictiones procedunt, incessit Ecclesiam *labes & corruptio*, tum quoad *vias*, tum quoad *studia ejus*, vers. 31.

8. *Pœnitet* autem ipsam tandem omnium *corruptelarum suarum*, cupiuntque ab iis repurgari. Quod fit in studio reformationis, vers. 31. Eam reformationem appellat *repurgationem à pravitatibus suis*, vers. 33.

Deum hæc facturum propter se & non propter ipsos. Quod ipsis inculcat, jubens id *cognoscere*, & injungens ipsis *pudorem à viis suis*, vers. 32. Hæc est prædicatio conveniens nostris temporibus, quæ per Dei gratiam etiam auditur in Ecclesia Reformata: in qua est abnegatio dignitatis nostræ, & perpetua increpatio vitiorum, ut pudeat nos nostri.

Benedicuntur Reformati in eo, quòd *facit Deus habitari oppida, & ædificari eremos*: quòdque *colatur terra, pro eo quòd fuerat solitudo*, cum *stupore hominum*, vers. 34. 35.

9. Potest subintelligi, quòd Reformatio non esset futura sine persecutionibus bellicis, eversionibus urbium & terrarum.

10. Tum daturum Deum pacem, & impleturum urbes, pagos, agros hominibus & fructibus.

11. Unde *gentes circumvicinæ cognituræ* sint, quòd *Deus & urbes reædificaverit, & vastata plantaverit*, vers. 36.

12. *Adhuc se responsurum Israëli, ut faciat eis*, dicit Deus. Nempe *se multiplicaturum ipsos hominibus, ut ovibus*, & quidem *ut ovibus sanctorum*, id est, ovibus, quæ separantur à tota gente Israëlitica ex pecuariis, ut offerantur Deo & sacerdotibus: imò *instar ovium Hierosolymæ in festis ejus*, cùm scilicet omnes, & quidem non vacuis manibus coram Deo comparerent, ac certatim victimas offerrent. Ita *civitates vastatas plenas fore ovibus hominibus: Et tum cognitum iri, quòd ipse sit Jehova*, vers. 37. 38.

CAP. XXXVII.

Cum Deus in fine cap. præced. inde à vers. 24. locutus esset de Israëlis restitutione in integrum, eam rem voluit typo aliquo & signo confirmare.

1. Typus primus sumitur à resurrectione mortuorum, usque ad vers. 15. Nimirum fides promissionis de reductione Israëlis in terram suam, deque sanctificatione Dei procuranda in ipsis, & eorum conversione & circumcisione cordis, & quidem per Spiritum filiationis, habetur coram Deo resuscitante mortuos. 1. quia resuscitatio mortuorum in vita promissa continetur. 2. quia omnia ista opera, ipsaque reductio in terram Zach. 4:6. per divinam potentiam, non humanâ ope, sed Spiritu Dei effici debent. 3. quia hæc beneficia erant conferenda adeo inhabilibus, quemadmodum mortui sunt ad vitam. Sicque regiones populorum, inter quos dispersi erant, habentur tanquam *sepulchra*; & reductio illorum in terram est quædam quasi vivificatio nempe ad restitutionem sacramentorum fœderis, & quandam lætitiam, & exspectationem adventûs Christi in proximum tempus.

Altera

Altera parabola sive typus in eo est: Jubetur Propheta duos baculos inscriptos nominibus Josephi & Judæ in manum accipere, ita ut fiant in manu ipsius unus baculus, sive hoc ita intelligendum sit, cohæsuros istos duos baculos in manu ipsius, ut sint unum lignum continuum, sive jubeatur in manu sua ita junctos tenere duos istos baculos, ut videantur esse unus baculus. Significatur omnium tribuum recollectio ex locis dispersionis suæ, ut reducantur ad eandem terram, & ibi vivant tanquam una gens. *Baculus* autem hic notat sceptrum, & duo regna esse coalitura in unum, ut in terra agnoscerent omnes unum templum, & uni parerent Senatui, Neh. 11:1. Hæc vers. 15—22.

2. Præter recollectionem & adunationem tribuum in unam gentem promittit, *fore regnum sub uno rege*. vers. 22. Non potest hic intelligi regnum Asmonæorum. Nam suprà cap. 21:31. 32. ostenderat, eam coronam non esse coronam illam promissam.

Bona promissa sub regno Christi exponit ista: *Primo, Salvatio ex omnibus locis suis, in quibus peccaverant*, vers. 23. Is est primus fructus mortis Christi, qui ceu fidelis *pastor* (vers. 24.) animam suam posuit pro grege suo; indicatus etiam Apostolo Gal. 1: 4. nempe quòd *per eam liberi facti & exemti ex sæculo hoc malo.*

Secundus fructus regni Christi est *purificatio ipsorum, ut ipsi Deo sint populus, & Jehova ipsis sit Deus*; quod fieri non potuit, nisi diis nuncupatis abolitis. Ideo statim addit, *Regem ipsorum fore Davidem servum suum, eundemque pastorem*, vers. 23. 24.

Tertiò promittit, *ipsos in judiciis Dei ambulaturos, & statuta ejus observaturos, & ea facturos.* Sunt ea 1. lex fidei: Deinde præcepta, quæ qui facit, vivit in iis: Denique præcepta de signis. Non quòd sub regno Christi signa illa sint usurpanda, sed quòd, quæ docentur per ista signa, fideles in veritate sint exercituri, vers. 24.

Notandum verò hæc habitura evidentissimum implementum tempore ultimo, cùm Deus reliquias populi sui colliget, Es. 11:11. 12. etiam eos, quos malo affecerat, Mich. 4:6. 7. Itaque, quæ hactenus à Propheta dicta sunt de Judæorum rejectione, & de Ecclesiæ variis tentationibus, ea hic subintelligenda sunt. Ideoque non sine causa hic יו נהיה ponitur, cùm dicitur, quòd super ipsis futurus sit rex, & quòd pastor unus *fiet* omnibus, id est, pro tali recipietur ab omnibus, postquam asseruerit regnum suum: atque ita fiet, ut in statutis Dei ambulent &c.

Tum igitur *quartò* promittit *fore, ut in terra, quam dederat servo suo Jacobo, in qua sederunt patres ipsorum, habitent ipsi & filii ipsorum ac nepotes, & Christum regem habeant in perpetuum*, vers. 25. Nos hic satis habemus, si exspectemus secundùm hanc Prophetiam, ut aliquando Euangelium regni Dei prædicetur per totam habitabilem, & omnes populi serviant Ecclesiæ, & sic Israël equitet in arcibus terræ. Quod quum fiet, etiam terra Israël erit Ecclesiæ Christianæ, & in ea Judæorum ad Christum pastorem animarum conversio, vers. 25.

Quintò promittit *fœdus pacis perpetuum*, id est, amicitiam & gratiam perpetuam. Ita ut 1. *illos det*, nempe Christo petenti hæreditatem. 2. *ipsos multiplicet*. 3. *det sanctuarium suum in medio ipsorum in perpetuum.* Quò pertinent, quæ Cap. XL. & seqq. de sanctuario dicuntur. 4. *ut sit habitatio sua super ipsis*, id est, quòd singuli futuri sint templum Dei, vers. 26. 27.

Addit: *Et fiam ipsis Deus, & ipsi fient mihi populus*, id est, magis magisque

eos

eos gratiâ meâ implebo, & illi me cognoſcent magis magiſque, & mihi adhæreſcent, verſ. 27.

Cumulat eas promiſſiones ſalute gentium, *quòd nempe eæ cognituræ ſint, ſe eſſe Jehovam ſanctificatorem Iſraëlis*, videntes *ſanctuarium ſuum in medio ipſorum eſſe in ſæculum*. verſ. 28.

CAP. XXXVIII. & XXXIX.

POſtquam Deus cap. 36: 34. 35. 36. tentationes & perſecutiones Eccleſiæ, quas tempore Reformationis ſubitura eſſet, & liberationem ex iis cum multiplici benedictione: atque etiam cap. 37: 25. Judæorum converſionem ad Deum ultimo tempore, quum prædicabitur Euangelium in toto mundo, indicaſſet; tum etiam *fœdus pacis perpetuum* populo ſuo promiſiſſet, verſ. 26;

In Cap. XXXVIII. & XXXIX. de Gogo agitur, ut turbaturo pacem Eccleſiæ; cujus caſu tandem Eccleſia ad pacem & plenam hæreditatem mundi perveniat, ut ipſi ſerviant omnia regna, utque recolligantur ſciſſi, ipſique Judæi indurati ad Eccleſiam aſſocientur. Quæ recollectio iteratò inculcatur cap. 39: 27. 28.

CAP. XXXVIII.

HOc capite deprehenditur Gog manifeſtatus in ultimo ſuo conatu.

Subjectum prophetiæ eſt *Gog*, quod ſubjectum conſideratur ut perſona, Princeps Meſech & Tubal. Id nomen accipi poteſt ut proprium, per alluſionem ad aliquem ex poſteris Reubenis, 1 Chron. 5: 4. ut notetur, 1. illum eſſe ex Eccleſia & ex illa exiviſſe. 2. primatum ſecundùm carnem obtinuiſſe, ut Ruben primogenitus filiorum Iſraël, & in eo Gog quinta generatio princeps tribûs paternæ fuit. 3. honore ſuo propter violatum lectum patris (dum ſe Sponſæ Chriſti Sponſum facit) excidiſſe. Tum etiam Gog eſt nomen proprium non diacriticum, ſed continens deſcriptionem ſui ſubjecti virtute nominis. *Gog* enim dicitur quaſi *Gag*, hoc eſt, *tectum*. Notat autem eum, qui ſe medium ponit inter Deum & homines, quemadmodum tectum intercedit inter cœlum & terram: quaſi non niſi per ipſum fides dirigatur in Chriſtum, & non niſi per ipſum benedictiones ſpirituales in Eccleſiam deſcendant.

Magog ſimiliter vi vocis ſignificat τὸ ὑπόστεγον ſeu ὑπώροφον, hoc eſt, terram illam, quæ ab iſto tecto contegitur eique ſubjicitur, videlicet Beſtiam à Pſeudopropheta rectam & inſeſſam. Clariùs, homines, qui per Antichriſtum, tanquam imaginem Chriſti, ſe in Chriſtum credere putant. Eſt autem appellativum id nomen, quod articulus præpoſitus demonſtrat.

Prima Gogi deſcriptio eſt, quòd ſit *Princeps primarius* in regno, ubi imperat. Diviſum enim regnum eſt in uno. Clerici ſecundùm omnia ſubſunt Papæ. Laici ſubſunt regibus, & cum regibus ſuis ſubſunt Papæ, etiam quoad temporalia, ſaltem indirectè. *Primarius* igitur Princeps eſt Gog.

Princeps Meſech & Tubal, hoc eſt, Sarmatarum & Iberorum ſive Hiſpanorum. Quia has gentes longè à ſemet invicem diſſitas, extremas in Europa, regno ſuo continet. Hæc verſ. 2.

Actus providentiæ divinæ circa Gogum ſunt iſti:

1. Re-

1. Reductio ejus ab idololatria gentilium ad cognitionem veritatis, per vocationis scilicet externæ acceptationem, ℣. 4.

Oportuit Antichristum exire ex Ecclesia sive ex *reductis*, & in Ecclesia thronum erigere.

2. Frenatio ejus per *dationem hamorum in maxillas ejus*, vers. 4.

Coërcitus scilicet est, ne statim in apertum prodiret, sed cogeretur per dolum in occulto tyrannidis suæ & impietatis jacere fundamenta, & gradatim ulteriùs procedere. Deinde frenavit illum Deus, ut cogeretur ad tempus Ecclesiæ Reformatæ pacem dare. Prior refrenatio facta est per potentiam gentilis Imperii & crebras persecutiones Christianorum. Deinde magis magisque se extulit.

3. *Eductio ejus & omnis exercitûs ejus* ad Ecclesiam Reformatam generali expeditione aggrediendam, vers. 4.

Memorat Ezechiel in exercitu Gogi *equos*, id est, gentes & populos cum suis capitibus, id est, principibus, & caudis, id est, Monachis & falsis doctoribus: Et *equites*, id est, Prælatos, quorum armatura mystica ex Apocalypsi petenda est. Hic dicuntur *induti* πανοπλία sive integrâ armaturâ. Nominatim memorantur *scutum magnum & parvum* protectionis potentiæ mundanæ principum politicorum magnorum & parvorum. *Gladii* affligentes. *Galea* falsæ auctoritatis. Nisi aptiùs intelligantur Protectores politici Capitis Ecclesiastici, qualis est is, quem Advocatum sedis Romanæ solent appellare; tum etiam alii monarchæ singuli in suis regnis capiti universalis Ecclesiæ, ut illi loquuntur, defensionem per sese præstantes, ut galea capiti humano. Dicitur *panegyris magna*, id est, hierarchia & unio multarum diœceseων, multorum item regnorum sub uno capite. Convenit *civitas magna*. ℣. 4. 5.

Nominat gentes, *quæ faciunt cum* equis & equitibus, iisque ancillantur, *Persas*, *Æthiopes*, *Putæos*, id est, Indos Orientales accolas Gangis & sinûs Persici; Africanos extremos; & Americanos, sive isti populi per exempla ista ultimarum gentium, sive propter originem ita indigitentur. *Put* quod attinet, statuunt, ejus posteros habitasse in angulo ultimo Africæ ad Occasum in Mauritania; ubi etiamnum non longè à Fesa fluvius Phut esse dicitur. Fuit autem frater Cuschi & Misrajim. Æthiopiam non omnem cum Gogo facere scimus: tamen eas partes Æthiopiæ & Africæ, unde magnus est Gogitis proventus, tanquam cum Gogo facientes, à Propheta notari putamus; licet, qui ibi favent Gogo, sint ex Europæis gentibus. Sed notum est ex eo loco, in quo habitat, quemvis censeri. Et verò Æthiopes ipsi magno numero Gogitis serviunt. Sin Putæi sunt in Barbaria, id est, America Africæ opposita, quatenus à Gogitis tenetur, ab illis Africanis ut cognatis & provenisse & appellatos esse putandum est. Nec opus fuit, ut Scriptura opes Gogitarum Africanas & Indicas & Americanas per catalogum exponeret. Satis fuit, si in parte totum notaret vers. 5.

Versus 6. adjicit *Gomer & Togarma*, fortasse Cimbros, (alii Galliam & Italiam) & Germanos, & *latera Aquilonis*, fortasse Austrios, eique annexos populos, ultimæ expeditionis tempore cum Gogo amicitiam culturos, ejusque conatus adjuturos. Gomer est pater Togarmæ. Togarma igitur gens est à cæteris Gomeritis propagine suâ profecta. Inter omnes convenit, esse utrosque in Europa nostra. Horum opibus suffarcinatus Gog impetum facturus erat in montes Israëlis.

· Prædicit Gogi ipsius ἐπιμανίαν & confirmationem, suique præparationem; aliorumque ad opus suum inductionem & excitationem, verbis: *Esto paratus & prapara tibi.* Item totius regni *congregationem ad ipsum* tanquam ad verum caput, quod ipsis sit *observationi*: quemadmodum milites circa regem excubare solent, vel sacerdotes circa sanctuarium excubabant, ne illud violaretur, omniaque ordine in eo fierent. Significantur hic 1. Receptio Papæ in caput, ut ad quem uniuntur 2. perfecta separatio ab Ecclesia Christi Reformata. 3. Hierarchia Papæ subordinata. Panegyris *tua*. 4. Fœdus Pontificiorum tum inter se, rum pro Papæ auctoritate & majestate, ut cui tanquam milites sacramentum dicunt, pro ipsius salute excubias acturi, ℣. 7.

Regnum fore longissimæ durationis innuitur; ita tamen ut certissimum finem sit habiturum, cùm dicitur, *post dies multos desideraberis*, non extabis, non invenieris ampliùs. vers. 8. Confer Apoc. 18: 21.

Modus, quo ad finem suum Gog sit perventurus, distinctè ostenditur; nimirum per expeditionem suam contra Ecclesiam, sive per conatum exscindendi Ecclesiam Reformatam; & quidem in fine annorum id futurum. Verba hæc sunt: *In extremo annorum venies in terram reductam à gladio.* Per *annos* hic commodè intelliguntur periodi temporis & status Ecclesiæ Novi Testamenti, quæ in Apocalypsi septem definitæ sunt.

Expeditio Gogi describitur per *Ingressum terræ*; sive Accessum ad *terram*, hoc est, Ecclesiam quandam, quæ sit 1. *reducta à gladio*, id est, à persecutionibus priscis Judæorum & gentilium, & novissimis circa initia Reformationis. 2. *collecta ex populis multis*, per prædicationem Euangelii ad unitatem fidei. 3. contesserata cum populo Israëlitico, dum in spiritu ex mundo transivit *ad montes Israëlis*, ad habitandum in iis. 4. *qui fuerint in vastitatem semper* per hæreticos, & postea per Antichristum procuratam. 5. Terram, *quæ ex populis educta sit* per Reformationem. 6. *Qui habitent securè*, vers. 8. Est in his hic annorum Ecclesiæ ordo, usque ad *annum* castigationis per Gogum.

1. Experitur gladium Judæorum & gentium. Denique & Gogi.
2. Reducitur à gladio & per vocationem Euangelicam liberè colligitur ex populis multis ad montes Israëlis, fidem Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, atque adeo habet similiter montes, in quibus habitat.
3. Montes illius sunt longæ vastationi obnoxii.
4. Educitur ex populis, id est, ex medio deficientium à Christo & populo Christi.
5. Tranquillitatem post eductionem experitur, & pacem.

4. Modus expeditionis & progressus sive successus indicatur. Modus: *Ut turbo venies.* Expeditio erit inexspectata & improvisa omnibus opprimendis propter dissimulationem causæ & intentionis. Successus: *Ut nubes ad tegendum terram eris*, id est, parum aberit, quin totam Ecclesiam sub umbraculum tuum & potestatem sis redacturus, ut rursus fiat terra Magog, sive *contecti*. vers. 9. Factum id, quando in Palatinatu, Bohemia, Moravia aliisque regionibus, in quibus doctrina Reformata publicè audita fuerat, dominationem suam restituit.

5. Postea cogitat, se eâdem facilitate hoc in aliis partibus Ecclesiæ effecturum: quoniam illæ nullâ potentiâ mundanâ sufficienti tanquam *muro* circumvallatæ sint, vers. 10. 11.

De

De iſtis diripiendis & poſtliminiò ſub poteſtatem redigendis cogitaturus erat, poſtquam *vaſta loca habitata* fuerint per populum Dei *collectum ex gentibus* ignorantibus Deum, *facientem pecuaria* multarum ovium, & *acquiſitionem* magnæ copiæ, & *habitantes in umbilico terræ*, quaſi in medio tùm Eccleſiæ Euangelicæ inter Ortum & Occaſum, tum totius Europæ inter Septentrionem & Meridiem.

Notum eſt, contra quos, obtentu rebellionis, nuper bellum geſſerit rex Hiſpaniæ, Gogi miniſter è primis, ut eos redigeret in poteſtatem. Apparuerunt etiam cogitationes conceptæ de vicinis regnis ad priſtinam obedientiam revocandis. In apricum prolata ſunt conſilia doloſæ reunionis.

Tam injuſta & tam minimè conveniens profeſſioni Papæ innuitur in prophetia, ut futuri ſint homines extra regnum Gogi, imò integri populi & regna, quæ damnatura ſint hanc Papæ expeditionem & affectationem imperii in totam Eccleſiam, verbis: *An ad agendum ſpolia tu veniſti? An ad agendum prædas congregaſti panegyrin tuam?* Tu, qui paſtorem te fers, ad diripiendum gregem Chriſti veniſti? *ad auferendum argentum & aurum*, id eſt, probitatem & fidem ab hominibus, imò Deum ipſum, qui eſt *aurum*, id eſt, ſummum bonum fidelium, eripiendum. Hæc increpatio tribuitur hominibus alienis & longè diſſitis, quales ſunt Turcæ, *Leunculi Tarſis*, & Sarraceni, *Sabæi* ſive Arabes; item *quæſtum facientes in Tarſis*, qui Chriſtiani in regnis Aſiæ minoris circumſitis mari mediterraneo, talentum ſuum fœnori exponentes, ℣. 13.

6. Quia igitur hypocriſis ipſius in apertam impudentiam eamque inexcuſabilem vertit, *jubet* Deus Prophetam *vaticinari contra illum*, eique explicare conſilium Dei de ipſo. verſ. 13.

Indicatur, fore, qui & ſecundùm alias prophetias, & ſecundùm hanc ipſius Ezechiëlis prophetiam conſilium Dei ipſi ob oculos ponant.

Conſilium Dei de Gogo, quod ipſi ex Ezechiële proponi jubet, eſt hoc: Quòd Deus ipſum hucuſque provexerit, ut *coram oculis gentium*, coram quibus manifeſtata fuerit ipſius impietas, *ſanctificetur Deus in ipſo*, id eſt, in ipſo oſtendat ſanctitatem ſuam, hoc eſt, quòd oderit omnem hypocriſin & omnes hypocritas, quales ſunt, qui ſuam claudicationem & ſuperſtitionem pro perfecta, imò pluſquam perfecta juſtitia venditant. Eſt autem Gog planè ſimilis Pharaoni, qui, cùm ei nuntiatum eſſet, quid Deus de ipſo conſtituiſſet facere, eo ipſo magis indurabatur. Vide Exod. 9:15.16. Hæc ℣. 14.15.16.

Deus ipſe quoque ſuo tempore alloquitur Gogum per fideles ſuos, & ori ipſorum indit verba, quibus, licet ſtupentes & admirantes, teſtentur, ſe deprehendiſſe, illum eſſe Gogum, quem putàrant eſſe alium, vel Turcam vel Antiochum, verbis: *An tu is es, de quo locutus ſum diebus priſcis per ſervos meos Prophetas Iſraëlis?* ℣. 17.

Nota regulam & canonem, ex qua Gog deprehendendus, convincendus, judicandus ſit, nimirum *Prophetarum dicta, qui prophetarunt in diebus illis, annis*, hoc eſt, omnibus periodis divinæ œconomiæ.

Ad verſ. 15. not. id, quod dicitur, *venturum è loco ſuo, à lateribus Aquilonis*, poſſe hoc ita intelligi, ut *locus* illius ſit *latera Aquilonis*, atque ita verum eſt, ſedem Antichriſti eſſe ſeptentrionaliora totius mundi, Europam ſcilicet pleramque. Cùm verò in eadem Europa Gogi locus à montibus Iſraëlis ſit ſeparatus, atque is ſit meridionalis reſpectu loci Iſraëlis, qui ſeptentrionalior eſt, &

prophetia hæc etiam aliam interpretationem duplicem habeat, quæ in hanc hypothesin Gogo examussim quadret, eam proponemus. Prima est per ἀσύνδετον; *à loco tuo*, metropoli Gogi, quæ in Italia est, *& à lateribus Aquilonis*, ex Austria, Stiria, Carinthia, quæ respectu Romæ sunt versus Septentrionem sita. Secunda: *E loco tuo à partibus Septentrionis*, hoc est, à latere septentrionali loci tui, ut expeditionem, egrediendo versus Septentrionem, suscipiat. Egressurus autem erat à parte loci sui Boreali contra Israëlem; ex Austria, Stiria, Carinthia &c. in Bohemiam, Germaniam, & Cimbriam usque; è Flandria quoque, Brabantia, à Meridie versus Aquilonem in Belgium Fœderatum.

7. *Die, quo venit Gog contra terram Israëlis, ascendit ardor Dei in nasum suum*, vers. 18.

Ira Dei per gradus amplificatur, *ardor, zelus, ignis excandescentiæ*, ℣. 18. 19.

Hujus iræ effectus est primò *terræ motus magnus in Israël*, vers. 19. Significatur bellum ingens & concussio multorum regnorum, ipsorumque montium Israëlis, hoc est, populorum, in quibus Ecclesia Reformata Euangelica est. Est hæc pars judicii Gogi, quòd pacatam & tranquillam Ecclesiam, ut erat, non poterit opprimere, sed cogitur magnos terræ motus experiri, & in iis periclitari.

Magnitudo terræ motûs indicatur ab amplitudine & consequentibus: *Commovebuntur à facie mea pisces maris & volucres cœli & feræ agri, & reptile, & homo.* Figuratè notantur omnis generis homines, populi, gentes. Ita ut generalis sit terræ motus, nullaque regna, nulli populi à bellis sint immunes; concutiantur scilicet Pontificii, Euangelici, Reformati, omnes *Homines*, hoc est, fideles, in quibus est imago Dei.

Consequens terræ motûs: *Evertentur montes, cadent fastigia, omnis murus in terram cadet*, vers. 20. Regna, reges, urbes, potentia humana omne genus destruentur.

8. Effectus iræ alter: *Vocabo in montes omnes meos contra ipsum gladium*, ℣. 21. Quum terræ motum videbitur superasse & domesticam resistentiam, & jam ceciderint montes, fastigia, muri in terra Israël, non tamen & sic vincet. Nam in omnes montes meos contra ipsum vocabo *gladium*, externum scilicet, verbi causâ, in Bohemiam, Silesiam, Palatinatum, Germaniam, &c. ubique externum gladium ipsi objiciam. Nullam partem montium meorum securè obtinebit.

9. Tertius effectus iræ: *Gladius fratris contra fratrem erit.* ibid. vers. 21. Socios, fratres, affines, qui sunt de subditis ejus, atque ita de exercitu ejus, inter ipsos committam, & faciam gravi bello confligere. ut Gallus contra Hispanum, Lusitanus contra eundem, Itali inter se & contra Papam, & simil.

10. Quartus iræ effectus: *Et disceptabo cum ipso in pestilentia & in sanguine, & imbre inundante & grandine magnâ, igne, sulfure.* vers. 22. Talia & Apoc. habet cap. 16. sub phiala septima.

11. Scopus hujus judicii & effectus quintus. Scopus: *Magnificabo me & sanctificabo me & cognoscendum me præbebo ante oculos gentium multarum*, vers. 23. Destruendo destructores terræ & eripiendo Ecclesiam meam, nullis humanis viribus subnixam, ostendam me illum, qui agnoscor & celebror in Ecclesia mea, *magnum*, majorem scilicet omnibus magnis, & *sanctum*, vindicem omnis impietatis & injustitiæ veritatem in injustitia detinentium. Effectus: *Et cognoscent*, quòd

quòd ego ſim Jehova. Chriſtum Filium Dei, ſolum regem Eccleſiæ, promiſſiones Dei, illarumque implementa in gratia & veritate cognoſcent, ℣. 23.

C A P. XXXIX.

HOc capite totus Gog proponitur: Ultimum verò conatum Gogi pleniùs explicat: Exitum verò in ſummam colligit. Uberiùs deſcribit I. Providentiam Dei circa Gogum, tum in progreſſu, tum in dejectione ejus, uſque ad verſ. 6. Articuli ſunt iſti:

1. *Reductio*, vel *converſio* ejus ab idololatria gentili ſcilicet ad profeſſionem Chriſtianæ religionis, verſ. 2.

2. *Et ſextabo te.* Poſtquam converſus fueris quoad labium, quia non es integer, imponam tibi nomen & numerum Beſtiæ, ut diſtinguaris ab Eccleſia vera, verſ. 2. Scilicet numerus Eccleſiæ 144000. Apoc. 14: 1. conflatur ex 12, & per 12 exigitur, quo deſignetur multitudo multorum millium inædificata in domum Dei ſuper fundamento Prophetarum & Apoſtolorum, id eſt, Chriſto rege, quem illi fundamentum prædicarunt. Numerus beſtiæ 666, Apoc. 13: 18. non per 12, ſed per ſenarium exigitur. Gog & Magog ſcilicet ſunt tantùm dimidiati Chriſtiani. Quòd ſi per 12 dividas eum numerum, ſuperſunt ſex. Namque per ſenarium Canonum & Legum Papalium (quem perfecit & magno elogio oſtentavit Bonifacius VIII.) à fundamento duodecim Apoſtolorum diſtinguuntur.

3. *Provectio. Et aſcendere te faciam à lateribus Aquilonis*, verſ. 2. id eſt, in Septentrione totius mundi, in Europa, maximè creſcet auctoritas tua, inprimis per Germaniam & ei annexa regna: Et ex illis partibus oſtentabis auctoritatem tuam, & imminebis Græcis, Africanis & Aſiaticis Eccleſiis: quanquam non efficies, ut eos ſubjicias tibi.

4. Permiſſio invadendi Eccleſiam in partibus ejus, videlicet in Septentrione, poſtquam ea reformata & à cœtu Gogi ſeparata fuerit, & jam certum locum in *montibus*, hoc eſt, regnis & populis, obtinuerit: *Et adducam te in montes Iſraëlis*, verſ. 2.

5. Impeditur invaſio ad tempus: *Et excutiam arcum tuum è læva tua; & tela tua ex dextra tua cadere faciam*, verſ. 3. Cogam te deponere arma tua, & ſpeciem pacati aſſumere. Factum hoc inſigniter eſt anno 1552. quum Pontifici & toti regno ejus pacificatio religionis cauſâ extorta eſt. Tum *Arcus Gogi* Carolus V. non tantùm percutitur, ſed etiam è manu Gogi excutitur, ne eo ampliùs abuteretur Gog ad terrendam & exſcindendam Eccleſiam. Coactus eſt enim deponere Imperium.

6. Poſt temporis alicujus refrenationem *in montes Iſraëlis* adducitur, verſ. 4.

7. *Ibi* tandem *cadit*, ipſe & omnes alæ ejus, *& populi, qui cum ipſo ſunt*, ℣. 4.

8. *Traditio ejus in cibum volatili cœli & feris agri*, verſ. 4.

9. *Proſtratio ejus in facie agri*, verſ. 5. Significatur, ſanctiſſimum Patrem pedibus omnium iri ſubjectum. Sed etiam poteſt hoc de caſu ſpirituali & cadaveribus vivis (Apoc. 19: 20. Zach. 14: 12.) intelligi.

Poteſt talis eventus concipi, ſi Gogo ſceptrum ipſius à potente aliquo Monarcha, tanquam Turca, auferatur, atque interim Eccleſia floreat, vel ſaltem libera

bera sit, liberèque ædificetur. Tum verò Gog cum ministris suis fit cadaver, & moritur ambulans, conjectus vivus in stagnum ignis.

IIda pars capitis explicat ordinem Reformationis Ecclesiæ. Habet ea gradus tres. Suntque

A. 1. *Notificatio nominis Dei in Israële*, id est, *Ecclesia*, ut scilicet, quoad fundamentum, intelligant, quæ sit veritas. Inprimis verò ut principium fidei constituant solam Scripturam oppositam traditionibus non scriptis. Quod enim in Scripturis continetur, id est vera Dei descriptio & quasi denominatio. *Profanatio nominis Dei* in eo fuerat, quòd testimonium Dei de semetipso non ita intelligitur & recipitur, ut traditum est; quòd Scriptura ipsa non est in auctoritate, quam meretur. Dum ergo notificat Deus nomen suum, *non sinit illud profanari* ampliùs. vers. 7.

2. Notificatio nominis Dei ad Israëlem est *missio ignis in Magog*, ut scilicet inter se pugnent de veritate religionis & obedientia Papæ præstanda, &c. vers. 6.

3. Eventus notificationis nominis Dei in Israële, & ignis accensi in Magog est hic: *Cognoscent Magog & gentes, quòd ego sim Jehova sanctus in Israële*, id est, cognoscent, quòd ego reverâ in Christo exhibuerim meas promissiones, quòdque ab illo solo Israël sanctitatem suam habeat, sive redemtionem, sive regenerationem, aut justificationem spectes, ipsumque solum testem, sacerdotem, regem habeat. Hæc enim veritas per Gogum obscurata fuerat hactenus. vers. 6. Verba etiam sic construi possunt: *quòd Ego, sanctus in Israële, sim Jehova*, quòdque in Magog non sit verus Jehova.

Prophetiæ hujus evidentia innuitur, vers. 8. *Ecce venit & factum est, ait Dominus Deus. Ille est dies, quem locutus sum.* Notatur, fore, qui nomine Dei tempus diemque implementi hujus prophetiæ aliarumque similium indicent.

B. Secundus gradus Reformationis exhibetur sub schemate *combustionis armorum, & spoliationis spoliatorum suorum*. vers. 9. & alterâ parte 10. cujus rei causa efficiens dicuntur *habitantes oppida Israëlis*, id est, habentes quosdam cœtus per prædicationem verbi & administrationem sacramentorum collectos & in unitate conservatos, eosdemque separatos à communione Gogi. *Combustio armaturæ* significat abolitionem Hierarchiæ Papalis, in qua sunt, qui ceu *clypeus* pacem præbent, Principes; Sunt, qui se habent ut *scutum*, defendentes causam, Doctores; Qui auctoritatem habent ad judicandum, *Arcus*. quibus subsunt missi ab illis Decretorum exsecutores; Sunt, qui *baculo* utuntur potestatis insigni Judices urbani; Sunt præliatores, qui *hastis* utuntur. Solenne Prophetis ministros regiminis per *vasa* vel *armaturam* designare. Ministri Papales in multis partibus mundi per prædicationem Euangelii aboliti sunt. In Belgio septem chiliades, sive ἡγεμονίαι Episcopales, & septem tituli politici, *nomina hominum* abolita sunt. In Britannia, quicquid pro Papa militavit, exterminatum est. Idem factum in Dania, Suedia &c.

Egrediuntur ad comburendum arma, id est, propagantur cum eo effectu. *Spoliatio* significat plebes Gogo olim subjectas, combustis armis ejus, traductas esse in partes Ecclesiæ Euangelicæ. *Deprædatio* significat, reformationem alicubi vi factam esse, sive per tumultum, sive per auctoritatem magistratuum.

Hujus combustionis terminus & limitatio notanda sunt.

Terminus: *Septem anni*. *Annus* ænigmaticè hîc notat magnam temporis & quasi perfectam periodum, qualis est periodus decem annorum. Atque ita etiam

alibi

alibi prophetia hoc tempus *septuaginta annis* mensurat, Es. 23: 14.

Anno 1552. pax religionis Passavii facta & triennio post Augustæ confirmata est. Hujus sæculi anno 22. post Bohemiam Palatinatus inferior subactus, Academia Pragensis & Heidelbergensis Jesuitis tradita, novi cœlites à Papa creati, alia ad restaurandam Papalem dominationem instituta. Septem decades intercedunt.

Limitatio combustionis vers. 10. principio continetur, parenthesi secludenda: *Et non capient ligna* (sive arbores) *ab agro, neque cædent ex sylvis; sed armaturam cremabunt.* Significatur, dum abolebitur Armaturæ Pontificiæ lignum, non tamen in Ecclesia statim abolendum esse Episcopalem apicem, & si quid ei affine est, supra ordinem docendi & ducendi sese elevans. Tolerari ista poterant, dummodò se non præstarent Armaturam Gogi. Manserunt autem partim in *Agro*, id est, ea parte Ecclesiæ Protestantium, quæ *Agri* similitudinem habet ob raras Arbores umbriferas, hoc est, Episcopos presbyterio dominantes; partim in *Sylva*, id est, ea parte Ecclesiæ Reformatæ, quæ frequentes habet istarum arborum magnarum & parvarum ordines. Haud inepta etiam videri queat explicatio hujus coli, quòd in ea combustio armaturæ Papalis in plerisque partibus haud auxiliis aliunde accersitis, sed per ipsos illos ministros, qui antea Papæ inserviérant, sive Principes sive Doctores, futura fuerit.

C. Tertius gradus Reformationis exhibetur sub schemate *Repurgationis terræ*, vers. 11--16. Collocato enim fundamento & principio vero fidei per notificationem nominis Dei, abrogatisque Papalibus potestatibus, consequens erat, ut, si quid reliquum esset vel subinveheretur fermenti in doctrina aut regimine, id expurgaretur. Habet autem hæc expurgatio partes quatuor. Eæ sunt

1. Examinatio & rejectio doctrinæ Pontificiæ in Concilio Tridentino expositæ, sub metaphora *sepulturæ Gogi & turbæ ejus*, ℣. 11. 12.

Ostenditur autem occasio sepeliendi, sive inter spiritualiter mortuos ponendi, Gogum & cœtum ejus, congregatio Concilii in ipsis partibus Ecclesiæ, in ora Germaniæ: *Die illo dabo locum Gogo, ubi* erit *sepulchrum, in Israële; vallem transeuntium versùs Orientem maris.* Necesse erat scilicet extare formulam aliquam, per quam fieret Gogicorum ab Ecclesia divisio. Datur ergo locus Gogo *in Israële*, id est, intra fines ejus terræ, in qua Ecclesia Euangelica refloruit. In quodam enim montium, quos occupat Israël, relinquitur & Gogo locus. In Germania scilicet. Datus autem est locus *vallis*, inter montes situs, montes procul dubio, qui Gogi ditionem extremam in vicinia terræ Ecclesiæ determinant. Hi Alpes sunt. Sed in quo tractu? Quà iter est ad mare ex terra Ecclesiæ Euangelicæ illis, qui volunt mare trajicere, ut accedant terram eam, quæ est ultra mare ad Orientem. Luculentissima hæc descriptio est vallis Tridentinæ, per quam est via à Septentrione, è Germania, in Palæstinam ultra mare ad ortum sitam. Tridui itinere distat Venetiis. Unde navibus Oriens petitur brevissimè iis, qui è Germania ac toto Septentrione tendunt. Mare autem absolutè dicitur sine epitheto illud, quod ad Occidentem terræ sanctæ positum est.

Opus Gogi & Senatûs ejus in ea valle indicatur: *Et erit frenans illa vallis transeuntes.* Actio Gogi in hac valle ipsi valli tribuitur. *Frenat* in hac valle *transeuntes*, hoc est, eos, qui eunt versus Hierosolymam, quæ est trans mare ad ortum, ut inde legem ac testimonium petant. Nam ex Sione lex exivit, Es. 2: 3. Eos suis decretis & anathematis, quasi lupato injecto, frenavit ac cohibuit,

buit, quantum in se est, ne transire ulteriùs auderent, sed à sese in hac Valle leges dictante verbum Dei accipiant, vers. 11.

Effectus hujus frenationis: *Et sepelient ibi Gogum & omnem turbam ejus*, ℣. 11. Concilium à Gogo illic congregatum 1. talia decreta ibi faciet, quibus ostendet, Gogum & omnes, qui cum ipso faciunt, planè esse mortuos & excoecatos, ne possint videre veritatem. 2. iis decretis addent anathemata, quibus se separent à communione transeuntium Hierosolymam versus, id est, *terra viventium*.

Ea separatio ipso indigitamento innotescet. *Appellabunt enim eam, Vallis Multitudinis Gog*, id est, ea vallis, unde Ecclesia Catholica Papæ, quæ Romana dicitur, legem accipit, unde pendet, ubi sepulta est. Opponitur multitudo gentium promissa Abrahamo, quæ animo transit Sionem versus, & inde animis pendet. Hactenus vers. 11.

Visa est occasio sepeliendi Gogum, quòd nempe ipse Gogi Senatus in barathrum suum Tridenti sepelivit Gogum & Ecclesiam ejus. Consequitur ergo, ut & ipse Israël officio sepeliendi fungatur. In commune id enunciatur: *Et sepelient eos domus Israëlis, ad purgandam terram*, vers. 12. Quemadmodum Tridenti Euangelicis anathema dixerunt, quo se ipsos à cœtu viventium separarunt, ita vicissim Euangelici omnes doctrinam Tridentinam & qui eam recipiunt, post serium examen in universum & particulatim explodunt, detestantur, & contra fundamentum fidei esse judicant: idque faciunt eo fine, ut cum aliis peccatis nihil habeant commune, & civitatem Dei expurgent ab omnibus operam dantibus vanitati.

Distinctiùs id dicitur vers. 13. & parte 14. quomodo Israël in eo officio sudaverit. Nimirum toti cœtus secundùm mensuram doni sui, vers. 13. *Et sepelient omnis populus terræ; & erit eis in nomen, die, quo glorificabor, ait Dominus Deus.* Ita glorificabor, itáque manifestabitur nomen meum, ut nullus de populo futurus sit, qui non intelligat discrimen Israëlis & Gogi, & Gogi doctrinam ejuret. Confer Es. 35:8. Consequens: *Erit ipsis in nomen*, hoc est, à repurgatione terræ nominabuntur Reformati, à prædicatione Euangelii Euangelici: Exibit hujus reformationis fama & gloria in totum mundum.

Nec tantùm populus in universum, sed & Præpositi secundùm mensuram doni sui huic operi incumbent, vers. 14. *Et viros perpetuos separabunt Transeuntes per terram sepelientes cum Transeuntibus reliquos in facie terræ, ad purgandum illam.* Distinguuntur à populo terræ ii, quorum est officium *transire* ab uno ad alterum, inspicere omnia, lustrare, non tantùm ad curationem singulorum, sed & ad amovendum omne mortuum & impurans terram. Ordinarii Pastores sine dubio intelliguntur, non nomine, sed re Episcopi, curantes gregem. Præter eos, qui ita lustrant, ut doceant, signantur etiam alii *Transeuntes, viri perpetui à populo terræ separati.* Ii presbyteri, non quidem laborantes in verbo, sed tamen habentes donum κυβερνήσεως & ἀντιλήψεως, gubernationis & opitulationis, lecti ex populo, ut cum Ministris curent & visitent Ecclesiam, non tantùm in publica congregatione, sed etiam domatim: qui, expleto tempore ministerii sui, locum aliis faciunt, ut ita, personis mutatis, integrum & uniforme semper sit presbyterium.

Sic ergo domus Israël tum in universum, tum per presbyteria concorditer sepelivit Gogum per tempus aliquod. Id tempus designatur *septem menses*, qui nisi propriè accipiantur, ænigmaticè habent proportionem ad *septem annos* superiùs me-

memoratos, quatenus ii septem annorum decades significant. Itaque nobis facient annos quinque & menses decem; verbo, prope sexennium. Ii ab illo tempore verisimiliter inchoantur, quo in valle multitudinis Gogi Gog à suis sepultus est, sive hoc factum fuerit primo decreto, quo sancivit falsam doctrinam, Seff. 3. Anno 1546. die 5. Aprilis. quod consuetudines Romanas à Papis approbatas, opinionesque Ecclesiæ Romanæ ab eisdem confirmatas, sub nomine *traditionum à Christo & Apostolis acceptarum, pari pietatis affectu & reverentiâ ac Scripturas, suscipit ac veneratur*; idque faciendum sub anathemate præcipit: quod Canonem facit eique non Canonicos libros infercit: quod Latinam versionem facit authenticam: quod Scripturam subjicit interpretationi matris Ecclesiæ, hoc est, suæ, suam Papæ; Sive iis Actibus, qui Synodi dissipationem factam Anno 1552. præcesserunt: quo etiam anno die 24. Januarii, Legati Mauritii & Wirtembergenses & Argentinenses tum liberâ oratione tum confessione propositâ, multa Decreta Synodi superioribus annis facta cum Scripturis pugnare declarantes, eaque retractari postulantes, in ipsa illa Valle Gogi in congregatione Generali in ædibus Legati Pontificii junctim Gogum inprimis & omnem cœtum ejus sepeliverunt; Sive in ultima Sessione habita vel continuata Anni 1562. die 4. Decembris, cùm paulo post, nimirum 26. Januarii Anni sequentis, Pius Papa Synodi decreta omnia confirmaret.

2. Secunda pars expurgationis Ecclesiæ consistit in *scrutatione* facienda intra ipsum Ecclesiæ Euangelicæ corpus. Ita ut in se mutuò inquirant, si fortè sit aliquis, qui nomen habeat, quòd vivat & sit mortuus, Apoc. 3: 1. ℣. 14.

Tempus instituendæ scrutationis, *A fine septem mensium*, sive elapsis illis annis quinque & mensibus decem.

Controversia de Sacra Cœna à Joachimo Westphalo resuscitata est, Laurentio Surio teste, Anno 1552. qui est annus sextus post Sessionem tertiam Concilii: & annus non totus post Sessionem 14. quâ ultimò, ante dissipationem, plurima decreta & canones editi sunt. Anno 1568. mense Octobri inchoatum est Colloquium Altemburgense de justificatione & bonis operibus, in quo se Euangelici scrutati sunt mutuò, utrum fundamentum tenerent, an cum Pontificiis quidam ab eo discederent. Intercedunt quinque anni & decem menses ab ultima Synodi sententia, usque ad dictam fratrum scrutationem de præcipuo fidei Christianæ articulo. Et sic in posterum mansit cum suspicionibus, cum innovationibus formularum loquendi & retentione vetusti erroris scrutatio & exploratio fratrum.

3. Tertius expurgationis actus, *dum Transeuntes transeunt terram*, est *animadversio* ac detectio *Sceleti hominis*, id est, doctrinæ mortuæ in Ecclesiæ membris quibusdam, quamvis quoad exteriora, professionem scilicet Christi, & conversationem fortè quibusdam in rebus honestam, *hominem* repræsentent, cùm intùs nullum spiritum, nullam vitam habeant, aut saltem, si doctrinam spectes, pro mortuis habendi sint; tum *circa eam* doctrinam mortuam *ædificatio monumenti*, id est, admonitio & confutatio etiam publicè voce vel scriptis facta, ut quivis intelligat, eam non esse doctrinam vitæ, sibique caveat ab ea & consortio illorum, qui eam proponunt; tum denique ejus tanquam *sepultura* sive rejectio extra Ecclesiam, terram viventium, *in vallem turbæ Gogi*, per *sepelientes*, hoc est, illos, qui ad sepeliendum lecti sunt, Pastores & rectores Ecclesiæ, quorum tandem est conjunctim tum in Classibus, tum in Synodis judicare de illa doctrina, quòd ea in Ecclesia sonare non debeat, & inemendabiles ex cœtu ejicere, cùm ædifica-

tio notæ juxta sceleton per singulos, qui id adverterint, fieri possit, vers. 15.

Non dubitamus, quin, qui hæc legent, quibusque non ignotum est, quid in Ecclesia Reformata Anno 1619. factum sit, intelligant, de quo Actu Ecclesiæ loquatur Prophetia. Ipsorum, qui hic notantur, speculum vide 2 Pet. 2: 17---22.

4. Quartus expurgationis gradus est Abolitio *Nominis* urbis magnæ reliqui in Ecclesia: *Atque etiam Nomen Urbis Hamonah*, repete ex præced. versu, *sepeliant*, vers. 16. Id est nomen illud urbis magnæ, quæ Ecclesia Catholica falsò dicitur, quia multitudinem gentium Abrahamo promissam falsò putat in civitatem suam collectam esse. Per *nomen* auctoritas & præeminentia significatur, à qua sese alii denominent, cui jurent & sacramentum dicant, ut, quicquid dicant vel faciant in nomine illo, rectè fecisse videantur. Tale nomen Urbis magnæ reliquum in Ecclesia est *Episcopus* presbytero prælatus & presbyterium sibi subjiciens. Quemadmodum sup. vers. 10. dictum est, quum armatura Gogi combureretur, in Agro partim raros aut nullos mansisse istius nominis; in Sylva vindemiæ multos.

Ii in honore & pretio fuerunt, quamdiu Gogum sepeliverunt. Postquam cœperunt sepulta refodere, nomen suum divinæ jussionis colore exornare, compresbyteros contemnere, sanguine se maculare; postquam cœperunt quidam Sceleti sepulturam dolentes per hos Nomen urbis magnæ in Israëlem reducere conari, ut Papis & Episcopis denuò orbis Ecclesiæ subjiceretur: vidimus in tribus regnis Nomen hoc sepultum ad tempus, & unà id detractum iis, qui id gerebant. Postquam revixit, adhuc exspectamus, ut erubescat Sol & pudefiat Luna, & Rex sit Dominus in monte Sion & Hierosolyma, & coram *Senioribus* ejus sit gloria, Es. 24: 24.

III[tia] pars Capitis describit judicium Gogi, vers. 17---20. In quibus est *invitatio volucrium & ferarum terræ, ut congregatæ veniant ad cœnam Dei.* Verba sunt expressa & metaphora illustris. Intellige cladem Gogi extremam, quâ prosternetur, de qua sup. in summa recensione judiciorum Gogi, vers. 4. colo posteriori. *Dedi te omni volatili cœli & feris agri in cibum.* Hæc est hypotyposis ultima casûs Babylonis. Qui etiam sub imagine cædis magnæ & epuli parati volucribus cœli exhibetur Apoc. 19: 17. Notamus tantùm triplicem doctrinam inter verba Ezechiëlis & Apocalypseos. 1. quòd Ezechiel invitat *aves & feras terræ*; Apocalypsis tantùm *aves volantes in medio cœlo.* 2. quòd Ezechiel epulum instruit *in montibus Israelis*, de quo nihil in Apocalypsi. 3. quòd Apocalypsis invitantem facit Angelum stantem in Sole. Unde colligere est, Apocalypsin dicere partem ejus, quod Ezechiel totum designat. Ezechiel conjungit, quod in montibus Israëlis & extra illos peragendum est. Apocalypsis videtur hoc postremum tantùm significare. Ad priorem partem Epuli magni pertinet cap. 38: 21. *Et vocabo contra ipsum in omnes montes meos gladium.* Item Es. 25: 6. Ad alteram partem specialiùs, ut videtur, pertinent cap. 39: 18. 19. Es. 25: 7. 8.

Aves vocatæ in Apocalypsi certum hominum genus denotant. Et sanè suo modo *Aves* intra cœlum & terram volantes sunt optimum hieroglyphicum Musulmanorum, qui nec Judæi, nec Gentiles, nec Christiani sunt, sed aliquid medium.

IV[ta] pars Capitis agit de Judicii Gogo irrogati effectibus, & consequentibus beneficiis in Ecclesiam conferendis.

A. Effecta

A. Effecta sunt tria:

1. Experimentalis cognitio in gentibus alienatis ab Ecclesia, Praecellentiae Dei (qui rex Ecclesiae solus est.) & justitiae in judicio, & potentiae in plaga, ℣. 21.

2. Cognitio Ecclesiae in posterum non obscuranda de Regno Christi solitario cum nemine communicando: *Et cognoscent Domus Israël, quòd Ego Jehova Deus ipsorum sim, ab illo die & in posterum*, vers. 22. In Christum solum Filium Dei, ipsumque verè Jehovam, credent, eique se docendos per verbum suum committent; citra auctoritatem humanam eo uniente continebuntur; per ministros ejus nullâ potentiâ humanâ instructos gubernabuntur, eisque obedientes, loquentibus in nomine Dei, ostendent, se non hominibus, sed Deo obedire. Nomen Urbis magnae sepultum manebit. Praeterea Sceleton hominis defossum non refodietur, ut quis putet in Ecclesia Vim suam esse Deum suum, hoc est, se posse per se ipsum salvari. Quod non tantùm de aeterna, sed & de temporali salute accipiendum est. Quo in genere multi peccare horrendum in modum videntur, qui faciunt brachium humanum causam salutis suae, & in *feris terrae* omnem spem repositam habent. Quare vehementer offenditur Deus noster. Nam quàm multa ejusmodi auxilia ceciderunt, quàm multa Foedera in cassum fuerunt, quot hominum consilia dissipata sunt, quot arces & munimenta perierunt! Propterea tot clades accepit Israël, ut vix restaret vir, & manus nulla esset, & nullus esset Israël partim desertus, partim inclusus. Excitavit autem Deus zelum suum, & brachium ipsius auxilium tulit ipsi, majoraque per pueros, puellas, mulieres effecit in viros & fortes, quàm viri potuissent cogitare. Ita Jehova ostendit, se esse Deum Israëlis. Videamus istoc experimento edocti, ne carnali brachio confidamus.

3. Cognitio gentium de judicio Dei in Ecclesia peracto: *Et cognoscent gentes, quòd ob pravitatem suam exulaverunt domus Israël, propterea quòd praevaricati fuerint contra me: & ideo occultaverim faciem meam ab ipsis & dederim eos in manum hostium ipsorum, & ceciderint in acie gladii omnes illi.* vers. 23. *Pravitas* est in discrepantia à rectitudine praescriptae formulae: *Praevaricatio* est in occulta & per hypocrisin velata desertione partium Dei & fornicatione cum hostibus Dei. Poenae sunt evidentes, *Exilium*, *Traditio in manus hostium*, *Occisio*.

B. Consequentia judicii, tum in Ecclesiam tum in hostes Ecclesiae exerciti, beneficia sunt.

1. Restitutio in integrum cum insigni amplificatione, vers. 24--28. Quorum primus indicat judicium finitum esse, verbis: *Pro impuritate ipsorum & defectione ipsorum feci cum ipsis, & occultavi faciem meam ab ipsis.* Secundus Restitutionem pollicetur: *Idcirco, sic ait Dominus Deus, nunc restituam Israëlem in integrum*, &, illo non contentus, *miserebor totam* (NB. ad hoc alludit Apostolus Rom. 11:26. Et sic Totus Israël servabitur.) *domum Israëlis.* Causa: *Et zelabo pro nomine sancto meo.* In tribus reliquis versibus est justificatio beneficii per oppositionem judicii. Argumentum tale est: *Si Israëlitae* ita *tulerunt ignominiam suam, ut sanctificatus sum in ipsis*, per judicium castigationis, *coram oculis gentium*; aequum est, *ut & colligam illos. Nam* ex eo solo, quòd eos punio & castigo, non cognoscerent, quòd Ego Deus ipsorum, & illi populus meus sint; sed *si deportabo & colligam*, perfectè *cognoscent, me esse Deum ipsorum.* Culpa, quâ Ecclesia hanc suam castigationem promerita erat, parte posteriore vers. 26. & priore vers. 27. quasi per parenthesin, exaggeratur, 1. quòd in pace & abundantia omnium rerum praevaricati sint contra Deum. 2. quòd pacem illam consecuti fuerint post

afflictionem gravissimam perlatam ab inimicis, atque ita cum notabili coërcitione hostium. 3. quòd ante omnia ab erroribus & impuritatibus populorum per agnitionem veritatis essent converti.

Collectio populi in terram suam vers. 28. tum est, quando 1. per Dei beneficium cœtus purior est, cui possit se pius sine offensione conscientiæ aggregare; atque adeo seducti ab erroribus, gravati à jugo liberantur. 2. quando libertas conceditur, & quidem plurimis in locis, conveniendi publicè veritatemque profitendi. E contrario tum dicitur Ecclesia esse in exilio, quando mixta est hypocritis tyrannidem in cœtu exercentibus, vel libertate conveniendi est privata.

Perfectio hujus collectionis ac reductionis Ecclesiæ in terram suam indicatur verbis: *Non relinquam ibi adhuc quenquam*, vers. 28. Quomodo hæc implenda sint, adhuc vix possumus concipere. Est tamen Deus potens ut colligere scandala ex populo suo, Matth. 13 : 30. ita quoque colligere omnes fideles in unum, Matth. 24 : 31.

2. Beneficium secundum consequens judicium præscriptum est communicatio uberioris spiritûs, ut deinceps non sit absconsurus faciem suam ab Ecclesia, donec hanc militiam in cœlestem triumphum commutet: *Et non occultabo adhuc faciem meam ab ipsis, quia fudi spiritum meum super domum Israelis, ait Dominus Deus*, vers. 29.



ORDO

ORDO RERUM EX DANIELE.

I. NOtum fecit Deus regi Nebucadnezari quid futurum esset diebus posterioribus, nempe inde à Nebucadnezare usque ad finem mundi. ℣. 28. Cap. II. *Vers.*

Hæc prima prophetia Cap. II. est reliquarum epitome & [illegible]. *Imago* in visione fuit & *Lapis*. Illa regnum mundi; hic regnum Christi denotat: cum quibus certamen est Christo, quæque à Christi regno conterenda & comminuenda. Hic est ordo.

1. *Caput*, id est, Monarchia ex ordine prima, nec tantùm, sed etiam, ut esset verè Monarchia. Nam caput in corpore unum est sine pari. Ea Nebucadnezaris & filiorum ejus est. CAP. II. 33. 38 39.

Præstantia & nobilitas hujus regni denotatur eo, quòd *aureum* dicitur illud caput, scilicet respectu sequentium, quæ deteriora, & generi humano minùs commoda fuerunt.

Mirificè amplificandum dicitur regnum Nebucadnezaris, eo, quòd *omnia in manum ejus danda, ubi homines habitant*, dicuntur. Nam Ægyptios subegit, & Palæstinos, & Tyrios, & omnes in Asia habitantes. Græci illis temporibus nondum fuerunt admodum celebres.

2. Secunda monarchia, duarum nationum, per *pectus*, secundam regionem corporis, & *duo brachia* significata. Ea Medorum & Persarum fuit. Primus rex ex Medis, cæteri ex Persis fuerunt. Vide c. 5 : 27. & 8 : 3. 33. 39.

Hæc quoad decus, nobilitatem & amabilitatem præcedenti minor futura dicitur, unde *argento* comparatur. 39.

3. Monarchia tertia, per *ventrem*, tertiam regionem corporis, adumbrata. Ea Græcorum fuit, quæ in Alexandro Magno incepit. 33. 39.

Æreum dicitur hoc regnum, *quia potestatem habiturum erat in totam terram*, illam videlicet præcipuam partem orbis, Asiam cum Ægypto, atque ita potentissimam partem Africæ, & Græciam totam usque ad Scythas vel Germanos, & Romanos, quæ gentes tunc habebantur pro Barbaris & vix hominibus. Et Romani adhuc adolescebant. 39.

Divisio istius regni inter duces Alexandri futura per *femora* designatur. *Duo autem femora* duo potentiora regna inde extitura denotant, Lagidarum in Ægypto, & Seleucidarum in Asia, quæ non tantùm populo Judaïco notiora fuerunt, sed etiam majorem cæteris habuerunt potentiam & diutius imperitârunt. 33.

 4. Quar-

34.40. 4. Quarta monarchia priori succedens per *crura pedesque*, veluti quartam regionem corporis humani, figurata.

40. *Robustum, ut ferrum*, id regnum dicitur, *quia instar ferri, quod comminuit & debilitat omnia, omnia comminuit*. Seleucidas & Lagidas in Oriente & Ægypto subegerunt. Persas sæpe contuderunt. Ipsos Judæos, templum & urbem à nullo hactenus comminuta, subegit & comminuit.

Duæ ejus metropoles, Roma & Byzantium, per *duo crura* significari possunt.

35.45. 5. Jesu Christi exortus sive nativitas ex populo Judaïco, quum jam quatuor
44. regna esse cœpissent, atque ita sub regno quarto, nempe Romano.

Hujus natura duplex describitur in prophetia, una secundùm quam est *lapis*, id est, est, & manet, & vitam in se habet, & potens est ad sustinendum omnia, præsertim eos, qui confugiunt ad ipsum: per quorum accessionem & coagmentationem *fit in montem magnum*. Natura divina per hoc quoque denotatur, quòd ille lapis *non in manibus* esse, id est, non auxilio humano, sed suâ
36. sponte ac virtute propriâ ferri ac moveri dicatur. ℣. 35. 45. Altera, secundùm quam ex Judæis esse tanquam frater eorum, & *exscindi*, id est, occidi poterat.

45.35. *Exscindendus*, id est, occidendus à suis unde erat, prædicitur.

44. In Jesu Christo *regnum erigendum* dicitur, quod cùm non faciat divisionem in regnis prioribus, neque illa tollat, nisi quatenus ipsi adversantur, intelligitur non esse de hoc mundo. Præterea tale est, *quod in sæcula non corrumpitur*, adeoque manet, quando regna mundana sunt abolita, neque spatiis temporis hujus mundi includitur. *Neque alii populo relinquitur hoc regnum*, id est, conditio hujus regni non mutatur, ut alio atque alio tempore sit alius hujus regni populus: quemadmodum *χίμα* populi principum hujus sæculi mu-
35. tatum est. Denique, quando *lapis excisus à monte dicitur futurus in montem magnum*, significatur, populum Christi majorem fore omnibus illis regnis, & quidem conspicabilem in mundo fore per nomen & præcepta regis sui. Et, quando dicitur *impleturus totam terram*, id notat, Christum habiturum regnum in omnibus gentibus.

33.41. 6. Crura abitura in pedes partim ferreos, partim testaceos, id est, forma imperii Romani mutanda in ultima ipsius parte sive colophone, ceu *pedibus*,
41. ita ut, quod merum ferrum fuerat, incipiat esse *divisum imperium*, hoc est, ut in eodem Imperio sit duplex potestas summa, Politica, gladium ge-
42. rens & legitima, adeoque *robusta*; & Ecclesiastica, cujus est præcipere, quid dicendum & non dicendum sit, quid religionis causâ faciendum vel omittendum sit; & reprehendentes neque morem gerentes judicare hæreticos, & magistratui gladium gerenti tradere occidendos. Gladio enim ipsa est destituta, solo autem mendacio est subnixa, illo nempe, quòd Deus velit regere Ecclesiam per aliquem vicarium. Unde *fracta* sive debilis dicitur. vers. 42. Altera potestas nòn concedit alteri statuere de iis, de quibus ipsa statuit. Inde *divisum* imperium dicitur.

Duplex illa jurisdictio non est accommodata ad concordiam: imò ad ma-
43. gna certamina inter eas conflanda. Inde *non cohæsuri hi cum illo* dicuntur, *quemadmodum ferrum non cohæret cum testa*. Unum tamen hoc imperium est,
ibid. quatenus *miscentur semine humano*. Iidem enim homines subjiciuntur utrique potestati, & qui alteram potestatem gerunt, ex altera nascuntur, Eccle-

siasti-

ſiaſtici ex Politicis ſive ſæcularibus, generatione naturali; Politici ex Eccleſiaſticis, generatione ſpirituali.

7. Decem non minùs reges, exorti ex Imperio Romano: qui unâ horâ ſimul cum Beſtia Regnum tenebunt, eo tempore, quo per prædicationem Euangelii æterni, & eductionem Eccleſiæ ex Babylone, & pacificationem ejus (A. C. 1552. & 1555.) Deus vim ſuam demonſtraturus eſſet. Ii haud incommodè per *decem digitos* ſignificantur. 41.42.

8. Comminutio ferri, æris, teſtæ, argenti & auri, id eſt, omnium iſto- 34.35.
rum regnorum mundanorum, per verbum & Spiritum Domini, ut non am- 44.45.
plius regno Chriſti adverſentur.

Ad pedes imaginis illa comminutio futura dicitur, quia in noviſſima illa parte, in qua ὁ ἄνομος apparuit, eſt futura. 34.

9. Reſtitutio jacturarum Eccleſiæ, ut in omnibus locis, in quibus nomen Dei antea fuerit nominatum, habitet Eccleſia, atque ita *impleat totam terram:* item ut regnum Dei conſpiciatur in toto mundo, ſicque *lapis ſit factus mons prægrandis.* 35.

II*dus* Ordo Cap. VII. infimam partem Coloſſi, pedes nimirum, exponit, cumprimis diviſum illud regnum & bellum cum ſanctis, & victoriam ſanctorum. Hi ſunt articuli.

CAP. VII.

1. Commotiones omnes inde à tempore prophetiæ factæ inter gentes, antequam Chriſtianum nomen ſuſciperent. 2.

2. Gentium introitus in Eccleſiam, ſive tranſlatio è mari in terram. 3.

Prima hæc gentium multitudo Chriſto nomen dans comparatur *Leoni* in prophetia, propter generoſitatem fidei, & majorem potentiam, quam præferebat. Obtinebat autem duas magnas partes Imperii Romani, ceu *duas alas aquilæ*, in Oriente & Occidente. 4.

3. Imminutio Imperii in utraque parte, per Gothos, Vandalos, Longobardos, & præcipuè Sarracenos. Ea *deplumatio alarum* eſt, 4.

4. Converſio populi iſtius temporis ad diſputationes, artes Rhetoricas, Philoſophiam, & alia, quæ homines tractant, poſtquam belli ſtudium depoſuiſſet. *ibid.*

5. Gothorum, Vandalorum, Hunnorum &c. populorum truculentorum, & hæreſi Arrianæ addictorum poſitio *ad latus unum* Leonis, Occidentem: ubi tres terras præcipuè devorarunt, Italiam, Galliam, Hiſpaniam. Ii *urſo* fuſco comparantur 5.

Limes imperii ipſorum denotatur per iſta: *Surge, comede carnem multam.*

6. *Pardus*, Sarraceni varietate ac maculoſitate adhuc magis, quàm Arriani, à Catholica Eccleſia diſſidentes, tum etiam effrenatâ rapiendi ac laniandi libidine belluam iſtam repræſentantes, *quatuor alas volucris*, id eſt, quatuor partes magnas Imperii Romani occupans, Syriam, Africam, Aſiam, & Græciam: ibidemque quatuor dynaſtias ceu capita conſtituens. 6.

7. Ejuſdem præparatio ad hoc, ut ſuo tempore grave onus fiat regno injuſtitiæ, & *dominatus ipſi detur.* *ibid.*

8. Imperium Romano-Germanicum unà cum cæteris regibus in Europa, inter ſe, & cum illo imperio per unam voluntatem ſeſe ſubjiciendi Papæ colligatis, *7. coll. 23.*

ligatis, ceu *dentibus ferreis*, res magnas gerens in Græcia, Asia, Syria, ubi etiam regnum Hierosolymitanum erexerunt; in Ægypto; imò & America & India. Id imperium per Carolum Magnum constitutum est, & ordine successivo

7 f.coll. 24. decem *cornua* sive *reges*, hoc est, regnantium familias, antequam judicium illud, de quo infrà, inciperet, juxta prophetiam habuit. Suntque istæ: Carolina, Saxonica, Salica, Suevica, Hollandica, Anglica, Austriaca, Nassovia, Lutzelburgica, Bavarica.

23. *Diversum id dicitur à prioribus animalibus*, quia Antichristus in eo manifestatus est. Vide §. seq.

8.coll. 24. 9. Exortus novi cujusdam regis inter illos decem, quorum potestas prior est, ut simul cum illis regnaret: quorum & favore ac liberalitate, tanquam Caroli Magni ac filiorum ejus, crescendi occasionem nactus est.

24. *Diversus à prioribus futurus* demonstratur in prophetia, utpote temporali gladio destitutus, soloque mendacio subnixus, quasi ipse tanquam Vicarius Dei vel Propheta sit necessarius in omnibus regnis.

8. *Oculi ut filii hominis* ipsi tribuuntur, quatenus sibi vendicat ἐπισκοπὴν, & curam Ecclesiæ, (quæ sine ἐξουσίᾳ non est) à Christo sibi tanquam vicario ejus delegatam.

8.& 25. *Et os loquens magna*, לצד *contra*, vel *juxta* Deum, quatenus vel in blasphemias illud solvit, vel ut Deus vel vicarius ejus, quæ soli Deo dicere fas est, loquitur.

25. *Mutatio temporum*, id est, antiquatorum reductio, novorumque abolitio: *Et legis*, quatenus aliud docet, quàm id, quod à sæculo auditum, & in Euangelio explicatum est.

8. coll. 24. 10. Eradicatio trium priorum cornuum sive regum, hoc est, regnantium familiarum in Imperio Germanico, coram illo parvo cornu: quæ excommunicationis Papalis fulmine tactæ perierunt. Eæ Othonum Saxonica, Henricorum Salica, & Fridericorum Suevica fuerunt.

Intelligitur, non statim ad summum fastigium id cornu, sed post multa certamina perventurum fuisse.

20. f. 11. Tandem aspectus ejus major factus est, quàm sociorum suorum sive regum, inter quos surgebat: quatenus non tantùm in loco illo, in quo Romanus Imperator nominabatur, verùm & in locis cæterorum omnium regum summum magistratum obtinuit.

21.25.& c.12: 7. 12. Bellum ejus cum Sanctis, quos ter se manifestiùs prodentes ter oppressit, donec quarto tempore opprimi non poterant.

9.10. 22.26. 13. Judicium datum Sanctis cum Christo, & Sacris Literis sua reddita auctoritas.

11. 14. Destructio animalis quarti gradatim facta. 1. per *occisionem*, quâ de morte spirituali convincebatur: vel etiam, quâ ad impotentiam insignem per Mauritium Electorem, Henricum II. regem Galliæ, Solimannum Carolus V. redactus est.

ibid. 15. 2do *per lacerationem corporis ejus.* Nam per tres religiones civitates & principes dividuntur: neque inter reges associatos mansit concordia, aut voluntas regna sua subjiciendi Papæ.

ibid. 16. 3^tio^ *Traditio* frustorum *in ardorem ignis.* Bella conflata inter Hispanum & Bel-

& Belgas, in Gallia inter Ligam & Reges, inter Hiſpanum & Gallos, inter regem Bohemiæ & Cæſarem Ferdinandum.

17. Reliqua animalis partim data *ad profligandum ac perdendum*, ſicque 26.11.
paulatim *auferendum dominatum ipſorum.*

Inſtrumentum hujus profligationis & ablationis dominatûs ipſorum videtur eſſe is, de quo ſup. §. 7. dicitur, quòd *ipſi ſit datus dominatus.*

18. Partim ad *prolongationem in viventibus ipſis dandam*, nempe ſine pote- 12.
ſtate aut dominatu,

19. *Uſque ad tempus & opportunitatem*, id eſt, ad illud uſque tempus, quo 12.
Babylon tota non exſtabit ampliùs, ſicque *uſque ad finem.* 26.

Not. Cauſa exſtirpationis Imperii illius magni unà cum cornu iſto parvo, 11.
adſcribitur in prophetia *verbis magnis, quæ loquebatur cornu.* non enim illa ampliùs audienda erant.

20. Conſpicua & glorioſa multorum, ſummâ celeritate, à locis quantum- 13.
vis remotis, ut divinam virtutem ibi adeſſe appareat, adductio & congregatio ad Deum: quibus per fidem à regno & cathedra terreſtri ſublatis in altum, 14.18.
& ad Chriſtum prope accedentibus datur *dominatus & regnum.* 27.

Modus iſtius regni explicatur in prophetia, quatenus reges & reginæ fiunt curatores & nutrices Eccleſiæ, & gloriam ſuam inferunt in eam; ſicque *omnia regna, populi, nationes, linguæ ipſi ſerviunt, & obediunt.* 14.27.

III. Poſtquam Spiritus Sanctus nos de temporibus ultimis edocuiſſet, cap. VII. de proximis quoque prophetiæ temporibus agit cap. VIII. Articuli ſunt ſequentes.

CAP. VIII.

1. Exortus Monarchiæ novæ, verſus Orientem, cum duplici dynaſtia, 3.20.
(Medorum & Perſarum) quarum altera quidem ſit poſterior ordine ſucceſſionis, at major priore. Cyrus Perſa Darium Medum ſecutus eſt.

In partes mundi Occidentales, ut Aſiam minorem, Syriam, Palæſtinam, 4.
Græciam; & Septentrionales, tanquam Scythas; & Auſtrales, ut Ægyptios, monarchiæ hujus pomœria extendenda Spiritus indicat.

2. Græcorum, atque in iis Alexandri Magni expeditio in Aſiam totam, 5.6.7.
debellatis Perſis, quam celerrimè occupavit. 21.

Ea expeditio iis, contra quos ſuſcepta fuit, nominatim etiam Judæis, non 5.
gravis futura ſignificatur verbis, *Et non erat, qui tangeret terram.*

Cum *hirco recente à materno* lacte Græci regnantes comparantur, quia petulantiſſimè & inſolentiſſimè ſe geſſerunt: In Medis & Perſis major modeſtia & gravitas apparuit, unde & *arieti* comparantur.

3. Mors Alexandri in vigore ætatis ejus. 8.

4. Excitatio quatuor regnorum notabilium ex uno, in Ægypto, Syria & 8.
Babylonia, Aſia minore, & Macedonia: poſtquam duces Alexandri inter ſe diu de ſumma poteſtate concertaſſent. Eorum nullum cum viribus omnium 22.
eſſe poterat.

5. Antiochi Epiphanis, qui obſes Romæ fuerat, non hæres regni, adeo- 9.
que *cornu minus quàm parvum*, audacia & res geſtæ, tum in occupatione regni, fugatis fratris filiis, tum adverſus Ægyptios & Orientales populos.

Notetur tempus, quo Rex ille exiturus erat, ex prophetia: *In fine regni* 23.
Qqq *illo-*

illorum, id eſt, cùm, Antiocho Magno victo, Ægyptiis etiam Senatûs Romani auxilium flagitantibus, Romanis quoque Perſeo Macedonum regi imminentibus, regnum Græcorum tantùm non veniſſet in poteſtatem Romanorum.

9.10.24. 6. Ejuſdem elatio adverſus terram & populum ſanctum, id eſt, fideles ex illo populo, quorum quoſdam unà cum principibus & ſacerdotibus dejecit in
1.25.12. terram & conculcavit: Imò adverſus ipſum Deum, *à quo honorem quotidiani ſacrificii ſuſtulit*, conſtituto etiam abominabili deſolante ad profanandum templum, atque *ita projectâ ſede ſanctuarii Dei*, & *veritate in terram*.
12.

Ipſis Judæis hujus ætatis adſcribitur cauſa hujus tantæ deſolationis. Ad ſummam enim impudentiam progreſſi erant defectores, ut palàm Deum Iſraëlis abnegarent, ſibique facerent præputia, & diis gentium adolerent.

23.13. Ea *defectorum conſummatio*, & *defectio ſtupenda*, id eſt, improbiſſima &
12. impudentiſſima dicitur. Et huic defectioni cauſa ceſſationis jugis attribuitur.
24. Certè *non per vires proprias*, ſed per culpam Judæorum defectorum, conatus ipſius adjuvantium, *vires ejus corroborandæ* dicuntur.

Tempus, quo hæc ab Antiocho afflictio eſſet eventura, denotatur per iſta verſ. 19. *in extremo excandeſcentiæ*, imminente ſcilicet anno liberationis à jugo & exſecratione, & à lege, quæ iram operabatur: item per iſta, *viſio illa erit ad tempus finis*, dum nempe id agitur, ut *finis præſtituto tempori* deſtinatus verſ. 19. adducatur. Tempus quoque, quo duravit hæc defectio & ceſ-
14.26. ſatio jugis, à ſpiritu prædefinitum eſt, dies *bis mille & ter centum*.

25. 7. *Confractio* Antiochi *ſine manu*. (vide 1 Macc. 6: 8. & 2 Macc. 9: 5.)
14. Ea pars eſt iſtius judicii, quo *juſtificandus erat ſanctus*, nimirum princeps principum, populus ſanctorum, & veritas proculcata.

18. 8. Separatio Eccleſiæ in exſpectatione finis: cùm prophetas non haberet, & videret tumultus in mundo, & neſciret definitam à Deo periodum, & tempus adventûs Chriſti.

17. 9. Tandem fit mentio *finis*: Ejus nempe, qui *præſtituto tempori* ſit deſcri-
19. ptus: præſtituto videlicet tempori *excandeſcentiæ*. Non enim perpetua erat futura excandeſcentia: ſed ſalus, juſtitia, libertas, regnum Dei, juxta promiſſiones fidelibus factas, erant repræſentanda.

IV. Poſtquam de temporibus ultimis & citimis Eccleſiam erudiviſſet Spiritus Sanctus, agit etiam de mediis, Cap. IX.

Cap. IX.

1.2. 1. Terminus à quo prophetæ, annus primus Darii Medi: cùm jam ſcilicet exactum eſſet imperium Babylonicum, atque anni 70 Babyloni impleti eſſent, Jer. 29: 10. adeoque & 70 anni captivitatis, de quibus Jer. 25: 11. 12. item cap. 27: 7. & 29: 10. ſine dubio effluxiſſent, à quocunque tandem initio eſſent computandi.

25. 2. Terminus à quo prophetiæ, *verbum de reducendo & de ædificandis Hieroſolymis.* Id exſtat 2 Chron. 36: 22. 23. & Eſr. 1: 1—4. Ea reſtitutio Iſraëli-
24. tarum eſt, ut adhuc ſint *populus*, id eſt, habeant πολιτείαν ſub ſenioribus ſuis; & habeant *urbem*, quæ *ſancta* dicatur, utpote in qua ſit templum.
25. Ab hoc termino uſque ad Chriſtum jubet Spiritus conſiderari 1. *ſeptimanas*
25.26. *ſeptem*: deinde *tempora quædam anguſtiæ*: tum *ſeptimanas ſexaginta & duas*,
27. quibus finitis Unctus ſit exſcindendus: tum ad minimum *ſeptimanam unam*, cujus

cujus medio cesset sacrificium & munus: & *fœderis prolongationem*, usque ad finem status populi ac templi & urbis. 27.

3. Ab hoc termino 1mò *septimanæ septem* in exspectatione Christi erant numerandæ: quibus nimirum fluentibus vigeret verbum de reducendo ac ædificandis Hierosolymis: quo verbo omnibus dabatur potestas redeundi in terram suam, & populi jubentur redeuntes sublevare; conceditur etiam ipsis domos ædificare; & templum; sicque & urbem ipsam: quamvis ex eodem urbem munire non liceret. 25.

4. 2dò Subsecuta sunt *tempora quædam angustiæ*, quæ sanè ad illas 70 septimanas accesserunt. Iis impediebatur ædificatio templi sub Dario Hystaspis, & interdicto etiam vetabatur ab Artaxerxe Longimano. Angustia etiam magna fuit sub Ahasuero Estheræ marito, quæ tamen in gaudium vertit. Talis etiam est angustia, de qua §. 6. præced. peric. 25.f.

5. *Ædificatio urbis sanctæ quoad forum*, id est, portas, apud quas fora erant, & *fossam*, id est, muros superpositos profundis illis vallibus, quæ Hierosolymæ erant pro fossa; & valli Tyropœôn, ad muniendam urbem superiorem; denique & fossis manu factis, ubi profunditas vallium naturale munimentum non præstabat. 25.

Id per Nehemiam cœpit fieri, qui ab Artaxerxe Mnemone impetravit potestatem muniendi urbem, Neh. 2:1. anno regni ipsius vigesimo. Et murorum ædificatio sæpiùs facta est, vel quando pomœria sunt prolata, vel quando veteres instaurati. Herodes circa adventum Christi in ædificanda urbe, & muris, turribusque & templo reficiendis magnificus fuit.

Notatur & tempus, quo in pace domus & muri essent ædificandi, usque ad adventum Christi 62 *septimanæ*, id est, anni 434. Ab anno vigesimo Artaxerxis hujus ad Christi trigesimum tertium numerant annos 417 boni Auctores. Quare etiam hæc periodus complectitur ædificationem, sive potiùs absolutionem ædificandi templi sub Dario Notho patre Artaxerxis. Nota, ab anno secundo Darii Nothi usque ad annum Christi duodecimum septimanas 62 præter propter numerari.

6. *Excidium* sive mors *Uncti*, (per eam mortem facta est expiatio pravitatis, & adducta justitia æterna, vers. 24.) post illas septimanas 62, *ab omnibus*, etiam propriis discipulis, relicti. Ea derelictio, quatenus gentem Judaïcam spectat, *defectio* est, vers. 24. Is status est κενώσεως. Circumstantia temporis excidii Christi notatur, cùm alium principem haberet populus, qui advena esset, & non ex ipso. 26.

7. Ejusdem exaltatio in *Principem*. Is status est ὑψώσεως. 25.

8. *Unctio sancti sanctorum*, per effusionem Spiritûs Sancti in Apostolos & fideles, tanquam templum Domini, imò sanctum sanctorum, cùm in Novo Testamento fideles nullo velo prohibeantur quam proximè accedere ad Deum, imò cum cœlestibus spiritibus consummentur. 24.

9. *Consummatio peccatorum*, quæ committebantur à gentibus, nihil nisi peccantibus, per earum conversionem ad Deum. 24.

11. *Abolitio sacrificii & muneris*, quoad usum & finem, ob quem instituta erant: ita ut à populo Dei non usurparentur ampliùs. 27.

Notatur etiam tempus, quo id inceperit fieri, in prophetia, *dimidio septi-*

 manæ,

manæ, ultimæ ſcilicet poſt mortem Chriſti. Hoc primò evenit in Cornelio circa medium ſeptimanæ illius, quæ mortem Chriſti ſequitur.

27. 10. *Prolongatio fœderis* ſive pacis, quam Deus pepigerat omnibus populis, ſive inter omnes populos fecerat, ſub Imperio Romano, *propter multos*, qui partim ex Judæis, partim ex gentibus, per verbum exiens Hieroſolymâ, in pace mundi ad Chriſtum erant adducendi.

Tempus hujus pacis in *ſeptimanam unam*, id eſt, non minùs ſeptem annos extendit Scriptura.

27. *f.* 12. Populi *ſtupor*, infidelitas, & odium veritatis.

26. 13. *Bellum* inter Judæos & *populum Principis advenæ* conflatum.

27. 14. *Ala*, hoc eſt, protectores urbis & templi, Idumæi cum zelotis, nefariis hominibus, eorumque ducibus, Simone, Eleazaro & Johanne. Sed illa ala erat *abominabilis*.

26. 27. 15. Deſolatio urbis ac templi, proceſſura uſque ad conſummationem & ἀπιστίαν, adeoque ſine commiſeratione aut exceptione aut conſervatione reliquiarum, & cum exſtirpatione omnium βδελυγμάτων, quibus confidebant Judæi, ab uno extremo ad alterum: ut ita deſolatio ſuper ala, id eſt, ora extrema *abominationum* eſſet.

Inſtrumentum hujus deſolationis notatur *populus Principis advenæ*, Romani, quos antea dominos ſuos agnoverant.

24. *Ad coërcendam defectionem*, & puniendam culpam commiſſam in excidio Chriſti, urbem & templum corruptum eſſe, ſatis patet ex eo, quòd ſtatim

26. ſubjungatur, *urbem perditum iri*, iſtis, *& non erit ei quidquam*, quibus notatur, Chriſtum à ſuis relictum iri, adeoque, ad puniendam illam perfidiam

27. & ἀπιστίαν, oportere, ut urbs perdatur. Adde, quòd deſolatio *in ſtupentem*, imò propter incredulitatem & ſtuporem illum, deſtillare dicatur.

V. Cap. X. XI. & XII. ordine omnia connectit. Nominatim, *quòd eventurum eſſet populo Danielis poſterioribus diebus*, ſive *in poſtremo dierum*, cap. 10: 14. antequam ſcilicet illi dies in alios dies mutarentur, & veniret ὁ αἰὼν ὁ μέλλων. *Adhuc enim erat futura viſio*, hoc eſt, exſpectatio promiſſionis & explicatio per figuras & umbras, *in dies*, hoc eſt, per tempora quædam. Ergo hæc viſio magna ex parte comparata eſt ad hoc, ut per quaſdam res geſtas deſcriberetur tempus illud, quo civitas & populus debebant manere. Sed & ulteriùs progreditur ad ea, quæ gerenda erant ſub regno Chriſti in clauſula ſæculi. Hi ſunt articuli

c. 10: 13. 1. Efficax operatio Spiritûs Dei in Dario & Cyro, ùt tandem decerneretur

21. & tur liberatio & reductio Judæorum in terram.

11 : 1. Non ſine Deo effectum eſt, quòd Daniel inter primos regni Darii locum obtinuit. Dan. 6: 3. & dubium non eſt, quin per Danielem reges hi edocti ſint de iis, quæ Eſaias nominatim de Cyro, & Jeremias de regno Babylonis prophetaverant: in quibus oraculis meditandis Daniel totus fuit. Atque ideo etiam oportuit Darium videre, quàm charus Daniel Deo ſuo eſſet.

c. 10: 13. *Michaël* autem, *unus principum primorum*, id eſt, primus, ſive maxi-

c. 12: 1. mus principum, ſive *princeps ille magnus*, qui hactenus in omni anguſtia po-

c. 10: 21 pulum portaverat, adeoque *princeps* erat *Iſraëlis*, & *pro eo ſtabat*, Jeſus

12: 1. Chriſtus, Sponſor Teſtamenti, *Spiritum* Sanctum in ſuggerendis regibus Perſiæ bonis conſiliis, & abigendo Satana, principe mundi, qui omni modo nitebatur

batur animum illorum regum avertere à benefaciendo populo Dei, unde & *Princeps Persiæ* dicitur cap. 10: 20. 13. *adjuvisse & confirmasse se cum Spiritu* vers. 21. cap. 10. contra Principem Persiæ dicitur, nempe intercessione suâ & jure, quod tanquam Mediator habet ad habendum regnum & hæreditatem.

Testatur etiam Spiritus Danieli, se adhuc *anno tertio Cyri*, *Principem regni Persarum*, Diabolum, *habuisse adversarium*, & *cum eo præliaturum esse* in posterum. Cum quo convenit, quod est Esr. 4: 5. *hostes Judæorum conduxisse consiliarios contra Judæos omnibus diebus Cyri*. Sed hic Spiritus Danieli notificat, se virtute meritorum Christi & justitiæ ejus vicisse & victurum. c. 10: 1. c. 10: 13. 20.

2. Reges tres ordine sibi successuri in regno Persiæ, Cambyses, Darius Hystaspis, Xerxes. c. 11: 2.

3. Quartus à Cyro, Xerxes, ditissimus extiturus. Ex Trogo Just. cap. 9. *Si Regem spectes, divitias, non ducem laudes*. &c. ibid.

4. Expeditio Xerxis, & bellum contra Græcos. ibid.

5. *Exitus Spiritûs Dei à Persis*: quo factum est, ut consilia & res eorum paulatim corrumperentur, & in pejus irent: Et Græci de nulla re magis cogitarent, quàm de inferendo bello Persis, & de ea re in conventibus ipsorum orationes haberentur: sicque *Græci adducerentur*. Agesilaus ante Alexandrum rem tentavit; sed ab Ephoris revocatus est. c. 10: 20.

6. Regis alicujus fortis ac præpotentis exortus & dominatio. Alexander Magnus is fuit, de cujus rebus gestis Curtius, Arrianus, Plutarchus, alii. c. 11: 3.

Hunc citò ad tantam potentiam perventurum innuitur. 4.

7. Cum eo princeps mundi, Diabolus, adventurus prædicitur cap. 10: 20. qui sit conaturus populo Dei nocere per Alexandrum regem Græciæ, & successores ejus, unde *Princeps Græciæ* dicitur. Sed is vim Spiritûs Sancti sub Alexandro expertus est.

8. Excessus Alexandri in ipso victoriarum cursu, vel triumpho. 4.

9. Divisio regni ejus, inter duces ejus, in quatuor plagas mundi. 4.

Nominatim posteris ejus regnum negatur in prophetia: siquidem fratre Aridæo, matre Olympiade, & filiis, Hercule cum matre Barsine, & Alexandro cum matre Roxane, exstinctis, Satraparum quisque diademata sibi sumserunt, & provinciam suam, tanquam regnum armis partum, obtinuerunt.

Singulorum verò potestas tanta non fuit, quanta unius Alexandri, secundùm prophetiam.

Deinde & instabilitas regni Alexandri, inter duces ejus, indicatur: quâ contigit, ut se mutuò expellerent ex provinciis suis, &, qui alium expulisset, expulsionem ipse metueret, neque videretur diu prædam suam retenturus.

10. Regis Austri confirmatio. Ptolemæus Lagi, qui occupaverat Australia regni, Ægyptum & Arabiam, (Just. l. 13.) diadema & nomen regium assumsit. 5.

11. Alius cujusdam ex ducibus Alexandri, ejus, qui deinde à rege Austri victus est, præ cæteris confirmatio. Antigonus Asiæ Imperator is fuit, de quo Just. l. 13. & 15. ibid.

12. Victoria regis Austri, Ptolemæi Lagi, ab Antigono reportata, quem, adjuvante Seleuco Nicanore, in prælio occidit. ibid.

13. Discordiæ & bella existentia inter regem Austri, & Aquilonis, id est, 6.

Syriæ. Ea inde exorta ſunt, quòd, cùm, poſt devictum Antigonum, Imperium ejus, veluti magnum corpus inter ſe dividerent Ptolemæus & Seleucus, de præda non convenirent, utroque Cœleſyriæ ſibi imperium vindicante. Vide Polyb. lib. 5. p. 410. Eorum contentio etiam ad ſucceſſores Seleucidas & Ptolemæos eſt propagata.

ibid. 14. Conſociatio regum Auſtri & Aquilonis, Ptolemæi Philadelphi & Antiochi Divi, datâ etiam Ptolemæi filiâ Berenice Antiocho in uxorem, in cujus gratiam hic Laodicen repudiaverat.

ibid. 15. Interitus Berenices cum filio & amicis ejus à Seleuco Callinico filio Laodicæ ipſis paratus. Vide Juſtin. & Appian.

7. 16. Euergetes frater Berenices, rex Ægypti factus, ulturus ſororis injuriam, exercitum conſcribit, & invadit munitiones Seleuci Callinici.

9. 17. Tandem etiam, cùm exortum eſſet in regno ejus aliquid, nimirum ſeditio, revertitur in Ægyptum cum præda multa.

Inter abducta, conſentiente prophetiâ, hiſtoria (notante Hieronymo) recenſet Deos & ſimulachra ipſorum, in quibus etiam fuerint ſimulachra, quæ Cambyſes olim ex Ægypto in Perſida aſportaverat: unde à popularibus ſuis Euergetes ſit dictus; & prædam ad 40000 talentorum argenti.

10. 18. Filiorum Callinici (Seleuci Cerauni, & Antiochi Magni) bellum cum rege Ægypti.

ibid. 19. Antiochi Magni felicitas in expeditione ejus prima adverſus regem Ægypti Ptolemæum Philopatorem.

Judæam cum Cœleſyria occupavit, prodente eam Theodoro Ptolemæi Toparchâ. Polyb. lib. 4.

ibid. 20. Secunda ejus expeditio contra Ptolomæum Philopatorem. Pervenit autem ad Raphiam uſque, locum munitiſſimum in finibus Ægypti. Polyb.

11. 21. Prælium Ptolomæi Philopatoris cum Antiocho Magno ad Raphiam, cum eo eventu, ut turba Antiochi tradatur in manum Ptolemæi.

12. 22. Ptolemæi Philopatoris elatio, volentis intrare in templum Dei, & iram concipientis adverſus Judæos. 3 Maccab. & Joſ. Ant. 12: 3.

ibid. 23. Idcirco ei denegatus eſt fructus victoriæ, ut Antiochum Magnum non redigeret in poteſtatem, quamvis multa millia proſterneret.

13. 24. Expeditio Antiochi Magni in Syriam, mortuo Philopatore, quam pulſis regiis præfectis recuperavit, cùm puer eſſet Ptolomæus Epiphanes.

14. 25. Antiochi Magni & Philippi Macedoniæ regis, de invadendo ac dividendo regno pupilli Ptolemæi Epiphanis, nefaria conſilia. Polyb. lib. 3. p. 159.

ibid. 26. Apoſtaſia quorundam inter Judæos, à religione patria, per tempora illa. Tales fuerunt, qui in gratiam Euergetæ gentiles facti ſunt, quærentes res magnas.

ibid. 27. Eorundem elatio adverſus Antiochum Magnum. Cum Scopa enim faciebant, quo duce ipſi Ptolemæo quædam in Syria ademerant.

ibid. 28. Conſilium divinum, ut præter opinionem illorum tranſgreſſorum, ſublatis iſtis è medio, *viſio*, & exercitium religionis reſtitueretur.

15.16. 29. Antiochi Magni expeditio adverſus Scopam: quem fugavit, Sidonem, arcem Sionis, Syriam, Ciliciam, Lyciam recuperavit, totam Syriam ſibi ſubjecit. Joſ. Ant. 12: 3. Liv. l. 33. Appian. in Syriacis.

30. Ju-

30. Judæorum libens conceſſio in manum ejus, maximè, quia reſtituta eſt viſio, & Antiochus liberalis erat erga ipſos, remittendo tributa, & largiendo pecudes, pecunias, ligna, ad templi ſtructuram, & ad cultum peragendum. Joſ. Ant. 12: 3. 16.

31. Antiochi Magni conſilium de occupanda Ægypto, (Juſtin.) per filiam Cleopatram, datam Ptolemæo Epiphani in matrimonium, unà cum dote, Syria & Judæa, fruſtrà factum, cùm ea eſſet potius in rem mariti. 17.

32. Antiochi Magni expeditio adverſus Romanos in Occidente poſitos, ubi mare & inſulæ maris. 18.

33. Occupavit autem loca quædam Thraciæ & Græciæ, Rhodum, Samum, Eubœam, Delum. Vide Liv. l. 34. Florum & Appianum. *ibid.*

34. *Dux* verò *aliquis* Romanorum, (Æmilius prætor) claſſe ejus victâ; *probrum ejus ceſſare fecit*. Juſtin. l. 31. extremo. *ibid.*

35. Aliquis etiam (L. Scipio frater Africani) *ſine probro ſuo regeſſit ipſi* probrum. Terreſtri enim prælio ipſum vicit, cùm turpiter loca in Thracia & Græcia occupata deſeruiſſet: pacem ei dedit ſub ea conditione, ut omni Aſiâ cis Taurum montem cederet, elephantos & naves traderet, quot vellent Romani, belli impenſas ſolveret, certum tantùm navium numerum haberet. Appian. in Syriacis. Juſtin. l. 31. & alii. *ibid.*

36. Tandem, cùm ære alieno gravatus, illud ex ſacra pecunia vellet ſolvere, & animum induceret ſpoliare templa terræ ſuæ, interfectus eſt cum omni militia ad fanum Jovis Didymæi, cùm illud vellet ſpoliare. Juſtin. 19.

37. Succeſſor ejus Seleucus Antipator, à ſubditis ſuis exegit pecuniam, ut tueretur dignitatem regiam, adeo ut etiam pecuniam ex templo Hieroſolymæ peteret ſibi dari 2 Macc. 3: 7. 28. 20.

38. *Is paucis diebus fractus eſt*, *non per iram*, ut Antiochus pater, *neque bello*, ſive aperto Marte, ſed inſidiis Heliodori. Appian. Is Heliodorus *brachium inundationis* appellatur. 20.
22.

39. *Succeſſit ei homo ſpretus*, *cuique non dederant majeſtatem regiam*, Antiochus Epiphanes Seleuci frater, Romanis obſes à patre datus, non vocatus ad regnum, quod Heliodorus occupaverat, vel quod filio fratris Demetrio deſtinabatur. *Et venit in tranquillitate*, & *regnum per blanditias occupavit*, ſcilicet nomine tutoris. 21.

40. Oppreſſus eſt autem Heliodorus ab Eumene & Attalo. Appian. 22.

41. Atque etiam *princeps fœderis* Demetrius filius Seleuci fratris aut frater, qui coactus eſt Romæ manere obſes, & per quem cum Romanis pacem habuit. *ibid.*

42. Antiochus verò ſub ſpecie procurandi bonum Demetrii egit fraudulenter, ut ipſe regnaret, & *invaluit cum parva manu*. Et largitionibus ſibi devinxit exercitum & ſocios, Attalum & Eumenem. 1 Macc. 3: 30. 23.
24.

43. Deinde & Syriam occupavit. Notat liber Maccabæorum penuriam ipſi cauſam expeditionis fuiſſe. 24.

44. Id novis inter Antiochum Epiphanem & Philometorem bellis dedit originem; Philometore Syriam ab Antiocho fraude occupatam repetente, ut quæ dotis nomine Cleopatræ ab Antiocho Magno eſſet data, Antiocho id negante. Polyb. Leg. 72. & 82. 25.

45. Antiochus, repetente Cœleſyriam Philometore, bellum ei infert, 25.
& ſu-

&, superatis omnibus ejus ducibus, Ægyptum totam subjugat. Hieron. ad Dan. XI. Philometori, postquam undecim regnâsset annis, diadema aufert, se-
26. que pro rege Ægypti gerit. Ita *exercitus illius inundavit*. Alexandrini autem juniori Philometoris fratri Euergetæ, qui & Physcon, summam rerum committunt. Porphyr. in Græcis Euseb. Scalig. p. 54. & 225. Ad hunc Philometor pulsus ab Antiocho confugit. Justin. 34 : 2. Antiochus per speciem reducendi in regnum Philometoris bellum Physconi infert, & ipsi Alexandriæ jam imminebat, sed sponte, re infectâ, discedit ab obsidione, & , relictâ majori Ptolemæo Ægypto, in Syriam redit. Liv. l. 44. & 45. Unde constat, Antiochum cum Philometore, postquam frater ejus ab Alexandrinis rex esset factus, pacem fecisse. Constat etiam, fratres inter se de regno pepigisse.
27. Adeoque *utrosque illos reges*, Philometorem & Antiochum, *ad unam mensam mendacium esse locutos*, Antiocho non ex animo ipsi pacem & regnum reddente, sed ut fratres committeret, atque iis se mutuò debilitantibus superveniret, sicque tandem totâ Ægypto potiretur: Philometore pacem acceptante, atque etiam fratrem ad consortium regni admittente, ut Antiochum, specie juvandi alterum utriusque regno insidiantem, averterent.
28. 46. Antiochus in reditu in terram suam vastavit Judæam, & Hierosolymam occupavit, templum ingressus est & spoliavit, & multos occidit & vendidit &c. tanquam nolens, esse aliquem populum Dei. 1 Macc. 1.
29. 47. Deinde spe suâ de Ægypto frustratus, cùm fratres concordes agerent, magis, quàm antea, accensus, *Ægyptum repetiit; sed non fuit, ut prima*
30. expeditio, *ita secunda. Etenim venerunt in ipsum naves Chittæa*, sive Romanæ, cum legatis, ut ipsum vetarent intrare in Ægyptum, aut, si intrasset, juberent exire. Quorum Popilius Lænas, cùm Antiochus ad occupandum Pelusium, Leusinem fluvium esset transgressus, ipsi in ripa dexteram sibi ut veteri amico porrigenti, S. C. tradidit, nec, priusquam se respondisset pariturum, dexteram accepit & dedit. Ita hebetatus eâ severitate Antiochus, copias suas reduxit in Syriam. Polyb. Legat. 93. Liv. l. 45. 2 Macc. 5 : 1.
30. 31. 48. Altera invasio sanctuarii cum sacrificii jugis ablatione, & collocatione
32. abominationis, idoli & falsæ religionis, in templo.

Notantur hic inprimis desertores fœderis sancti, per quos rectè sentientes Antiochus oppressit.

32. *f.* 49. Confirmatio & successus agnoscentium Deum suum.

26. 27. 50. Ptolemæi Philometoris excidium inter Pelusium & Casium montem proditione suorum.

36. 51. Antiocho devicto *fecit pro voluntate sua Rex*, ille, cujus jussui coactus erat parere Epiphanes, nimium S. P. Q. R. ad quem jam summa Imperii pervenerat. Vellej. Add. & Flor. 2 : 8.

Conceperunt iidem Romani altissimos spiritus, vide Flor. 2 : 19. adeo ut *se supra omnes Deos*, id est, reges & dynastas, *efferrent*, & constituendæ religionis, assumendorumque vel rejiciendorum Deorum sibi sumerent arbitrium: Urbem, Principes, templis & aris colerent: per genium Principis jurarent, eosdemque post mortem in Deorum numerum referrent.

33. 52. Prædicatio fidei inter Judæos & gentes, cum eo effectu, ut *multi* ex Judæis & gentibus veritatem recipiant.

Instru-

Instrumentum hujus prædicationis dicuntur *prudentes populi*, id eſt, ii, qui opus Dei in Chriſto animadverterant, dum reliqua pars populi ſtupebat, & lucem atque juſtitiam Dei non animadvertebat.

53. *Deciſum rigoris* in Judæos, *feliciter exſecutioni datum per Romanos.* 36.

54. Edicta Romanorum contra Chriſtianos, & multiplex horum vexatio, 36.
quâ partim traditi *gladio* carnificum, vel etiam ſupplicio *flammæ*, partim 33.
deducti in *captivitatem*, aut in exilium acti, partim *præda* hoſtibus facti fuerunt. Ita deciſum in gentes hypocritas per Romanos proſperè eſt peractum. 36.

Diebus multis duratura erat hæc afflictio. 33.

55. *Auxilium* humanum paratum Eccleſiæ poſt multas afflictiones, quo 34.
dato *multi ſe ad ipſam adjunxerunt per aſſentationem*: Ita ut Cæſares etiam Romani cultum antiquorum Deorum omitterent ac irriderent. Ita *Rex* ille 37.
Deorum patrum ſuórum ampliùs rationem non habuit.

Magnum poterat videri id auxilium, ſed Spiritus id *parvum* vocat, quia majora certamina ſubſecuta ſunt.

56. Romani imperii Chriſtiani nova ſuperbia & idololatria. In ſpecie notat prophetia, quòd 37--39.

1. permiſſuri ſint conculcari honorem matrimonii, contemto Euangelio. 37.

2. quòd *ſe ſint magnificaturi ſupra omnia*, etiam ſupra Deum Deorum, *ibid.*
Chriſtum, cujus regnum oppugnant, & alios Deos proponunt populo adorandos.

3. quòd multas arces, baſilicas, templa, monaſteria, ſint condituri, cum opinione, Deum ibi habitare & eſſe velle, & quidem in loco ſuo, 38.
τιμεῖα vel δοχεῖα, quod homines ipſi fecerint. Sicque *Deum arcium in loco ſuo ſint honoraturi.*

4. quòd *Deum quendam, quem non agnoverunt patres eorum*, Romani gentiles vel Chriſtiani, neque ulli homines, *ſint honoraturi*: *Et munimentis arcium*, iis, qui cultum Dei in arcibus tuentur, Epiſcopis, *cum Deo illo peregrino ſint multiplicaturi honorem*, tradendo ei omnem poteſtatem ſuam, & faciendo voluntatem ejus. Nota hic mutationem Imperii talem, ut in eo regnet aliquis homo tanquam Deus, & alius item, tanquam princeps politicus. *ibid.* 39.

5. quòd Rex ille & Deus ille *daturi ſint munimentis arcium poteſtatem in multos, & terras multas diſtributuri pro pretio.* 39.

57. *Prudentum ruina*, id eſt, oppugnatio & oppreſſio fidelium & ſanctorum ſub regno Beſtiæ. 35.

Facta illa perſecutio dicitur, *ad conflandum in ipſis*, & manifeſtandum fidem ipſorum, ut, quod aurum eſt, à ſcoriis diſtingueretur. *Et ad purgandum*, ut tandem improbi, per damnationem & expulſionem prudentum, ſe ab ipſis abſcinderent. *Et ad dealbandum*, ut veritas paulatim clariùs, pleniùs, & nitidiùs explicaretur, poſtquam ab hoſtibus ſeparati eſſent.

Duravit hæc oppreſſio per tempus & tempora & dimidium temporis. *c.* 12: 7.

58. Sarracenorum, qui *ab Auſtro*, id eſt, ex Arabia Felice venerunt, *coll.* 7:25.
arietatio cum rege illo, qui cum Deo illo peregrino ſe conſociaverat. 40.

Id *circa tempus* imminentis *finis* iſtius Imperii eventurum oſtenditur.

59. Expeditio Chriſtianorum Imperatorum & Regum, qui in partibus mundi *ibid.*
Aquilonaribus firmius habebant imperium, adverſus Sarracenos: quorum dux fuit Gothofridus Bulionæus, qui & Hieroſolymis rex coronatus eſt.

ibid. 60. Occupatio Palæſtinæ & aliarum terrarum.

41. 61. Bella geſta per cruce ſignatos adverſus Tholoſanos, qui Petrum Waldum ſequebantur; deinde adverſus Bohemos, Huſſi diſcipulos. Ita *venit Rex* Aquilonis cum Deo ſuo *in terram decoris*. Effectus hujus belli indicatur, quòd *multæ* civitates, politicæ, vel eccleſiaſticæ, vel etiam molliores homines, *ſint corruituræ*,

42. 62. Dominatio regis illius, habentis multos reges conſociatos in Aquilone, ampliſſima extitura in tempore finis. Ita Luſitani & Caſtellani *extenderunt manum ſuam in terras* multas remotas verſus Orientem & Occidentem. *Et Ægyptus*, ipſaque adeo Africa, *non fuit ſalva*, nominatim extrema Ægypti, ſive ad mare rubrum, ſive ad fontes Nili, & reliqua *Lybia*, ut Guinea, & alia loca. Ex quibus partibus hic Rex *auri argentique* maximam vim coacervavit. Ipſi *Cuſchitæ*, Nigri, Africani, Æthiopes, Americani, *in ipſius veſtigiis futuri* dicuntur.

43.

Nota, per nomen notius nos poſſe intelligere aliquid majus & latiùs patens, quod aliquâ ratione idem nomen ſuſtinere poſſit.

41. Nota, excipi ab ejus Imperio, & divinâ providentiâ præſervari *Edomum*, id eſt, Judæos, *Moabum & Ammonem*, populos Orientis, aliquid cum Judæis commune habentes, Turcas & Perſas.

44. 63. *Rumores ab Oriente*, de creſcente potentia Turcarum, *regem Aquilonis conſternaturi*.

ibid. 64. *Rumores ab Aquilone*, de prædicatione Euangelii ejuſque receptione *à multis* principibus in Germania & extra eam.

ibid. 65. Bellum geſtum in Germania cum Saxone Electore & Landgravio à Carolo: cum Belgis à Philippo: cum rege à Liga in Gallia. Huc refer perſecutiones paſſim factas, etiam Convallenſium.

45. 66. Expeditio quædam magna ſuſcepta à Ferdinando II. religionis cauſâ, & ad reſtituendum Deum ſuum alienum, & Deum arcium in poſſeſſionem ſuam priſtinam: quæ habuit hunc eventum, ut *tentoriis ſuis*, id eſt, exercitu ſuo impleverit *montem*, id eſt, Regnum aliquod, quod poſſit appellari *decoris ſancti*, quòd in eo ſit Eccleſia, quâ Deus vult ornari in hoc mundo: & quidem uſque *inter* duo *maria* iſtius montis, id eſt, in Cherſoneſo Cimbrica inter mare Balthicum & Aquilonare. Hiſpani irruperunt in Velaviam, atque ita ad Sinum Auſtralem acceſſerunt. Hiſtoria hujus temporis nobis exhibet imaginem *diſſipatæ manûs populi ſancti*, verſ. 7. itemque *ablationis jugis*, ſive reſtitutionis idololatriæ in locis multis, in Bohemia præcipuè & Palatinatu, de qua verſ. 12. cap. 12. nobis repræſentat. Ab hac reſtitutione idololatriæ A. C. 1622. ſi retrò numeremus annos 1290. incidemus in A. C. 332. vel 333, quo Synodus Nicæna habita eſt.

ibid. 67. Poſtquam eò uſque progreſſa eſſet illa expeditio, Rex Suediæ Guſtavus Adolphus in Germaniam venit, captâ jam Veſaliâ, & Hiſpanis ex Belgio dimiſſis. Eventus hujus belli hic fuit, ut cogeretur Ferdinandus III. pacem facere, & Hiſpanus Belgio libertatem concedere. Ita cœpit *venire ad finem ſuum, & non eſſe auxiliator ipſi*. Non enim putamus, in eo finem ipſius eſſe.

c. 12: 1. 68. Chriſti molitio, ſive præparatio eorum, quæ neceſſaria ſunt ad occupandum regnum.

69. An-

69. *Anguſtia* magna, *qualis non fuit, ex quo extitit gens.* Infrà circum- ibid.
ſtantia temporis hujus anguſtiæ ponitur, cùm diſſipata fuerit manus populi 7.
ſancti.

70. Liberatio populi Dei ex anguſtia, ſecundùm electionem Dei. 1.

71. Converſio multorum ex gentibus, & Judæorum. Ea *reſuſcitatio mul-* 2.
torum ex dormientibus terræ eſt.

72. Non reſurgentium *conjectio in probra ſæculi.* ibid.

73. *Manifeſtatio prudentum* per amolitionem verborum otioſorum, quæ- 3.
ſtionum inutilium, &c. quæ faciunt, ut lumen juſtitiæ obſcuretur.

74. *Multiplicatio cognitionis* tum hujus, tum aliarum prophetiarum, tan- 4.
dem futura, Deo ipſo res monſtrante, ex quibus veritas prophetiæ deprehen-
di poteſt.

Hactenus ſcilicet, quotquot ſuccedentibus temporibus exſpectaverant re- 5.6.8.
gnum Dei, inquiſiverant, in quod & quale tempus Deus illum ſplendorem Ec-
cleſiæ contuliſſet.

Rationem etiam reddit Spiritus Sanctus, quare hæc obſignata & abſcondi- 9.10.
ta debuerint eſſe uſque ad tempus finis, ut fidelitas & ſtudium prudentium
exerceretur, & improbi inſcii, quæ de ipſis ſcripta. implerent.

De tempore, quo iſta omnia ſint complenda, ita in genere Spiritus, *ad tem-* 7.
pus, tempora & dimidium, & cùm conſummatum fuerit diſſipare manum populi
ſancti.

In ſpecie verò inde à tempore, quo ablatum fuerit juge, id eſt, oratio 11.12.
in fide, & confeſſio juſtitiæ Dei & regni ejus mutata fuerit in idololatriam
& doctrinam falſam, quod factum eſt in Germania plurimis in locis, præſer-
tim in Bohemia & Palatinatu A. C. 1622. jubet numerari *dies*, id eſt, *annos*
1290. *uſque ad dare abominationem ſtupentis*, quos annos ſi retrò à termi-
no prædicto numeremus, incidemus in A. C. 332. vel 333. quo acta eſt Synodus
Nicæna, in qua throni conſtituti ſunt, & Pſeudoprophetæ in iis conſidentes
imaginem beſtiæ condiderunt, eum, cui in ea Synodo tributa eſt prima ſedes.
Beatus autem dicitur fore, qui ab A. C. 1622. in præſtolatione meliorum tem-
porum cum patientia & ſpe & ἐπιμονῇ egerit uſque ad dies, id eſt, annos
1335. id eſt, A. C. 1667. Sed hæc eſt tantùm conjectura, quam dies vel confir-
mabit, vel corriget.

ANALYSIS &c.

HOSEÆ.



Rophetia Hoseæ omnia tempora complectitur inde à Jeroboami II. regno usque ad finem mundi, & Ecclesiæ eventura in omnibus temporibus tum certamina tum bona edisserit.

Partes prophetiæ sunt septem, quarum συγκεφαλαίως tota historia sequentium temporum luculenter ob oculos ponitur. Prima est cap. I. & II. Secunda, cap. III. Tertia, cap. IV. Quarta, cap. V. & VI. Quinta, cap. VII. VIII. IX. & X. Sexta, cap. XI. Septima, cap. XII. XIII. & XIV.

Prima περιοχὴ Cap. I. & II.

Prima periocha disponit ordine tempora
I. ad Christum, cap. I.
II. ad consummationem sæculi, cap. II.

Pars. I. periochæ primæ habet I. accusationem populi de scortatione, cap. 1. ℣. 2. & 3. II. Denunciationem judiciorum in tribus gradibus & temporibus. Primus gradus est vers. 3. 4. Secundus, vers. 6. 7. Tertius, vers. 8. 9. III. Beneficium terrenum ista judicia secutum. IV. Denique ipsum donum Filiationis. Ergo

I. Propheta personam Dei sustinere jubetur quoad amorem ac cohabitationem Dei cum populo scortante, ut doceat, Quemadmodum si quis cum scorto habitet & cum filiis scorti, ita Jehovam habitare inter filios Israël; quia & mater (cœtus, vel ii, qui patres dicebantur in populo) & filii (privatim unusquisque, vel etiam discipuli) scortentur, id est, ab amore & timore Dei deficiant, aliisque amicis oblectentur & placere velint, aliosque timeant.

II. In denuntiatione judiciorum proponit in primo gradu
1. imputationem culpæ, nimirum effusi sanguinis (Nabothi 1 Reg. 21: 1. & posterorum Achabi & Isebelis, ut Achaziæ & agnatorum ejus, 2 Reg. 9: 15. 27. 30. 36. cap. 10: 6.) in Isreële, domui Jehu, quia hic communicaverat cum peccatis Achabi & posterorum ejus, sicque in ejus quodammodo locum successerat, qui Nabothum occiderat. ℣. 4.
2. Duplicem articulum pœnæ, quorum
(a.) est *visitatio sanguinis Isreël in domum*, id est, posteros, *Jehu*, vers. 4.

Historia. Zacharias abnepos Jehu, Jeroboami filius, sexto regni mense à Sallum interfectus est, 2 Reg. 15: 8. atque ita *abolitio regni domûs Israël*, hoc est, decem tribuum, ne scilicet in posterum sit Rex in decem tribubus, post excisam domum Jehu.

Histo-

Historia. Successores Zachariæ non Reges, sed regni *fures* & tyranni fuerunt. Vide 7: 1.

(b.) *Confractio arcûs Israëlis in valle Iisreël.* Tempus. *Illo die*, id est, mox, deinde.

Pekach annis viginti dominatus est, valuitque copiis & animositate adeo, ut Judæam invaderet, & uno die duodecim myriadas interficeret, & viginti myriadas in captivitatem abduceret. 2 Chron. 28: 6. 8. Ergo *arcus* hic *Israëlis* fuit.

Hic *arcus fractus* est à Tiglath-Pilesere rege Assyriæ, quem Achaz conduxerat. 2 Reg. 16: 7. & 15: 29. & Es. 8: 4. 23. Hic Gilead & Galilæam & terram Naphthali, hoc est, totam oram maris Gennesareth, sub Pekacho cepit, & incolis spoliavit. In propinquo illius maris est *convallis Iisreël*, inter montes Gilboæ & Hermon.

Ab hoc autem tempore incepit arcus totius Israëlis frangi, nec postea Israëlitæ quicquam feliciter gesserunt, nisi quòd Ezechias Palæstinos subegit. Es. 7: 8. tempus notat, *intra sexaginta quinque annos conteretur Ephrajim, ne sit populus.* A fine Jeroboami ad Samariæ excidium anni hi sunt computandi.

In secundo gradu judicii est

1. Secutura ætas alia æquè scortatrix, quanquam debilior & imbecillior præcedenti, denotata per *prolem sexûs fœminini* sequioris.

2. Ablatio beneficii vocationis, quo hactenus ipsos cum reliquis tribubus dignatus fuerat, & abjectio eorum à conspectu & à terra sua, in qua hæc vocatio peragebatur, & dispersio per gentes, sicque abdicatio (exceptis parvis reliquiis) à salvatione per Christum, ita ut ipsis non alia spes, quàm reliquis gentilibus, salutis & miserationis sit relinquenda. Hæc per nomen inditum proli, לא רחמה, apertè significantur, uti & ipse Propheta explicat.

Historia. Id factum est in deportatione Assyriaca. 2 Reg. 18: 9. 10. 11.

Huic rejectioni decem tribuum opponitur salvatio Judæ in Jehovah Deo ipsorum; sed non per arcum, gladium &c. ℣. 7. In his innuitur

(a.) Casus Judæ in simile judicium, in captivitatem Babylonicam. Hanc præsupponit salvatio & miseratio Judæ, quatenus opponitur non miserationi domûs Israëlis. ℣. 6. & 7.

(b.) Judæ restitutio ex captivitate, quæ facta est sine arcu aut gladio, Deo ita flectente animos monarcharum Persiæ. Itemque Judæ ereptio è manu Antiochi, quæ, licet parum auxilii habuissent, Dan. 11: 33. 34. divinæ tamen potiùs potentiæ fuit. Quæ salvationes præambulæ fuerunt

(c.) veræ salvationis adducendæ per Jehovam Deum ipsorum, id est, Christum ipsos visitantem in carne. vers. 7. Ut & sublationis equi & currûs, Zach. 9: 10. in bello Romano, & liberationis Ecclesiæ sequentium temporum, ut & hoc nostro tempore, ut est Deut. 32: 36.

In tertio gradu judicii est

1. Subsecutio ætatis validioris & fortioris præcedenti, denotatæ per conceptionem & partum *filii.* ℣. 9. Et quidem, *postquam ablactasset filiam*, post moram scilicet longiorem.

Historia. Domus Judæ sub Ezechia, Manasse, Amone, Josia, & filiis ejus aliquantulum, per annos nimirum 133, stetit.

2. Hujus populi damnatio, per, Non populus meus estis Vos; q. d. quidvis aliud

aliud potiùs, quàm populus meus, estis *Vos*. Non loquitur ampliùs de domo Israëlis, ut antè, sed universaliter.

3. Declaratio sive denunciatio judicii, per, *Et ego non ero vobis*. vers. 9. id est, non habitabo ampliùs, ut hactenus, in nube, in medio vestri.

Historia. Post captivitatem Babylonicam non fuit restituta σκήνωσις, inhabitatio Dei per nubem, neque arca fuit. Jer. 3:16. quanquam cum Spiritu & gratia sua ipsis esset adfuturus. Hagg. 2:4.5. Quemadmodum Christus jam non ampliùs est quoad aspectabile organum sui corporis inter nos, sed Spiritu suo & gratiâ nunquam à nobis deficit.

III. Multiplicatio seminis non tantùm Judæ, sed etiam reliquiarum totius Israëlis, quæ in terra remanserant, vers. 1. Cap. II. Ante quam subintelligitur Reductio in terram, & cum ea multiplicatione conjunctio in unam rempublicam.

IV. denique Donum Filiationis, non ut quocunque modo, ut & in Veteri Testamento, sed majori & excellentiori jure dicantur *Filii Dei Vivi*, ut nempe sint verè liberi, & nullum, quoad imperium in religione & cultu Dei, patrem agnoscant, nisi Deum Vivum, id est, omnipotentem & vitam habentem in se, & vivificantem mortuos tum spiritualiter tum corporaliter; idque per regenerationem Spiritûs, id efficientis in nobis, ut, ratione habitâ ad Christum & ad illius honorem, peccata abjurent ac novæ vitæ studeant. Quod non nisi Christo exhibito, & repræsentatâ atque acceptatâ ipsius perfectissimâ obedientiâ potuit fieri. Ergo in hoc beneficio Christi adventus continetur.

(NB.) Post captivitatem dicebatur Israëli etiam reverso in terram, *Non populus meus estis vos*: quippe nec arcam, nec Cherubinos, nec σκήνωσιν, nec ignem cœlitus demissum habentes; nec restitutum exercitium cultûs externi aut pædagogia legisperitorum populi nomine eos dignos poterat reddere, quandoquidem hi populum magis perdebant suis traditionibus ac præceptis, & clavim cognitionis abscondebant.

Subsequentia adventum Christi usque ad finem mundi hoc ordine prophetia subnectit.

CAP. II.

I. Vocatio gentium. vers. 2. Ea significatur his verbis: *Ascendent ex terra*, q. d. veteribus sedibus, ut Palæstinâ, relictis, novas per totum mundum quærent. Id enim est phrasi Biblicâ ascendere) vel etiam ultra terræ limites expeditionem suscipient, ad propagandum pomœria regni Christi. Nempe discipuli Christi, Apostoli. Item, *Dicite fratribus vestris*, *Ammi*, hoc est, *Populus meus*; *& sorori vestræ*, *Ruchamah*, hoc est, *Diligitur*. q. d. Ubicunque eandem fidem, eundemque spiritum regenerationis inveneritis, ibi ne dubitetis agnoscere consortium cum sanctis in regno Dei, fraternitatem, & dilectionem Dei in Christo exhibitam.

Nota 1. *Connexum antecedens* hujus promissionis est *Congregatio filiorum Juda & Israël*. Et post abductionem decem tribuum, reliquiæ, quæ remanserant, impleverunt terram, quibus unà cum Judæis Euangelium fuit prædicatum; nam & Samaria recepit sermonem, Act. 8. Et qui abducti erant, unà cum gentibus vocati, juxta promissionem. Jer. 3:16.17.18.

2. [Greek] ad hanc vocationem gentium proponitur his verbis. *Ponent sibi caput unum*, id est, divino jussu sibi separabunt aliquem veluti ducem & cum eo turmam, qui præparet electis, congregatis ex duodecim tribubus, locum extra terram. Paulus Apostolus & Barnabas ad hoc electi & designati sunt. Act. 13: 2.3.4 22: 21.

3. Causa motiva Ascensionis illius sive Egressionis ex terra. *Quia magnus erit dies Isreël*, illius scilicet urbis persecutricis Zoph. 3: 1. quæ propter analogiam hanc Isreël vocabatur. nempe Hierosolymæ dies, quo scilicet judicium de ea sumetur, *magnus*, id est, terribilis erit.

II. Lucta Ecclesiæ cum Judæis & horum judicium. à vers. 4. ad 16. In his est

A. Instigatio filiorum patrum carnis, id est, tum fidelium, qui ab illis acceperant legem & testimonium, & sub illorum disciplina vixerant, (Paulus sedit ad pedes Gamalielis) tum eorum, qui adhuc in ipsorum disciplina continebantur & unà cum ipsis errabant ad contentionem cum ipsis. vers. 4. Justificatur autem hæc contentio à causa, *Quia illa non est uxor mea*, *& ego non sum vir ejus*. Scopus contentionis, *ut auferat scortationes suas à facie sua*, deponat servitutem elementorum mundi. Ea Deus symbola volebat esse τ̃ [Greek]. Ea profitentes quasi in fronte & in facie gerebant. His serviendo sine fide in Christum aut cum abnegatione Christi exhibiti scortabantur. *& adulteria sua è medio uberum suorum*. Hæc scortatio committebatur cum gentibus, per fiduciam in illis, aut metum illarum: Id jam aliquid in pectore occultum. Ergo *contentio* filiorum Dei *cum matre sua*, sive cum patribus carnis, debebat esse inculcatio resipiscentiæ ab adulterio spirituali, servitute elementorum mundi, & fiduciâ in hominibus. Corroboratur hæc prædicatio pœnitentiæ à pœna, quæ sine ea sit inevitabilis. Ea autem est

1. *Denudatio* & *destitutio*, *ut die nativitatis suæ*, quo Deus scilicet se primùm notificavit populo, tum in Ægypto, tum in deserto. Id est, in statum pristinum redactio, ut neque politiam, neque terram, neque externum cultum à Deo institutum, neque prophetas, neque vocationem Euangelicam, neque regnum Dei & Christi habeant. ℣. 5.

2. Desolatio. *Ponam ut desertum*. ubi nulla habitatio.

3. Induratio. *Ponam ut terram sterilem*. ubi nulla irrigatio vel fluminum vel fontium, etiam pluvia frustra accipitur, adeoque nulla fruges hominibus utilis.

4. Enecatio per sitim. *Et enecem eam siti*. 1. Quòd Christum fontem vitæ non sint habituri, atque interim id, quod habuerunt patres ipsorum in terra, & quod falsò exspectant multis sæculis, sint sitituri. Denique quòd in ea siti sint *morituri*, id est, quòd propter illam sitim pravam, quicquid reliquum erat de cognitione veritatis, sint abjecturi, sicque in ignoratione Testamenti Dei, & Christi & regni ejus, sint morituri. Hæc ℣. 5.

B. Declaratio sententiæ de filiis sive discipulis principum Judæorum.

1. Per negationem misericordiæ; ob communionem scortationis matris. ℣. 6. Et filios ipsius non miserabor, q. d. nemo putet, me iram meam tantùm in matrem, id est, patres sive præsides populi strictùrum. At ego non tolerabo eos, ut hactenus, non continuabo in eis vocationem, *nec miserabor* filios. *Quia filii scortationis sunt*. Ipsorum fides est cœca obedientia, quâ ruunt in assensum & obsequium suorum præceptorum, à quibus cœcis & mortuis se duci sinunt, qui potiùs Diaboli verbum, quàm Dei loquuntur, sicque pythonibus & hariolis dediti sunt. Es. 8: 19. Ita fides illorum est mera fornicatio & apostasia à Deo & lege ejus.

Depin-

Depingitur ac æstimatur hæc scortatio Seniorum Israëlis, vers. 7. quòd sit *pudenda*. Et quidem ex eo, quòd bona sua *Amasiis suis* accepta tulerint, (Nota, Amasios nunquam in bonam partem accipere Scripturam, sed semper vel eos, qui ambiunt animæ affectum, & eum quærunt devincire sibi, contra amorem, fiduciam ac metum Dei, ut Diabolus, 2 Cor 11: 2. 3. & mundus; ac inprimis mundana imperia: vel etiam eos, quibus placeri non potest, nisi abnegando & omittendo timorem Dei; & in quibus sine fide verbi Dei fiducia ponitur. Sic Ezech. 23. explicatur scortatio cum Assyriis & Babyloniis. Atque ita hic sumitur.) nempe Romanis, & quòd proposuerint eos sequi. Hæc tertia scortatio est, quâ affixi bonis terrenis, neglecto bono cœlesti, servierunt iis, quorum in manum Deus illa bona concluserat propter ipsorum ingratitudinem. *Historiam* vide Joh. 11: 48. & 19: 12. 15. Item Act. 17: 7. Et jam antea cœperant fornicari, quum nimirum petierunt à Cæsare Augusto, ne ampliùs per suos reges gubernarentur, sed per præsides Romanos, & ut Syriæ contribuerentur. Jos. Antiq. 17: 12. & 15. de Bell. Jud. 2: 4. & 7. Jam tum enim declaraverant, se Romanos optimos maximosque suorum bonorum conservatores agnoscere.

2. Per expositionem pœnarum secundùm ordinem exsecutionis, quasi in re præsenti. quæ sunt

(a.) Præpeditio conjunctionis pacificæ cum amasiis suis, & fruitionis illorum; cum effectu pœnitentiæ. vers. 8. & 9. *Maceries* illa, quam se ducturum minatur Deus, est ipsa illa lex cerimonialis, quæ reverâ est paries intergerinus disterminans Judæos à gentibus, Eph. 2: 14. quatenus ea dedit occasionem gentilibus eas irridendi, sicque variis turbis, ut cùm miles ad templum nudaret nates. Huc refer injurias præsidum, qui compilarunt & excoriarunt ipsos. Denique quò magis Cæsaris missorumque implorabant gratiam, eò citiùs in fatale bellum inciderunt. Jos. de Bell. Jud. 2: 14. 15. 16.

Effectus frustratæ prosecutionis amasiorum est mutatio consilii & pœnitentia, cum agnitione melioris ftatûs sub Deo rege. Nempe Judæi rejecti à Romanorum amicitia cogitarunt, majores olim Deo confisos & gentibus non innixos floruisse; ideoque pro libertate arma contra Romanos ceperunt, ut soli Deo servirent. vers. 9.

(b.) Occultatio faciei à desperantibus fruitionem amasiorum, ne agnoscant datorem bonorum suorum, sed permaneant in superstitione sua. Christum enim ut blasphemum damnaverant & persecuti erant, & adhuc persequebantur Christianum nomen. Atque tamen is erat ipsis auctor omnium bonorum, inprimis spiritualium; tanquam *frumenti & musti*, doctrinæ vivificantis ac exhilarantis. *Olei*, spiritûs prophetiæ ac sanctificationis, qui fuerat in patribus ac sanctis; imò magis spiritûs filiationis; denique spiritûs effusionis in Apostolos & fideles. *Argenti*, lytri, quod erat in Christi obedientia & passionibus, quo lytro aboletur redemtio, quæ fiebat argento, Es. 52: 3. Exod. 30: 12. *Auri*, κενώσεως in carne, *quod mutaverant in Baalem*. Christus talis, & Deus, qui justum habet servientem elementis mundi sine fide in eum, quem sanctificavit, & misit in mundum, *Baal* est. Verus enim Deus non justificat improbum ex operibus, sed ex gratia, in filio suo.

(c.) Ablatio bonorum;

(α.) Alimentorum & tegumentorum, vers. 11. Alimentorum, his verbis: *Auferam frumentum meum & mustum meum in tempore suo.*

Historia. Id factum est duobus modis, 1. in præparatione judicii sive prodromo ejus. Is duplex est; Fames magna, de qua Ef. 3: 1. Mal. 2: 3. Fuit ea sub Claudio, Act. 11: 28. & ablatio vocationis per verbum bonum Euangelii, Zach. 11: 9. Act. 13: 46. 18: 6. 2. in exsecutione judicii; quum inclusos privavit omnibus vitæ subsidiis, ut narrat Josephus: deinde terram eripuit; denique abjecit induratos.

Tegumentorum, cùm dicit: *Eripiam lanam & linum meum, quo tegebat nuditatem suam.* Intellige templum, urbem, politiam, sacerdotes, seniores, prophetas, exercitium cultûs externi, ipsos fideles, quibus tegebatur nuditas populi. Hinc additur vers. 12. Detegam scelus ejus peractum in Christo. Adde Deut. 32: 15. Hæc detectio sceleris est illa denudatio.

(β.) Festorum, vers. 13. Quod in nulla unquam captivitate factum est. Vide Nah. 2: 1. Umbræ enim post corpus debent aboleri. NB. Ex hoc loco insigniter probari, cultum Baalis posse consistere cum tota Judæorum religione, quâ videri volebant Deum colere.

Ordinis item omnis, tam ecclesiastici, quàm politici, vers. 14. *Desolabo vitem & ficum.* Id verò etiam propriè intelligi potest de arboribus circa Hierosolymam longo tractu ad aggeres faciundos excisis, ut memorat Josephus. Causa additur, *Quia imputabat illa amasiis suis.* Consequens, *Comedent ea* vel *eos feræ terræ.* Milites Romani, & gentes omnes conculcaturæ Hierosolymam, per omnia tempora gentium. Luc. 21: 24. & regna & gentes mundi, per quas dispersus est populus Judaïcus.

(d.) Oblivio in multos dies, sive continuatio hujus vastitatis & indurationis indicatur, his verbis, vers. 15. *Visitabo super illis,* sive exigam, repetam ab illis, *dies Baalim, quibus adolebat, & ornata monili suo & mundo suo prosecuta est amasios suos, & mei oblita est.* In his retaliatio innuitur prolixitatis 1. cultûs Baalis: nam dies Baalim sunt totum tempus veteris ritûs, quo inde ab exodo, Exod. 32: 4. & in sequentibus temporibus, Num. 25: 3. Amos. 5: 25. cum Act. 7: 42. 43. Act. 7: 48. usque ad captivitatem Romanam, verum Deum ignorarunt, sicque, utut externos illos ritus retinerent, Baali servierunt. 2. Fornicationis cum amasiis suis. Vide Ezech. 16. & 23. 3. Oblivionis Dei in Christo revelandi & revelati. Cultus sine fide Christi est cultus Baal; fiducia in carne est scortatio cum amasiis.

III. Ecclesiæ liberatio ex persecutione. ℣. 16. & 17. In his est

Connexum judicii exercendi in maximam partem Judæorum, *Deductio* alicujus cœtûs ex Israële *in desertum*, id est, mundum gentilem. Et quidem per modum præmonitionis & suasionis. Vide Luc. 21: 20. 21. 22. Notum est, Christianos à spiritu præmonitos, paulò ante destructionem, urbe excessisse, & Pellam se contulisse, in Peræa sitam. Ibi promittit Deus, *se locuturum ad cor ejus*, id est, se Ecclesiam consolaturum, scilicet in multis afflictionibus & persecutionibus. Promittit autem

1. Compensationem amissorum. *Dabo vineas.* & propriè & metaphoricè. Dabo ipsis, qui alant & sustentent. Apoc. 12: 6. dabo locum habitandi, ibid. inprimis cœtus multos passim confitentium nomen Dei & Christi, qui *vineæ* dicuntur, ut propagines vitis Christi, extra quam palmites non vivunt. Joh. 15: 5.

2. Refrigerium è persecutione. Et *vallem Achor in ostium exspectationis*, hoc est, locum vindicandi anathematis contrectati, sive eum ipsum locum, in quo Deus castigaverit communionem cum idololatris in peccatis suis per afflictiones & perse-

secutiones, faciet initium locupletationis & subjectionis regnorum mundi certò expectandæ in posterum.

Testantur historiæ, plerasque persecutiones extitisse, Christianis se corrumpentibus. Vide Cyprianum serm. 5. de lapsis; & Platinam in Marcellino, ex Eusebio.

3. Liberationem cum pessundatione hostium, quæ significatur similitudine Cantici illius, quod cecinit Maria, cùm Israël trajecisset mare rubrum, & Pharao in eo fuisset submersus. Exod. 15. Ecclesia transiit per mare sanguinis, & hostes sunt oppressi. Hic est fuga idololatrarum, de qua Deut. 32: 30.31. Christiana Ecclesia consideratur ut eadem cum Israële ascendente ex Ægypto, propter reliquias, & reliquorum, qui ex gentibus accesserunt, communionem cum illis.

IV. Exstirpatio idolorum & hæresium, vers. 18. 19. Analysis hujus prophetiæ hæc est.

1. Post liberationem Ecclesiæ à persecutionibus gentilium intraturi erant in Ecclesiam, sub nomine Christianorum, qui Deum nominent *Baalem*, id est, qui de Deo, quemadmodum olim Judæi, habeant gentiles opiniones.

Historia. Qui Christum hæretici voluerunt esse merum hominem, natum ex Maria, vel præditum essentiâ spirituali, sed creatâ ante reliquas creaturas, vocarunt Deum *Baalem*, & idolum, non Deum, adorarunt. Hi sunt pseudoprophetæ, de quibus Deut. 32: 27. qui dicturi erant: *Non-Jehovah fecit omne hoc.*

2. Deum effecturum, ut Ecclesia Deum appellet Virum suum, id est, ut profiteatur, eum, cum quo, & in quo cum Deo habet immediatam communionem, esse verum Deum; nec ullam esse veram rationem communicandi cum Deo, & verum titulum communionis bonorum ejus, nisi in concorporatione Christi; & quidem sine medio; quemadmodum nempe uxor non subjicitur servis, ita Ecclesiam in regno cœlorum, neque Angelis, neque œconomis aut tutoribus, aut his mediantibus, sed immediatè soli Deo uniri ac subjici.

3. Consecuturum ex ea professione Ecclesiæ, ut nomina Baalim non nominentur ampliùs: sed paulatim in mundo magis magisque tollantur, intereuntibus idolis, & hæreticis ad silentium redactis. Notandum est benè, hanc prophetiam non omnium Baalim totalem abolitionem, sed tantùm professæ & apertæ commemorationis exterminationem indicare.

V. Pax danda inter hostes. vers. 20. Hic articulus duos vel tres articulos temporis conjungit, in quibus pax Ecclesiæ in mundo proficit. Quorum

1mus articulus est pax illa, quam habituri erant fideles in mundo, admixtis irregenitis nomini Christiano. Hoc factum est, quando omnes principes mundi voluerunt videri Catholici sive Orthodoxi. Per hanc occasionem verò etiam subintravit *Bestia* illa mystica in Ecclesiam, vel potiùs confirmata & amplificata est in ea. In qua consedit Antichristus, ut regnaret. Cœtus autem Antichristi & Christi in una communione vixit à principio. Alibi fœdus habuit *cum volucribus cœli*, id est, cum gente certa, quæ cum volucribus cœli symbolizaret, tanquam Gothis, Longobardis & aliis immanibus populis, invectis in solum Ecclesiæ. *Cum Reptili quoque terræ habuit pacem*, id est, cum Satana, antiquo illo Dracone, quatenus (ut dicit Apocalypsis) in carcerem inclusus est, ne ampliùs gentes seduceret ad apertam idololatriam & cultum dæmonum.

2dus ar-

2dus articulus *est fractio arcûs & belli ex terra*. Hic præsupponitur
(a.) Contradictio piorum adversus doctrinam hypocritarum.
(b.) Separatio fidelium ab hypocritis, cum quibus aliàs pacificè vivebant.
(c.) Ex ea re excitanda persecutio, etiam in bellum erumpens.

Terra, ut minimum, significat cœtum vocatorum; quæ est quasi *ditio* regis Christi, respondens populo Israëlitico in terra habitanti.

3tius articulus est securitatis. Quod non potest intelligi, nisi de eo tempore, quo omnia regna servient Ecclesiæ.

VI. Ecclesiæ conservatio & affixio ad nomen & amorem Dei. ℣. 21. 22. Hujus prophetiæ hæc est explicatio.

Et, quamvis per occasionem liberationis illius ex persecutione gentilium, & confessionis eorum, qui Deum vocarent nomine Baali, & pacis illius, meretrice etiam insidente bestiæ, magnum periculum scortationis futurum sit; tamen *desponsabo te mihi in sæculum*; semper te mihi tanquam sponsam & uxorem meam affixam conservabo; nullus vestrûm per ἐνέργειαν τῆς πλάνης grassantem in pace est abducendus à conjugio meo, ut alii sponso ceu vicario meo suum amorem & obsequium addicet. Neque in dotem tibi daturus sum bona terrestria, ut lanam, linum & similia, qualia videbantur dare amasii Synagogæ, neque adeo pacem illam cum bestiis & volucribus aut reptilibus, ne putetis esse illa, per quæ habetur conjugium mecum, quemadmodum sanè putaturi incolæ terræ, Apoc. 13: 8. & quemadmodum hodieque putant ii, qui Antichristum colunt; sed longè majoribus & cœlestibus bonis te dotabo, 1. *Justitiâ*, id est, adoptione in filios cum remissione peccatorum. 2. *Judicio*, quo judicatum est peccatum in Christo. 3. *Gratiâ*, sive proposito & beneplacito non tantùm justificandi, sed & sanctificandi & conservandi & glorificandi. 4. *Misericordiâ*, sive voluntate consolandi in afflictionibus, etiam per peccata accersitis, & remunerandi omnem perpessionem pro nomine ipsius, denique reddendi mercedem hæreditatis gentium servis meis, pro qua laborant. Quod ipsum est *pœnitudine affici super servis suis*. Deut. 32: 36. Hanc dotem vos recipietis per *fidem*, dum per ejus ὁμολογίαν mihi cum oblatione illarum dotium conjugium postulanti respondebitis. Sicque conjugium inter te & me contrahetur, dum à mea parte dotes illas conferam, & à vestra parte existet fides: Et ne ulla supersit ratio animum aut spem promissionum mearum abjiciendi, ego fidem ad communionem mei in vobis operabor, siquidem *ego desponsabo te mihi in fide. Et cognosces Jehovam*. Quòd nempe solus Pater sit verus Deus & sufficiens ad justificandum peccatorem, habens nimirum Filium, quem mittat ad redimendum, & Spiritum, ad regenerandum; quòdque is reverâ factus sit, quod est, Filium donando; qui est Jesus, Christus, homo & Deus, rex Ecclesiæ. Hæc cognitio, quatenus est in prædicatione & illuminatione, non auferetur ab Ecclesia; imò indies magis magisque crescet.

VII. Ecclesiæ benedictio & amplificatio, verf. 23. 24. 25. Hæc pericopa explicat, quid in fine dierum futurum sit, postquam arcus & bellum fracta fuerint ex terra; saltem, postquam Ecclesia ex tenebris cognoverit Jehovam. Duæ partes sunt hujus pericopæ:

1. Benedictio Ecclesiæ, verf. 23. 24. De hac ita statuendum est, quandoquidem dicitur, *frumentum responsurum Israëli*, cum hoc effectu, *ut ea plantetur in terra*, quod necessariò metaphoricè & spiritualiter intelligendum est, non tam hic abun-

dantiam intelligi opum terrenarum, quàm spiritualium donorum promissam esse. Quatuor hic sunt cola, quæ singula suam habent emphasin.

(a.) Quòd *Deus responsurus sit cœlo*, id est, satisfacturus votis eorum, qui loco cœli sunt in Ecclesia, doctorum & ductorum populi, ut nempe Deus coërceat hostes, ut det ostium sermonis, ut loquantur mysterium Christi, & manifestent, quemadmodum oportet.

(b.) *Quòd cœlum respondebit terræ*, id est, quòd doctores & ductores populum sibi concreditum, qui terra allegoricè, irrigabunt & irrorabunt ad frugem; verbum scilicet Dei fideliter, &, ut oportet, loquendo & manifestando ad conscientiam & captum plebis.

(c.) Quòd *terra sit responsura frumento & musto & oleo*, id est, quòd Ecclesia irrigata à doctoribus sit acceptura semen, verbum Dei, ex quo proferet fructus, *frumentum*, ad alendum & vivificandum; *mustum*, ad consolandum; *oleum*, ad sanandum & ad fragrantiam spargendum. Quis hæc nobis dabit videre in diebus nostris, ut tantùm hæc fiant!

(d.) Quòd *illa responsura sint Isreëli*, id est, tum Judæis separatis ab omnibus tribubus Israëlis, tum Papistis, à quibus separanda erat Ecclesia Dei. Hi enim per *Isreëlem*, quæ olim etiam à Tribu Judæ dissidebat, commodè intelliguntur. Iis respondebunt frumentum & mustum & oleum Ecclesiæ, ubi erunt ad manum, & copia erit eorum, & placebunt denique demonstrationes, quæ ipsis pro veritate ex Scripturis afferentur, & conversatio eorum non impediet, quò minùs & Judæi & Pontificii ad communionem veræ religionis accedant.

2. Multiplicatio Ecclesiæ. Ea promittitur tribus modis.

(a.) dum promittitur *Isreëlis seminatio in terra*. Dum fit frumentum, mustum & oleum cibus homini, eo ipso implantatur Ecclesiæ. Es. 27 : 6. similis & locutio & res est, *Advenas radicabit Jacob*. Adde Rom. 11 : 23.

(b.) dum promittitur, Deum *misericordiam exerciturum cum non dilecta*. Adde Rom. 11 : 31.

(c.) dum promittitur, fore, ut *Deus nuncupet populum suum*, qui *non* est *populus*; & is ei respondeat, *Deus mi*. Per vocationem nimirum internam & regenerationem, cujus effectus est, ut dicat homo, *Deus mi*, ut nempe, abnegatâ omni aliâ justitiâ ac mediatore, ad Dei justitiam confugiat, & soli Christo ceu arci salutis adhæreat, & sanctificationem soli ipsius spiritui attribuat.

Hactenus Periocha prima.

Secunda periocha agit de visitatione & limitata desertione Judæorum, & eorum reassumtione in fine temporis. Cap. III.

Habet autem hæc prophetia partes tres. I. Prophetat demonstrationem amoris Dei apud Israëlem, cum ejus ingratitudine. vers. 1. 2. II. Vaticinatur longam desertionem, & statum populi in ea. vers. 3. 4. III. Promittit reassumtionem.

Partis primæ hæc esto paraphrasis.

Vers. 1. Jubetur Propheta iterum sustinere personam Dei in amore filiorum Israëlis, *respicientium ad Deos alios*, (omnis religio, quâ quæritur Deus justificans impium non in Filio, est idololatria) per dilectionem conjugis castam & integram, sed non redamantis, verùm, saltem corde, ad alienos amores inclinantis; & *diligentium pedamenta uvarum*, per delectationem hierarchiâ & dominatione Seniorum & Sacerdotum in populo, statuminante eos, qui externâ specie sapientiam divinam continere videntur.

Nota.

Nota. Is amor Dei in tribus partibus noscitur.

1. in impendio beneficii ante desertionem.

2. in coërcitione per tempus desertionis.

3. in gratia resipiscentiæ ultimo tempore dandæ.

Vers. 2. Beneficium impensum ante abitionem per meram parabolam, sine speciali applicatione, significatur; quando de propheta dicitur, quòd *emerit illam fœminam certo pretio*. Inde enim intelligitur, quòd Deus *emerit*, id est, mancipaverit sibi, *numero* quindecim siclorum, & quindecim Epharum, (*Chomer* enim decem, & *Lethech* continet quinque Ephas) id est, triginta dierum, (nam bis 15 faciunt 30) id est, patientiâ non minùs 30 annorum Christi, inde ab ejus ascensione, vel baptismo Cornelii, quibus *sustulit tres pastores populi*, *nempe uno mense*, (Mensis stilo Biblico constat 30 diebus, ut patet ex Apocalypsi, ubi dies 1260 sunt menses 42.) Zach. 11 : 8. Id enim est inter beneficia, quòd eo tempore Christus obscuravit auctoritatem Seniorum & Sacerdotum & Legisperitorum, & tantùm non abolevit, ut populus ab iis ad Deum suum & Christum ejus converterentur: item quibus populum *pavit*, ibid. in Zach. vers. 4. id est, partim vocavit per verbum Euangelii, partim conservavit cum bonis terræ: cum qua pastione etiam conjunxit fœdus pactum inter populos, vers. 10. prævalens alæ abominationum desolanti. Dan. 9 : 27. *Materiâ, argento*. Id notat pretii à Christo persoluti & justitiæ in eo fundatæ propositionem per prædicationem Apostolorum. *Hordeo*. Id denotat doctrinas Pharisæorum, quas solas audiverunt Judæi, quum Christiani ab illis recessissent. Quod factum est abruptiùs, postquam Hierosolymæ definitum esset, gentes non esse onerandas jugo ceremoniarum. Id factum quarto decimo anno post conversionem Pauli, Gal. 2 : 1. Siclus est Epha & mensura plena secundùm Scripturam. Τὸ μέτρον τῆς μακροθυμίας fuit ἄμετρον.

Pars secunda hanc habet expositionem.

Vers. 3. Longa desertio Judæorum, in qua tamen Deum exspectarent, assimilatur mulieri exspectanti maritum ex terris longinquis. Dicit enim propheta in parabola: *Et dixi ad illam* (mulierem;) *Diebus multis* (suprà dictum erat, *Visitabo super illam dies Baalim*.) *sedebis mihi*. Habebis Scripturam Veteris Testamenti & leges, & in ea scrutaberis promissionem, & promissionis exhibitionem, ignorans, eam esse factam, exspectabis; *non scortaberis*, non habebis in mundo aliquam potentiam, cui innitaris contra regnum Christi; neque etiam occasionem te contaminandi communione idolorum. *neque eris viri*, non habebis Principes & Seniores, quibus subjectus fueras sub Veteri Testamento. Illi enim *Viri* solebant nuncupari.

Vers. 4. Distinctiùs illa omnia explicat. In eo est

1. remotio regni & politiæ. *Sine rege & sine principe*, hoc est, magistratu.

Nota. Olim quidem auferendum erat à Juda sceptrum, non tamen ita, ut simul auferretur Princeps, Gen. 49. antequam Schilo venisset. Nunc autem & rex & Princeps tolluntur; unde evidentissimè apparet, Messiam jam venisse.

2. remotio sacrificiorum. *Sedebunt sine sacrificio*. Ante captivitatem Babylonicam etiam in Dan & Bethel, post eam etiam Samariæ & in Ægypto, præterquam Hierosolymis, sacrificia obtulerunt. Post captivitatem Romanam omnibus ubique Judæis stat sententia, sacerdotii actum omninò cessare.

Nota. Sacrificia quoad usum totalem non poterant aboleri, nisi Christo do-

nato. Pſ. 132 : 16. Jer. 33 : 18. Unde rurſus apparet, Meſſiam adveniſſe.

3. remotio cipporum. *Sine cippo.* Lapis hic eſt, in quem oleum effundebatur, eratque inſtrumentum falſæ religionis ſive idololatriæ gentilis. Lex eos vetuit haberi, ſub nomine generali religioſum ſignum vetans. Exod. 23 : 24. 34 : 13. Lev. 26 : 1. Deut. 5 : 7. 12 : 3. 16 : 22. 1 Reg. 14 : 23.

4. remotio prophetiæ. *Sine Ephod.* Erat id amiculum Sacerdotis ſummi, in quo pectorale continebatur, quod dicebatur *pectorale judicii*, & ſic erat ſymbolum poteſtatis judicialis in ſacerdote, tanquam ordinario præſide reipublicæ. Inſertæ erant gemmæ, inſcripta nomina filiorum Iſraël; quo ſignificabatur Amor veri ſacerdotis, gerentis in corde ſuo nomina Eccleſiæ electæ in libro vitæ deſcripta, & ea repræſentantis Deo Patri, ut Sponſoris. Inſerta eidem pectorali erant *Urim & Thummim*, & quidem hoc erat teſtimonium ordinarium prophetiæ.

Hiſtoria. Poſt captivitatem Babylonicam non fuit ſacerdos cum Urim & Thummim; & ceſſavit prophetia poſt Malachiam: donec effunderetur Spiritus in Apoſtolos, locuturos Euangelium ſic, ut omnibus eſſet promtum prophetare. Judæi autem cœci hactenus permanſerunt, & legentes Scripturas neque Chriſtum neque regnum ejus vident.

5. remotio imaginum. *Sine imaginibus* ſive *Teraphim.* Ea inſtrumenta fuerunt idololatriæ. Gen. 31 : 19. & v. 30.

Hiſtoria. Figuræ Veteris Teſtamenti abrogatæ per ſacrificium Chriſti ad cenſum imaginum pertinent. Hic tamen imagines gentiles, & poſtea Antichriſtianæ præcipuè intelliguntur, à quibus Deus Judæos in illa induratione ac diſperſione erat conſervaturus. Simile eſt, quod ſuprà dixit, *Non eris VIRI.*

Pars tertia verſ. 5. oſtendit, futurum, ut Deus miſericordiam ſuam exerceat viciſſim in Judæorum, quos induraverat, poſteris. Per donum nempe μετανοίας & converſionis ad Deum.

Verſ. 5. *Poſtea convertentur filii Iſrael, & quærent Jehovam Deum ſuum & Davidem regem ſuum*, quem ſcilicet in hac longa diſſipatione non quæſiverant, ignorantes Teſtamentum ipſius, propter quod dicitur *Deus Iſraëlis*; & regnum ejus, propter quod *David*, id eſt, aliquis de ſemine ipſius, & per eum præfiguratus, *rex ipſius* dicitur. Nota,

1. Defectio Judæorum in hoc ſtatu eſt à Jehova & Davide Rege ſuo.

2. Quanquam hoc regnum ſit ab ipſis ablatum, tamen in mundo eſſe, ut etiam cap. 2. evidenter cognitum eſt.

3. Regnum Dei & Chriſti idem eſſe. Eodem enim ſtudio animi uterque quærendus eſt. Eſſeque adeo Chriſtum verum θεάνθρωπον, Deum revelatum in carne, cui æquè ac Patri fidere poſſis; non ſubalternum quendam Deum, cui fidendo mœcheris.

Poſt quæſtionem eſt *trepidatio ad Jehovam*, hoc eſt, *feſtinatus* & trepidus accurſus ad eum: *& ad bonum ipſius*, id eſt, gratiam in Euangelio prædicatam, & in regimine Eccleſiæ manifeſtatam, ut frui poſſint bonis regni cœlorum.

Tempus hujus converſionis eſt *extremum dierum*, hoc eſt, ad ultimam periodum temporis Novi Teſtamenti, quæ ſeptima tuba dicitur, Apoc. 10 : 7.

Hactenus periocha ſecunda, quam ſi vel obiter comparemus cum præcedenti, inveniemus, in hac explicari, quod in ſuperiori ſuis articulis erat propoſitum: quæ ſunt

(a.) Vi-

(a.) Visitatio populi notata per dilectionem; ejusque longa invitatio ad bonum Dei accipiendum, cujus consummatio ὑιοθεσία dicitur.

(b.) Discessio ab Israële ad retaliandum dies Baalim.

(c.) Miseratio ejus ad eum plantandum in terra.

Periocha tertia Cap. IV. explicat corruptiones & castigationes Ecclesiæ Christianæ post liberationem à persecutione gentilium, usque ad coërcitionem Antichristi. Est igitur hic explicatio vers. 18. 19. 20. cap. II. Et ejusdem temporis est hæc prophetia, cujus est prophetia vers. 4. cap. III. Partes habet septem.

I^ma^ habet 1. propositionem vers. 1. p. p. Generalis rubrica est, *Contentio cum habitantibus terram*, id est, cum Ecclesia, quæ, postquam in deserto errasset, ut inveniret viam ad urbem habitationis, Ps. 107 : 4. consedit tandem in loco sibi præparato ad alendum scilicet, Apoc. 12 : 14. imò *vineas suas vidit*, Hos. 2 : 17. Citantur autem *filii Israël* ad audiendum hanc contentionem, id est, tum veri Israëlitæ, tum illi, qui nomine Israëlis vocantur, tum etiam Judæi. Iis enim patefacere hoc judicium decrevit, ut sanctificetur nomen suum apud ipsos.

2. Accusationem, quæ continetur

(a.) in negatione requisitorum in Christianis, vers. 1. p. p. Negat enim esse *in terra*, id est, in plerisque vocatorum

(α.) *Veritatem*, id est, sermonem & professionem veritatis, nimirum sinceræ & incorruptæ.

(β.) *Pietatem*. חסד, quod studium boni notat, erga Deum & proximum.

(γ.) *Agnitionem Dei*, id est, timorem Dei, & reverentiam. cujus est omnia in nomine ipsius facere.

(b.) in criminatione vitiorum, quæ Christi Ecclesiam non decent. vers. 2. Criminatur autem

(α.) *Abnegationem* cum *exsecratione*, (& sic professione fœderis) intellige, legis, cui se vel alios subjiciunt. vel etiam ἀναθηματισμοὺς condunt cum abnegatione veritatis. Doctrinam abnegantem redigunt in canones sub anathemate.

NB. Id tempus notatur, quo plurimi fuere, qui Deum appellarent *Baalem*; pauci, qui *Virum suum*.

Constat ex historia, sub Constantino & filiis ejus Arianam hæresin & alias invaluisse, ac præterea multos errores, etiam alitoris originis, fuisse corroboratos, in quibus est *abnegatio*.

(β.) Homicidia.

Historia. Inter filios Constantini & alia quoque civilia bella exstiterunt, interimque persecutiones non desierunt. Imò, ut ex fine hujus versûs intelligitur, quò magis se diffuderunt in copiam, eò crebriora inter ipsos bella ac dissidia exorta fuere. Totus mundus sanguine oppletus erat, id est, *sanguis sanguinem attingebat*.

(γ.) *Furta*, &

(δ.) *Mœchationes*. Quid impedit, ea secundùm literam intelligere?

(c.) In judicio, quod ponitur in luctu terræ, & languore habitantium in ea, & ferarum terræ & volucrium & ablatione piscium. ℣. 3.

Historia. Imperator gentilis professionis Julianus, fecit illam *bestiam*, sive *terram lugere*, ob amissam auctoritatem Cæsaream & θρόνον ac ἐξουσίαν Draconis. Apoc. 13 : 2. & *languere*, ut parum abesset, quin emoreretur, id est, à nomine Christiano recederet: *cum feris terræ*, id

est,

est, cum principibus & bellatoribus plerisque, aliisque tyrannis, cum quibus cap. 2: 20. dicit se fœdus Ecclesiæ fecisse. *& volucribus.* *Pisces* autem *maris* ablati sunt, quia notabiliter coërcita est propagatio Euangelii in gentibus, ut scilicet vix anima vivens in mundo caperetur, & transferretur ad vitam in regno cœlorum. Nihil tamen impedit, quò minùs & secundùm literam hæc intelligantur. Hieron. Hoc qui non credit accidisse populo Israël, cernat Thracias, Macedoniam, atque Pannonias, omnemque terram, quæ à Propontide & Bosphoro usque ad Alpes Julias tenditur, *& probabit cum hominibus & animantia cuncta deficere.* Sub Phoca narratur ita sæviisse frigora, ut mare congelaverit & pisces perierint.

II. Pars habet judicium triplex, & quidem suis rationibus munitum.

1mum Judicium instituitur per improbationem facti in speciem boni, sed inutilis. vers. 4. *At*, q. d. utcunque sit, quantumvis magnus sit terræ luctus & languor, tamen *Vir*, cujus quidem est, ut *prophetæ*, vers. 5. redarguere & demonstrare ac convincere, instrumento verbi Dei, si legitimum officium ejus spectes; quia tamen ut Vir in comparatione cæterorum tanquam simplicium hominum, donum prophetiæ sibi ita assumit, ut præter demonstrationem etiam auctoritatem usurpet, *ne redarguat*, omittat potiùs ἔλεγχον, quia is non est integer, sincerus & incorruptus: *&* ille *Vir*, cujus quidem, si legitimum ejus officium spectes, est contendere, id est, peccantes compellare, & rationem facti exigere & objurgare, sicque, tanquam *sacerdotis*, vers. 6. oblationem gentium parare, ut sit sanctificata in spiritu. Rom. 15: 16. quia tamen videri vult offerre sacrificium pro populo, & illos propitiare, *ne contendat*, frustranea & ingrata mihi est eorum contentio. Justificatur reprobatio contentionis & redargutionis, additâ ratione. *Et*, nam, *populus tuus*, ô vir contendens, & personate sacerdos, qui tibi obedit, & per te propitiari sperat, est, *ut* populus Dathanis, Abirami & Korachi, *contendentium cum sacerdote* Aharone de sacerdotio. Tu enim, quum sacerdos unus sit, Filius Dei, & ipsius sacrificio sint consummatæ conscientiæ filiorum Dei, quum is intercedat pro Ecclesia in perpetuum, invadis ipsius officium, & ipsi controversiam facis de expiatione peccati & justitia filiorum Dei. Quomodo igitur tu cum quoquam contenderes de veritate & sanctitate? Atrociores autem hujus judicii gradus notat tres.

(a.) *Et offendes de die.* vers. 5. Episcopus sive sacerdos, qui regere debebat Ecclesiam, judicatur dignus, qui *offendat*, id est, malè & perversè judicet, (Confer Es. 28: 7.) & consequenter malè agat & peccet, ἀλαζονείᾳ, luxu, avaritiâ, ambitione, tyrannide, seditionibus, dimicatione cum antagonistis usque ad profusionem sanguinis, sicque lata strages morum & ordinis fiat in illo regno sacerdotum, & quidem *de die*, ita nimirum, ut peccata ejus publica fiant.

Historia. Damasus & Ursicinus antagonistæ rivales sedis eo certamine dimicarunt, ut uno die in Basilica Sicinini 137 homines trucidarentur, anno Christi 367. Id narrat Ammian. lib. 27.

(b.) *Et offendet tecum propheta nocte.* Tu scilicet, ô Sacerdos sive Episcope, eris causa, quare *propheta* sive vir demonstrans, *tecum*, id est, cupiens tibi abblandiri, & à te gratiam inire, ad placitum tuum prophetet, & Scripturam torqueat, sicque *offendat*, & quidem *nocte*, dum meditatur.

(c) *&, hei mihi, mater tua.* Hæc exclamatio Dei est, miserentis sive imitan-

tis

tis eorum justum χειλιασμὸν, qui viderent ex Ecclesia sua, quæ *mater* etiam stilo Curiæ Romanæ, homines nasci perversa loquentes & inficientes Ecclesiam, in qua nati & educati sunt.

Tandem etiam in vers. 6. p. p. hoc judicium concludit simili comploratione Dei de populo suo. *Actum est de populo meo sine scientia.* vel, *quia caret scientiâ.* Factus est similis impuris, id est, irregenitis. Es. 64 : 5. & nomine solo restat, ob invalescentem ἀγνωσίαν mei. 1 Cor. 15 : 34. Cœtui tales præsunt viri, ut non tantùm populus ipsorum, sed & populus meus erret, inquinetur, & propemodum fiat ἄφαντος.

2dum Judicium disertiùs percellit *sacerdotem* sive *virum contendentem. Sprevi te, ne sis sacerdos mihi*, sive *accedas ad me.* (Vox כהן propriè habet notionem *accedendi.* Sacerdos accedit ad Deum pro populo, princeps regi proximus adhæret lateri ipsius, ut ei à consiliis & pro manibus pedibusque sit, populumque capiti connectat.) Ratio, quia *tu cognitionem sprevisti.*

Historia. In propatulo est, quàm segnes fuerint Veteres in studio Sacrarum Literarum, quàm turpiter in earum interpretatione fuerint hallucinati.

Judicii hujus summa est, quòd Deus jam tum statuit, illos Episcopos se extollentes supra gregem non dignari ministerio præparandæ oblationis gentium.

NB. Exsecutio hujus judicii cernitur in eo, quòd traditi sunt concupiscentiis suis ad serviendum curis secularibus; quòd Deus tandem eripuit Ecclesiam ex ipsorum manu; quòdque illos & illorum nomen aboliturus est. Nam cadunt sidera de cœlo.

3tium Judicium est in *filios Sacerdotis* fucati, eos nempe, qui juxta ipsum præsunt populo suo, tanquam paternæ familiæ.

Historia. Notum est, quomodo Papæ Principes appellare consueverint suos *filios.* Notum est, quòd & per illos coronentur & in fastigium majestatis eleventur. Unde Tyrus *coronatrix.* Es. 23 : 8. Inde in vers. 7. illis tribuitur δόξα, *gloria*, *majestas.*

NB. Hic est duplex sive divisum regnum Danielis cap. 2. & 7. Pseudopropheta cum capitibus Bestiæ, Apoc. 13. Mors & infernus, Apoc. 6.

Culpa originaliter est in Patre illo, *oblivisci legis Dei sui*, & contrà legem aliam comminisci. Pœna infligenda filiis est,

(a.) *oblivisci ipsos.*

(b.) *mutare ipsorum majestatem in ignominiam.* Hinc igitur casus montium. Apoc. 17 : 10. Divisio imperii in plures, & uno tempore futuros decem reges; omnes externæ & internæ contritiones &c. de quibus ad cap. 10. infrà.

Justificatur hæc pœna, Quia *juxta amplitudinem*, id est, potentiæ suæ sublimitatem *peccant Deo.*

IIItia pars continetur vers. 8. 9. 10. Complectitur autem culpam & pœnam.

Culpa est, 1. peccata populi in fructum convertere, vers. 8. *Peccatum populi mei comedunt*

Historia. Sacerdotes in Ecclesia Christiana peccatum pecuniis, reditibus, fundis, domibus, regionibus, ditionibus redimenda proposuerunt, quibus illi mirum in modum ditati sunt.

2. *Ad pravitatem suam*, id est, ad legem suam, quam populo proponunt, *attollere animam ejus*, dum nimirum omnibus versutiis, studiis, commentis, ratioci-

tiocinationibus, exsecrationibus secundùm efficaciam erroris, animam populi ab ea pravitate suspendunt. Id jam est legislatoris incrustati. Deut. 33 : 21.

Pœna describitur in vers. 9. *Et erit ut populus, ita sacerdos*, id est, Episcopi, quos *sacerdotes* hic vocat Scriptura, profitebuntur se Principes sæculares, custodes reipublicæ, quorum officium sit, judicia exercere, pacem tueri, ut sit proventus rerum temporalium, sicque fient ut principes, quos vocant *laïcos*. *Et visitabo super ipsum vias ejus, & facinora ejus retaliabo ipsi.* ut nempe secundùm vias & studia eorum ipsis fiat; *ut* nimirum *non satientur, quantumvis comederint*, hoc est, ut Episcoporum avaritia fiat insatiabilis, & studium dominandi crescat in immensum.

Historia. Papæ, Patriarchæ, Metropolitani, Archiepiscopi, non modò multas urbes, sed etiam provincias sibi subjecerunt.

Item, *ut scortentur & non diffundantur*, hoc est, ut ipsorum imperium, licet ingenio humano & mundo convenientissimum, tamen non diffundatur, sed potiùs restringatur.

Historia. Turcæ à religione defecerunt. Sarraceni amplificationem ut fidei Christianæ, ita etiam superstitionis, & Imperii Antichristiani, coërcuerunt. Et multa regna ab eo defecerunt.

Quia Jehovam reliquerunt observare. Id verbum religionis est. Subintelligitur contrarium. Alius se Deum facit, & observandum proponit, & illum observant omnes, & Sacerdotes & Laïci; qui est Antichristus.

IV^ta pars habet

1. Accusationem, vers. 11. 12. 13. p. p.

Vers. 11. Accusat *ἀσυνεσίαν* & *ἀναισθησίαν*, & *συνείδησιν κεκαυτηριασμένην*. quòd nec verbo Dei nec pœnis emendentur. Ea *mors secunda* in Apoc. Idque quia 1. scortantur. spiritualiter nimirum. 2. propter luxum in abundantia *vini & musti*. quæ literaliter intelligi possunt.

Vers. 12. Effectum *ἀσυνεσίας* indicat, quòd *populus Dei*, per mimesin & sarcasmum sic dictus, *lignum suum*, imaginem ex ligno aliave materia, *interroget*. Interrogatur imago, quando Deus vel sanctus invocatur in imagine; *Et baculus ejus*, Homo ille, quem, virgâ in manu positâ, fecit & nominavit pastorem suum, qui, cum collegio suo pronuncians, in religione non possit errare, *indicat ipsi*, docet cum auctoritate. Vide Apoc. 13. & seqq. de pseudopropheta. Notum est, etiam imagines cultoribus suis quippiam significasse scilicet. Si id factum esset, sanè modum hujus criminis impleret. *Nam Spiritus scortationis ipsos in errorem agit*; non ducuntur Spiritu veritatis, ad quem illi provocant, *& scortantur à Deo suo*, præter Deum Patrem ac Filium per Euangelium propositum, & hactenus pro servatore quomodocunque agnitum, quodvis aliud fundamentum salutis posuerunt.

Vers. 13. Specialiùs scortationem explicat; quam ponit *in sacrificiis*, quæ peragantur *in capitibus montium*, & *adolitionibus*, quæ *in collibus* fiant. Post unicum sacrificium Christi in cruce peractum, qualiscunque in terris sacrificatio æquiparanda est adolitioni vetustorum Israëlitarum, sacrificantium ac adolentium extra illum locum, quem Deus elegerat, in fanis & celsis, in quo abnegatio veri sacrificii Christi continebatur.

Historia est in sacrificio Missatico, & tempus illud hic notatur, quo Transsubstantiatio ad hoc sacrificium fingendum pro dogmate haberi cœpta.

cœpta eſt. Et Pontificii loca altarium in montibus & nemoribus libenter habent.

Sub quercu & populo & terebintho vel *ulmo*, id eſt, in nomine & fiducia hominum. Comparantur enim poteſtates, ſub quorum auctoritate ac patrocinio talis ſacrificatio exercetur, cum quercubus, populo, ulmo. Et regna ac populi, in quibus regnat meretrix, comparantur montibus, Apoc. 17 : 9.

2. Judicium in cumulo peccati. verſ. 13. p. a. Illud eſt *tradere filias ad ſcortandum & nurus ad mœchandum*. Hæc ſecundùm literam intelligenda eſſe, planum eſt. Scortationem ſpiritualem ſequitur corporalis.

Hiſtoria. Vix ulli fuerunt ſacerdotes non concubinarii. Lupanaria etiam tributo accepto civitate donata.. Et iis in locis, ubi regnat ſuperſtitio Papalis, nihil vulgarius eſt ſuſpicione ac famâ adulterii.

3. Judicium in omiſſione viſitationis & coërcitionis: & ejus Juſtificationem. verſ. 14. *Non viſitabo* &c. Pœnarum Antichriſti non minima eſt, quòd Deus eum tanto tempore non punit. Adde Apoc. 11 : 21. 22 : 11. *quia illi*, *δικηκῶς*, id eſt, quidam, qui ſub eo regno agnoverant veritatem & ſcortationem iſtius Eccleſiæ, & propterea ab ea exierant, iterum *ſe ſepararunt* à ſanctis, ut *cum meretricibus* unà eſſent & communicarent.

Hiſtoria. Waldenſes paſſi ſunt ſe vinci, ut rurſus cum eis communicarent. Et in Bohemia Calixtini de communicatione certis legibus pacti ſunt, ruptâ fratrum ſuorum communione.

V^ta pars oſtendit, quòd, non obſtante ſeceſſione quorundam ad communionem ſcortorum, & ſic populi implicatione & laceratione, Deus nihilominùs ſibi ſeparaturus eſſet, qui nomen ejus rurſus aſſererent; & quòd ex ea re ſchiſma exſtiturum eſſet, quale fuit ſub Rehabeamo; nimirum ut recederent à fundamentum tenentibus, cùm hi erroribus, quibus aliquanto tempore communicaverant, apertè renunciarent & contradicerent. ℣. 15. & 16.

Verſ. 15. *Si ſcortaris tu, Iſraël*, hominem vicarium Chriſti & Dei juxta thronum Dei collocans in cathedra, & vicarium ſacerdotem ſequens in terris, qui ubique terrarum ſacrificet, & tanquam infallibile verbum accipiens id, quod Papa in cathedra ſedens & Epiſcopi cum baculis ſuis congregati pronunciant, *ne reus fiat*, declaretur, *Juda*, id eſt, ne eos, qui fundamentum tenent & profitentur, tanquam reos blaſphemiæ & ſcortationis perſequamini. *Neque veniatis Gilgalem*, nec veniatis ad Concilium Eccleſiæ defectricis Catholicæ, ut ibi priſco more controverſiarum deciſio ſperetur. Gilgal enim per tempus (Joſ. 4 : 20. 5 : 9. 8 : 1.) fuit ſedes ſanctuarii & conciliorum populi. *Neque aſcendatis Beth-aven*, ſive *Bethelem*, *domum Dei* nomine, re domum mendacii, vanitatis & idololatriæ, id eſt, ipſam ſedem religionis falſæ ac corruptæ. Nam Bethele erat ſanctuarium Jeroboami. Poſtea à Prophetis *Beth-aven*, id eſt, *domus idoli*, ſive ut Aquila interpretatur, *domus inutilis* dicta, à vicino ejus nominis oppido. Joſ. 7 : 2. 18 : 12. 13.

Hiſtoria. Sive Bononiam intelligas, urbem Papalem, ſive communicationem cum Papalibus dogmatibus, res facilis eſt applicationis. Communio iſta eſt, exempli gratiâ, in dogmate de præſentia corporis Chriſti locali in Cœna.

Et ne juretis, Vivit Jehovah. Indicat, fore quoſdam, qui quum de cætero jurent in nomine Jehovæ, & ſic non ſint habendi pro ſcortatoribus, tamen communi-

munionem cum Bethelitis ineunt, & juramento quoque sanciunt, sanciendo scilicet inter se separatam à fratribus communionem, propter dogma illud, quod secum attulere ex Bethel.

Historia. Quadrat hoc juramento in formulam concordiæ.

Vers. 16. Decernitur libertas Ecclesiæ à persecutione, saltem ad tempus, propter Catholicæ Ecclesiæ recalcitrationem. *Quia, ut vacca refractaria*, petulans, & œstro percita, quæ saltu furioso discurrit, neque se vel jugo domari vel sepibus coërceri patitur, & conculcat prata læta, & in obvios quosque incurrit, *refractarius est* & in veritatis professores insultat, *Israel*, id est, Ecclesia, quæ in mundo nominatur Catholica; igitur *nunc pascet Illos*, quos vetuerat Deus Gilgalem venire, & à reliquis sibi separaverat, Illos, inquam, Deus ut solus doctor ac rex ipsorum instituet, & quidem *in lato*, cum amplificatione & libertate, *ut agnum*, cum misericordia & lenitate, & ut quasi sinu suo foveat. Adde cap. 2: 21. De latitudine etiam vide ibid. ℣. 20.

VIta pars. Vers. 17. auctor fit piis omittendi certam partem populi Christiani, quæ sub nomine *Ephrajim* indicatur. *Associatus est idolis Ephrajim.* Sunt, qui & communionem habent cum idololatris in dogmatibus quibusdam & in ipsis imaginibus, (ii enim, qui imagines habent cum idololatris in Ecclesia ad docendum, sunt socii idololatrarum.) & si quid omnino est, quod idolum nuncupari possit: tum conjunctionem & fœdus cum iisdem, etiam cum abominatione fratrum. Circa illos præcipitur, *ut omittant eos.* Vult non magno studio quæri unionem cum illis. quæ sine præjudicio veritatis fieri non poterat. Subintelligitur hic studium quorundam inutiliter sumendum ad compositionem partium aut saltem tolerantiam sanciendum. Qua in re ut charitas aliquando exercetur, ita periculum est, ne veritati vel per incrustationem erroris, vel per ambiguos & ab hominibus excogitatos terminos, vel per abdicationem ejus, quod ex Scripturis certò tenetur, præjudicetur. Ergo non tenetur Ecclesia ad nimiam συγκατάβασιν cum iis, qui præfractè idola sua. id est, dogmata, quæ Deus non docuit, ad credendum Ecclesiæ obtrusa, retinent, & cum idololatris magis faciunt, quàm cum fugientibus eos. In hoc Ephrajim renovatur typus veteris Ephrajim, quæ habebat tabernaculum Dei, & amisit. Jos. 18: 1. Ps. 78: 60. 67. 68.

VIIma pars ostendit languorem Ecclesiæ in certaminibus cum regno Antichristi, *clypeos multos*, id est, protectores & dynastas habente, & ignominiam per illos dante & ad ebrietatem ac denudationem usque propinante. Esse enim hanc increpationem eorum, qui in Parte Vta Juda dicuntur, & populus Dei vers. 6. & quos Deus tanquam agnos paverit in lato, vers. 16. & quos jusserat omittere Eprajimum, ut socium idolorum, vers. 17. per se planum est.

Languor ille triplex est:

(a.) *quòd potus ipsorum recesserit*, hoc est, degeneraverit à pristina sua generositate, ut ex vino vappa vel acetum factum sit.

Applicatio. In sermonibus nostris, quibus tanquam potu animæ famelicæ debebant irrigari, vel aquosus & insipidus humor, vel nimia acrimonia est reperta. Non ita vel *doctrina Christiana*, vel Scriptura tractatur, uti oportet, nec simplices ita erudiuntur, ut proficiant ad intellectum Scripturarum, & qui eruditi dicuntur, vel per κενοδοξίαν, vel per acres & ædificationi minimè aptas agunt conflictationes. In doctrina Christiana adhibentur termini vel Biblici non in sua emphasi usur-

usurpati, vel nescio à quibus Scholasticis inventi. An verò non etiam in concionibus nostris aliquando culpanda inanis πολυλογία? Quid dicemus de iis, qui voluerunt doctrinam veritatis interpolare, vel unam ex multis religionem efficere per verba certo sensu carentia?

(b.) *quòd scortati sint*, id est, desciverint à puritate religionis Christianæ, & affectarint aliquid novum in religione.

(c.) *quòd dilexerint eam, cujus clypei*, id est, principes, *dederunt ignominiam*, id est, Babylonem istam magnam, quæ Bethaven & Jisieël hactenus nuncupata est. Adde hic Apoc 9:20. 21.

Vers. 19. Ostendit, *fore*, *ut pudefiant à suis sacrificiis*, id est, ab iis omnibus, in quibus homo sibi placet, ut religiosus; & justitia operum propriorum: & inprimis mutuis lanienis, & cædibus, per bella & persecutiones. Tempus autem notatur, *cùm ventus constringet alas ejus*, quam nimis dilexerunt, civitatis. *Ventus* igitur aliquis constringet alas civitatis magnæ.

Utinam nos maturè pudeat nostrorum sacrificiorum, antequam ventus ille, qui magnam civitatem etiam magis coarctabit, quàm coarctata est, nos perstringat, &, tanquam glumam, difflet. Isthoc pudore, qui primò est Ecclesiæ, maximè verò ipsius civitatis magnæ, absolvitur contentio Dei cum habitantibus terram; qui istis gradibus nomina Baalim ex ore Ecclesiæ eripuit. Vide cap. 2:19. Nam quod ibi dicitur, initium isthic habet, ubi dicitur, & in fine dierum absolvitur. Ergo hoc caput appendix duorum priorum videri possit.

Notandum interim est, nihil, positâ hâc applicatione ad citeriora tempora, impedire, quò minùs etiam in veteri Israële, τύπον peccatorum quis quærat. Qui si inveniatur, eò illustriorem nostra peccata habebûnt censuram.

Periocha quarta exhibet judicium Dei in Ecclesiam vocatorum ad sanationem ejus. Sunt autem partes hujus prophetiæ quatuor. I. Judicium Dei in Ecclesiam; ad pœnitentiam quorundam excitandam peragendum], cap. V. II. Hypotuposis pœnitentiæ quorundam, cap. VI. 1. 2. 3. III. Castigatio eorum, qui videbantur emendati, aut in pœnitentium locum & nomen successerunt, vers. 4—9. IV. Vindicta idololatriæ & persecutionis cum restitutione jacturarum Ecclesiæ, ℣. 10. 11.

In parte prima judicii pœnitentiam excitaturi gradus in Cap. V. proponuntur tres.

I. est à vers. 1. ad 10. In his est

1. Citatio personarum judicandarum ad judicium. vers. 1. Vocat *sacerdotes*, *domum Israëlis & domum regis*. Hæc referenda sunt ad ea tempora, quibus Ecclesia regnum habere cœpit, id est, Constantini & successorum ejus. Hi ergo domus regia. *Sacerdotes* autem dicuntur Episcopi; nam ii docendo & regendo & orando præparant populum oblationem sanctificatam Deo. Tum etiam postea sibi sumserunt officium sacrificandi pro populo. *Domus Israël* dicitur Ecclesia Christiana ejus temporis, quatenus per multas terras & amplas, ut olim populus Israëliticus in duodecim Tribubus per terram Canaan, extendebatur, sicque paulatim in rempublicam transformabatur. Ii citantur, quòd jam sibi sumsissent partes judicandi cum auctoritate in Ecclesia.

2. Multiplex accusatio. Ut

(a.) quod Episcopi in Conciliis (*Mizpah* olim locus conventûs, in tribu Judæ, Jos. 15. vers. 38.) & reges in sua arce seu loco comitio-

rum (ea per *Thabor* significatur, qui mons in meditullio terræ Canaan erat situs, etiam Ithabyrius dictus, de quo Joseph. lib. 4. bell. Jud.) *sint ut laqueus & rete*, id agentes & docentes, ut magis implicarentur homines & offenderent in doctrina Christiana, quàm ut ad veram sapientiam & pietatem proficerent. vers. 1. Inde שׂטים, *declinantes*, occasionem præbuerunt infidelibus decedendi à via. Inde *mactatio à declinantibus peragenda*. & quidem *profundando*, id est, multum sanguinis effundendo. Quò referri possunt judicia ecclesiastica, & omnes tribulationes impositæ vera sentientibus per principes aut Episcopos. Inde denique disputatio de Christo ad mutuam confusionem & confossionem: dum unicuique suus, quem finxerat, Christus placeret, & sic cum contraria sentientibus disceptarent, &, quantum in se erat, eos amoliri conarentur. Hæc in ℣. 2.

(b.) Accusatio secunda est hypocriseos, ut quando Deus vers. 3. se profitetur testem & notorem cordium. se nimirum Israëlem scire, quòd non receperint amorem veritatis, ut salvarentur. Probat autem eo experimento, quòd, quum una quasi tribus, auctoritatem eximiam habens in Ecclesia, ut *Ephrajim* olim, (ea Ecclesia Græca fuit, cujus sedes Patriarchalis Constantinopolis) scortata esset, multis erroribus se inquinando, statim etiam *Israël* (Orientales inprimis plerique) contaminatus est, secuti sint Græcorum errores.

Inde ulteriùs testatur in vers. 4. non esse exspectandam illorum pœnitentiam. Nam 1. *studia eorum* esse contraria resipiscentiæ. 2. *spiritum scortationis*, id est, efficaciam erroris, Diaboli seductionem, esse in medio ipsorum. 3. ipsos *ignorare Jehovam* sive mysterium fidei, quæ Deum glorificat ut justificantem improbos per obedientiam Filii. 4. quia & *offenderint* (vide cap. 4: 5.) *in sua pravitate*, id est, dogmatis perversis, & perversionibus Sacrarum Literarum. & illa pravitas ac ruina sit generalis, nimirum & *Judæ*, id est, illius partis, quæ quidem adhuc retinebat veram doctrinam de Christi persona. in vers. 5. Et hæc quidem, quamvis *celsitudo Israëlis*, Deus cum Christo suo, in quo solo Israëlem gloriari oporteat, *in faciem Israëlis responderit*, satis clarè innotuerit ipsis, eosque reos egerit, per verbum scilicet Apostolicum & propheticum; & judicium Judæorum, & persecutorum gentilium, & judicium bestiæ (cap. 4: 3.) & hanc ipsam conturbationem Ecclesiæ Christianæ, & invasiones imperii, ejusque imminutiones, primùm quidem in Occidente, deinde & in Oriente. Qualia in suis primordiis subintelligimus per *mutationem gloriæ in ignominiam*. cap. 4: 7. Confirmat ampliùs ratione quintà, quare non possint redire ad pœnitentiam, quia *Dominus se abstraxerit ab illis*. Ergo *non reperiunt eum*, etiamsi *cum ovibus ac armentis suis eum quærant*, (confer cap. 4: 8.) id est, opes suas consecrent, ad cibum scilicet Episcoporum, & consequenter ad ædificationem Ecclesiæ, (ad quam liberalitatem pii, nondum agnoscentes satis clarè Isebelem, erant duces; hypocritæ postea per superstitionem imitati sunt) ad meritum remissionis peccatorum, & ut Deus plagas suas avertat ab ipsis. Justificatur autem hoc ipsum, quia *perfidè egerunt cum Domino*, post receptum nomen Christianum cum doctrina sana de Christo & justitia ejus, nomen, regnum, justitiam, & regnum ejus abnegarunt, & *filios alienos*, homines sibi similes, degeneres à fide & moribus Christianorum, genuerunt.

3. Judicium, vers. 7. col. postr. & seqq. Ejus propositio est in eis verbis. *Comedet eos*, Reges & Sacerdotes dynastiæ Romanæ ceu Lunæ veteris, *Luna nova*, Monarchia tenuibus initiis surgens, & paulatim ad lucidum orbem proficiens,

ciens, puta Sarracenorum, (solent maxima imperia & potestates mundanæ, habentes moderationem noctis hujus vitæ, in Scriptura *Luna* dici. Vide Es. 24:23.) *cum partibus*, id est, hæreditariis portionibus, cœtibus, cleris, *ipsorum*. Porrò in vers. 8. est hypotyposis hostis advenientis & tumultum facientis, & quidem *in Gibea & Rama*, locis propinquis ei regioni, in qua erat pars ea Ecclesiæ, quæ Juda appellabatur. *Post te*, scilicet reflecte, fuge ad penitiora, ad ulteriora, quæ post te sunt, *Benjamin*. In vers. 9. judicium etiam extenditur ad Ephrajimum, id est, Græciam & metropolin ibi sitam. Sed dilatum ipsi judicium innuit, scilicet ad tempus redargutionis sive demonstrationis. nimirum quòd Deus in tribubus Israëlis *rem certam notificaverit*. Intellige de Imperii Romani amolitione è medio, cum manifestatione Antichristi, & regni Christi confligentis cum illo. De quibus passim Scripturæ. Atqui cùm aliæ partes Imperii cecidissent, futurum erat, ut Ephrajim, sive ea pars Imperii, in qua populus Christianus futurus erat, quæque ab eo populo denominaretur, maneret. Ea Græcia fuit. Vide Not. de Antichristo ad Apoc. 17:10.

II^dus^ gradus judicii est in ℣. 10. 11. 12. In hac pericopa ostenditur,

1. nova culpa illius partis Ecclesiæ, quæ adhuc purior cæteris remanserat; usque dum nova illa monarchia Saracenica caput extulit, & post gentes plurimas barbaras Imperium Romanum accidentes, Israëlem, id est, populos Orientales consumeret, exceptâ, hactenus principali provinciâ, Græciâ; quæ Ephrajimo eâ ætate respondebat. In vers. 5. communis culpa jam notata erat: Hic progressus in culpa ostenditur, & quidem talis, ut inde consequeretur Ephrajimi subjectio in præcepta hominum ad communem calamitatem. Primum est. *Principes Judæ* (Episcopi Romani, qui sibi jus imperandi vindicabant, imò erant principes sæculares, cap. 4:9. per id tempus, & *præceptis suis* vers. 11. volebant obsecundari, sicque *principum sæculi prioris* facti erant similes) *facti sunt ut removentes terminum*, alienas possessiones per avaritiam, fraudem, perfidiam intercipientes, & potestatem sibi non convenientem in omnes Episcopos, imò reges & principes, imò Christianos arrogantes, sicque regnum Christi spirituale in dominationem mundanam hominis alicujus mutantes.

Historia. Id in Romanis Episcopis tam clarum est, ut nihil possit esse clarius. Extenderunt enim fines suos in infinitum. Exarchus cessit. Reges Longobardorum paruerunt. Galli, Germani, Angli obediverunt.. Græci denique *præcepto obsecundarunt*. Quod manifestò factum est tum, quando sub Irene & Caroli imperium Papali saltem approbatione confirmatum est, & imagines ad voluntatem Papæ receptæ sunt. quanquam Carolus ea in re à Papa dissensit. Cujus tamen sententia postea victa est. Quomodo deinde Papæ Episcopos Occidentis, imò & Imperatores & reges subegerint, huc afferre non est necesse.

In emphasi phraseos, *facti sunt, ut terminum submoventes*, hoc etiam inest, inter Episcopos Occidentes, singulis certatim limites suos proferentibus, maxima esse dissidia exorta. *Ephrajim vexatus est judicio*. Latini Græcos in suis Conciliis miserabiliter lacerarunt.

Historia. Post Concilium Chalcedonense sub Martiano propter Canonem ejus de paritate Constantinopolitani & Romani Episcopi nulla pax. Ex eo tempore Græci exosi, usque dum in Concilio Florentino quo-

quomodocunque unio inter Græcos & Latinos constitueretur.

2. Judicium est partim præparatum in Judam, *effusio excandescentiæ ut aquæ*, vers. 10. Quo tempore Ephrajim & Israël immunes futuri erant ab illo judicio, quod in Occidentales erat statuendum. partim est præsens in utrosque, vers. 12. Id comparatur *consumtioni blattæ & tineæ*, sive putredinis sive cariei.

Historia. Contemplari hic oportet ea tempora, in quibus & Græcia & Italia in summis fuere angustiis propter Sarracenos, eosque jam Hispaniæ & partis Galliæ, & Africæ, non tantùm Orientalium provinciarum potitos.

III^tius gradus judicii est in vers. 13. 14. 15. In his rursus est

1. culpa. Inter tot plagas nemo pœnitentiam egit. *Ephrajim & Juda*, Græci & Latini, neglecto pœnitentiæ remedio, ad humanam potentiam confugerunt. *Ephrajim ivit ad Assyrium.* Atqui Assyrius vexabat illos. Mich. 5:4. & 7:12. Sed cùm per Assyrium respectu Novi Testamenti in Prophetiis intelligatur totus ille populus, habitans in iis regionibus, quas olim Assyrii tenuerunt, pars illius populi, Sarracenis Christianos affligentibus, ab alia parte, aut gente, aut quasi tribu ejus gentis, quæ ipsos vexabat, auxilium petebant. Ii Turcæ erant. Utrique, Latini & Græci, *miserunt ad regem Jareb*, id est, vel ad eum, *qui patrocinatus erat*, ut Jareb sit verbum futurum, omisso אשר; vel ad *adversarium*, si sit nomen formæ חפץ, qui & *Jarib* dicitur Ps. 35:1. ut יגיע & יגע, יפיח & יפח. Sic erit Rex ἀντικείμενος, 1. τῷ χριστῷ. 2. principibus Judæ & Ephrajim. 3. Regi Ephrajim. Is erit primò Papa, qui 1. adversarius est Christo vero regi. 2. & adversarius principum Judæ, Episcoporum Latinorum, & Ephrajim, Græcorum, qui vel Papæ in contentione de primatu erant rivales, vel autocephali esse volebant. Deinde Imperatores Occidentis in Germania. Ii Imperatoribus Græciæ fuere invisi & contrarii.

Historia. Constat, tum Græcos tum Latinos à Papa & Imperatoribus auxilia flagitasse adversus imminentem vim Sarracenorum; & Papam aliquoties classicum ad id bellum cecinisse, & cruciatas edixisse.

2. Judicium Dei est in vers. 13. colo poster. & seqq. In his est 1. frustratio auxilii talis. quia partim auxilium vertet in oppugnationem, partim conatus omnis in vanum recidet.

Historia. Germani etiam Græciam tenuerunt occasione auxilii contra Sarracenos. Quod proculdubio ipsis grave fuit. Turcæ ex auxiliatoribus facti sunt oppugnatores. Quæ in Syria & Ægypto à Christianis acta sunt, non fuerunt firma. Papæ ipsi potiùs debilitationem Cæsarum per Sarracenos quæsiverunt, ut ipsi dominarentur, quàm Sarracenorum oppressionem; & in eo maximè fuerunt, ut Episcopos ad cœlibatum constringerent, & Imperatoribus jurisdictionem in ipsos & clericos eriperent.

Sed maximè in eo frustratio auxilii cernitur, quòd Deus ipse stabit contra ipsos, & quidem cum potentia & ira sua, vers. 14. Cap. 13:7. dicitur expressiùs *in via Assur*, id est, in expeditione Assyriaca contra Sarracenos, ac deinde Turcas. *Ego, ego laniabo, & abibo; auferam, & non erit eripiens.* Deus totam illam hierarchiæ Antichristianæ compagem tandem solvet.

Vers. 15. Tandem adjicit reliquis *recessionem ad locum suum.* ne scilicet ambulet inter ipsos. Illustris demonstratio regni Christi in Ecclesia obscurata fuit magis

magis-

magisque, quum ea spirituali Babyloni, ut olim σκήνωσις sive symbolum præsentiæ divinæ, quod erat in templo Salomonis inter Cherubim, terrestri Nabuchodonosoris, coacta est cohabitare, imò quasi intra portas inferni descendere. Hæc autem *angustia* & *desertio* ordinantur in fine vers. 15. ut media, ad scrutationem diligentiorem voluntatis divinæ & ejus invocationem ardentiorem. Desertio igitur hæc non est derelictio fidelium in mortem secundam sive defectionem ab agnita veritate; sed traditio in manum hostium Dei, hypocritarum, regis adversarii & satellitum ejus, ut persecutionem ab illis patiantur, & ita castigetur in illis communio cum erroribus & factis Bestiæ temerè contracta, & fiducia in carne.

In Parte Secunda hujus prophetiæ, in qua hypotyposis est fidelium se mutuò adhortantium ad pœnitentiam, proponitur collocutio piorum, quâ

1. vocant se invicem ad commune studium pœnitentiæ, Cap. VI. vers. 1. *Agite, revertamur ad Dominum.* Agnoscunt ergo, se recessisse à Domino, & proponunt reverti ad ipsum, & adhortantur alios ad idem faciendum. Quando hæc de Ephrajim & Juda pronunciantur, quamvis non omnes, qui sic appellabantur, sese converterent, subinnuitur communio fidelium & hypocritarum necdum interrupta.

2. suadetur pœnitentia, & quidem

(a.) à castigatione. *Deus laniavit & percutit*, scilicet Ecclesiam Christianam per Assyrios, id est, Sarracenos & Turcas; & fideles suos per manum Antichristi.

Historia. Satis constat, in Ecclesia Christiana sub Papatu creberrimos fuisse sermones de Antichristiana dominatione Paparum; & qui meditati sint secessionem ab eis.

(b.) à spe sanationis & obligationis. Illam spem ratam esse, patet ex Deut. 30: 8. 10. qui locus omninò cum præsenti est conferendus.

(c.) à divina ope ad vivendum coram ipso. *Ille vivificabit nos, & excitabit, ut vivamus coram ipso.* q. d. Deus non deerit nostris conatibus, & quamvis sæpe videatur deesse successus, tamen non intermorietur semen, quod est in nobis, *surgemus* tandem aliquando in posteris nostris, & *vivet* Ecclesia *coram ipso*.

Hussus fertur in ultimo agone de oritura post sæculum pugna & reformatione prædixisse. Hæc consolatio erat martyrum, qui restiterunt Antichristo. Et hic fructus Ecclesiæ dicitur *merces*. Apoc. 11: 12.

Hæc spes eo efficacior redditur, quòd tempus illud parvum sit, quo surgant non casuri ampliùs, utpote quo prædicandum sit Euangelium æternum. Apoc. 14: 6. Cujus temporis brevitas exprimitur analogiâ temporis, quo jacuit Christus in sepulchro. *Vivificabit nos post duos dies.* q. d. Christi regnum longiùs durabit, quàm ut unâ alterâve emicatione finiatur. *Excitabit nos tertio die.* q. d. luctaturos cum regno Antichristi post primum casum tribus vicibus resuscitabit: Resuscitationem tertiò iterabit. Nimirum *vincendi erant sancti per tempus & tempora & dimidium temporis*, ut ex Apocalypsi patet. Quo modulo temporis vices contradictionum Ecclesiæ ostenduntur, & quartæ vicis non abrumpenda continuatio, sive victoriæ initium in quarto tempore. Et *tum vivemus coram ipso*, ut unico Rege ac doctore nostro lætabimur.

Historia. Hæ tres vices excitationis Ecclesiæ oppressæ sunt in Waldensibus, Wiclefi & Hussi discipulis, & Reformatoribus ultimis, Luthero,

Melanthone, Calvino, & collegis ipsorum comprobatæ. Quidni etiam hic intelligantur *duo testes* interfecti à Bestia? de quibus in Apocalypsi.

Vers. 3. Est prosecutio cohortationis ad studium constans & enixum cognoscendi Deum. Igitur, inquit, *cognoscamus*, animadvertamus, quòd Deus sit, & quòd per servos suos locutus sit, & quòd hæc locutus sit, quæ ipso digna sint, *&. persequamur cognitionem Domini*. proficiamus κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως in cognitione partium mysterii. Hoc autem rursus suadet

(a.) à manifestatione ejus. *Cujus exitus est, ut Auroræ puræ*. Christus se & regnum suum illustrissimis signis fecit exsplendescere.

(b.) à benedictione & refrigerio. *Et veniet nobis, ut imber*, qui refrigeret & fructificet nos; *& ut serotina erudiens terram*. & primò proliciens semen in Ecclesia, & implens ac educans frugem. Conferendæ hic promissiones cap. 2: 20. 21. 22. 23. 24.

In parte Tertia continetur expostulatio cum illis, qui liberati erant è manu persequentium ipsos. Quare in castigationem novam & satis acrem eos sit præcipitaturus. vers. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Convenit cap. IV. vers. 17. 18. Habet hæc pericopa

I. Expostulationem, vers. 4. 5. 6.

Vers. 4. Dividit primò cœtum liberatorum in Ephrajimum & Judam. atque ita notat schisma inter fratres coortum. Cum utrisque agit per Addubitationem. *Quid faciam tibi?* q. d. Quàm hæc est ingratitudo indigna! Nescio, quomodo eam vel condonem, vel puniam. Criminatur omissam *pietatem*, חסד, studium enixum atque constans recti erga Deum & proximum, etiam in iis, de quibus nulla in legibus humanis præceptio, nulla in tribunalibus conventio datur. Arguit, hoc studium *citò* evanuisse, *ut nubem matutinam*, quæ pluviam non fundit, *ut rorem*, qui sole orto disparet.

Vers. 5. Ostendit beneficium hominibus illis impensum. quod illis objicit tanquam ingratis. Id est

1. *Cædere prophetas*, vel *quosdam ex illis exscindere*, id est, abolitio quorundam Episcoporum, qui sibi arrogabant definitionem fidei & interpretationem Scripturarum. Hi *prophetæ* dicuntur propter docendi auctoritatem usurpatam. Infrà, *Sacerdotes*, ex alia causa.

Historia. Factum id in Belgio, ubi penitus sublati: in Britannia & aliis locis, ubi id officium cum iis commutarunt, qui non præsumunt infallibilitatem.

2. *Interficere prophetas dictis oris sui*. Confer Es. 11: 4. Iidem doctores falsæ justitiæ intelliguntur. *Ii interfecti dictis oris Dei*, quia partim sententiâ declarati sunt mortui, partim etiam aboliti sunt, ademtâ eis auctoritate pristinâ ac vigore, ut non magis curentur quàm mortui, partim cruciatu & tormento impleti sunt. Nondum enim hic totalis abolitio intelligitur. Vide vers. 9. ubi mentio est Sacerdotis latrocinantis. Confer hic Apoc. 9: 1. 14: 8. 18: 2. Ezech. 39: 11. Es. 23: 14.

3. *Proferre judicia Ecclesiæ instar lucis*, hoc est, non tantùm demonstratione ad conscientiam ex verbo, sed etiam factis, repressione hostium, *fractione arcûs & gladii, & pastione* eorum, tanquam agni, in lato, (cap. 2: 20. 4: 16. suprà.) manifestare bonitatem causæ Ecclesiæ: quòd ea causa Dei & regni ipsius esset.

Vers. 6. habet institutionem de beneplacito Dei: quæ est Ætiologia expostulationis.

lationis propositæ, vers. 4. Ostendit, se meritò cum illis jurgari, qui τὸ ὅσιον, pietatem erga Deum & homines, reliquerint, quia eam omittendo, negligant hoc, quo Deus delectatur, tanquam scilicet faciente hominem similem Dei. Conjungit autem ei ἐπίγνωσιν, *agnitionem Dei*, nimirum in veritate mysterii salutis, præparatæ & donatæ in Christo. His rebus comparat sacrificia & holocausta, partim ut non dilecta, partim ut minùs dilecta. Per hæc 1. docentur Israëlitæ, fore tempus, quo Deus nollet sibi sacrificia offerri, & sacrificia mutarum pecudum essent abolenda. 2. docetur, fore tempus, quo Ecclesia liberata à jugo Antichristi, omissâ agnitione Dei & verâ pietate ac charitate, se ad alia converteret, quæ Deo vel non placerent, vel saltem sine fide non placerent. Quænam illa sint, ex re ipsa facilè intelligitur. Sic abstinere à peccatoribus, quamvis pœnitentibus, habet speciem sacrificii, tanquam si esset zelus pro gloria Dei. Vide Matth. 9: 13. Sic damnare errantem est quasi sacrificium, quod sine charitate Deo non placet. Vide Matth. 12: 7.

II. Accusationem. vers. 7. Est illatio à minori ad majus. Si Deus abominatur sacrificia præ charitate, quæ tamen ipsemet injunxerat olim populo suo, quantopere erunt ipsi abominabiles, qui frangunt fœdus, & fallunt Deum? Atqui, inquit, *illi ruperunt fœdus*. discesserunt à fundamento, & ei aliquid aliud tanquam fundamentum addiderunt. atque exinde ruperunt fraternitatem pacto & juramento confirmatam. *ut Adam*. vel nomen proprium id est, vel hoc modo intelligi potest, *ut homo* aliquis, intellige quivis alius, non Christianus, Euangelicus, Reformatus.

Vers. 8. *Gilead*, ea pars regionis Ecclesiæ Euangelicæ, ex qua primò idololatræ tanquam Amorrhæi cœperunt depelli. Confer Num. 32: 1. 29. in qua aliquis princeps Labanis similis fratrem suum Jacobum, hoc est, alios principes aut Reformatos, animo hostili persecutus est, sed, Deo prohibente, non nocuit ipsis, verùm sancito fœdere de non offendendo recessit domum: confer Gen. 31: 47. 48. denique in qua primæ Reformatorum Ecclesiæ institutæ sunt. Confer Num. 32. quæ fortè Germania aut pars ejus fuerit. *Est civitas operam dans vanitati*, circa finem non verum in rebus frivolis occupantur, & sic Deum ignorant, & glorificationem nominis ipsius omittunt. vel etiam cum apertis idololatris (qui פעלי און in Scripturis) colunt communionem. & *calcata sanguine*, per mutua odia, & bella inter socios ejusdem religionis.

III. Exponit castigationem, & eam justificat. vers. 9. Castigatio est *occidio*; cujus designatur locus, *via tendens Sicima*; auctores, *societas Sacerdotum*; instrumentum, *murices viri legionum*, id est, viri habentis & ducentis legiones, qui *Imperator* & στρατηγὸς vocatur. Hoc dicitur: Ephrajim & Juda, partes Ecclesiæ Euangelicæ inter se dissidentes, per societatem sacerdotum, sive Sacerdotes in societatem & fœdus collectos, aut societatis alicujus fœderatæ duces, Episcopos, affligentur, & quidem in parte non parva regionis, quam Deus dederat Ecclesiæ, ut eam pasceret tanquam agnum in lato. quæ Galaaditis, ut ex præcedentibus liquet, *Sichima usque*. in Occidentalioribus terræ Reformatorum, prope Judam (nam Sicima erat urbs Ephrajim prope Benjamin) ea destructio subsistet. *Murices illi* sive hami possunt esse omnes προφάσεις politicæ, quas quidem prætexent Episcopi in ostentum, sed tendent ad destructionem fidelium, ut illaqueetur eorum conscientia, & vix evadant, quin saucient pedem suum, & tradantur Episcopis malè tractandi.

Historia. Id factum superiores anni triginta ab anno 1617. viderunt in Germania. Confer hic Deut. 32: 36. 37. Hic articulus temporis est benè notandus, qui est cardo magnarum conversionum in prophetia.

Justificatur ea castigatio Ecclesiæ ea in parte. *Quia scelus fecerunt.* זמה peccatum aliquod enorme de industria factum. Utrum id ex historia, an ex parallelia prophetarum, an per antecedentia sit definiendum, lectoris conscientiosi erit judicare.

In Parte Quarta hujus prophetiæ est 1. culpa, vers. 10. Deinde judicium cum misericordia conjunctum, vers. 11. Resolutio verò hujus textûs hæc est.

1. Per destructionem viæ faciendam per collegium Sacerdotum non iri emendatum culpam Ecclesiæ: sed eam potiùs manifestatum iri *horribilem in modum.* Id verò referri potest ad multiplices apostasias, easque propemodum vulgares. Quæ fuit positio Abominabilis stupendi in iis locis, unde erat ejectum. Dan. 12: 11. Inde ostendit *scortationem Ephrajimi*, id est, partem Ecclesiæ Euangelicæ communicantem cum quibusdam erroribus Papistarum. de qua scortatione etiam cap. 4: 17. & auxilium latum Antichristo ad exstirpationem alterius cœtûs, qui *Juda* dicitur.

Notum est, quale fuerit vulgò quorundam dicterium, melius esse Papistas fieri, quam cum Reformatis sentire.

Addit propheta, *Contaminatum esse Israëlem*, id est, maximam partem Ecclesiæ. Simile suprà 5: 3. Hæc contaminatio explicata est cap. 4: 18. Significatur inprimis studium reconciliationis cœtuum non tantùm nominis Euangelici, sed etiam Pontificii: quod studium plurimos hoc tempore dementavit. Ejus autem studii origo est studium placendi Euangelicis circa quosdam articulos errantibus in suis formulis, quæ voluntas placendi ortum habet ex nimio metu carnis. Ita intelligitur, quomodo hoc tempore dici rectè possit, *per scortationem Ephrajimi contaminatum esse Israëlem.* Quænam hæ sint culpæ, circumspecti erit Lectoris Sacrarum Literarum considerare.

2. *Deum messem facturum* esse, vel continuaturum esse. Confer Joël. 4: 5. Non immemor interim erit & Babylonis. Apoc. 16: 19. & Hos. 4: 19.

3. *Deum nihilominus* (בשׁוב) *restituturum jacturas populi sui*, & in ea restitutione Instrumentum factæ messis accessurum esse ad communionem illius cœtûs, qui sub nomine *Juda* hactenus notatus fuit. Confer hic Hos. 2: 23. 24. 25. Hos. 3: 5. Hos. 4: 9. Hic est exitus omnium prophetiarum.

Hactenus periochæ quatuor: quarum *Prima* à tempore prophetiæ usque ad Christum, & à Christi adventu primo ad finem sæculi decurrit. *Secunda* vocationem, & abdicationem, & reductionem Judæorum sub regno Christi explicat. *Tertia* statum Ecclesiæ externæ post cohibitam persecutionem breviùs; *Quarta* eandem paulò planiùs cum judiciis & incidente reformatione describit.

Quinta periocha est rursus universalis, describens qualitatem temporum distinctorum: videlicet conditionem

I. Decem Tribuum usque ad captivitatem Assyriacam. Cap. VII.
II. Tribûs Judæ usque ad captivitatem Babylonicam. Cap. VIII.
III. Israëlis recollecti usque ad captivitatem Romanam. Cap. IX.
IV. Ecclesiæ Christianæ sub regno Antichristi, ut captivitate Babylonicâ novâ. Cap. X.

Pars Prima hujus periochæ agit de abolitione regni in decem tribubus per capti-

captivitatem Assyriacam. Ejus partes sunt tres, secundùm tres gradus abolitionis regni.

Primus gradus judicii in ℣. 1. ponit

1. Causam judicii, *Manifestationem pravitatis Ephrajim*, & *malitiarum Samariæ*, *quòd* scilicet *operam darent mendacio*, id est, secundùm falsam de Deo & officio suo opinionem Deum colerent. Id *mendacium* est, & opponitur veritati. Mendacium id duplex est, *pravitas Ephrajimi*, id est, via domûs Jeroboami: & *malitiæ Samariæ*, id est, idololatria domûs Achab. Quòd deditâ operâ illud secuti sint, docet manifestum esse factum *in sanatione Israëlis*, id est, tempore Jeroboami secundi, qui restituit terminum Israëlis. 2 Reg. 14 : 25—28. Atqui tamen hic viam Jeroboami primi mordicus retinuit.

2. Pœnam duplicem; ut quòd

(a.) *Fur intraret*. Fur regni pro rege. Adde Hos. 1 : 4. *Abolebo regnum domûs Israël*.

Historia. Zachariâ filio Jeroboami II. interfecto, regnum occupavit Sallum; deinde Menahem, qui id reliquit filio Pekachjah; dein Pekach; deinde Hoseas.

(b.) *Effunderet se exercitus in campis*. Is est exercitus Pulis, qui sub Menahemo, per quem Sallum oppressus est, terram invasit. 2 Reg. 15 : 19. 20. Is exercitus accepto argento recessit. Ita penitus exprimitur facto verbum Prophetæ, *Effudit se exercitus*.

II[dus] gradus judicii, sive destructionis regni Israëlitici est in ℣. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. In his est

1. Propositio, quæ habet comminationem propinqui mali præcedente gravioris. vers. 2. *Et non*, id est, vix, *dicebant ad cor suum*, cogitabant, *quod omne malum ipsorum recordatus sum*, quòd omnium peccatorum ultionem perfecissem, quia post invasionem Pulis res eorum recreabam, & *arcum ipsorum* in Pekacho erigerem & confirmarem. Vide cap. 1 : 5. *statim circumvallabant ipsos facinora ipsorum, venerunt in conspectum meum*. Non dissimulavi, quàm multa & ingentia ipsi delicta commiserint.

2. Hypotyposis factorum: quæ sunt ista.

(a.) *Rex lætatur malitiâ principum*; *principes abnegationibus* subditorum. Abnegationes sunt hic inprimis abnegatio promissionis regni factæ Davidi; & cultûs, quem Deus jussit fieri Hierosolymis. *Malitia* notabilis est in consilio occupandi regnum Judæ. Es. 7 : 5. 6. Hæc in ℣. 3.

vers. 4. Subjungitur descriptio illius lætitiæ communis. In qua animadvertenda

(b.) *Mœchatio*, & cum ea ardor indicibilis ad nocendum populo Dei, qui comparatur cum ardore furni accensi à pistore, dum is quiescit post massam subactam, usque dum ea fermentetur.

Historica expositio. Cum Syris conspiravit Pekach. Ea mœchatio fuit. & omnia consilia & desideria erant invadere Judæam, & in ea regem, nescio quem, qui socius ipsorum esset, constituere. Illa consilia interim occultabantur, ut ignis in furno. quod dicitur vers. 6. initio. Ubi *pistoris* analogum est Satanas injiciens in cor tam immanes cogitationes.

(c.) ℣. 5. & 6. describitur animi impotentia & luxus & *παροινία* ex primis suc-

successibus. Nimirum quum Pekach uno die interfecit duodecim myriadas hominum, & viginti myriadas abduxit captivas. & quidem in *ira*, *quæ usque ad cœlum pertigit*, 2 Chron. 28 : 9. (quæ *ira* hic comparatur cum igne flammante, qui ardet in furno pistoris, *mane*, id est, cùm opportunitas adest. Confer Mich. 2 : 1. postquam per totam noctem dormiverit pistor) tum erat occasio epularum & luxuriæ, & acclamandi regi suo, *Illum esse diem regis sui*, arcûs Israëlis! seque ingurgitandi vino; & regi cum irrisoribus cachinnos projectâ manu tollendi.

(d.) Subditi *consumunt judices suos*, imò & reges: idque ex eodem æstu, quo ardent ad scortationem & noxam populi Dei.

Historia. Post Zachariam cecidit Sallum, post Sallumum Pekachjah. Deinde & Pekach.

(e.) Omissio invocationis Dei. *Non est*, *qui clamet inter illos ad me*, vers. 7. in tot scilicet regum occidione, & in tot beneficiis.

(f.) Assimilatio & conjunctio sui cum gentibus. vers. 8. *Ephrajim se miscet populis.*

Historia. Syri cum Ephrajimo consilium ceperunt invadendi Judæam, & sic tollendi cultum à Deo institutum, & irritam faciendi promissionem de servandis Legislatoribus in Juda usque ad adventum Messiæ. Gen. 49 : 10. Confer Es. 7 : 2. 5. 6.

3. Ipsa pœna, quæ comprehendit 1. cædem regum & cum iis judicum, qui ab ipsis constituti erant, & iis favebant, ut solet fieri. ℣. 7. 2. deportationem partis dimidiæ regni in Assyriam. vers. 8. Hanc plagam, manens in parabola pistoris, explicat emblemate *placentæ non conversæ*. Si placenta imposita prunis non convertatur, ustulabitur ab una parte & carbo fiet. Ita dimidium populi conflagravit æstu ipsorum, in deportatione Tiglath-Pileseris. 2 Reg. 15 : 29.

III^tius^ gradus judicii in totali destructione regni & populi absolvitur. ℣. 9—16. In his *primò* Catalogus ponitur culparum; tandem ℣. 16. definitur supplicium membro secundo. In Catalogo peccatorum sunt ista.

1. Stupor, vers. 9. 10. quòd non putaverint plagas sibi inflictas esse lethales, & ad excidium tendere: sed putarent esse tantùm levia parvi temporis deliquia mox reparanda, ut olim factum erat. Dum commemorantur plagæ, explicatur emblema *placentæ non conversæ*. Quid enim hoc, nisi, quòd *peregrini comederunt vim ejus*? In eo conspicitur *fractio arcûs Israëlis*. Hos. 1 : 5. Principium versûs 10. convenit verbis & analogiâ rerum cum cap. 5 : 5.

2. Stultitia in quærendo remedio malorum, vers. 11. nimirum quum maximam partem abiissent in Assyriam, imò facti essent Assyrio obnoxii, 2 Reg. 17 : 3. invocarunt Ægyptios. 2 Reg. 17 : 4. à quibus liberaverat eos Deus. vers. 13. in medio.

3. Inobedientia ad redargutiones à Deo procuratas, vers. 12. colo ultimo. quæ factæ sunt vel per Prophetas, vel per missos regis Ezechiæ. 2 Chron. 30 : 5—10. Quam inobedientiam vers. 13. prosequitur χετλιασμῷ & comploratione miseriæ eorum. Explicat porro culpam, definiendo eam *fugam Dei*, ut qui à vero bono ad alia omnia se converterint, & *defectionem*, ut qui nolint ferre jugum Dei.

4. Mendacia contra Deum redemtorem, vers. 13. Opponit *mendacium* infidelium Israëlitarum, qui nec finem legis, neque sacerdotii typici usum, neque veram rationem justitiæ cognoscebant, & Deum non verè & propriè redemtorem cognoscebant, *redemtioni*, quæ est redemtio ab hostibus tam spiritualibus, quàm cor-

corporalibus, ut sint peculium ipsius & liberi sint apud ipsum. Hæc est veri nominis ἀπολύτρωσις. Synecdoche est, quando de eodem Israële prædicatur redemtio & mendacium.

5. Hypocrisis in precibus, vers. 14. *Non clamarunt ad me ex corde*, id est, ex amore & fiducia mei. Tribuit *ejulationem in lectis*, qui potius est γογγυσμός.

Exemplum est 2 Reg. 13:3.4.

Hypocrisin probat, quia tantùm propter frumentum congregaverint se, vel cohorruerint, & paululum à via sua deflexerint, non ad Deum, sed *in Deum* & contra ipsum.

6. Ingratitudo post exauditas preces etiam hypocriticas. vers. 15. *Et ego*, quanquam illi malè precati essent, ut *castigavi*, ita *& confirmavi brachia ipsorum*. nimirum inde à Jeroboamo secundo usque ad regnum Pekachi; qui *arcus Israëlis* dicitur. Hoc beneficium. Ingratitudo quæ? *Cogitant contra me malum*. Hæc in parabola dicta, ℣. 4.5.6.

7. Hypocrisis conversionis. ℣. 16. *Conversi fuerunt*. Addubitatio est. Nam species quædam conversionis fuit, cùm ad monitum Odedi captivi Judæorum cum viatico dimissi sunt. 2 Chron. 28:9—15. Sed *non erectè*. Conversio illa fuit languida. Non fuit conjuncta cum animo magno & parrhesia ad abolendum reatum omnem. *Extiterunt ut arcus dolosus*, qui destituit in die prælii. Debent ii, qui pœnitentiam agunt, se præbere arcum Deo aut sagittam aut gladium ad subjiciendum Deo alios.

Hisce subjicitur conclusio, respondens illi, quæ est cap. 1:6. Ibi dicitur, *non ampliùs addam misereri domum Israël sed pronunciabo contra ipsos*. Hic dicit: *Cadant Principes ipsorum gladio*. Hæc est pronunciatio sententiæ, complectens totius regni ac politiæ destructionem per Assyriorum regem Salmanassarem, sub rege Hosea, regnante Ezechiâ Hierosolymis. Nam שרים *principes* significat omnes magistratus.

Præter catalogum peccatorum etiam hic subjicit justificationis ergo rationem ponderosam, *à severitate linguæ*. זעם est inter vocabula significantia detestationem, Num. 23:11.12. *Et hæc est sanna ipsorum in terra Ægypti*. Ab Ægyptiis, à quibus eos Deus liberaverat manu forti, relicto Deo, auxilium petere, quid aliud erat, quàm sanna in Deum? Hæc sola ratio ad reipublicæ profligationem, utut cæteræ abessent, sufficiebat.

Pars Secunda in Cap. VIII. denunciat destructionem regni & sanctuarii in tribu Juda. Habetur hic I. Propositio II. Justificatio judicii. III. Conclusio & sententia.

Propositio est in vers. 1. *Ad palatum tuum tubam*. Excitat Deus Prophetam, ut buccinâ canat, ut expergefiant homines, si fortè imminenti malo per pœnitentiam occurrere velint. Nebucadnezar, ceu rex potens, velox, felix, triumphans, *est super domum Jehovæ*, imminet templo, ut id auferat ex loco suo, *ut aquila* se librans in aëre super lepusculum: *quia transgressi sunt fœdus meum*, ipsis propositum in Filio, *& à lege mea defecerunt*, me pro unico ipsorum Doctore & Domino non recognoscentes.

NB. De templo Samariæ vel Bethelis nunquam dixit Deus, ista fana esse domum suam. Solum templum Hierosolymitanum ita nuncupatur. Ergo hic agitur de calamitate Judæ. Aliud argumentum est in ℣. 14.

Justificatio judicii est à vers. 2. usque ad 14. In his est 1. jactantia Judæorum, quòd

quòd Deum invocarent, & tanquam verus Iſraël ipſum agnoſcerent, ℣. 2. 2. recenſentur facta, quibus probatur contrarium, in ſeqq. Et quidem ita, ut

I. verſ. 3. & 4. oſtendat depravationem, quæ ſecuta erat priſcam caſtigationem. Caſtigatio eſt in ℣. 3. Is, qui ſolus *bonus* eſt, quia 1. ſanctus eſt. & 2. miſericors in Chriſto, *rejiciebat*, non habebat acceptum, *Iſraëlem*, ablatione arcæ ſub Eli ſacerdote. (quæ tametſi reſtituta eſt, tamen non rediit in tabernaculum, donec David ei locum in ſua arce fecit, ubi poſtea templum ſtructum eſt.) Conſequens rejectionis eſt *hoſtium perſecutio*. Nachas rex Ammonitarum is fuit. 1 Sam. 12: 12. Is quodammodo dedit occaſionem populo, ſe abalienandi à Deo, & tradendi in manum regum.

Verſ. 4. Duæ culpæ caſtigationem ſecutæ. 1. facere reges & principes, inconſulto Deo. 2. facere argenteas & aureas imagines. Deus ipſos hactenus per Prophetam gubernârat, Hoſ. 12: 14. ſacerdoteſque & judices & patres ipſis præfecerat, quorum imperium lene eſſet, & in verbum Dei ac conſenſum populi propemodum reſolvebatur, cùm liberum quiſque ſuffragium ad rempublicam ordinandam afferre poſſet. Sed quoniam hæc libertas multa incommoda videretur habere, cùm difficile eſſet carni, in ſolo Deo fiduciam collocare, pertæſi libertatis, ac ſpreto periculo tyrannidis ac idololatriæ regem petiverunt, in quo facto diffidentia quædam divinæ curæ ac ſollicitudinis involvebatur. Et reges, ſi mali eſſent, majorem impetum ad corrumpendum populum afferebant; ſi boni, obedientia populi potiùs aſſentationem, quàm veram pietatem referre poterat. Deus itaque elegit regem ex ipſorum conſilio ac voluntate. Atque illud eſt, quod dicitur, *Illi regem fecerunt & non à me, principes, & non fui conſcius.* Ergo Saul non ex voluntate Dei, ſed ex populi errore rex factus eſt. Hieron. Subintellige autem hic, quòd facta regum ac principum ſuorum imitando graviſſimè peccaverint, cùm potuiſſent ea non quidem ſeditione, ſed reverenti reprehenſione cohibere, ut patet ex cohibitione Uſſiæ regis. Et quantum ſacerdos ſummus in reipublicæ reformatione potuerit in tyranno, & eo, qui ſolo populi conſenſu factus eſſet rex, & non à Deo unctus eſſet, patet in Athalja. Ex his factis id potiſſimum fuit, quòd manifeſtam idololatriam cum regibus exercerent. Nam dicit: *Aurum ſuum ſibi fecerunt idola*, & ſtatuas. quod etiam extendendum eſt ad templum Solomonis, (quoad abuſum ejus; vide ℣. 6.) & ad celſa.

II. oſtendat, non eſſe ſpem pœnitentiæ in præſens. à verſ. 5. ad 14. In his eſt

1. Propoſitio. verſ. 5. *Rejecit vitulum tuum, Samaria.* Dumque peccatum Iſraëlitarum in ipſis punivi, oſtendi, *exarſiſſe iram meam in illos*, Judæos ſimiliter peccantes. *Quouſque?* ſcilicet ardebit ira mea. Agent enim fortaſſe pœnitentiam. *Non poſſunt innocentiam præſtare.* In eo ſtatu ſunt, ut non poſſint ſe exonerare peccatis, ut integrè & inculpatè Deum in templo ſuo colant.

2. Confirmatio quoad templum deſtruendum. verſ. 6. *Nam ex quo* tempore *Iſraël*, totus populus duodecim Tribuum, *& illa*, domus Jehovæ, de qua ℣. 1. *eſt; Faber eam fecit*, eſt opus χειροποίητον, & putant, Deum habitare in templis manufactis, & delectari cultu in talibus templis præſtito, per ſe. *Et non eſt Deus.* A populo Judaïco habetur templum eo loco, quo Deus debebat haberi, dum ſcilicet putant, ſe ſanctificari per illud & cultum in eo exercitum. *Nam fragmenta fiet*, fiet *vitulus Samariæ.* Ego demonſtrabo ipſo facto, æquè peccari in Templo, Arca & Cherubinis, atque peccatum eſt in vitulo Samariæ, dum fiet fruſta, ut ille.

3. Con-

3. Confirmatio, quoad populum templo abutentem, ubi facta Judæ examinantur, in comparatione reliqui Israëlis. In his est

(a.) Negatio fructificationis. verf. 7. 8. *Nam ventum seminant.* primò quidem in ipsis est amor rerum vanarum, deinde & cum notitia verbi Dei ex parte falsa opinio, vel verbis Dei quibusdam assuta, vel etiam cortice verborum Dei malè explicatorum incrustata, atque ita fiducia in mendacio. Hinc igitur non potest *messis* consolationis & spei, sed *turbinis* colligi. qui *turbo* significat malam conscientiam & desperationem ac dissipationem omnium bonorum. Semen autem bonum in illis non esse, probat, 1. quia *non sit seges*, sive nulli culmi appareant, id est, nulla vera professio, atque opera talia, qualia ab irregenitis fieri non possunt. 2. si culmi, sive *germen*, *non farina*. 3. si farina, non permanens. Quippe eò usque hypocritæ quandoque procedunt, ut recipiant cum gaudio Scripturam, quatenus obsequitur suis affectibus: id est quasi semen. Sequitur professio externa, & cum eâ opera cerimonialia ac moralia externa: quæ sunt quasi germen. Sed posito, ut ea habeant cum veris fidelibus communia, tamen ea non ex fide faciunt, neque ex integro corde, ad lætificationem & ipsorum & aliorum: sed ita, ut *alieni absorbeant ea*, id est, ut etiam ii, quos Deus cum cultu ipsorum repudiabat, Samaritani, hæc omnia, quæ ipsi, pariter agant; qualia sunt, gloriari in lege Mosis, dicere, Jehovam Deum verum esse, credere, Deum instituisse sacerdotium, idque legitimè exercentibus veniam peccatorum promisisse: interim non esse injuriam faciendam, & aliis actibus malis abstinendum esse: esse etiam mandata, quæ omittere peccatum sit &c. in quibus non dividebantur Judæi ab Israëlitis. Deinde & sic alieni absorbent farinam, quatenus omnis illa species externa populi excutitur per persecutiones. Nam quod temporarium est, id radicem non habet.

Verf. 8. Ampliùs ostendit ab experimento, eos fructu veræ fidei ac pœnitentiæ carere. *Postquam enim absorpti sunt, facti sunt in gentibus, ut vas sine gratia.* Nihil enim in gentibus habent, quo se possint ostendere populum Dei: cùm & gentiles ea omnia videantur de Deo credidisse, quæ Judæi in dispersione.

(b.) Fiducia in gentibus. verf. 9. & 10. *Nam* (respicit ad verf. 5. Sic vocula *Nam* repetita distinctas rationes indicat) *illi ascenderunt in Assyriam.* Achaz rex Judæ ad auxilium petendum; *onager solivagus* sine pastore, propter incoërcitum impetum consilii proprii, spreto etiam consilio Dei per Esaiam proposito. Es. 7. *Ephrajim*, Rex Israëlis, Pekach filius Remaljæ, cum Rezine rege Syriæ *pactum amorum* inivit, ad eosdem amicos & inimicos habendum.

Verf. 10. *Etiam cùm paciscebantur in gentibus* fiduciæ causâ, *nihilo secius congregabam eas*, contra ipsos, ut etiam illis onus imponerent, *& parum doluerunt ab onere regis Imperatorum* Assyriæ, Tiglath-Pileseris, & magis Sancheribi. Ille imposuit tributum, hic urbes occupavit.

(c.) Multiplicatio altarium. verf. 11. Parem autem culpam Judæorum & Israëlitarum ostendit, quòd multiplicaverint altaria, & in eis adolendo peccaverint. Hæc ex antè dictis abunde liquent.

(d.) Aversio à lege. verf. 12. *Scribebam ipsi amplitudines legis meæ*, id est, doctrinam legis multis modis repetitam, explicatam, inculcatam; & magnalia Dei ac mysteria salutis in ea exposui; *ut alienum reputatæ sunt.* verus legis sensus non est receptus, & sic ipsa Scriptura sive verus ejus sensus est rejectus ac neglectus.

(e.) Inanitas sacrificiorum. vers. 13. *Quod attinet sacrificia ustulationum mea; mactant carnem & comedunt. Jehova illa non habet accepta.* quippe in quibus non animæ per fidem in Christum, sed ventri serviant ac gulæ.

(f.) Oblivio Dei in castigatione. vers. 13. col. post. & 14. *Nunc, ubi recordatur Jehova pravitatis ipsorum, & visitat peccatum illorum; illi in Ægyptum redeunt.* Primò, cùm fiduciâ Ægyptii rebellarunt Babylonio, ut Jojakim, Jojachin & Zedekia. Deinde, cùm reliquiæ se in Ægyptum contulerunt, assumto etiam Jeremiâ. Potest id etiam de pœna intelligi. Nam quum Josias esset occisus, in potestatem Ægyptii venerunt.

Vers. 14. Comparat desertionem & *oblivionem Jehovæ factoris ipsorum*, (Deut. 32:6.) in Israële & Juda. Utrobique eam demonstrat ab effectis. Illi fana, hi arces fecerunt. Illi confisi sunt consiliis, hi brachio.

Sententia est in vers. 14. colo post. *Et mittam ignem in urbes ejus, & devorabit palatia illius* Hierosolymæ. Respondet Hos. 1:9. & suprà vers. 1. Id peregit Nebucadnezar. *Palatia* sunt regia ædificia & templum, quod ארמון dicitur, Jer. 30:18.

Pars Tertia. Cap. IX. agit de excidio Templi secundi post captivitatem Babylonicam à Zorobabele ædificati. Est in hoc cap. διαλογισμός. Et quidem

1. Sermo Prophetæ, vers. 1—9. quo 1. redarguit securitatem Israëlitarum in sua scortatione. vers. 1. *Ne læteris, Israël*, qui in terram reductus es, de pace & bonis, quibus sub Augusto Cæsare frueris, *ad gaudium usque*, id est, motum animi liberiorem, *ut populi*, qui iisdem bonis pacis fruuntur; *quia scortatus es à Deo tuo*, tum inprimis, quando ivistis Romam, & deprecati estis, ne amplius essetis sub Regibus vestris, sed sub Romanis præsidibus, & Syriæ contribueremini; quod etiam factum est sub Rege Archelao, quo, Viennam relegato, in provinciæ formulam redacti sunt Judæi. Jos. ἀρχ. lib. 17:12. 15. *dilexisti mercedem scortationis apud omnes areas frumenti.* tibi gratulatus es de fructu illius scortationis, nimirum pacatâ fruitione terrenorum bonorum. Confer Hos. 2:7.

2. monet pios, ut ne communicent cum illis in ea securitate. vers. 2—9. Estque hæc oratio quasi apostrophe ad eos ex Israële, qui Christum in fide recognoverant. Et idem hic agit Propheta, quod Apostolus in Epistola ad Hebræos, ne scilicet ii, qui Christum agnoverant, cum reliquorum insania communicarent. Quam ad rem multa argumenta colligit.

Primum argumentum vers. 2. quòd ea merces scortationis scortantes sit frustratura. Id factum, cùm, juxta prædictionem Christianorum, Deus famem immisit populo sub Claudio, prænunciam famis spiritualis. cap. 2. 5. Adde cap. 2:11.

Secundum argumentum, vers. 3. & 4. ducitur à statu Israëlitarum post captivitem Babylonicam. nimirum, quòd partim per defectionem (unde eos *Ephrajimum* vocat in comparatione veteris Ephrajimi à templo Hierosolymitano deficientis) *in Ægyptum redierint*; ubi Onias templum ædificavit. Jos. ἀρχ. 13:6. partim *in Babylonia*, id est, Assyria, manserint, in terra impura, & ibi *pollutum comederint*: ut quorum cibi, ut oportebat, stante templo, non expiarentur ritu legis. Quod etiam ad traditiones ipsorum, ex quibus Talmud Babylonicum deinde confectum est, referri commodè potest. Nam is cibus animæ purus non est. Ex quibus claret sensus verborum: *Non*, id est, vix, *sederant in terra Jehovæ*, & statim *Ephrajim* &c. Vide simile suprà 7:2. vel ut sit negatio de præsenti: *non sedent in terra Dei.*

Dei. eâ scilicet terrâ, ubi Deus memoriam sui nominis constituerat. quam sponte relinquere, quum pro symbolo data esset, improbum erat. Certè, redditâ terrâ, in Ægypto sanctuarium condere. Appellatur etiam *terra Jehovæ* propter apparitionem Dei in ea.

Quæ in vers. 4. ad confirmandum hoc argumentum, de pane polluto &c. afferuntur, per se clara sunt. Nempe, quamdiu fas est sacrificia offerri, si non offerantur, impurus est cibus eorum. Ergo non est, ut fideles cum iis studeant communionem colere, quum tam negligenter se ad adventum Christi præparassent, & pro placito sacrificiis vel uterentur vel non uterentur.

Tertium argumentum ducitur à statu populi imminente, quo sua festa celebrare, & legales purificationes obire non possit. Qua igitur de causa vellent fideles cum ipsis communicare, cùm paulò post usus ceremoniarum deberet intercidi? vers. 5. & 6. *Quid faceretis in die temporis præstituti?* Ponit tempus aliquod cerimoniis legalibus præfinitum, ultra quod non debeant eæ usurpari. *& ad diem festi Jehovæ?* ad diem, quo Deus, rejectis festis hominum, in spiritu & veritate colendus est. Dein potest intelligi dies mactationis hominum inobedientium. Confer Es. 29: 2. *Quid*, inquit, *faceretis*, nimirum si velletis cum iis communicare. *Nam ecce abierunt*, inceperunt jam fugere Judæi, *ob vastitatem. Ægyptus colligit ipsos, Memphis sepelit ipsos.* multi jam fugerunt in Ægyptum, quòd in terra sua non possint subsistere propter vastationem: alii in locos similes. ibi non tantùm hospitantur, sed & sepeliuntur. Ita & mors intercipit spem revertendi. In spiritu loquitur, tanquam extante jam & gestâ re. *Desiderabile argenti ipsorum*, quod defoderunt propter subitam fugam, *carduus hæreditat. Urticæ sunt in tentoriis ipsorum*, quippe derelictis ab habitatoribus suis.

Quarto argumento tertium magis urget: quippe tempus fini ceremoniarum præstitutum advenisse, *quòd venerint dies visitationis*, apparitionis Dei in carne, *ad perambulandum Israëlem pede suo.* Deut. 33: 3. & tempus festi Domini adesse, quia *advenerint dies retributionis*, ut templum cum suis cultoribus tolleretur. Nempe, quia Christus in carne sua exstinxerat inimicitiam, & septum intergerinum solverat, legem, quæ est in placitis, oportebat finiri legis præfigurationem: & consequenter instrumenta cultûs istius cerimonialis erant de medio tollenda. Asseverandi causâ addit: *Sciant Israël.*

Quintum argumentum in colo post. vers. 7. & vers. 8. 9. proponitur. Illius hæc est analysis. Atqui, inquies, *Sacerdotes & viri spiritûs* omnia alia judicant. Respondet Propheta, 1. per concessionem, sed cum sarcasmo: Traditi sunt ii in mentem perversam, ut tam insana & temeraria doceant, idque *propter multitudinem pravitatis tuæ.* quia vos proposuistis vobis ante oculos stercora vestra & abominationes vestras. (apostrophe est ad eos, qui Christum agnoscentes adhuc ceremonialem cultum urgebant.) *Et multa est infestatio.* resistunt Spiritui Sancto, Act. 7: 5.

De oblocutione ac infestatione Sacerdotum in die visitationis Christi etiam actum est in Ultimis Mosis, Deut. 32.

2. per amolitionem scandali, quod oriebatur à præjudicio Sacerdotum ac Seniorum populi. Ea ducitur *primò* à regno Christi, vers. 8. *Speculans Ephrajimum*, (nota; *Ephrajim* hic ii sunt, qui se Judæos appellabant, sed non erant.) hoc est, qui datus est Ecclesiæ caput supra omnia, & tanquam rex curat ac inspicit Ecclesiam suam, atque etiam Judæos refractarios tolerat etiamnum, sed videt

& ad animum revocat ipſorum infeſtatiorem, is, inquam, *eſt apud Deum meum.* Is, quemadmodum fuit initio apud Deum, &, quum viſitavit populum ſuum, venit à Deo, ita jam rediit ad Deum, & ſedet ut rex in cœlo tanquam throno gratiæ. Ille igitur, qui ex cœlo eſt, & in cœlo ſedet, & ſic ex cœlo loquitur, nobis auſcultandus eſt, non homines. Et quum habeat thronum gratiæ in cœlo, ad quod tanquam ſacrarium intravit, cur adhuc ad ſacrarium terreſtre, tanquam cœlo nobis clauſo, veniremus? *Secundo* reſpondet per criminationem Prophetarum ſive doctorum populi: quòd ſint *laqueus aucupis in omnibus viis Ephrajimi*, hoc eſt, inobedientium Judæorum. nimirum malè interpretando Scripturas, & clavim cognitionis tollendo, & traditiones ſuas extollendo, implicant populi conſcientias. Item quòd ſint *Oppugnatio in domo Dei ſui*, hoc eſt, quòd ipſum non tantùm doctrinâ, ſed & violentiâ impediant, quò minùs rectâ viâ ad Deum ſuum ire poſſint. Denique, quòd *profundè corruperunt, ut diebus Gibeæ.* Vide Jud. 19: 22. 25. & 20: 12. 13. 14. Id erat peccatum clamans & judicum vindictam flagitans, ut peccatum Sodomæ: interim tamen velabatur ac defendebatur ab habitatoribus Gibeæ, qui etiam armati cum Iſraële judicium hoc exſequentes congreſſi ſunt. Tale certè peccatum eſt, Chriſtum interficere, & fideles ejus perſequi, & populum ac gentes à fide ejus abducere, omnibus & ratiocinationibus, & mendaciis, & violentiis. Judæis illius ætatis imputat peccatum Gibeæ. Confer hic Matth. 23: 35. 1 Theſſ. 2: 16. Apoc. 18: 24. Ex illis omnibus *tertiò* concludit, quòd is, qui ad tempus per tolerantiam *ſpeculabatur Ephrajimum, recordaturus eſſet pravitatis ipſorum & viſitaturus peccata ipſorum.* Judicium attribuitur ſedenti in cœlo apud Deum. Cauſa judicii tum *pravitas* in receſſione à doctrina fidei in Scripturis tradita, tum *peccata*, omnia opera, quæ cum tali corde, quod Deum ut ſummum bonum & verum finem agnoſceret, non edebant. Rurſus hîc utitur vocabulo *viſitandi*, quæ conſiſtit in retaliatione, ut prior in gratia.

II. Sermo Dei ſuccenturiatus ſermoni Prophetæ, gentem Iſraëliticam univerſam inde à patribus accuſans inobedientiæ: & pronuncians ſententiam in ipſos: idque in comparatione miſericordiæ in gentibus à ſe exercitæ. Scopus ſermonis eſt, eos, qui Chriſtum agnoverant, informare de judicio inobedientium: in quos ſententia pronunciatur. Sententia hæc habet

1. Accuſationem patrum communium. (ſcilicet uſque ad illud tempus.) In ea eſt

(a.) Narratio dilectionis ſuæ. *Inveni,* (*inveni* vide Deut 32: 10.) ſive adii, acceſſi Iſraëlem *tanquam uvas in deſerto.* Non aliter Iſraëlem exemi ex omnibus populis, & ita ad eos acceſſi quaſi fruiturus ipſis, atque aliquis viator defatigatus ſolet exhilarari, ſi quando paucas uvas inveniat in deſerto. *Patres veſtros*, qui impleviſtis terram reduces ex captivitate Babylonica, *vidi* in illa captivitate, *ut*, ſi quis plantaſſet ficum, eaque primum fructum ferat, ſi quam *præcoquam* & eſculentam *in* ea *ficu* reperiat, ſolet exhilareſcere.

(b.) Defectio. *Illi*, primi, ſtatim ac *venerunt ad Baal-Pehor, ſepararunt ſeſe*, (נזר, quæ vox denotat ſegregationem, qualis eſt in rebus ſacris, quæ à vulgari uſu ſequeſtrantur. Ea vox hic etiam in falſa religione eſt.) conſecrarunt ſeſe *pudendo idolo*; &, ſecundi, *facti ſunt abominationes*, βδελύγματα, *ſecundùm dilectionem ſuam*, quâ dilexerunt templum, aram, ſacrificia, patres carnis, traditiones, fabulas, terram, Romanos, juſtitiam ſuam, omnis illorum amor ipſos facit abominabiles. ℣. 10.

2. De-

2. Definitionem pœnæ. verf. 11. 12. 13. *Ephrajim!* Partem inobedientem hoc nomine appellat. *Ut avis avolabit gloria ipsorum.* Omnia, quæ habebant gloriosa & eximia; Templum, urbem, politiam, terram, imò & copiam hominum, *à partu, & à ventre, & à conceptu.* מן inclusivum hic eft. Non tam frugiferi erunt, ac olim. Deinde *orbos faciam eos præ hominibus.* Tantâ ftrage occidam filios jam educatos & in virilem ætatem adultos, ut parentes orbi fiant, quantâ ftrage nullos unquam homines affeci. Adjicit tanquam gravius aliquid: *Væ ipsis quia recedo ab ipsis.* Confer Deut. 32: 20. Non contentus ero, quòd orbos ipfos fecerim, ut nullos alios, fed aliud *Væ* illos manet. quòd recedam ab ipfis, ex quibus fcilicet fum, ad quos veneram, & inter quos regnum meum pofueram.

Huic væ in verf. 12. propofito, verf. 13. fidem facit ab experimento gratiæ in gentibus manifeftatæ & iræ in Judæis. Dum *Tyrus* (quafi metropolis gentium maximè Occidentalium, infularum maris. Pf. 45: 13.) habet *filiam*, cœtum filiorum, *plantatam in Ovili*, five in habitaculo aut pafcuo Dei: eodem tempore *producit filios ut occidantur*, fcilicet à Romanis.

III. Precatio Prophetæ, verf. 14. quâ ipfis optat irrogari fupplicium minus. *Da ipsis, Jehova.* Eft hic apofiopefis. Optaturus aliquid pro ipfis, non invenit, quid optet. *Quid dabis?* Addubitatio. *Da ipsis vulvam orbantem, & ubera marcida.* Melius eft, eorum pofteritatem non tantùm fic occidendam, fed & fic deferendam, vel nunquam nafci, vel ftatim mori. Adde Matth. 18: 6. Marc. 14: 21. Luc. 23: 29. Ubera marcida funt fignum abortûs. Hippocr. Aphor. 5: 37. Celfus lib. 2: 8.

IV. Refponfio divina pergit in explicatione fententiæ, jam quafi prælegi inceptæ, verf. 11. 12. 13. & per interloquium prophetæ declaratæ, verf. 14. Et quidem à principio occurrit prophetæ optanti, uti ne viros pariant. Refpondet, fi parere non debuiffent, quia *Væ* incumbebat ipfis, non debuiffent parere inde *à Gilgal*, ubi petiverunt Regem. 1 Sam. 11: 16. & 8: 5. 7. 12: 12. 17. Quo facto videntur abjeciffe illud beneficium, quod Mofes cum lachrymis impetraverat, ne Deus ipfos haberet inftar reliquarum gentium. Exod. 33: 2. 3. 4. 12. 14. 15. 16. Quia jam tum incepi illos *odiffe*, id eft, exfequi decretum illud de non danda per mifericordiam plerifque ipforum agnitione mei & Teftamenti mei. Interim à Gilgale hucufque dederat ipfis locum in terra fua, & toleraverat ipfos propter electos: nunc contrà declarat, *fe illos expulsurum ex domo fua*, non tantùm templo, quod deftructum eft, fed etiam Ecclefiâ, (hactenus enim fuerant in Ecclefia externa) idque *propter malitiam factorum.* Pergit: *Non addam eos diligere*, hoc eft, eis benefacere, ut populo eximio & electo, quemadmodum in captivitate Babylonica perrexi diligere. Ratio additur: *Omnes principes ipforum funt rebelles.* Ergo illos non pergam diligere, ut in tali forma fint, fub fuis principibus, quemadmodum olim. Addit: *Percuffus eft Ephrajim, radix ipforum exaruit; fructum non facient.* Quia mox fubjicit de partu, optimè hæc intelliguntur de danda fterilitate ex parte. Vide verf. 11. Ephrajimum interim comparat cum *arbore*: quæ *percuffa* fit gangrænâ vel vermi. Solet enim ita radix exarefcere. Significat, totam illam propaginem excifam effe ab olea. vel quoad Phyficam propagationem eis ademtam effe priftinam ratificationem. Ex altera parte, quatenus propagabuntur interim, *optimos eorum* oftendit fe occifurum. Ne hoc acciperetur tantùm de corporali morte, Prophetæ fermo tertius fubjicitur.

V. Renunciatio Prophetæ ceu Secretarii Dei de exitu Ifraëlitarum.

Verſ. 17. *Reprobat ipſos Deus meus*; *quia non obedīverunt ipſi.* Nempe hoc eſt interficere: Rejicere à ſeſe & à cœtu juſtorum. adimere conſolationem. fame & ſiti enecare. Hoſ. 2: 5. verbum Dei negare. Amoſ. 8. indurare. *Et erunt palabundi in gentibus.* Quippe ſine rege, ſine magiſtratu, ſine Ephod, ſine imaginibus, ſine ſacrificio, ſine cippo.

Convenit, quod eſt Deut. 32: 21. Hoſ. 2: 4. & ℣. 6. Hoſ. 3: 3. 5.

Pars Quarta. Cap. X. pertexit ſtatum Eccleſiæ externæ, & ejus corruptionem explicat & reformationem ſive abolitionem corruptelarum. Partes hujus capitis ſunt quatuor.

I. Prima culpa. verſ. 1. Quemadmodum in præced. cap. actum eſt de parte Iſraëlis repudiata à Deo & errabunda inter gentes; ita hîc alia ejus pars notatur, quæ eſt *Iſraël vitis*, id eſt, habens communionem cum Chriſto, qui eſt vera vitis, in qua palmites habent commeatum ſpiritûs & vitæ, & in quo fructificant. Joh. 15: 1. 2. Porro id vocabulum *vitis* in complexo ſtipitis & palmitum hîc ſumitur, & quidem non tantùm palmitum frugiferorum, ſed etiam ſtolonum & palmitum ſterilium, qui ſolis pampinis luxuriant vitam oſtentantes in nomine, non in fructûs effectu. De Iſraële hoc modo conſiderato pronunciat tria.

1. *Ablaqueationem.* Ablaqueavit, ſcilicet Deus meus, vitem Iſraëlem. Id vocat Johannes Baptiſta partim ventilabro aream purgare, partim ſecuri arbores à radice excidere. Matth. 3: 12. 10. Chriſtus dicit *purgare*, *palmitem infrugiferum tollere.* Joh. 15: 2. Eſaias 5: 2. *paſtinare & elapidare.* Ezechiel 21: 16. *gladio ſpernente arbores* exſcindere. Ablaqueare vitem eſt circa vitis radicem dolabrâ terram diligenter aperire, &, purgatis omnibus, velut lacus efficere, ut ſolis teporibus & imbribus provocentur. Pallad. l. 2: tit. 1. *Ablaqueatio vitis Iſraëlis* eſt in ſeparatione infidelium ab omnibus tribubus Iſraëlis, Deut. 29: 21. in deletione templi & urbis, & abolitione trium paſtorum. Zach. 11: 8. itemque in tentatione fidelium in variis afflictionibus & perſecutionibus, per quas multi hypocritæ ab Eccleſia amoti ſunt. Hæc ſubintelliguntur in eductione Eccleſiæ in deſertum. Hoſ. 2: 16.

2. Incrementum. *Fructum ponit ipſi*, id eſt, amplificat palmites ejus & propagines ejus, ut ampliorem terram occupent. De cujus *bonitate* colo poſtr. Adde hic Commentarium ex Hoſ. 2: 16. 17.

3. Culpam. *Iſraël multiplicat altaria pro multitudine palmitum*; *affabrè facit cippos & ſtatuas pro bonitate terræ.* *Altare* unicum Eccleſiæ eſt Chriſtus. in quo adoramus Deum & cultum ei offerimus. *Multiplicat altaria*, non tantùm qui alios Chriſtos fingit, ſed omninò qui ignorans juſtitiam Dei quâvis aliâ re Deo ſe placere putat. Declarat igitur hæc ſententia, in plurimis, qui receſſerunt à Judæis & ab idololatria, & Chriſtianum nomen receperunt, fuiſſe ἀγνωσίαν θεοῦ, & vanas opiniones de juſtitia. *Cippus* eſt lapis in certo loco conſtitutus in ſignum ad venerationem Dei. *Lapis* Eccleſiæ eſt unus, Chriſtus, fundamentum & angulus: qui ubique immediatè regnat. Quòd Deus bonam terram dedit Eccleſiæ, id fuit occaſio conſtituendi Epiſcopos tanquam fundamenta & angulos Eccleſiæ, ut certo loco & terris affixæ.

II. Judicium. ℣. 2—8. Id habet quatuor partes.

1. *Diviſionem cordium*, ſive diſcordiam. verſ. 2. quæ orta eſt primitùs ex certaminibus hæreticorum. Judicii hujus finis erat, *ut rei fierent*, id eſt, ut appareret, eos non eſſe veros Chriſtianos & juſtos, qui Chriſtiani vocitabantur. Secunda pars, verſ. 2. continet prænunciationem futuri judicii, connexam verſui 3.

ubi est ætiologica ab initio. Potest etiam intelligi ut exemplum judicii præsens. Nam in certaminibus hæreticorum, maximè cùm etiam Julianus restauraret idololatriam, & Christianis permitteret licentiam litigandi, multa *altaria decervicata sunt, & multi cippi eversi.*

Vers. 3. Ostenditur effectus judicii primi. nimirum Conatus regnum constituendi in Ecclesia. Ideo cum hæreticis conflictamur, *quia Rex nobis deest.* In his deliberatio est concludentium, necessariam esse Monarchiam in Ecclesia. Consilii hujus rationes Spiritus Sanctus proponit has. 1. quia videbant Episcopi, populum, qui Christianus appellabatur, Christum regem suum, qui est Jehovah, non timere. *Nam* vulgò, inquiunt, *non timemus Jehovam.* Per fidem & timorem Dei Ecclesia non potest contineri in unitate. Rationes Bellarmini pro Monarchia in hoc principium resolvuntur. Ex altera parte occurrit *Rex*, id est, princeps politicus, Imperator. contra quem excipitur: *Quid faceret nobis?* q. d. solus Imperator non valet ad exstirpandos hæreticos: & si maximè sufficeret, non est id potestatis ipsius Ecclesiam gubernare. Rex nostrum consilium tam sanctum & necessarium non poterit impedire.

Vers. 4. Sequitur disceptatio de prærogativa. *Locuti sunt verba*, vel rationes suas protulerunt. Postquam animo conceperunt Monarchiam, secunda cogitatio fuit, cui nam sedi ea deberetur. Erat caput Imperii Roma, sedes Apostolica: hinc Papæ sibi πρωτοκαθεδρίαν deberi judicarunt. Rursus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus nitebatur splendore urbis suæ; quæ, licet serior, tamen verior Imperii sedes esset. Hinc lites: quæ processerunt eò, ut tandem in Chalcedonensi Synodo Constantinopolitanus Romano æquaretur. Leo Romanus reluctatus est sub specie patrocinii reliquorum Patriarcharum. Consulendi hîc auctores. Vide Bellarm. Præfat. ad Controv. de summo Pontif. §. Ac, ut omittam. §. Venio nunc. §. Denique. Sed & inter cæteros Patriarchas & Archiepiscopos lites fuere. quas enarrare longum foret. *Factæ sunt exsecrationes temerariæ.* quod de multis Canonibus intelligi potest propositis sub pœna exsecrationis & anathematis. *Fœdera* in Conciliis diversarum partium inter Episcopos sunt inita, & inter eos, qui prætendebant esse Monarchæ, atque Principes politicos. Denique *judicium* Ecclesiasticum conversum est *in venenum* & absinthium, quod in *porcis agri* crescit inter triticum. nimirum, ut judicium exerceretur ἀναποδίκτως, secundùm canones & anathematismos humanos, ab uno, ex plenitudine potestatis, tanquam in Spiritu Sancto. Sic primus gradus judicii *Divisio cordium* non profecit ad emendationem, sed ad ponenda fundamenta Monarchiæ in Ecclesia.

2. Ablationem gloriæ à Rege & Patriarcha aliquo. vers. 5. Notandum est hîc subjectum judicii; ipsum judicium; consequens judicii; compellatio eorum, quibus judicium hoc debebat prodesse; & causa metuendi.

Duas quasi familias regnantes præsupponit in Ecclesia, Ephrajimum & Judam. De quo schismate ad Cap. IV. Metropolin Ephrajimi facit *Samariam*, indigitans sedem imperii Orientalis Novam Romam. *Samariæ vicinos* Orientales populos jubet *metuere.* Videbantur in sinu gaudere, jubet metuere *ob vitulas*, id est, ob vitulum aliquem illustrissimum ac primarium, hoc est, Cherub *Beth-aven*, id est, Bethelis. Sub eo emblemate, quasi Bethelitæ sacerdotes vellent præferri Samaritanis sacerdotibus, ob antiquitatem sacerdotii sui; contrà Samaritani ob dignitatem urbis sibi prærogativam assumerent, concertatio Romani cum Constantinopolitano de primatu proponitur. Subjectum judicii hîc sunt *vituli Bethelis*,

thelis, id eſt, Imperator & Papa Romanus in Occidente. Judicium eſt *migratio gloriæ ab illo*. Confer Hoſ. 4 : 7. id eſt, declinatio imperii Romani cum anguſtia Paparum in Occidente. Conſequens judicii eſt *luctus populi: & exſultatio ſacerdotum ejus*, Vituli ſcilicet Bethelis, Papæ: Is enim, in quo falsò deputatur eſſe σκήνωσις Θεοῦ & inhabitatio Spiritûs Sancti, rectè cum Vitulo Bethelis, ut falſo Cherubino, comparatur. Exſultatio poparum, qui illi vitulo, ſive falſo Cherubino ſervierant, ea eſt, quâ Epiſcopi Occidentis quidam per occaſionem ruinæ Imperii Romani; & anguſtiarum Eccleſiæ Romanæ, ſe à Romanæ ſedis obedientia ſubtrahere niſi ſunt, vel potiùs ei ad obedientiam ſuam trahenti fortiùs reniſi.

Exemplum eſt in Ravennatibus, Afris, Mediolanenſibus, Aquilejenſibus, Gallis, Germanis. *Autocephalia* & hæreſis ea obedientiæ negatio dicta fuit. Vide Sigon. de regno Ital. lib. 2. ad annum 648. Hi omnes ſine dubio attenuatione majeſtatis & faſtigii urbis Romanæ & ſic imminutione potentiæ Paparum gaviſi ſunt.

Conſtantinopolitani interim impotentiùs gaudebant, quibus hic prophetia injungit timorem. Cauſam timoris reddit verſ. 6. per comminationem captivitatis Cherubi ſive Vituli Conſtantinopolitani. *Etiam ille* (vitulus veſter) *in Aſſyriam deportabitur*, fiet ſubditus & captivus Aſſyrii regis, id eſt, Turcarum. *Et quidem munus Regis adverſarii*, (confer 5 : 13.) Romani Epiſcopi, jam in Monarcham Eccleſiæ transfigurati, qui quidem & Chriſto adverſarius eſt, & corrivalibus ſuis, ut Patriarchæ Conſtantinopolitano: & regibus mundi, donec eos ſubjugavit, ut ex verſ. 3. cognoſcitur. *Rex quid faciet nobis?* Huic Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſupplex fiet, & ei ſubjicietur à ſuo Imperatore, & ille Romanus eum propinabit Turcis & tradet, rogatus auxilium. Confer cap. 5. Sic *pudor Ephrajimum occupabit*. Pœnitentia Græcos arripiet, quòd ſe Romano ſubmiſerint. *Et pudefiet Iſraël à conſilio ſuo*. Pœnitebit Latinam Eccleſiam conſilii ſui de Monarchia abſolutè in Papam delata.

In Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi determinatum eſt, Papam eſſe auferibilem ab Eccleſia, & Concilium eſſe ſupra Papam.

3. Interitum Imperatoris Conſtantinopolitani in ipſa urbe ſua, de quo ut futuro in præced. ℣. 6. comminatio facta erat. ℣. 7. Comparatur cum interitu bullæ aquæ. Ita facilè, ita ſubitò, paucis diebus Conſtantinopolis capta eſt à Muhammede, A. C. 1453. anno Friderici III. quarto decimo, Nicolai V. ſeptimo.

Nota. Tres hi verſiculi 5. 6. & 7. continent hiſtoriam totam coarctati Occidentis cum ſeqq. novorum regnorum & Imperii Romano-Germanici erectione, & poſt multa certamina culminis Papalis evectione, uſque ad captam Conſtantinopolin, id eſt, annorum plus mille. A capta Roma per Alaricum, A. C. 410, uſque ad captam Conſtantinopolin, A. C. 1453. anni ſunt 1043.

4. *Profligationem* & exſtirpationem *celſorum vanitatis*. verſ. 8. In *celſi* emblemate eſt 1. colliculus. 2. altare ſuperinſtructum. Intellige hic in analogo regnum & populum ſive poteſtatem mundanam Eccleſiaſticam invitantem & cogentem ad gloriationem in falſa juſtitia & cultum imaginum & mortuorum & angelorum. Elogium celſorum eſt, quòd ſint *peccatum Iſraëlis*, id eſt, quo Eccleſia corrupta eſt, & tantùm non alienata à Deo. De *altaribus* dicit, *Spinæ & triboli in illis naſcentur*, id eſt, fiducia illa falſæ juſtitiæ mutabitur in ſpinas & aculeos conſcientiam fodicantes & inquietantes; ita ut non poſſint requieſcere, ſed dies noctesque

quę cogitent, quomodo possint conscientiam suam exsurdare & cauterio indurare, & demonstrationem erroris sui ex Scriptura elidere atque eludere.

Tandem addit ultimum exitum: Fore aliquando, ut *dicant montibus, Tegite nos; & collibus, Cadite in nos*, id est, venturas super ipsos tantas angustias, ut præ metu nesciant, ubi suffugium petant. Christus accommodat hoc dictum ad excidium Judæorum, Luc. 23: 29. 30. ex quo intelligere est, tam horribile fore excidium Antichristi, ac Judæorum fuit. Hæc in suo ordine debent impleri, neque impleta sunt ante historiam versûs 9. cùm etiam vers. 15. adhuc fiat mentio *Bethelis*, id est, civitatis Antichristianæ, ut instrumenti castigationis Ecclesiæ.

III. Reformatio. ℣. 9---12. Hæc pericopa continet duo membra.

1. Promissionem conservationis fidelium in generali defectione, & consolationem illorum, quòd eos non attinget prælium iræ Dei contra injustos. vers. 9 Hic Ecclesia externa dividitur in Israëlem, qui peccarunt, & illos, qui steterunt, & non cum cæteris ceciderunt. Prima apostrophe est ad Israëlem. *Israël peccasti*, defecisti, *inde à diebus Gibea*, à die peccati Gibeæ Benjamin, quod narratur Jud. 19. quod peccatum suppar est peccato Sodomæ. Sodomiticum hoc peccatum permansit in populo Israëlitico & Ecclesia externa, quæ *Israël* dicitur sub Novo Testamento, usque ad illa tempora, quæ in superioribus attigit, & quæ in comminatione vers. 8. prænotavit. Id peccatum connotat crimen hypocriseôs & profanationis nominis Dei. Vindicatio hujus peccati dicitur *bellum contra filios injustitiæ*, עלוה, *elationis* quoque, quâ nullum se recognoscunt superiorem. Id bellum ex comminatione, vers. 9. proposita, quale sit intelligitur, cujus effectus est, ut dicant montibus &c. Consolatio pro fidelibus, qui *stantes* dicuntur, quia non deseruerunt fundamentum, sed in fide perstiterunt, est, *quòd eos non attacturum sit bellum contra filios injustitiæ in Gibea*, id est, quòd Deus ipsis sit præbiturus locum, in quo separati à defectoribus (quorum locum mysticè Gibeam appellat) agant & immunes sint à tentatione illa magna & afflictione.

2. Descriptionem regiminis constantium. Id est

(a.) in conjunctione eorum, ut scilicet cœtum faciant. Causam significat *cupiditatem Dei*. qui quasi sitit hominum salutem & conversionem. Id primò in Hussitis contigit.

(b.) in castigatione divisionis illorum per congregationem populorum contra ipsos. *Quum jungerent ad duos sulcos*, id est, cùm desinerent unum jugum uno humero ad unum sulcum & quasi lineam conversationis trahere, sed disjungi & cum infidelibus jugum trahere cœperunt; tum *congregati sunt populi contra ipsos*. vers. 10.

Historia. Totius Imperii Romani vires aliquoties collectæ sunt contra Bohemos, postquam quidam in Concilio Basileensi cœperunt certis compactatis reconciliari Romanis. Quamdiu enim unum sulcum & regulam egerunt, populi coram illis sparsi sunt. Notabilis est, si qua alia, historia Bohemorum & Ziscæ. At jam populi circa ipsos *congregati* sunt, in quorum potestatem venerunt.

(c.) in coërcitione pugnacitatis. vers. 11. Pugnacitas in eo est; *Et Ephrajim* (pars Euangelicorum deflectens à regula) *est vitula assuefacta amans triturare*. quæ cupiat, vetusto more, proterere fratres, ut consueverat sub vexillo Antichristi. Coërcitio pugnacitatis in eo est, quòd Deus dicit, *se optimum colli*

ipsius invasisse, id est, se humiliasse eos, qui fratres suos proterere gaudebant, in nobilissima & optima sui parte.

Historia. Notum est, superiori sæculo in Electore optimo & generosissimo Johanne Friderico Euangelicos & cæteros Principes Germaniæ, fratribus suis plusquàm fas erat iniquos, compressos esse. Confer, quæ de Ephrajim dicuntur, cap. 4: 17.

(d.) in datione libertatis. vers. 11. Promittit, quòd 1. *Ephrajimum juncturus sit curru*, id est, retenturus sub imperio suo, ut neque redeat ad Israëlem peccantem, neque recalcitret. Si verbum id significet, *Faciam equitare Ephrajimum*, notatur, Deum daturum eam potentiam & successus, inprimis bellicos, *Ephrajimo*, id est, parti alicui nominis Euangelici, (de qua & cap. 4: 17.) ut hostes communes Euangelicorum ipsi cedere & ipsis dare pacem, cujus opus est arare & occare, cogantur.

Historia. Mauritius Elector præcipuum instrumetum ejus pacis conficiendæ fuit. Et postea etiam excitavit Deus ex ea parte *patronum* Ecclesiæ in rege Daniæ & Sueciæ. Es. 19: 20. & 11.

2. quòd *Judas arabit*, *& Jacob occabit*, id est, cultum in agro Dominico exercebit.

Vers. 12. Adjungit promissioni παραίνεσιν, ut I. id *ferant* sive doceant, unde *justitia*, id est, fides justificans progerminet; & II. *metant* atque in horrea conferant, id est, in Ecclesiasticam communionem recipiant *juxta pietatem*, id est, 1. non secundùm consensum suum in aliquo dogmate, aut secundùm odia sua & concertationes, sed in *veritate* fundamenti & *charitate*. 2. juxta gratiam Dei manifestatam in hominibus, ut eos velint pro fratribus habere, in quibus gratia Dei illuminans ad cognitionem veritatis & sanctificans perspicitur. Adde cap. 2: 3. & III. *ut novent novale*, id est, purgatissimum habeant agrum Domini à carduis & spinis. Additur suasio 1. ab opportunitate. *Tempus est quærendi Dominum.* Subinnuitur, breve id tempus pacis fore, nisi eo modo agant. 2. à promissione. *Donec veniat & doceat vos justitiam.* ut continuetur pax vestra usque ad id tempus, quo ipse, abolitis doctoribus falsitatis, docebit solus Ecclesiam viam justitiæ.

IV. Nova culpa. vers. 13. Docet hæc pericopa, Ecclesiam Euangelicam, post datam pacem, non eos fructus, saltem constanter, prolaturam fuisse, qui essent digni tum beneficio accepto, tum accipiendo in posterum, ut regnum Dei ulteriùs apud Ecclesiam manifestaretur. In aratione culpat, quòd *araverint improbitatem*, id est, quòd viam justitiæ non plenè & clarè & sincerè proposuerint, tum Ephrajim, tum Juda.

Hic omittere non possumus triumphum, quem canit Franciscus à S. Clara de Anglis A. C. 1634. quòd illo anno solenniter in Comitiis Doctoralibus Cantabrigiensibus definitum sit: *Dari meritum ex pacto divino.* Qui, si dixissent, Bonis operibus retribui mercedem juxta fœdus gratiæ, quod inservit Testamento Dei, nihil absurdi dixissent: Sed si dixerunt, opera peccatoris *mereri* ex pacto; & sic statuerunt justitiam nostram, sive jus ad petendam beatitudinem non esse in solidum ab obedientia Christi & ejus donatione, sed à nostris operibus, & lege aliqua nova & pacto super, nescio quibus, obedientiæ laciniis pro justitia acceptandis, indignam Deo & sanctitate ejus & Christo redemtore

demtore ac justificatore sententiam tulerunt, & cum Pharisæis, Papistis ac Socinianis falsam justitiam, quæ est רשע, araverunt.

Addit, quòd *injustitiam messuerint*, id est, in horrea sua collegerint injustitiæ operatores, & passi sint multa scandala inter se regnare: disciplinam vel non vel malè exercuerint. *Quòd ederint fructum abnegationis. Abnegatio* est vel in dissimulatione veri, vel hypocrisi & dissimulatione animi malè affecti, non profitentis ex animo nomen Christi, idque ut mundo placerent. Denique, quòd *confisi sint in via sua multitudine heroum suorum.*

Adde Hos. 4: 17. 18. 6: 4--8.

V. Castigatio Ecclesiæ Euangelicæ. vers. 14. 15. Ea consistit in clade exercituum; in occupatione locorum, superatis aut perruptis munimentis.

Historia. Vidimus Palatinatum, Bohemiam, Moraviam, Silesiam, Pomeraniam, Saxoniam superiorem & inferiorem, Cimbricam Chersonesum, & sic à mari Balthico ad Septentrionale, & rursus Rhenum, ad quem etiam Vesalia & aliæ arces, ferè omnia in potestatem venisse.

Hanc vastationem munitionum comparat quoad diritatem cum excidio Betharbelis à Salmane peractam. Is locus in finibus Pellæ trans Jordanem. Hieron. Adstipulatur 1 Macc. 9: 2. *Salman* is putatur esse Salmanassar.

Nos, si vellemus diritatem illam *εἰκόνι* & similitudine aliquâ exprimere, exemplar faceremus Solymanum. Hujus diritatis exempla præbent inprimis Munda & Magdeburgum.

In fine addit horribile calamitatis exemplum, quod dicit *Elisionem matris super filiis.* Nempe significat, post calamitates & clades ingentes, & expugnationes munitionum, & quidem cum dirissima ac sævissima vastatione, fore, ut etiam tutor & pater patientium persecutionem, tanquam avium implumium, is, qui *patronus* dicitur Es. 19: 20. interficiatur.

Historia. Post expugnatam Germaniam, & inprimis Magdeburgum, rex Sueciæ mactatus est.

Vers. 15. Primo colo exprimit causam efficientem & meritoriam hujus mali. *Bethel*, id est, sedes superstitionis Roma, & ejus domini, quibus populi undiquaque cingentes Ecclesiam (℣. 16.) parent, *sic fecit vobis.* Causa impulsiva est *malitia*, & quidem *mala. Propter malitiam malitiæ vestræ.* Adde suprà 6: 9.

Secundo colo adjungit ad cumulum malorum novum malum, idque eò acerbius, quò magis eo tempore Ecclesia in spe alicujus boni versatura erat. *Cum aurorâ*, id est, simul aliqua lux pacis affulserit, (quæ A. C. 1648. 30. Januarii, conclusa est inter regem Hispaniæ & Belgas; & inter Cæsarem & Galliæ Suediæque reges, eodem anno, 24. Octobris.), *occidit rex Israëlis.* Alius præter eum, qui in parœmia matris super pullis significatus est: unicus in ea parte Ecclesiæ Euangelicæ, quæ Reformationem profitetur; qui etiam caput Ecclesiæ in suis regnis dictus fuit.

Historia. Id factum Anno Christi 1649. 30. Januarii. Adde Deut. 32: 42.

Sexta Periocha Cap. XI. habet duas partes. In I. est Querimonia de corruptione & ingratitudine Ecclesiæ vocatorum. usque ad vers. 8. In II. Explicatio gratiæ exercendæ ad conservationem multorum. ℣. 8--11.

In *Prima Parte* sunt tria membra.

 I. In-

I. Inobedientia exercita à Judæis, post redemtionem, erga vocationem Euangelicam. ℣. 1. 2. In his ostendit Propheta,

1. Statum Israëlis primum *in pueritia*, id est, statum pædagogiæ & servitutis elementorum mundi. Nam hæc est pueritia Israëlis. Gal. 3 : 24. 4 : 1. 2. 3. Et inde ab ejus eductione ex Ægypto usque ad regnum Dei sive Christi durat, sub fœdere primo. Jer. 31 : 32.

2. Missionem Filii Dei ad eum in eo statu. *Quum* adhuc *puer esset Israël* &c. *vocavi ex Ægypto*, & sic feci ad eos venire *Filium meum*. Adde hic Hos. 1 : 7. 2 : 1. Quod in αὐτοδιακονίᾳ Israëlis, atque in emphasi nominis intelligendum est. Vide Matth. 2 : 15. ubi & versionem LXX. Interpretum emendat.

3. Filii per fugam in Ægyptum subducti revocationem ad populum. Vide Matth. 2 : 13. 14. 15. De hac fuga & subsequente cæde puerorum in Bethleem, & reditu ex fuga loquitur & Jeremias cap. 31 : 15. 16. Reductionis autem hujus causam facit *amorem suum*. illum nempe, quo Filium suum tradidit pro nobis victimam. Joh. 3 : 16.

4. Vocationem Israëlitarum factam per Christum & Apostolos. vers. 2.

5. Inobedientiam, & quidem cum contumacia. *Sic abierunt à facie ipsorum*, ne scilicet eos audirent. Contrà *sacrificarunt Baalibus*. sub nomine Jehovæ Baales suis sacrificiis coluerunt. *Suffitum fecerunt sculptilibus*, figuris & imaginibus suis, ut quæ sine fide & in tempore libertatis haberentur. Cum his etiam intellige Deos gentilium, quos saltem in suis cultoribus coluerunt. de quo Hos. 2 : 7.

II. 1. Judicium divinum irrogatum Ephrajimo, id est, pleræque parti rebellanti; nimirum Judæis rebellantibus. Id judicium significatur voce תרגלתי *pedem contuli* & conflixi cum Ephrajimo. De hoc judicio est Hos. 2 : 12. 13. 14. 9 : 12. 13.

2. Gestatio reliquorum, ut eos conservaret, & in locum suum deduceret. *Accipiens illos in brachia sua*. Vide cap. 2 : 2. 16.

3. Sanatio Ecclesiæ, quæ est in fracturæ concinnatione sive dissipatorum recollectione & in compensatione jacturarum. Hos. 2 : 17. 10 : 1.

4. Plerumque consequens ingratitudo. *Et non agnoverunt, quòd ego sanavi.* Hæc in ℣. 3. Hos. 10 : 1. Deut. 32 : 27.

Multi Christiani statim post tranquillationem Ecclesiæ dixerunt: *Non Jehova fecit omne hoc*. Vide in Deut.

III. Pericopa continet,

1. Culpas, quarum.

(a.) est jugum Christi aspernari, & jugum hominum subire. Jugum Christi describitur, *funibus humanis trahebam ipsos*. præcepta Christi intelliguntur sanctissima, & conscientiæ humanæ aptissima, de modo salutis peccatoris. *rudentibus charitatis*, vinculo, quo homo Deo unitur per Christum fratrem.

NB. Opponitur id pædagogiæ *puerorum*, ℣. 1.

Aspernatio hujus jugi est in his. *Extiti, ut imponentes jugum maxillis ipsorum.* Jugum meum, quod leve & suave est, ipsis est molestum, propter concupiscentias suas. Reputarunt illi me pro simili pædagogis illis priscis, qui injiciebant jugum maxillis ipsorum. Judicarunt, me delectari factis à carne præstandis.

Exaggeratur hoc delictum à beneficio, *porrectionis cibi*. Quod potest intelligi, 1. de abundantia omnium rerum. 2. de institutione clara ex verbo. & 3. de oblatione cibi spiritualis in verbo per satietatem.

(b.) Cul-

(b.) Culpa secunda est, *redire in Ægyptum*, id est, præcipitare se in servitutem similem illi Ægyptiacæ: subire jugum *Regis Adversarii*, Hos. 10:6. Qui est Papa Romanus in Monarcham evectus.

2. Judicium. Traditio in dominationem Assyrii, id est, Turcæ. ℣. 5. & 6. Judicii hujus advertenda

(a.) celeritas. *Non redit ille, & fit rex Assyrius*, id est, statim atque redit, fit servus Assyrii.

Historia. Statim elevationem regni Papæ secuta est elevatio regni Sarracenorum in Christianos. Vide hic Not Cl. Coccejı. Papa Eugenius IV. A. C. 1431. Basileensi Concilio, in quo Antipapa Felix creatus erat, derogavit, & Felicem volentem in ordinem redegit. Hic Papa jam plenè rex; quippe nec Concilio subjectus. Sub idem tempus Imperator Græcus Episcopum Constantinopolitanum quasi munus obtulit Romano, in Concilio Florentino, A. C. 1435. Sub eodem Eugenio IV. A. C. 1444. Ladislao ad Varnam cæso, magna Hungariæ pars est amissa. Denique A. C. 1543. Constantinopolis capitur.

(b.) celeritatis ratio. *Quia recusant converti.*

(c.) Judicii modus. *Gladius in urbibus ejus mansit; & artus ejus consumsit.*

(d.) justificatio judicii. *à consiliis suis.* de quibus suprà in Culpis.

3. Impœnitentiam post judicium. vers. 7. *Et populus meus pendent in fugam mei*, id est, nihilominus tamen, non obstantibus his judiciis, ii, *qui populus meus* vocantur, aversantur me, & fugiunt, ut qui prono corpore se conjiciunt in fugam. *Et ad erectionem vocant eos.* Sunt, qui eos monent, ut vel erigerent sese, ut qui in cursu subsistunt Waldenses, & alii testes veritatis. *Pariter non erigit quisquam.* Monitores suos occiderunt.

In Parte Secunda vers. 8---11. est Apostrophe ad *Ephrajimum*, id est, partem aliquam Ecclesiæ Reformatæ. Estque initio χαμαζηλος deliberationis; quo significatur meritum consimilis judicii, atque Deus Adamæ & Zebojim inflixerat; sed ostendit, Gratiam in Christo prævalere iræ suæ. Significat hæc comparatio Ecclesiæ cum Adama & Zebojim, 1. ingentem profanitatem dominantem in Ecclesia vocatorum. 2. coarctationem, quæ videatur minari totale exitium, quale fuit Sodomæ & Gomorrhæ. De qua etiam est Deut. 32:36. His opponit quatuor decreta misericordiæ.

Primum decretum misericordiæ est de clementia. *Non faciam æstum iræ meæ*, hoc est, prout peccata vestra merentur.

NB. Cap. 10:15. mentio fit *auroræ*.

Secundum est *non repetendæ destructionis*. Adjicitur ratio, 1. à natura Dei; qui est *omnipotens Deus & non vir*, scilicet quem non pœnitet, & qui potest bonitatem suam explicare per potentiam. Homo, quando habet servum contumacem, non potest, nisi eum perdere, perditum non potest sanare. 2. *à Dei inhabitatione.* Quia habet in cœtu vocatorum, licet magnam partem rebellium, semen. 3. à sanctitate sua manifestata. In medio tui *Sanctus*. Demonstravit scilicet in medio tui sanctitatem suam.

Tertium decretum misericordiæ est negativum. *Non intrabo civitatem.* Deus non passurus est, Ecclesiam Euangelicam redire ad communionem civitatis Antichristianæ. Nec formam ampliùs habebit respublica Christiana civitatis, vel Hiero-

 solymæ,

solymæ, vel Romæ. Hujus decreti exsecutio significatur vers. 10. *Deus rugiet*, potenter commovebit spiritum ad respuendum auctoritatem humanam, *& sequendum illum*, Deum solum ducem, ejusque magisterium, temperandâ gubernatione Ecclesiæ secundùm verbum ejus. Nominatim *trepidaturos* ait *filios à mari*. (Deut. 33 : 23.) In voce filiorum inest significatio spiritûs filiationis & libertatis. *& ex Ægypto tanquam aviculas, & ab Assyria ut columbam.* Hæc dies faciet clariora. Confer Hos. 2 : 25. 6 : 11.

Quartum decretum misericordiæ est *de collocanda Ecclesia in suis domibus.* Confer 2 : 20.

Septima & ultima *Periocha* prophetica est in Cap. XII. XIII. & XIV. Ejus partes sunt VII.

I. Distinctio Christianorum in Ephrajim & Judam, cum ostensione causæ istius denominationis & exitu. Cap. XII. vers. 1. 2. Hæc pericopa compendio explicat statum Christianismi post fugam idololatrarum & pacem Ecclesiæ donatam per Constantinum: qualis olim erat populi Israëlitici sub Solomone. Dividit Christianos in *Ephrajimum*, cui attribuit Israëlem, & cap. 14 : 1. metropolin Samariam, opponit verò hostem Assyrium; & *Judam*: juxta quem ponit regnum Ægypti.

Ephrajim ex suo prædicato noscitur. *Cingunt me cum abnegatione.*

Historia. Græca Ecclesia, cujus metropolis Constantinopolis, feracissima fuit hæreseωn, in quibus est *abnegatio* Dei & Christi, quales Arianorum, quæ orta Alexandriæ in Græcia maximè sedem invenit; Macedonianorum, Eunomianorum, Nestorianorum, Acephalorum, Eutychianorum, Monotheletarum, qui Constantinopoli aut nati aut educati sunt.

& domus Israël cum fraude, quatenus adhæret Deo, in quantum ejus doctrina convenit concupiscentiis suis. *Ephrajim pascit se vento, & persequitur Eurum.* Toti sunt in vanitatibus mundi demersi. *toto die multiplicat mendacium.* hæreses exitiales, de quibus paulò antè. *& destructionem violentam.*

Historia. Omnes illi hæretici violentiâ usi sunt. Quantâ deinde violentiâ usi sint Constantinopolitani Imperatores in Monasteriis & Imaginibus tollendis, dici vix potest. Neque est omittenda violentia exercita in mutationibus Imperatorum.

Huic parti opponit *Assyrium*, id est, Persas, Sarracenos, Turcas. Et de illo dicit, quòd is ita ingruet Ephrajimo, ut non nisi fœdere cum ipso facto, & precariò maneat.

Historia. Johannes Constantinopolitanus Imperator à Bulgaro obsessus petit auxilium ab Amurathe, qui & depulit inimicum ab obsidione, & Callipolin quasi præmium ab Imperatore obtinet, A. C. 1360. Idem Amurathes Adrianopolin occupat, A. C. 1366. & ibi sedem regni figit. Andronicus, A. C. 1390. patrem Johannem & fratrem Emanuelem carceri includit à Bajasite adjutus, cui promittit tributum, & magistratum Constantinopoli Turcarum litibus componendis. Ab eodem Bajasite imperium impetravit Emanuel elapsus carcere, A. C. 1392. cui etiam Philadelphiam à se expugnatam Emanuel tradidit, A. C. 1395. A. C. 1399. invocatus ab Emanuele Tamerlanes Bajasitem castigat. Ita apparet; Constantinopolitanos in eas angustias venisse, ut

ut nisi favore Assyrii stare non possent. Muhammed unus filiorum Bajasitis ope Constantinopolitani regnum obtinet. A. C. 1412. 1413. Johannes, quum semel atque iterum pacem ab Amurathe petiisset, convertit se ad ejus fratrem Mussafam.

2. *quòd oleum*, insigne imperii, (namque reges Christiani, per quandam imitationem regum Israëlis, unguntur ab Episcopis) *in Ægyptum* (Id regnum Papæ & regum cum eo mœchantium) *deportabitur*. Significat, Imperium Occidentalibus delatum iri; ita ut & ipsi regnent in Oriente;

Historia. Et Hierosolymæ & Constantinopoli regnarunt Latini.

& soli regnent. Nam & regnum Orientalium defecit. Hos. 10 : 7.

NB. Si *oleum* pro *spiritu* capiamus, hunc etiam Constantinopolitani dederunt Papæ, quando cùm in controversia de imaginibus se judicio Papæ, tùm Florentiæ Eugenio IV. tanquam *spiritum* propheticum habenti se subjecerunt. Certè Constantinopolitanus non ampliùs æmulatur Romanum.

Judæ elogium & quasi definitio est vers. 1. *Adhuc*, scilicet antequam reus factus est in Baal, & mortuus est, cap. 13 : 1. *obfirmat se cum Deo.* Id opponitur *abnegationi* partis alterius, quæ dicebat, *Non-Jehovah, Non-Deus-omnipotens fecit omne hoc*, ex Deut. 32 : 27. *& cum Sanctis fidelis est. Sancti* hi sunt partim Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli & fideles; partim antonomasticè Deus unus in tribus personis. Enimverò tota disceptatio in Ecclesia fuit, an tres illi, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus Deus unus sint.

II. Disceptatio cum Juda in prosopopœïa vers. 3. usque ad finem cap. XII.

Propositio est vers. 3. In ea ostendit Deus duas partes gubernationis Ecclesiæ externæ. 1. contentionem cum Juda. 2. retaliationem viarum super Jacobo. *Lis est Jehovæ cum Juda*, id est, cum Ecclesia Occidentali, etiamsi ea veritati de persona Christi adhærescat. Lis ea erat futura de ungendo rege Ægypti, ℣. 2. & servitute ejus, id est, de Antichristi regno & obedientia. A ℣. 4. ad finem capitis est sermo contentionis cum Juda. Ejus partes duæ sunt.

1. Suadet adhæsionem ad Deum suum. vers. 4--7. Ad eam argumenta præmittuntur quinque.

(a.) à gratia electionis. ℣. 4. *In utero*, id est, quum nasceretur, *calcem tenuit* Jacob, à quo Ecclesia Christiana est deducta, utpote eandem gratiam experta, *fratri suo*; tum scilicet apparuit argumentum & signum divinum, quòd Deus Jacobum diligeret, Esavum verò odisset, & quòd minori major esset serviturus. Si ergo à gratia & non à vi humana dependet populus, sequitur, Deum esse exspectandum.

(b.) à gratia sanctificationis, & manifestationis fidei. Jacobus à Deo habuit virtutem, & eam ipse Deus periclitatus est: ergo non est ut homo eam det vel exploret.

(c) à fide Christi. *Et Jacobus certavit cum Angelo*, qui tentavit eum, (Filius Dei is fuit, qui Angelus dicitur propter officium mediatorium. Exod. 23: 20.21. Es. 63 : 9. Mal. 3 : 3. qui & אלהים ℣. 4. & Gen. 32 : 28. Unum enim est cum Patre tum potentiâ tum gratiâ, tum testandi auctoritate ad fœdus faciendum per fidem) *&*, cùm eum agnosceret, *ploravit*, quòd abire niteretur. *& supplicavit ei*, ad extorquendam ei benedictionem. Vos ergo Christiani, qui filii estis liberæ, id est, Patriarcharum, Abrahami, Isaaci & Jacobi, qui subjecti non erant hominibus ad

car-

carnalem purificationem, soli, cui illi, Mediatori Christo adhærete.

(d). à notificatione Dei ad Jacobum. *Bethele invenit* Jacobus *ipsum* Angelum, id est, ibi ipsum obvium habuit, & *ibi loquebatur* Jacobus *nobiscum*, cum Patre (nam ex vers. 10. apparet, Dei hic sermonem esse) & Filio. Solus enim Filius ipsum & omnes fideles ad Deum adducit. Non est ergo opus aliis intercessoribus vel angelis vel hominibus.

(e.) à proprietate & veritate nominis *Jehova*. vers. 6. ut quod ipsi soli competat, ut *Deo exercituum*, qui solus *exercitus* habet, in quibus manifestet bonitatem suam, atque adeo per quem Abraham, Isaac & Jacob, & gentes salventur. Non est ergo, ut quis dicat, *Non-Jehovah facit* quicquam eorum, quæ sunt Jehovæ, quasi vel Angelus benedictionem præstans sit non-Jehovah; vel homo aliquis non-Jehova possit benedictionem, sanctificationem, justificationem præstare.

Hisce argumentis jam subjicit conclusionem, vers. 7. Deum Israëlis *exspectandum esse semper*, id est, ab eo solo exspectandam esse gratiam, ut det Ecclesiæ regnum. Additur autem huic Thesi firmamentum hujus fiduciæ, nimirum observatio *pietatis* erga Deum & homines, & *judicii* in secretione eorum, qui non habent sanam doctrinam aut sanctam conversationem.

Interim tamen etiam accusat Ecclesiam, quòd *vertantur in Deum suum*. scilicet per subjectionem in dominationem humanam, ut cap. 13: 1. & vers. 10. & 11. innuit.

2. Dissuadet contrarium vitium jam nominatum, quod est *verti in Deum suum*, scilicet non dando ei omnem gloriam suam; & *servando* ea, quæ non sunt comprehensa in lege *pietatis & judicii*. Argumenta autem dissuadentia deducit,

(a.) ab avaritia & dolo & injustitia exercentis dominationem, & Ecclesiam sibi subjicientis. vers. 8. *Institor, in cujus manu est bilanx dolosa, fraudare amat*. Tribuit ei avaritiam, dum *Institorem* appellat. quòd quærat proprium emolumentum. Adde Hos. 4: 8.

NB. hinc respublica illa *Tyrus*, & principes ejus *negotiatores* appellantur, Es. 23. Apoc. 18. & ei *ἐμπορία* tribuitur. Apoc. 13.

Deinde regulam iniquam, secundùm quam judicant. quæ sunt concupiscentiæ ipsorum, & Canones, quos fecerunt, ut suis concupiscentiis inservirent; ii *lances dolosæ*.

(b.) à simili culpa Ephrajimi prædamnata. vers. 9. Noluerunt etiam ipsi, ut vos, agnoscere *pravitatem suam*, quæ *peccatum* esset, id est, per quam Christum ad iram provocarunt. Cogitate, idem vobis posse accidere, atque eo faciliùs, quòd prior illorum fuerit vocatio, quàm vestra, & nihilominus illi in tam reprobam mentem traditi sunt.

(c. & d.) à statu Ecclesiæ præterito & futuro. Olim inde *ab* eo tempore, quo fuisti in *Ægypto*, (sive intelligamus Ægyptum literalem, sive Ægyptum analogicam, id est, Imperium Romanum gentile) *ego sum Deus tuus*, id est, ego tibi Propheta sive Doctor, Sacerdos & Rex: & ego solus te liberavi à servitute Ægyptiaca. Quare igitur jam desideras Prophetam, Sacerdotem & Regem alium? In posterum etiam *faciam te habitare in tentoriis, ut in diebus conventûs*, id est, illis diebus, quibus ego apparui tibi, nimirum in deserto & in carne. Quemadmodum tunc fuit Ecclesia sine capite vicario, ita & postea erit. Quin domi, quin parvis in cœtibus Ecclesiam habebitis, ut fratres.

(e.) quòd Deus olim *locuturus sit contra Prophetas*. intellige illos, qui loquuntur

quuntur indemonſtrabilia, & ea volunt recipi propter auctoritatem ſuam. De his prophetis eſt cap. 4 : 5. 6 : 5.

(f.) à viſionis ubertate. *Viſionem multiplicavi.* 1. quia clarè & ſufficienter & plus quàm ſufficienter veritas myſterii in verbo eſt explicata. 2. quia prophetia in Novo Teſtamento vulgata eſt fidelibus, adeo ut nihil ſit pro verbo Dei fidelibus proponendum, quod non omnes fideles, ut verbum patefactum toti Eccleſiæ in Scriptura, recipere & narrare poſſint. His adjungitur promiſſio. *Per manum prophetarum aſſimilabo.* Ego excitabo in Eccleſia, qui revocent experimenta & hiſtorias ad prædictiones & ad inſtitutionem Dei, & ſic pſeudoprophetas confundant.

(g.) ab exemplo judicii. Includitur hic reſponſio ad occultam objectionem. Objectio talis eſt: Quoddam regnum voluit ſe ſubtrahere ab obedientia ſedis Papalis, & fruſtra fuit. Reſpondet concedendo, & quidem cum damnatione. Fateor, inquit, *Gilead* (Germania) *fruſtra fuit*, quando ſe oppoſuit Papæ, ſub Cæſaribus Henricis inprimis; *imò nihilum* eſt, id eſt, ſervit Antichriſto & vanis ipſius traditionibus. Quo facto *temerè fecerunt*; *quia boves mactarunt in Gilgal.* (*Gilgal* locus Concilii erat populo Iſraëlitico.)

Hiſtoria: In Concilio Huſſum & Hieronymum Pragenſem laborantes in arvo Domini mactarunt.

Et quòd temerè fecerint ſuſcipiendo jugum Antichriſti, id conſtat ex deſtructione altarium.

Hiſtoria. Ea facta eſt per Bohemos tum, & poſtea per Euangelicos.

(h.) *Octavum argumentum* pertinet ad conſolationem eorum, qui coguntur fugere propter regnum Dei & ærumnas pati. Quibus exemplum Jacobi proponitur, qui habens benedictionem & promiſſionem de terra hæreditanda, coactus eſt eâ exire, & fugere à conſpectu fratris ſui, qui adſerviendum illi damnatus erat.

(i.) *Nonum argumentum* occurrit ſcandalo parvitatis in doctoribus Euangelii. Cui opponit efficaciam potentiæ divinæ comitantis prædicationem Moſis, ut prophetæ, tum ad eductionem populi ex Ægypto, tum ad conſervationem in deſerto. Quomodo & per paucos Apoſtolos mirabilem ſuam potentiam in convertendis hominibus oſtendit.

(k.) *Decimum argumentum* novo ſcandalo occurrit, quòd Ephrajim, Imperator Conſtantinopolitanus & clerus ſe ſubjecit Papis Eugenio IV. & Nicolao V. Sed hoc ſcandalum dicit ſe ſanaturum, ſanguinem ipſius effundendo, & quidem ita, ut nec Papa, nec ulli alii ipſi opem poſſint ferre. Vide Hoſ. 10 : 6. & ſuprà ℣. 2.

III. Judicium Judæ. Cap. XIII. à verſ. 1. ad 12. Ejus partes ſunt,

1. Accuſatio de duplici culpa. 1. Quòd, *quum ipſe* antea in *Ephrajimum loquentem horrorem*, Orientales Epiſcopos de perſona Chriſti & primatu Conſtantinopolitani ea docentes, quæ horrorem incuterent animabus, *ſententiam tuliſſet in Iſraële*, id eſt, quum Epiſcopi Occidentales hæreſes Orientalium, & Gregorius Magnus inprimis dominatum in Epiſcopos damnaſſet; *ipſi tamen rei eſſent facti in Baale*, id eſt, in rege adverſario, quem non tantùm pro principe Epiſcoporum, ſed & vicario Chriſti & infallibili interprete Scripturarum habent. Et quidem ita, ut *mortui ſint*. Epiſcopi Occidentales non tantùm errorem de Papæ prærogativa & doctrinis fundamento ſuperaddiderunt, ſed etiam introducta eſt ignoratio & abnegatio fundamenti. Quæ ubi ſunt, ibi *mors* eſt, quam *ſecundam* Scriptura appel-

appellat, quia est induratio in errore & peccato post agnitionem Christi & regni ac justitiæ ejus. Hæc in ℣. 1.

Historia hujus prophetiæ complectitur omnes gradus elationis Papæ, ut quòd ipse œcumenicus dictus à Phoca, quòd ipse factus supremus mundi magistratus, quòd ipsius excommunicationes pro sententia Dei reputatæ, quòd ille vicarius Christi, infallibilis doctor, necessarius sacerdos & legislator reputatus est.

Versu 2. Accusatio secunda est de fabricatione & cultu imaginum. Hæc etiam literaliter implentur. Ac præterea mysticè, dum homines justificatos & sanctificatos à Deo tanquam Deos adorarunt: Item operi suo adscripserunt justitiam: Item vires suas pro Deo suo habent. Hanc culpam exaggerat, 1. à causa dirigente. *Per prudentiam suam.* Scilicet! Stultitia enim est, & novum genus idololatriæ extra verbum Dei, fretum suâ prudentiâ, non aliter, atque *si motus proprius* sit dictatus Spiritûs Sancti, cultum Deo indignum comminisci. 2. à causa efficiente. *Totum est opus artificum.* 3. à modo cultûs. Fundunt propter illa sanguinem humanum, atque eam fusionem habent pro sacrificio, quod quidem non offertur Deo, sed *vitulis*, id est, falsis Cherubinis, Principibus Ecclesiasticis & Politicis: ad quorum *oscula*, pedibus etiam figenda, admittuntur, qui plurimos homines ob causam imaginum interfecerint. Hæc in ℣. 2.

2. Excitatio fidelium ad exspectationem judicii,

(a) per ejus prædictionem, vers. 3. *Iccirco fient ut nubes matutina*, quæ præterit, ac de cœlo cadit, quanquam videatur terram obtegere; & *ut ros qui prævertit abire*, ob calorem solis. Exhausta calore solis illorum doctrina perit; non permanebit illa, quam videntur habere, unio, sed *ut palea dissipabuntur ab area.* Magna videtur ipsorum potentia, sed *ut fumus ex fumario* egredietur, qui facilè dissipabitur.

(b.) per assertionem proprietatis gloriæ Dei, ad confirmationem fidei illorum. ℣. 4. 5. *Et ego sum Jehova Deus tuus ex terra Ægypti*, (sive literalem, sive mysticam Romam gentilem intelligas) & *Deum præter me non agnosces.* Nullo tempore apparui cum vicario. Mosen misi in Ægyptum cum miraculis & potenti manu, sed ipso ad justificationem vel sanctificationem, vel ad loquendum proprio motu aliquid indemonstrabile, tanquam vicario usus non sum. Nec ad hoc *dictos Deos* dedi populo, ut per eos ad justitiam pervenirent. Non patefeci me, justitiam vestram, nisi unum. Et quum me, ut justitiam Ecclesiæ, in Novo Testamento patefecerim, sine servitute, non est, ut vicarium & nuncupativos Deos sub Novo Testamento salutis causâ vobis faciatis. Ideo etiam addit: *Et servator non est præter me.* cap. 1.: 7. *Ego te agnovi in deserto*, id est, quum Ecclesia deducta esset in desertum gentium, ubi erravit incerta viæ & locum habitationis non invenit famelica & sitiens: ibi ego non deserui illam, & congregavi ac sustentavi illam, licet multis angustiis premeretur. Hos. 2: 16. Hoc ergo exemplo nixi, si quando etiam vobis propter regnum Dei sint perpetiendæ afflictiones, exspectate liberationem.

(c.) per ostensionem ingratitudinis defectorum, simul & periculi, quod cum amore mundi conjunctum est. ℣. 6. Nimirum ostendit, *primum* esse *satiari*, vel contentum esse nomine Christiani, & non proficere ad radicem, vel facilè ac statim expleri simplici veritatis doctrinâ, & cibi cœlestis fastidium capere. *Secundum* est *efferri corde*, id est, progredi in suis cupiditatibus & consiliis suis pro moven-

movendis, quomodocunque. *Tertium* est *oblivisci Dei*, id est, timorem Dei & scrutationem verbi ejus seponere.

3. Exemplum pœnæ, ℣. 7. 8. Nempe

(a. Occursus Dei violentus & durus, quo ipsos excepit *in via in Assyriam*.

Historia. Papæ Romani omnibus Christianis indixerunt bellum ad recuperandam ex manu Persarum & Sarracenorum, quos Assyrios Scriptura vocat, *terram* Palæstinam, quam *sanctam* vocant. Plurimi homines, Principes, Reges, Imperatores, cruce signati eam expeditionem susceperunt; & in ea durissima passi sunt, & maximam partem in itinere, & per vim hostium interierunt.

(b.) Comesio illorum in terra Assyriæ.

Erepta est denique Syria & Palæstina Sarracenis, etiam quædam Ægypti, & regnum Hierosolymitanum erexerunt. Sed id cum omnibus coloniis Latinorum evanuit tandem, vi Sarracenorum & Turcarum funditùs eversum.

4. Apostrophe ad totum Israëlem, id est, Ecclesiam, in contradistinctione Ægypti. Ei *primò* causam perditionis suæ ostendit, vers. 9. *Corrupit te.* impersonaliter. **men heeft u bedorben.** *Quia in me*, *in auxilium tuum*, scilicet verteris. ex Hos. 12: 7. Deinde comminatur destructionem regni; eò nempe, post tempus duræ tractationis eorum, qui in Assyriam iverant, rem deventuram Ecclesiæ, ut reges, in quacunque parte sint, non juvent eam. *Ubi est rex tuus*, *qui salvet te in omnibus civitatibus tuis? & judices* tui. Hos. 10: 7.

Historia. Græcia ferè tota erepta est Imperatori Constantinopolitano. Fideles in Papatu à regibus pressi sunt; tantum abest, ut ab illis adjuti sint. Postquam Ecclesia Euangelica cœpit habere principes tutores, capti sunt duo primarii, Elector Saxo & Landgravius. Post illa in afflictione Ægyptiaca nova Ecclesiæ Rex Bohemiæ (quem cupiverunt habere Reformati) victus est, Rex Daniæ cessit, Rex Sueciæ occisus est. Non defuit *patronus*. Es. 19: 20. Sed *Rex* non potuit eos eripere. Es. 33: 7. Debuit *abire manus*. Deut. 32: 36. imò Tyrus scortatura erat cum regibus terræ. Es. 23: 17. Denique Deus erat visitaturus super regibus terræ. Es. 24: 21. & Hos. 10: 15. vidimus, *Occidit rex Israëlis*.

Objicit Ecclesiæ, quòd dixerint, *Da mihi regem & principes*. De eo jam Hos. 8: 4. Hæc culpa est vetusti Israëlis, sed continuata in novo. scilicet libertatem spernere, servos hominum fieri, religionis & justitiæ arbitrium in unius arbitrium tradere.

Vers. 11. Denunciat, se Ecclesiæ daturum aliquando regem, sed in ira sua, & ablaturum in excandescentia sua.

Historia. Id ex parte videtur impletum temporibus nostris. Nullo bono Ecclesiæ factus est rex Bohemiæ Fridericus, & in excandescentia & ille & alii sublati sunt.

IV. Judicium in Ephrajimum cum demonstratione misericordiæ. Cap. XIII. 12—15. Cap. XIV. 1. Ejus partes quatuor sunt.

1. Coarctatio Ephrajimitarum, id est, Ecclesiæ Orientalis. vers. 12. 13. *Constricta*, in fasciculo conglomerata, *pravitas Ephrajimi*, dum à posteris non emendantur peccata priorum, imò accessione novorum peccatorum cumulantur; *recon-*

conditum est peccatum ejus. maturuit ad judicium. Intellige hæreses & omnes corruptiones Ecclesiæ Orientalis. Angustia ipsis processura est usque *ad dolores partûs*, id est, usque ad extremos & acutissimos dolores, in quibus conflictentur cum metu totalis excidii, ut parturiens solet conflictari cum metu mortis, *Iste est ut filius insipiens, qui non subsistit in partitudine filiorum.* Debuit illâ coarctatione ipsorum fides in Deum comprobari, ut infans, qui nascitur, durat in partu & enititur. Sed contrà factum est. Miserunt & iverunt Romam, imò Ferrariam usque & Florentiam, & cum Papa Romano pacti sunt de auxiliis & sua in obedientiam sedis Romanæ subjectione.

2. Decretum miserationis in plaga. ℣. 14. Nempe non erat futurum, ut per subjectionem illam Constantinopolitani Romanus, ut in Occidente, ita & in Oriente, dominaretur. *E manu Inferni*, Regum mœchantium cum Bestia & ei potestatem suam dantium. Apoc. 17:13. 17. id suis edictis & tyrannide, quantum pote, efficientium, ad homines in morte secunda, odio veritatis, quæ demonstratur in Scripturis, detinendum, quod *infernus*, id est, inferiores partes terræ, seu locus cadaverum ad corruptionem ac destructionem corporum facit, *redimam eos*, virtute pretii à me persoluti, & per potentiam magnam & manum validam eos eripiam ex manu inferni, ut liberi sint ad serviendum mihi. *A Morte*, à Pseudopropheta illo, auctore mortis secundæ, à Baale, illo, in quo reus factus erat Juda & *mortuus fuerat*. sup. 13:1. *vindicabo eos*, ut meos, ut redemtos, ut fratres, ne in ipsos dominetur sceptrum injustitiæ. Id factum, quando Deus ipsos tradidit in manum Barbarorum, Turcarum & Sarracenorum. Vide infrà Part. 4. Inde Propheta subsannat verbis Dei *mortem & infernum*, & triumphat de *pestibus* & virulentia utriusque. קטב est venenum indomitum & vincens. Apostolus vertit νῖκος, 1 Cor. 15:55. Irridet Antichristum & tyrannos ei supparasitantes, ut frustratos spe suâ: quum Deus comparaverit potentiam, per quam, licet in afflictione, eripiat magnam partem populi ex ipsorum potestate. S. Paulus 1 Cor. 15: 55. 56. hinc efficit Triumphum Ecclesiæ de morte etiam corporis: & verè, quia omnis mors à Christo victa est. Aut nulla aut omnis mors ab ipso devicta est.

3. Decretum punitionis Antichristi. Præfatur autem vers. 14. in fine, esse id decretum sine pœnitentia. In ipso decreto exponitur,

(a.) Occasio judicii. *Quum fero modo, tanquam onager indomitus, aget inter fratres.* inter eos, quos propter communem veritatem & fidem pro fratribus habere ac amare debebant.

Specimina illius tyrannidis sunt post Waldenses in Euangelicis ante & post pacem religionis.

(b.) Instrumentum judicii. *Eurus, ventus Domini è deserto ascendens. Desertum* est locus separatus à terra & republica Christianorum, quæ חבל dicitur.

(c.) Ipsa coërcitio Inimici Christi. Ejus tres ponit gradus.

(α.) in *pudefactione fontis ejus. Fontes* aquarum dicuntur Imperatores populorum & exercituum.

Ea coërcitio jam facta est in initiis Reformationis, A. C. 1552. in Carolo V. cùm jam *fons* videretur esse, mox *fluvium* effusurus.

(β.) in *desiccatione rivi.*

Hæc coërcitio est majoris impetûs, cùm jam hostis fluvium emisisset in Ecclesiam.

(γ.) in *direptione thesauri rerum amabilium.* Is thesaurus est Ecclesia habens hierar-

hierarchiam, cum omni pompa ac splendore, auctoritate ac potestate, ac sapientia sæculi. Hæc capitalior & decretoria plaga ejus est.

4. Exemplum severitatis, editum in metropoli Ecclesiæ Orientalis Constantinopoli. Cap. XIV. vers. 1. Nempe, cùm vers 14. præcedentis capitis dixisset, *E manu Inferni redimam eos*; hic ostendit, quomodo illa liberatio facta sit; nimirum per inductionem populorum barbarorum, tanquam ferarum bestiarum, qui leones, id est, Principes tyrannidem exercentes & Ecclesiæ libertatem vendentes, devorarent. Id innuit per *Samariæ* plagam, id est, metropolis, Constantinopolis expugnationem cum cæde virorum, puerorum, & mulierum gravidarum etiam. Adde cap. 10:6.7.

Factum id sub Nicolao V. paulò post Concilium Basileense. A. C. 1453.

Causa. *Quia Deo inobediens fuit.* præceptum fidei & resipiscentiæ neglexit: contrà *abiit post præceptum* humanum. cap 5:11.

V. Vocatio Ecclesiæ ad pœnitentiam. Cap. XIV. 2.3.4. Ex tali revocatione ad Deum intelligitur, Ecclesiam, id est, vocatos per verbum Christi, partim defecisse à verbo Christi & fundamento fidei, partim cum errantibus contraxisse communionem in multis. Absque eo enim si esset, non opus esset, ipsos revocari ad pœnitentiam. Opposita est ea pœnitentia obedientiæ præstitæ Baali, & morti per eam obedientiam contractæ, in illis, qui fundamentum neglexerunt. cap. 13:1. Consistit autem in fide, amore, timore ac fiducia in Deo, ut ipsius solius testimonium ac gratiam recipiat. Illud est, quod dicit, *Revertere, Israël, ad Jehovam Deum tuum.* Rationem addit, *quia impegisti*, cecidit bonus ordo, concordia, honesta vita, pax, omnia denique bona Ecclesiæ, *in pravitatibus tuis.* quæ sunt in lege sive doctrina perversa & judiciis factisque pravis. Hos. 4:8.

Vers. 3. *Accipite vobiscum*, qui propositum resipiscendi concepistis, reddite Deo *verba* sua per subsignationem fidei cum parrhesia. Nam *sermo* notat parrhesiam. Dicite ad ipsum: *Quicquid accipis, pravitas est*; nos nihil à nobis tibi afferimus, quo favorem vel gratiam tuam nobis conciliare possimus. Deinde in te recepisti nostra peccata, factus peccatum pro nobis. *Et accipe bonum.* Accipe tuâ intercessione dona omnia bona in nobis, tanquam membris tuis, inprimis *bonum*, quòd ad vitam & pietatem facit, 2 Pet. 1:3. deinde pacem, bonum ordinem, ædificationem & propagationem Ecclesiæ. Confer Ps. 68:19. ad quem hic respicit. *Et retribuemus juvencos labia nostra.* Ita per labia nostra, corde dictante, quod olim per oblationem vitulorum fiebat, confitemur peccata, confitemur fidem in Salvatorem, profitemur gratam obedientiam, & virtutes ejus enarramus. Cæterùm appositio illa, *vitulos labia*, non tantùm analogiam, quam explicamus, sed etiam substitutionem notat, pro vitulis labia, sive non vitulos, sed labia, q. d. non mutam & brutam afferemus victimam, sed rationalem, nimirum fidem cordis & confessionem oris.

NB. In dictis continetur ὑποτύπωσις Reformationis factæ in Ecclesia.

Vers. 4. *Dicite, Assur non salvabit nos.* In solo Deo reclinate ad præsidium suum.

Historia. Notum est, Euangelicos non adscivisse Turcam in auxilium suum, etiamsi Turca propinquus esset & immineret hostibus ipsorum: ut Solymannus Carolo V. Item, quòd Euangelici abominentur servi-

 tutem

tutem Turcicam, eamque tum corporibus, tum opibus omnibus hactenus depulerint.

In equo non equitabimus. Hic occultè denotatur peccatum ab Ecclesia Euangelica aut ejus partibus commissum, dum vel voluerunt bello majorem libertatem acquirere, vel etiam ferocibus quibusdam populis (qui *equi* hieroglyphico significatu) niti ad sui defensionem. Sed cum culpâ significatur, fore, ut Ecclesia agat pœnitentiam etiam super hoc, & bello auxiliisque populorum renunciet.

Non dicemus ampliùs, Deus noster, vel *Dii nostri, ad opera manuum nostrarum.* Abrenunciabimus omnem humanam auctoritatem in rebus fidei & cultûs Dei, non tantùm Baali isti, id est, Antichristo, sed omninò omni ἀνθρωπίνῃ κτίσει. Hi *dicti Dii* non sunt à Deo, sed ab hominibus.

Quia in te miserationem consequitur pupillus. Informatur Israël, ut agnoscat, Dominum esse eum, qui misericordiam pupillo exhibet & conciliat, ut mediator apud Deum, ut vorticordiam habens potentiam apud homines. *Pupilli* dicuntur, qui in carne Patres & viros defensores non habent. Quales sunt Ecclesiæ Reformatæ illæ, quæ reges & capita Ecclesiæ & præsules omninoque Viros non habent.

NB. Respondet huic Pericopæ Sextæ id, quod legimus cap. 2: 18. 19. 21. 22. & cap. 5: 15. 6: 1. & sequentibus. Item cap. 10: 11. 12. Docet autem, Deum post expugnationem Constantinopoleôs, & Imperii Græcorum destructionem, (quo medio Ecclesiam illius partis mundi ex manu orci & mortis erepturus erat) voluisse continuari vocationem ad pœnitentiam.

VI. Promissio sanationis & amplificationis, cap. 14: 5. 6. 7. 8. cum compellatione Ephrajimi paterna ad rejiciendum idola. ℣. 9. Convenit, quod est cap. 2: 23. 24. 25. 3: 5. 6: 11. & 11: 11. Habet hæc pericopa,

1. Propositionem, vers. 5. continentem declarationem decreti sanationis & dilectionis: & rationem ejus. *Sanabo aversionem eorum.* Nam sine hac sanatione inutilis esset vocatio ad pœnitentiam. *Diligam eos ultrò*, id est, benefaciam ipsis gratis, sine eorum merito. Pertinet hæc promissio non ad omnes, qui morti secundæ sunt implicati, sed ad multos simplices ac rudes, vel etiam tenentes fundamentum, & cum erroribus vel errantibus communicantes. Causa illius sanationis est amor. Amoris autem ratio additur: *quia aversa est ira mea ab ipso Israële.* nempe sacrificio Christi. quo præstito, voluit ipsum hæredem mundi fieri.

2. Exergasian. vers. 6—9. Ante omnia ostendit, *so fore ut rorem Israëli.* Omnis viror, vita, fœcunditas Ecclesiæ erit à me, tum ratione meriti, tum ratione sanctificationis. Benedictiones autem sunt,

(a.) *ut floreat tanquam lilium*, id est, feliciter crescat & argenteo ac fragranti flore se explicet. Hic est velox profectus in cognitione veritatis, & ejus imperterrita contestatio facta inprimis à multis martyribus non minùs quàm doctoribus.

(b.) *Radicatio ut* arborum *Libani.* Hæc est patefactio fundamenti, ejusque tam alta insertatio in animis hominum, ut inde ne martyriis quidem exstirpari possit.

(c.) Pro-

(c.) Propagatio. *Ibunt propagines ejus*, per multa regna & provincias, quæ hactenus coluerant Baalem.

(d.) *Demonstratio decoris ejus, ut oleæ.* Hæc intelligi possunt de passionibus, in quibus maximè vis spiritûs ad vigorem fidei & charitatis enituit.

(e.) Diffusio odoris. *Et odor ipsi* erit, *ut Libani.* Libanus cedris abundans spargebat odorem. Ita Deus voluit Ecclesiam Reformatam in doctrina, disciplina ac patientia manifestari, & conscientiam hominum vividè per illorum quasi odorem affici.

(f) Protectio. *Sedentes in umbra ejus.* Hic subintelligitur Ecclesiæ coarctatio, sed cum defensione quorundam.

(g.) Renovatio segetis Ecclesiæ per residuos. *Iterum vivificabunt frumentum.* Porro hæc nova fruges *quoad germinationem* comparatur cum vite; *quoad fragrantiam* sensibus quasi inhærentem, cum vino Libani. *Inter nobilia vina Berytium & Tyrium ponit Plinius. Ad Libanum erat urbs Ampeloëssa dicta ob vini præstantiam.* Plin. 5:17. Fortè hic notatur, quòd odor Ecclesiæ posthac suavior accidet hominibus extra Ecclesiam positis.

Vers. 9. Increpatur quædam Ecclesiæ pars, sub nomine Ephrajimi, propter idola, & objicitur eorum importuna retentio. de quibus vide vers. 4. confer 4:17. Deinde suadet eorum abjectionem à divina exauditione. *Ego respondi* ad preces, suprà vers. 3.4. & declarat divinum decretum de curanda & invisenda Ecclesia Reformata. *Et intuebor eum.* fortassis ad *Pupillum* hoc emphaticè referendum est. Suadetur porro abjectio idolorum, id est, omnis auctoritatis humanæ, commendatione bonitatis Dei sive Christi, 1. in protectione, vel etiam jucundissimo aspectu. *Ego sum ut abies viridis.* 2. in causatione fructificationis. *A me fructus tuus sistitur.* Christus protegit & unit Ecclesiam. Christus vivit & vivet in perpetuum. Christus est vitis, extra quam palmites fructum ferre non possunt. Joh. 15:5.

VII. Epiphonema totius Prophetiæ. ℣. 10. Est in his verbis

1. Exhortatio & incitatio fidelium, ut veram sapientiam ac prudentiam habentium, ad ista, quæ in prophetia hac, tum in cæteris prophetiis similiter, descripta sunt, consideranda & cognoscenda. In hunc sensum quadrat & ratio: *Nam rectæ sunt viæ Jehovæ.* q. d. descriptæ sunt hic viæ Domini, quæ rectæ sunt, & cum vera sapientia ac prudentia congruunt. Deinde in illis *justi ibunt*, id est, Deus vult, ut illi, qui fidem veram & cognitionem Dei habent, in iis ambulent, & sic manifestentur in mundo; non verò ambulent in ignorantiis, in erroribus, & peccatis: ut *justitia* ipsorum hâc ratione tum ipsis tum aliis comprobetur. Denique *defectores*, qui à fide aberrant & deficiunt à Deo & fœdere illius, ii *impingent* & ruent *in eis*, quia non intelligunt nec credunt ista, quæ in prophetiis scripta sunt, ut in rectis viis Dei ambulent, iccircò intricantur & impingunt in eis, quæ Deus facit, & in judicia Dei hic descripta incidunt, ut Judæi & alii ignorantes veritatem.

2. Hæc verba exhibent nobis κριτήριον veræ sapientiæ & prudentiæ. unde generale hoc axioma conficitur: Sapiens ac prudens illa considerat ac cognoscit. Qui illa non considerat & cognoscit, nec sapiens, nec prudens est. Unde consequitur, quòd vera fides & timor Dei (qui est sapientia ac prudentia) in his versetur; sive, quòd *testimonium Jesu Christi sit spiritus prophetiæ.* Apoc. 19:10. hoc est, qui Christum cognoscunt & testimonium ipsius in fide accipiunt, habeant

spiri-


ſpiritum & mentem prophetiæ, & reverà ſint prophetæ. Argumenta ad id confirmandum ſic coaptari poſſunt, ut *primò* id pro fundamento ponatur, *quòd viæ Dei ſint recta*, id eſt, quòd, quæ Deus dicit ac facit, inter ſe ſint conſentanea, & facta dictis examuſſim concordent. *Secundò*, quòd Deus velit *juſtos in iis ambulare*, id eſt, juſtificatos fide in Filium ſuum vult ita gubernare in mundo, ut nunquam in *ἀπορίαν* veniant & neſciant, quid ſibi agendum ſit; ſed potiùs, ut ipſorum juſtitia comprobetur ambulando in viis ejus. Poſſunt ergo ex prophetiis fideles diſcere, quid ſui ſit officii, ad perſeverantiam. *Tertiò*, quòd Dei viæ tales ſint, ut improbi, qui à veritate deficiunt, innodentur & illaqueentur, & tandem in judicium à prophetis deſcriptam incidant.



ANA-

A N A L Y S I S &c.

J O E L I S.



Uando prophetaverit, dubium est. Credibile est, sub Manasse, quod Seder Olam Zuta ponit: quia decem Tribuum non facit mentionem. Ita comparanda erit Prophetia Jeremiæ Cap. XIV.

Partes, post titulum, sunt IV.

I. De siccitate & fame, ut prænuncio diei Domini, Cap. I. & II. usque ad ℣. 18. In his tria sunt membra:

A. Hypotyposis mali per siccitatem & locustas efficiendi, verbis Dei proposita. Cap. 1. à vers. 2. ad 13. Sunt autem quatuor apostrophæ.

Prima ad Seniores & incolas terræ. Et illos invitat ad reddendum testimonium de enormitate plagæ, quam ℣. 4. describit.

Secunda ad *Ebrios*, id est, omnes luxuriosos. Illi excitantur quasi ex somno ad Ejulatum; non tamen ita, quasi ejulatus ille Deo placiturus sit. Nam nullam aliam causam tristitiæ ipsis proponit, quàm privationem vini ab ore ipsorum. Quo innuitur, ipsos solam causam acceptandi promissiones Patrum habuisse gulam & ventrem. Quod procul dubio Deo displicuit. *Deinde* Deus vendicat *terram suam*. Quo denotatur stultitia hominum securorum, qui putabant, terram esse datam, ut tantùm suis voluptatibus inserviret; non verò cogitabant, Deum istam terram elegisse ad demonstrandas virtutes suas populo suo, & ad ibi manifestandum Filium suum, salutare mundi. *Tertiò* imputat luxuriosis destructionem terræ; quòd coëgerint Deum immittere ipsi terræ Dei gentem cum leoninis dentibus &c. Interim notandum, id filiorum Dei hisce mercenariis permixtorum gaudium mirum in modum debilitasse, quòd propter ipsorum luxuriam communibus plagis involverentur. Ideo

Tertia apostrophe dirigitur ad Ecclesiam sive cœtum piorum, vers. 8. Qui consideratur tanquam sponsa, cui sponsus Christus dederit symbola adventûs sui, quæ symbola dum auferuntur, videtur ipsa sponsa rejici à spe matrimonii.

Quarta apostrophe est ad Vinitores & Agricolas, ℣. 12. ut iis ceu avaris & lucripetis, à peccato hominum luxuriosorum quæstum captantibus, pudorem incutiat, quòd veram hæreditatem non quæsiverint, sed fiduciam posuerint in opibus suis, in labore manuum suarum, & terram sibi ut hæredibus ad hoc subditam esse putaverint.

B. Adhortatio prophetica Sacerdotum ad preces, à vers. 13. ad 18. & in precibus præitio, ℣. 19. 20. Hæc pericopa continet tria.

1. Vocat sacerdotes ad id, quod ipsis conveniebat in tali tempore facere, nempe,

(a.) ut se ipsos humilient coram Deo, ut quibus conveniebat peccata populi ferre, & pro se quoque orare. Causam impulsivam reddit, *defectum oblationum*, tanquam symbolorum gratiæ. Ubi enim symbola gratiæ cessant, ibi ap-

 paret,

paret, desiderari id, quod ante ea præsupponitur, nempe fidem Testamenti gratiæ, & veram humiliationem.

(b.) ut populum congregent in cœtum, in quo Seniores & incolæ terræ conveniant; confer Esr. 10 : 5.7.8.9. & *jejunium indicant*, & quidem cum cessatione ab omni opere, quò precibus & agendæ pœnitentiæ commodiùs unanimes vacare possint. Invocare autem Deum debebant, ut olim Moses, Num. 14 : 17. 18. fiduciâ cùm nominis ipsius, tum fœderis ipsius. Nam dum eum *Deum Israëlis* appellat, fœdus commemorat; quo promisit, se Abrahamo & semini ejus fore in Deum. quod in Christo præstitum est.

2. Suadet talem humiliationem ab opportunitate; quia hic dies sit valde ominosus, & portendat graviorem diem Domini imminentem, quâ calamitas & *vastitas*, id est, generalis destructio politiæ & urbis & terræ à Deo omnipotente veniat. Id arguit ab enormitate mali, quam ostendit à defectu cibi & lætitiæ à domo Dei, in qua finis sacri cultûs consistit; item à sementis & annonæ interitu; denique à defectu pabuli boum, atque etiam ovium; quæ tenuissimo victitant. Respicit Propheta ad dicta Legis, Lev. 26 : inprimis ℣. 19. 20. & seqq. & magis Deut. 28 : 38—41. & ℣. 45. & seqq.

3. Præit in precibus. Atque ostendit inter causas impulsivas etiam hanc, quòd bestiæ destitutæ pabulo glocitent ad Deum, qui ipsis hunc instinctum indidit; atque ita exemplum præbeant hominibus ratione præditis imitandum.

C. Divina adhortatio ad pœnitentiam. Cap. II. ad ℣. 18. Hic Deus

1. Explicat propositum suum, & sermonem Prophetæ inprimis cap. 1 : 15. approbat, à ℣. 1. usque ad 12. Est in his

(a.) Præfatio jubens præconium rei denunciandæ cum tubis & fragosa voce ad incutiendum terrorem omnibus incolis terræ.

(b.) Propositio, asserens, *Diem Domini esse prope*. Intellige, Diem excidii reipublicæ Israëliticæ, quod futurum erat in *ἐπιφανείᾳ τοῦ Κυρίου*, non longè abesse. Et hoc est, quod dicit, *Diem Domini fore diem tenebrarum*. Talem fore diem Christi, apparet ex Deut. 29 : 19. 20. & 30 : 15. 18. 19. Denique 32 : 21. Sic Lev. 26 : 42.43. Ubi recordationi fœderis subjungit desertionem terræ. Quod autem vers. 2. colo 2. dicit, *Dies nubis & opacitatis, ut aurora expansa super montes*, potest intelligi, quòd erit ille dies lucis in gentibus multis, & simul dies nubis impiis. Ut eâdem columnâ nubis illuminavit Deus noctem Israëlitis, & fecit tenebras & fulgura & fulmina Ægyptiis. Adde Es. 5 : 30.

(c.) Confirmatio à magnitudine plagæ locustarum, tanquam signi præcedentis. Intellige à magnitudine ductum argumentum & simpliciter, & comparatè; quòd nempe excedat omnes plagas antecedentes; & quòd par non erit. Ergo erit ultima præmonitio in isto genere. Potest igitur hæc præcedens cum ultima plaga comparari, ratione similitudinis 1. exercitûs militaris in specie equestris, in cursu, in strepitu simili curribus & igni: in numero, in effecto, pallore hominum & populorum, in murorum invasione, in ordine, in animositate, in discursitatione per urbem, muros, domos, tum palam tum clam. vers. 4—9. Per hæc innuitur, talem exercitum esse exspectandum in die Domini, qualis hic est, & hanc plagam ipsâ similitudine hostilem invasionem portendere. 2. ratione similitudinis effectûs in cœlo, terra, & sideribus. *Coram ipso*, exercitu Dei, *contremiscit terra*, id est, præsentia hujus exercitûs facit, ut homini videatur cœlum concuti, terra contremiscere, sol & luna obscurari, stellæ lucem suam contrahere.

bere. Nam & ſiccitas comitans plagam locuſtarum terram facit rumpi, & fames conſequens aſpectum cœli facit injucundum. Id portento eſt, venturum aliquando diem, quum per exercitum Dei cœlum quaſi convolvatur, & ſol & luna ac ſtellæ obtenebrentur, quum ſcilicet abolebit priſtinam illam faciem regiminis populi per principes & terrena elementa ſæculi prioris; & quum illi, qui lucere debebant in populo Dei, non lucebunt, & ſine auctoritate ac ſine luce ſanæ doctrinæ erunt.

(d.) Concluſio, quòd Deus *vocem ſuam ediderit ante exercitum ſuum*, id eſt, quòd hæc plaga ſit tanquam clara vox irrefragabiliter teſtificans adventum exercitûs Domini.

2. Suppeditat conſilium, à verſ. 12. ad 18. In hac pericopa obſervanda

(a.) oppoſitio ad præcedentem ſententiam. ℣. 12. *Et etiam nunc* valet *At nihilominùs*. q. d. Licet hic exercitus Domini ſit prænuncius diei Domini; tamen eſt locus pœnitentiæ & precibus, neque illa carebunt fructu.

(b.) auctoritas. *Dixit Dominus*. Deo auctore cum fiducia preces fiunt.

(c.) præceptum duplex, *Converſionis & Orationis publicæ*. Converſionis natura eſt, quòd ſit *converſio ad Deum*, ſcilicet ut finem, ut bonum, ut Dominum & conſervatorem, ut exemplar, cui aſſimilemur, ut unionem & communionem cum ipſo habeamus. Id verò poſt peccatum opus eſt fidei amplectentis Chriſtum, & per eum Deum ut ſummum bonum. Ejus modus, *ex toto corde*. id ſecundùm captum hominis peccatoris ſignificat, ſine claudicatione & hypocriſi. Opponuntur δίψυχοι, *duplices corde*. Tales Judæi, deſtruentes quidem *celſa*, ſed altari, ut altari *celſi*, id eſt, ſine fide unici mediatoris, utentes. Signa hujus converſionis ſunt, *cum jejunio & fletu & planctu*. Præeunte converſione cordis hæc ſunt bona, non ut ſatisfactiones aut merita, ſed ut ſigna veri zeli & veræ humiliationis, ut & proximus ædificetur. *Lacerate cor veſtrum & non veſtes*. ℣. 13. Quando ea, quæ conjungenda ſunt, ab hominibus ſeparantur, ſolet Scriptura meliorem partem eligere, & minorem quaſi abſolutè rejicere; ſcilicet in tali ſeparatione. Vide etiam Hoſ. 6:6. Laceratio veſtium facta erat res ſtatuti apud Hebræos & in morem verterat. Deus non vult ſe coli conſuetudinibus, præcepto humano introductis, & κατ' ἀφοσίωσιν uſurpatis. Converſionis laus apud Deum quæritur, non apud homines. Eſt & in hoc verbo prophetia. Cajaphas, auditâ confeſſione Chriſti, lacerabat veſtem; quaſi audiviſſet blaſphemiam. Eum oportuerat potiùs cor ſuum impœnitens lacerare, id eſt, colligationem pravarum ratiocinationum & concupiſcentiarum rumpere, & rationibus, quæ adverſus peccatores ſunt, mollire, damnare ac terrere. Fons hujus lacerationis cordis eſt *reverſio ad Jehovam*. Hujus præcepti adducuntur rationes à Dei attributis, verſ. 13. Quia 1. *Gratioſus*, id eſt, talis, qui dat gratis, ſine ullis noſtris meritis. 2. *Miſericors*, id eſt, qui habet & ſufficientiam & voluntatem dandi peccatoribus Sponſorem & Pontificem ad demonſtrandum juſtitiam ſuam, ut peccator cum gloria Dei fiat juſtitiæ & vitæ æternæ compos. Non novit Scriptura aliam miſericordiam præter eam in Chriſto. 3. *Longanimis*. (*a*.) circa eos, quos vult perire. (*b*.) circa eos, quos vult ſalvare. In illis terrorem, in his ſtudium pœnitentiæ, & ſpem de ſemine, quod datum eſt Chriſto ſervandum, excitat, quæ ſpes facit, ut non obtorpeſcamus in bono opere. 4. *Multus charitate* ſive *ſtudio* erga eos, qui diligunt ipſum, ut nunquam deſerat eos, & cumulet omnibus bonis. 5. *Pœnitens mali*, id eſt, ita tollens peccati pœnam ab iis, qui reſipiſcunt, quaſi nunquam extitiſſet lex aut

verbum Dei peccatoribus pœnam interminans. Verf. 14. additur ufus confiderationis virtutum Dei, Præfumtio etiam boni temporalis retinendi aut confequendi per pœnitentiam; oppofita Defperationi & abnegationi malignæ.

Sic demum pœnitenti datur fiducia orandi & invocandi Dominum. Nam fine pœnitentia preces Deo non placent. Imò pœnitentiæ pars præcipua eft, Deum *ἐπιφωτεῖ* & ut Patrem invocare. Modum verò publicæ fupplicationis defcribit verf. 15. 16. à perfonis. verf. 17. à loco. Is *inter altare & porticum*, fcilicet templi, id eft, proximè ante templum, affignatur Sacerdotibus. Figura illa eft populi exfpectantis apertionem aditûs cœli & veli ablationem per facrificium Chrifti. Nam corpus Chrifti, quamdiu id fub lege erat, velum erat. Ratio movens, quòd fint *miniftri Dei*, inftituti à Deo cum promiffione. Objectum orationis *Dominus*. Oratio præfcripta petit, *ut parcat populo fuo*. Secunda ratio fiduciæ eft, quòd fit *hæreditas Dei*, id eft, peculium electum. Ita populus propter partem meliorem appellatur. Peculio Dei non convenit tradi in opprobrium, quia eft *opus Dei ad gloriandum*. Ef. 60: 21. Tertia ratio eft in deprecatione *dominii gentium*, quod cum blafphematione & perfecutione nominis Dei conjunctum eft.

Nota, in hac deprecatione patere, cur Locuftarum agmina pro anteambulone exercitûs gentium habeantur.

II*da* *Pars* continet promiffionem benedictionum corporalium, à ℣. 18. cap. 2. ad ℣. 23. ejufdem capitis. In his eft,

1. Indicatio caufæ benedictionis, verf. 18. *Et zelavit* quidem *Dominus pro terra fua*, in deportatione Babylonica, quâ Deus denudavit terram habitatoribus, ut oftenderet, eam terram à populo effe profanatam; quam tamen ipfis dederat, ut in ea omnem veritatem & gratiam fuam explicaret; fed & *condoluit populo fuo*, tum confervando reliquias, tum mirabili modo per reges Perfarum reftituendo ipfis & terram & templum & urbem, tum verò maximè adjungendo corporalibus benedictiones fpirituales.

2. Addictio boni corporalis, illuftrata

(a.) à remotione contrarii in pofterum, verf. 19. Nempe promittit populo fuo, id eft, Ifraëlitis in fœdere ftantibus, ubertatem & fatietatem; ita, ut non folo pane, fed verbo Dei vivant. Negat autem defertionem in pofterum, *ut fiant opprobrium in gentibus*. quod intelligendum eft relatè ad illud tempus, quo adhuc habiturus erat Deus populum in Ifraële.

(b.) à fublatione mali, verf. 20. Promittit *amotionem Aquilonaris*, quem ut exercitum confiderat, cujus *προφύλακας* in mare anterius, *τοὺς ὀπισθοφύλακας* in mare pofterius fit conjecturus. Locuftarum exercitus ita auferri folent. Exod. 10: 19. Affimilat autem hic Exercitûs abolitionem abolitioni Locuftarum, quemadmodum fupra Locuftas Exercitibus & populis comparaverat. Nam cur locuftas *Aquilonarem* diceret, cùm ab Auftro magis, id eft, à calore, quàm ab Aquilone, id eft, ex frigore veniant, nifi fub Locufta Affyrios & Perfas intelligeret? Illi *προφυλακία* & antecedens, hi *ὀπισθοφυλακία* & fubfequens. Primum, nempe Affyrium & Chaldæum Imperium Oriens abforpfit, Medus fcilicet. Secundum, nempe Perficum, Occidens rapuit; id eft, regnum Græcorum. *Fœtor* & *putor* eft memoria fœda & damnata in fæculis; ita ut quivis homo judicium Dei in illis approbet.

Verf. 21. *Ne timeas terra*, à bellis Syrorum & Ægyptiorum, fed *gaude*, in motu ad bonum; imò *lætare*, in poffeffione ejus boni, nempe victoriæ; *quia Jehova magna fecit.*

ficit. Intellige magna opera, quæ fecit in die Angustiæ per Maccabæos. Quamvis autem diem illum Angustiæ sub Antiocho secutum sit tempus, quod ob Prophetarum penuriam, dominantium libidinem, sectarum varietatem, traditionum importunitatem, verè pecuinum possis appellare, cùm non conversi sint ut *pecudes agri*, ℣. 22. tamen & has consolatur Deus, ipsis non defuturum cibum, quo satietas ipsorum impleatur, antequam Christus veniat. Sed cùm & his permixtus esset cœtus justorum, qui bonis istis terrenis satiari non poterant, ideo

III. Subjungit promissionem de benedictionibus spiritualibus: suntque

1. Datio veri Doctoris justitiæ; quem lex promiserat, Deut. 18:15. nimirum Christi, usque ad Cap. III. Hic

(a.) Verum gaudium denunciatur *filiis Sion*, opposité ad pecudes agri, & illud quidem in objecto suo proprio & adæquato, nempe *Domino Deo suo.* Quod gaudium tum demum verè & sincerè habet locum, ubi impletur promissio, & ubi Deus nomen suum manifestat; sicque plenè satisfacit spei fidelium Veteris Testamenti.

(b.) Donum Dei, Doctor ad justitiam datus significatur. *quia dedit* (id ad promissionem & spem Patrum spectat, quò & articulus ה respicit) *vobis Doctorum illum* promissum, Deut. 18:15. *ad justitiam*, id est, ut purgationem peccati faceret in sanguine suo, & accusationem legis ac consequenter servitutem legis ceremonialis tolleret. *Justitia* enim reatui & accusationi opponitur, ubi de peccatore sermo est.

(c.) Ei adscribitur omne donum terrestre, cum abundantia. vers. 23. colo. postr. *qui fecit* (ויורד. Hic ו, ut sæpe, est relativum, ne repetitio ubertatis datæ sit supervacanea) vobis *cadere pluviam primam & serotinam*. Adde Hos. 2:10.

Nota hîc circumstantiam adventûs Christi, in abundantia. Jam præteriit illud tempus. Igitur impossibile est, ut non venerit.

℣. 25. Promittit *compensationem annorum*, *quibus Locustæ & alia animalia noxia voraverunt*. Possumus hîc subintelligere omnia mala ab hostibus illata. Compensatio autem illa non est tantùm in fructu terreno, sed & in datione Doctoris ad justitiam; & quòd filii Sionis non pudefient ampliùs. quippe omnis afflictio ipsis in gloriam cedet in posterum.

℣. 26. Promittit *esum ad satietatem*. Quod in veritate impletum est, cùm panem vitæ Christum comederunt. Nam & majores eorum saturati fuerant pane: sed & hoc ex effectu sive fructu donatæ justitiæ adstruitur. Nam

(d.) Fructus justitiæ indicatur, glorificatio Dei, & cessatio pudoris populi Dei. *Et celebrabitis nomen Domini Dei nostri*, id est, annunciabitis virtutes ejus, & veritatem manifestationis perfectionum ejus secundùm id omne, quod est & promisit se futurum. Vide istud nomen cap. 2:13. Hoc ipsum ex ratione addita patet. *Quia Deus fecit vobiscum ad miraculum usque.* Supra spem & opinionem magna & incomprehensibilia cum ipsis operatus est. Majus hic necessariò, quàm in Mose, intelligendum est. Sine eo Christus par Mosi non fuisset. Sunt autem 1. incarnatio. 2. nativitas. 3. sanatio & multiplicatio populi, ejusque vindicatio in mediis hostibus. 4. obedientia. 5. resurrectio. 6. ascensio in cœlum. 7. effusio Spiritûs Sancti. 8. recollectio populi ex Judæis & gentibus, & eorum conservatio à mundo.

℣. 27. *Et cognoscetis*, experimentaliter, nam evidentibus documentis ejus rei fidem faciam, *quòd in medio Israëlis sim Ego* tanquam frater; *& Ego Jehovah Deus vester*,

ster. hic veritas unionis Dei cum Ecclesia, & manifestatio fœderis. *Et non sit prætereа*, supple, Deus, Servator, Justitia & Vita Israëlis; *Et non pudefiet populus meus in sæculum.*

Nota hæc corollaria.

1. Ubertas illa, vers. 25. & 26. non tam terreno, quàm spirituali modo intelligi debet, ut per quam non cognoscatur experimentaliter, quòd Deus in medio Israëlis sit.
2. Filium Dei esse incarnatum, ut qui in medio Israëlis versatus sit.
3. Eum esse Deum, & unum cum Patre, ut in quo Deus ostenderit, non esse Deum præter se.
4. Judæos, quando credunt, Messiam esse hominem merum, seque justificari per opera legis, etiam ceremonialis, apud Deum, non cognoscere, quòd Deus sit, & nihil præter ipsum.

2. Effusio Spiritûs Sancti in omnem carnem ad multiplicationem prophetiæ, sive evidentiam verbi Dei, Cap. III. ℣. 1. 2. *Et erit post illa.* Postquam scilicet illa omnia hactenus prædicta facta fuerint, quorum ultimum fuit, quòd Doctor sit datus ad justitiam, & eo dato evidentibus documentis sit fides facta, *Deum esse in Israële*, atque eum esse omnia; tum consequenter *effundam Spiritum meum.* Id non simpliciter de Spiritu filiationis & gratiæ & precum accipiendum est, (de eo enim jam actum erat in verbo: *Et cognoscetis*, &, *non pudefient*, cap. 2: 27.) sed de miraculosa effusione Spiritûs charismatum: quæ certi temporis est, & argumentum est dati Christi & Spiritûs filiationis, & revelatio regni Dei & medium perficiendi prophetiam, ut illa in posterum sit ordinaria apud Ecclesiam. *in omnem carnem*, citra distinctionem tribuum, (ut olim Leviticæ) ordinis, (ut Sacerdotum & Levitarum & antistitum populi) & gentium, ut & rituum sive legis.

Historia. Verificatum id primò in Cornelio, & quidem præputiato. Act. X. XI. & XV.

Coroll. Continet ergo hoc testimonium abolitionem Legis Ceremonialis & Circumcisionis, dum promittit, se effusurum Spiritum in omnem carnem.

Et prophetabunt. Id partim est aliquid extraordinarium, cujus etiam exemplum, in filiabus, sunt filiæ Philippi, Act. 21: 9. partim aliquid ordinarium. Nempe plena erit revelatio verbi Dei, adeo ut omnis fidelis attentè legens Scripturam, & eam intelligens, non aliter se habeat, ac si visiones videret; nec erit necesse, ut quis eos aliquid doceat præter illud, quod ipsos verbum illud docturum sit. In Novo Testamento Prophetæ dicuntur & προφητεύειν, qui Prophetarum verba interpretantur. *& somnia somniabunt, & visiones videbunt*, cùm, quæ Prophetis olim per insomnia & visiones fuerunt revelata, ipsi in factis impleta intelligent, *filii*, *filiæ*. Non erit, ut olim, aliud jus maris, aliud fœminæ. Erat enim circumcisio maris. Fœmina per tempus habebatur impura; *juvenes*, *senes*. Olim Patribus, id est, Senioribus subjiciebantur juniores. *Servi*, *ancillæ*. Olim quidem omnes erant servi; serviebant enim umbris; sed, comparativè loquendo, quidam erant *liberi*, quibus alii subjiciebantur. Sic toti Israëli subjecti erant gentiles, ut Cananæi, tanquam servi. Gibeonitæ à Josua erant servitio mancipati. Et gentes ab interiori aditu sanctuarii arcebantur. Præ vulgo Israëlitarum erant Sacerdotes & Levitæ, quilibet in suis ministeriis, in quibus subjiciebantur illis Israëlitæ. Sacerdoti summo subjiciebantur omnes. Jam servitus ista Ecclesiastica erat tollenda.

Confer

Confer hîc Gal. 3 : 28. Ef. 54 : 13. Jer. 31 : 33. 34.

3. Significatio diei Domini advenientis. verf. 3. 4. *Et dabo ſigna* confirmantia fidem, (hæc diſtincta à reliquis prænunciis diei Domini, id eſt, judicii in incredulos) *in cœlo*. Tale ſignum fuit aſcenſio Chriſti in cœlum. *& in terra*. Talia fuerunt miracula patrata ab Apoſtolis. Et præterea Joſephus memorat oſtenta, quæ præceſſerint excidium populi : *ſanguinem* martyrum fuſum pro nomine Chriſti, qui etiam *teſtis* axiomate ornatur, 1 Joh. 5 : 8. tanquam effectus Spiritûs Sancti. *& ignem*. Is eſt omnis manifeſtatio iræ Dei, vel zelus, aut conſumtio; *& palmas fumi*. Ea ſunt incendia, qualia in bellis fieri ſolent. *Sol vertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem*. Poſſunt iſta triſtitiam temporum ſignificare. Speciatim tamen notant obſcurationem doctrinæ in Eccleſia, & ſævitiam principum ſive tyrannidem; *antequam veniat dies Domini magnus* ille *& terribilis*. Judicium venturum ſignificatur, tum in omnes infideles in ultimo Chriſti adventu, quo veniet ad reddendum unicuique ſecundùm opera ſua; tum in notione ſpeciali, & quoad partem ejus illuſtriorem, in Judæos, qui in exemplar reliquis hoſtibus Chriſti & Eccleſiæ primi punientur. *Dies domini* ſignificat abolitionem tranſeuntium ad ſtabiliendum regnum libertatis æternum.

4. Conſervatio reliquiarum in die Domini. verſ. 5. In hac pericopa innuit,

1. In toto mundo, atque adeo in ipſa terra ſive populo Iſraëlitico fore deſtructionem magnam, propter rejectionem Chriſti ipſis prædicati, tum per pœnas corporales, tum inprimis ſpirituales.

2. Fore tamen, qui effugiant pœnas ſpirituales, ſicque etiam mortem ſecundam, præſervatos; tum etiam qui afflictionibus iſtis temporalibus non abſumantur. Idque fore *ſecundùm dictum*, id eſt, decretum *& promiſſionem Domini*. Qui ſcilicet in libro ſcripti ſunt, ſervabuntur.

3. Illos *præſervatos* & *effugientes* fore partim in Sion & Hieroſolymis, partim *in ſuperſtitibus*, id eſt, ſupplemento ſeminis.

4. Medium hujus conſervationis ex parte Dei fore *vocationem*, non tantùm ſcilicet per verbum, ſed inprimis per Spiritum, id eſt, eâ efficaciâ, quâ vocat ea, quæ non ſunt, ut quæ ſunt; ex parte verò ſervatorum *profeſſionem*, & *invocationem nominis Domini*: (confer cap. 2 : 26.) quæ invocatio non eſt niſi in Chriſto; namque alibi prophetæ docent, fidem Chriſti eſſe medium ſalutis. Hab. 2 : 4. Eſ. 53 : 11.

NB. Invocatio Domini ponitur ut ſignum libertatis à jugo ceremoniarum. Nam cur eas non nominat? Et in profeſſione nominis Domini involvitur manifeſtatio præmiſſa virtutum nominis Dei. Et ſic perinde innuitur ablatio jugi.

IV. *Pars* hujus prophetiæ denunciationem continet judicii in gentes, ad reſtitutionem Eccleſiæ in integrum. Cap. 3 : 6. ad finem. In his eſt

1. Propoſitio utrumque complectens, ℣. 6. 7. 8. Ea complectitur quatuor membra, ſecundùm rerum ipſarum naturam ſic ordinanda.

(a.) Quibus injuriis gentes afflicturæ ſint Eccleſiam? Hic notandum 1. Subjectum recipiens, ℣. 7. *Populus Dei*, id eſt, Eccleſia Chriſtiana, omnes credentes. Id latius eſt, quàm *Iſraël*, *hæreditas Dei*. Ii enim ſunt partim ipſi Iſraëlitæ, partim השרידים ſuperſtites, qui ſecundùm carnem non ſunt ex Abrahamo vel Iſraële, & quidem ii, qui ſunt *hæreditas Dei*, id eſt, electi. *Terra Dei*. Ea hîc intelligitur tum terra Iſraëlis, in qua regnum Dei primitùs fuit manifeſtatum; tum locus, in quo Eccleſia fuit collecta, & ſic omnis populus, qui à Deo & Chriſto unquam fuit denomi-

nominatus, ex quo Ecclesia fuit ejecta. 2. Ipsæ injuriæ. *Populum Dei*, & in eo *Israëlem*, *hæreditatem Dei dispergere in gentibus*, id est, exturbatos & profligatos redigere ad angustias, & impedire eorum cœtus ad celebrationem nominis Dei. Deinde, *terram Dei partiri*, id est, tanquam suam hæreditatem adire & partitim occupare, ut qui olim à Dei & Christi nomine nuncupabantur, nunc aliena possessio fiant. Tertiò, *super populo Dei jacere sortem*, id est, Ecclesiam Christianam redigere in servitutem, & subjicere illam Dominis, quasi sortitò. Quartò, *vendere puerum pro meretrice*, & *puellam pro vino*, & *bibere*, id est, in gratiam meretricis magnæ, & propter consensum cum ea vel ejus terrorem, & propter fruitionem voluptatum damnare, expellere, & à pace excludere eos, qui ab Ecclesia sunt nati; sed præterea sunt imbelles, ut puer & puella.

(b.) Quid Deus sit acturus cum gentibus? Id est triplex. 1. *Congregare gentes*, id est, rem ita dirigere ac disponere, ut Associentur gentes in unum sensum, & imperium ac legem unam, & fœdus; ut constituant unum distinctum populum adversarium Ecclesiæ & ab ea secretum. Præsupponitur hîc ingressus gentium in Ecclesiam Dei, scilicet per professionem nominis Christi, & articulorum fidei, jam antea declaratus per hæc: *Terram meam diviserunt*, *super populo meo jecerunt sortem*. 2. *Facere, ut descendant in vallem Josaphat*, id est, ut consilium suscipiant & expeditionem contra Ecclesiam ab ipsarum communione segregatam, quemadmodum Moabitæ, Ammonitæ & filii montis Seïr susceperant; & ingrediantur terminum Ecclesiæ, quemadmodum isti ingressi sunt Judæam & pervenerunt usque ad *vallem Benedictionis*, tempore Josaphati. 2 Chron. 20. 3. *Disceptare cum ipsis*, id est, eas committere inter se, ut se mutuò oppugnent & consumant vires suas: & hoc facto contestari cum ipsis litem, quòd injustè infestent populum ejus, donec cogantur ei gloriam dare.

(c.) Quid præstiturus sit Ecclesiæ? vers. 6. *Restituam captivitatem Judæ* & *Hierosolymæ*, id est, restituam in integrum. Ecclesiam oppugnatam partitur in duas quasi partes. quod & alibi fit.

(d.) Quando? *In diebus illis*, & *in tempore illo*, *quo restituam*, *congregabo*. Sensus: Quum venerint dies illi & illa opportunitas, ut regnum meum in integrum restituam, tum hoc erit antecedens & certum signum ejus, quod ego molior; Congregabo gentes, & eas sinam eò usque venire, ut Ecclesia nullas habeat vires, Deut. 32: 36. quemadmodum Josaphat nescivit, quid faceret. 2 Chron. 20: 12.

2. Exergasia duplex:

Prima judicii. Ea habet

(a.) Actionem cum Tyro, Sidone & Palæstinis. vers. 9.--13. In his est 1. Expostulatio, vers. 9. 2. Accusatio, vers. 10. 11. 3. Comminatio, ℣. 12. 13. *Tyrus* solet in prophetiis significare ἀντονομαστικῶς Tyro metropolin gentium Romam. Et fuit tempus, quo Papa etiam Rex Tyri & Sidonis dici potuit.

Historia. A. C. 1096. suscepta est expeditio principum in terram sanctam, auctore Papâ, tanquam præcipuus actus religionis. A. 1110. capta est Sidon. A. 1124. capta est Tyrus. A. 1227. Fridericus Barbarossa in Palæstinam movet. A. 1253. Sidonem capit Soldanus Damasci & Soldanus Ægypti. A. 1260. Sidonem emunt Templarii. A. 1291. Tyrum relictam à Christianis, captâ Ptolemaïde, occupant Sarraceni. Hinc liquet, quo tempore, etiam secundùm literam, Papa Rex Tyri

Tyri dici potuerit, & principes, qui dispositionem rerum Ecclesiæ habuerunt in Occidente, Tyrii.

Expostulatio habet interrogationem. 1. de ipsorum jure ad communionem cum Deo: *Quid vos mihi?* Quæ est vobis mecum affinitas & communio; quòd vos geritis pro Christianis & populo meo? & quòd vultis videri mei vindices, in repetenda terra sancta? Atque ita literaliter & mysticè terram meam vindicatis? Est q. d. nunquam novi vos. 2. de ipsorum gratitudine. *Nunquid meritum vos mihi rependitis?* pro eo scilicet, quòd mortuus sim extra Hierosolymam, ut vos eatis ad Palæstinam recuperandam pro hæreditate, cùm ego vos liberaverim à servitute terrenæ hæreditatis? 3. de ipsorum merito. *Et an vos benè meremini de me?* An hæc sunt opera vestra meritoria, quibus me obligatis ad reddendam mercedem? Id tum ad reliqua opera meritoria applicari potest, tum inprimis ad opus vindicandæ terræ sanctæ, quod pro actu maximè religioso habitum est.

Subjicit damnationem & denunciationem retributionis justæ cum Sarcasmo, in fine vers. 9. Ea justificatur 1. ab idololatria contra secundum præceptum: *quòd Dei præstantissima in templa sua intulerint*, id est, quòd templa ædificaverint & dedicaverint Deo, Angelis & Sanctis, cum Imaginibus & Altaribus, & *χημάλια* Ecclesiæ converterint in cultum idololatricum. scilicet Christum & justitiam ejus, verbum Dei, sacramenta, &c. vers. 10. 2. à venditione filiorum Ecclesiæ. ℣. 11. *Et vendidistis filios Juda & Hierusalem filiis Græcorum.* Filios Ecclesiæ tradiderunt educandos & imbuendos doctrinâ Aristotelicâ potiùs, quàm Spiritûs Sancti, ut ita longè amoverentur à limite suo, id est, à veritate religionis Christianæ. Huc faciunt ordines Monachorum. Nam Monachatus doctrina gentium est. quæ Gallos Cybeles sacerdotes volebat esse *ἀνόχους*, & virgines Vestæ. Quid? Annon tota Hierarchia inventum est filiorum Græcorum. Considerentur sacerdotia Græcanica & Romana. Ovum ovo similius non est.

Notandum est, quòd circa tempora superiùs annotata Scholasticorum syrmata sint adinventa, & Inquisitio ac Persecutio Waldensium fuerit acta. A. C. 1160. cogniti sunt Waldenses. Circa A. 1170. floret Gratianus, Lombardus & Petrus Comestor. A. 1208. Bellum contra Albigenses & Tholosanos gestum. Principes & Magistratus tradebant Waldenses Monachis ad libitum excarnificandos. Nobilis inter illos est in historiis Corradus quidam Marpurgensis Inquisitor sævus, qui à nobilibus trucidatus est A. C. 1234. sub Friderico Barbarossa. A. 1253. Sorbona instituitur. A. 1259. floret Albertus Magnus Scholasticorum Pater.

Comminatio vers. 12. 13. continet talionem. *Excitabo illos ex loco, quo illos vendidistis.* Habebat Deus inter venditos illos electos; quos non tam ex loco, quàm ex statu ignorantiæ & servitutis hominum Deus se excitaturum promittit, ut deserant ipsorum communionem & servitutem illam ac tyrannidem conscientiarum excutiant.

Historia. Id fecerunt Wiclefi & Hussi discipuli, & qui deinceps secuti sunt.

Quod autem dicit, futurum, ut *filii Judæ vendant Tyrios illos Sabæis*, id ita intelligendum est, quòd, separatione filiorum Dei ab illis factâ, filiis Sabæorum sive Arabum, unde Muhammed, tradentur illi, qui in errore versantur, id est, Sarracenis & Turcis.

Historia. Ita factum post persecutionem Waldensium; magis adhuc Hussitarum. Et quid adhuc futurum sit, Deus novit.

(b.) Promulgationem belli gerendi contra Ecclesiam, & quidem duplici tempore.

1. Per occasionem prædicati Euangelii. verſ. 1. 2. 3. Cap. IV. cum eventu defensionis Ecclesiæ per Angelos. In his est

(α.) Celeusma ad Ecclesiam directum. verſ. 1. 2. Jubet autem aliquam prædicationem, & indictionem belli, & contemtum hostium, & fiduciam ac præparationem ad resistendum hostibus. *Prædicate hoc*, quod nempe Propheta hactenus explicavit de Christi justitia, de nomine Dei, de salute invocantium nomen Domini, de Antichristo sub nomine Tyri &c. indicato, & de ejus peccatis: inter alia, quòd filios Ecclesiæ vendiderint filiis Græcorum, & quòd nihilominùs illi sint è locis suis, nempe Monasteriis & Scholis, prodituri.

Historia. Hæc prædicatio facta est per Wiclefum, Hussum, & alios consecutos.

Sanctificate tali prædicatione *bellum*, partim directè, quia est reprehensio Antichristi, partim indirectè, quia præbet Antichristo occasionem persequendi Ecclesiam. *Excitate fortes*. Ne timeatis prædicatione & reprehensione vestrâ in vos irritare *fortes*, id est, Tyrannos, qui conscientias in captivitatem redigere satagunt. Contemtum autem apparatûs bellici insinuat his verbis: *Accedant*, *ascendant*. q. d. Quid timetis? Sinite, ut ascendant. Vos tantùm prædicate. *Cudite ligones vestros in enses, & falces vestras in lanceas*. Et erunt vobis animi ad resistendum persecutoribus, hastis & gladiis.

Historia. Ita factum est à Waldensibus Tolosanis, ab Hussitis in Bohemia, à Waldensibus in Gallia, qui tempore Francisci I. à Minerio excisi sunt, à Germanis, à Gallis, à Belgis, & qui laborantibus nuper succurrebant.

Debilis, qui pugnare armis non potest, *dicat*, *Heros ego sum*, fortiter accedat ad tormenta & passiones.

(β.) Provocatio gentium. verſ. 3. colo 1. *Cogimini in unum & venite circumquaque*. Non est approbatio, sed provocatio. q. d. Dei consilium est, id hostibus permittere, ut coëant in unum, & accedant ad exscindendum professores veritatis, ut demonstret, eos tamen nihil posse contra Dominum.

Historia. In Concilio Constantiensi id factum: Et hactenus in eventu apparuit, eos non potuisse professores veritatis opprimere.

(γ.) Indicatio eventûs: *& congregatæ sunt*. Loquitur tanquam in re præsenti.

(δ.) Precatio Ecclesiæ. *Illò fac ut descendant*, *Jehova*, *Heroës tui*, id est, Angeli, ad hostes coërcendum. quod & factum est.

Legatur Æneas Sylvius de bello Hussitico, & alii, qui de ea materia scripserunt. Exitus belli Germanici à Carolo V. gesti, & Gallici contra Hugenotos, & Hispanici contra Belgas similis fuit, ut vel in pacem, vel saltem in inducias terminarentur, superiori sæculo & hujus initio.

2. ad judicium. verſ. 4---7. Hic est

(α.) Celeusma generale, sive propositio, verſ. 4. Cujus summa hæc est. Quum Deus primâ vice compescuerit motus bellicos contra Ecclesiam, Angelis Dei

Dei ipsam defendentibus; supeesse tamen aliud tempus, quo judicium de gentibus agetur. Et hujus rei hunc esse ordinem. *Excitatum iri* gentes, *& ascensuras*, scilicet in latitudinem terræ, in ipsam terram Ecclesiæ, & perventuras usque ad *vallem Josaphat*, id est, quemadmodum Moabitæ, Ammonitæ & filii Seïr longè processerunt intra terminos tribûs Judæ, ita progressus magnos facturos esse hostes Ecclesiæ Reformatæ; sed illos progressus in judicium ipsarum cessuros. Generalitas significatur per ista: *Omnes gentes circumquaque.*

(β.) Exergasia per partes: quæ sunt

1. Castigatio Ecclesiæ per messem & calcationem torcularis, vers. 5. *Messis* dicitur destructio communis partis cujusdam Ecclesiæ, quæ arvi speciem habet; hoc fine instituta, ut bona seges noscatur & à consortio ac quasi strangulatione malæ herbæ sive zizaniorum liberetur.

Deus novit exitum eorum, quæ incepta sunt.

Calcatio torcularis significat effusionem sanguinis illorum, qui quasi fructus & germina hierarchiæ. Hæc enim per vitem, sylvam vindemiæ, Arbores sive Nemora solet indigitari. Causa est abundantia malitiæ. ℣. 5.

2. Dies sententiæ proferendæ in hostes: cujus signa antecedentia, *Turmæ.* intellige cœtus Ecclesiasticos schismata facientes, quorum quivis in se prætendit impleri, quod dictum est Abrahamo: *Patrem turbæ gentium dedi te*; & turbas politicas sive respublicas, dissilientibus monarchiis; & multos exercitus aut inter se compugnantes, saltem non sociatos, aut etiam sociatos. Quemadmodum scilicet in valle Josaphati fuerunt Turbæ Ammonitarum, Moabitarum, filiorum montis Seïr, & Israëlitarum: ita hic. 2 Chron. 20. *Sol & Luna atrorem contraxerunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* vers. 7. Significatur plena obscuratio ordinis Episcopalis non tantùm extra Ecclesiam, sed etiam intra ejus pomœria; ita ut nihil vel parum ejus ordinis luceat: deinde & principum, ut ferè omnes à via aberrent, & cum Tyro scortentur.

Paulatim illa lux obscurata est 1. in Judæis. 2. in Christianis tertia pars. Apoc. 8: 12. 3. omnes.

Hæc circumstantia proximè præcedit opem Dei. *quum prope erit dies Domini in valle Sententiæ.* ℣. 6. f.

Secunda liberationis & restaurationis Ecclesiæ. vers. 8. 9. 10. (intermixto exitu gentium per Antithesin, vers. 11.) 12. 13. Possunt distinctè in hac pericopa membra quatuor observari.

(a.) Ecclesiæ purgatio & defensio: cum promissione conservationis & pacificationis in posterum. vers. 8. 9. *Et*, quum Sol & Luna obscurata fuerit, tum *Jehova ex Sione rugiet*, faciet audiri per præcones Euangelii vocem verbi sui fortem ac terribilem, non tantùm adversus eos, qui extra Ecclesiam sunt, sed etiam adversus eos, qui doctrinam & regimen in Ecclesia corrumpunt, sicque conantur Ecclesiam abducere ab ea libertate & veritate, ad quam Dei beneficio non sine multi sanguinis impendio pervenit. Effectus rugitus: *& commovebitur cœlum & terra.* Facies regiminis Ecclesiastici, quod non est secundùm verbum Dei, abolebitur. saltem intra Ecclesiam Reformatam. Connexum motûs: *Et Jehovah erit receptus populo suo, & arx filiis Israël.* Possunt distingui hæc, Erit receptus populo Christiano, & arx filiis Israël, quam scilicet apprehendant, id est, quòd convertet Judæos, ut arcem suam, Christum, apprehendant. Confer Deut. 32: 36. & seqq.

Verf. 9. Fructus operis Dei. *Et cognoſcetis, quòd ego Jehova Deus habitem in Sione monte ſancto meo*, id eſt, cognoſcetis meum erga vos amorem, & quæ ſit Sion, in qua habitem, & quòd ſim *Jehova*, præſtans meas promiſſiones, & quòd ſolus ſim *Deus*, abolitis iis, qui Dii eſſe volunt in Eccleſia; & quòd ſolus ſim omnia, præterea nihil. *Et Hieroſolyma erit ſanctum.* Sedes Dei purgata à falſis doctrinis & ſcandaloſo regimine.

Pacificatio in poſterum eſt in his verbis. *Et Alieni non invadent eam ampliùs.* Non miſcebuntur ampliùs Eccleſiæ, qui illam ſeducant à verbo, vel tyrannidem in ea exerceant.

(b.) Eccleſiæ benedictio. ℣. 10. *Et erit in die illo, montes* nulli inculti erunt & horridi, ſed *ſtillantes muſto*, culti, vinetis ovantes, & affluentes vino abundantiſſimo. *Colles* armentis præbebunt pabula, *& fluent*, abundabunt, *lacte. Lacunæ Judæ*, quæ ſolebant æſtu arere & fœtere, *ibunt aquis* perennibus. Quinetiam *ex Domo Jehovæ fons exibit, & irrigabit vallem Sittim*, aridam, ſterilem & infrugiferam; ita ut ipſa quoque fiat משקה *irriguum*, ut eſt de circulo Sodomæ, Gen. 13:10. intellige partem aliquam Eccleſiæ indigentem reſtauratione. Nam & vallis Sittim pertinebat ad terram ſanctam. Hoc certè κατὰ τὸ ῥητὸν intelligi non poteſt, de fluvio erupturo ex templo materiali ad hunc effectum. Nam templum materiale ibi non erit. Apoc. 21:22. Ergo templum ſpirituale, quod eſt Chriſtus ſanctificans, & Eccleſia, quæ ſanctificatur & inhabitatur. Clarum ergo eſt, Prophetam loqui de ſpirituali benedictione & fertilitate & emollitione durorum cordium, & fructu ſpirituali Eccleſiæ, qui fit ad ædificationem & conſolationem & vitam, minimè verò ad offendiculum, corruptionem & mortem; quemadmodum ſcilicet olim zizania in Eccleſia ſparſa erant, & offendicula & mors per falſas traditiones & expoſitiones introducta.

> Oportet noſmet ipſos hodie in hoc exercere, ut illa abundantia fidei in nobis reperiatur, quæ etiam aliis poſſit eſſe utilis, ut impleatur in nobis, quod Chriſtus ſecundùm has ſcripturas dicit, Joh. 7:38. 39. *Qui credit in me, ut Scriptura dicit, fluvii aquæ vitæ ex ventre illius fluent.*

(c.) Eccleſiæ vindicatio per hoſtium deletionem juſtam. ℣. 11. Duo populi hîc nominantur ſubjectum pœnæ, ut cauſa maleficii in opprimenda Eccleſia. *Ægyptus*, terra eximiæ & antiquis celebratiſſimæ fertilitatis. Regnum Papæ fertile eſt & uber. Ea tamen *in deſolationem erit.* Quemadmodum hactenus omnia regna Ægypti ſunt vaſtata. Pharaones, Lagidæ, Romani, Soldani, Chriſtiani principes & ordines, qui ad tempus aliquod in Ægypto tenuerunt, nihil ſunt. *Et Edom*, Judæi cum Idumæo affectu, nec non Turcæ, inter quos agunt frequentiſſimi, & qui eorum ſimiles ſunt in circumciſione, in lotionibus, in templi retentione, (habent enim primarium templum in monte Morija) in ciborum delectu: denique & ii, qui defecerunt ab Eccleſia Chriſtiana, & Jeſum Chriſtum non, ut oportet, agnoſcunt, ut Sociniani. Ii ubi convertentur, Edom *in deſertum vaſtitatis erit.* Falſi fratres, qui hoſtibus junguntur, & ſanguinem filiorum Judæ, qui reſpectu ipſorum hoſtium innoxius eſt, fundunt in terra ipſorum, videant cujus ſpiritûs ſint, & ad quem gregem pertineant. *Funditur ſanguis* ille, partim perſecutionibus & bello, partim omni oppreſſione, partim ſeductione eorum, *qui in terra filiorum Judæ* erant, id eſt, Eccleſiæ externæ erant adjuncti; partim traditione.

(d.) Com-

(d.) Compensatio vastationis, ignominiæ, & desertionis Ecclesiæ. vers. 12. 13. Hæc pericopa prò tribus malis ponit tria bona.

1. perpetua habitatio, idque in oppositione vastationis Ægypti & Edomi. *At Juda in sæculum habitabit.* plantabitur, congregabitur, pacata erit usque ad finem mundi.


2. Justificatio pro ignominia. *Innocentes declarabo. Quorum sanguinem*, quum funderetur propter nomen meum, *non habui* sive *tractavi pro innocente*, hoc est, quos tanquam impios sivi mactari. Ostendit Deus, se vindicaturum omnem sanguinem fusum propter nomen suum, & innocentiam servorum suorum, & illis redditurum mercedem suam, propter quam laborarunt, in fructu regni Dei.

Nota, hunc fructum ipsi habent, imò regnant, quando post pacationem Ecclesiæ, & omnium hostium coërcitionem, ipsorum nomen celebratur, quòd passi sint injustè, atque ipsi hostes id fatentur & agnoscunt, zelum suum non fuisse secundùm Deum.

3. *Divina inhabitatio* pro desertione. Id quidem in perfecto complemento est, quoad spiritum, post mortem corporis, cùm spiritus vita est propter justitiam; quoad utramque partem, post resurrectionem carnis, quando Deus erit omnia in omnibus, nihil erit caro, nihil peccatum, vanitas, maledictio, mors; attamen veritas illa etiam ad hanc vitam pertinet, maximè ad novissimam partem sæculi Ecclesiæ, cùm solum verbum Dei pro fidei principio habebitur, & talis erit Ecclesiæ doctrina & professio, ut omnes per judicium charitatis liquidò judicari possint justi, amotis scandalis & jugo præcepti humani, & sine admixtione docentium perversa. Tum enim solus Deus in ipsis singulis & in toto corpore habitabit ut solus doctor & rex ac sanctificator ipsius, & id quidem omnibus attentè scrutantibus Scripturam, & in fide verba Dei & facta comparantibus, manifestum erit; reliquis verò ita saltem, ut invideant & stupeant. Illud templum Dei per *Sionem* denotatur, quia per templum illud materiale in Sione fuit adumbratum. Et ubi habitat per fidem in verbum, quod exivit è Sione, ibi potest dici habitare in Sione. Et in hac inhabitatione verificatur promissio, Deum in Sione habitaturum in perpetuum.

A N A L Y S I S &c.

A M O S I.

℣. 1. Ermones *Amosi*, *quos vidit*, id est, qui ipsi per Deum ad animum ipsius sunt revelati, ut eos eloqueretur, *super Israële in diebus Uzziæ regis Judæ*, *& in diebus Jerobeami filii Joas regis Israël*. Ii simul regnarunt annis 14. Usias verò post mortem Jaroboami annis 36. Quòd si hoc tempore accidit terræ motus, fieri ergo non potuit, ut is terræ motus contigerit tum, cùm Usias ingressus est sanctuarium ad thus offerendum, quod tamen veteres Hebræi, & Josephus ex iis, IX. Ant. cap. XI. tradit. Nam Jotham filius Usiæ usque ad mortem patris, ut major domûs, tum rebus præfuit. Atqui is 25 annos habuit, cùm Rex fieret. Non potuit enim, antequam natus esset, rebus præesse. Tanta certitudo est Judaïcarum traditionum. *Biennio ante terræ motum.* Non tam circumstantia temporis notatur, quàm quòd sermonibus Amosi Deus etiam signum addiderit, quo excitarentur Israëlitæ ad attentionem verborum prophetiæ. Terræ motus enim videntur aliquid habere ominis. Quod tamen ipsum, quale sit, ex Scriptura, temporum mutationes describente, vestigandum est.

Agit 1. de destructione regni & sacerdotii in decem tribubus & in Juda. Et 2. de erectione regni Christi ejusque benedictione. Prima pars est ad cap. 9: 11. Altera ad finem.

Prima pars continet I. Propositionem, cap. 1. vers. 2. II. Exergasiam. Ea habet duas partes;

1. Generalem, quâ Deus justificat judicium suum in Judam & Israëlem, usque ad cap. 3: 11.

2. Specialem, ubi agit

(a.) cum Samaritanis separatim; quibus denunciat deportationem ultra Damascum, usque ad cap. 6.

(b.) cum Hierosolymitanis. Hæc prophetia assumit decem tribus, & eis conjungit Judæos. Comminatur

(α.) Afflictionem universalem per hostem, qui sunt Assyrii. cap. 6. Hujus afflictionis explicatur signum antecedens, Excidium domûs Jeroboami; & primus effectus notabilis, exilium decem tribuum, cap. 7. & secundus, captivitas Babylonica, cap. 8: 1—4. in qua est comminatio finis.

(β.) Deletionem Reipublicæ & templi cum abolitione ceremoniarum. cap. 8: 5. usque ad ℣. 26. sive ℣. 11. cap. 9.

Propositio Primæ partis est in vers. 2. cap. 1. *Et dixit: Jehovah è Sione rugiet, & ex Hierosolyma edet vocem suam.* Hæc etiam Joël habet c. 4: 8. Significatur effectus verbi Dei sonantis in Ecclesia, nimirum externi regiminis servitutem afferentis abolitio. Sed potest restrictiùs accipi pro effectu verbi Dei in carne manifestati in deso-

desolatione terræ totius. Et sensus est: Erit aliquando tempus, quo Deus ipse in carne veniet ad Sionem & Hierosolymam, & in ea vocem suam publicabit. quæ vox erit ut rugitus Leonis, quippe significans iram ipsius. Et habebit effectum. Ut enim dicet, ita fiet. *Lugebunt mansiones pastorum.* Per eos intelliguntur omnes illi, qui contradistinguuntur & non subordinantur summo & vero pastori Deo. Sed & rectè sensus proprius potest retineri, quòd mansiones pastorum viduabuntur ovibus, *& Carmel* & cæteri montes suis arboribus, nemoribus, incolis, animalibus, hominibus spoliabuntur.

Exergasiæ pars generalis.

Justificat Judicium Dei in Judam & Israëlem. 1. à comparatione judiciorum gentium vicinarum cum judiciis Judæorum & Israëlitarum. ad cap. 2: 9. 2. ab ingratitudine; quam demonstrat comparatione beneficiorum & culparum. à cap. 2: 9. ad ℣. 13. quibus subjicit proportionatum effectum iræ, ℣. 13—16. 3. ab *ἀσυνεσίᾳ*. cap. 3: 1—10.

Comparatio Judiciorum.

Sunt sex judicia gentium vicinarum, cum quibus judicia Judæorum & Israëlitarum comparantur.

I. Judicium Damasci sive Syrorum. cap. 1: 3. 4. 5. Sic dixit Jehovah: *Ob tres defectiones Damasci, & propter quatuor*, id est, tres, imò quatuor, ex quibus quartam, ceu præcipuam & capitalem, eximet. Hic usitatus est Scripturæ mos, elegantiæ causâ, dividendi numerum. *non revocabo illud.* judicium, quod sequitur. *Propterea, quòd trituraverint tribulis ferreis Gilead.* Id ceu principale delictum eximit ac describit.

Historia. Id pertinet ad tempora Joachazi regis Israëlis. Dicitur enim 2 Reg. 13: 7. *Perdidit illos rex Syriæ & posuit illos ut pulverem ad triturandum.* De genere hujus trituræ vide Jud. 8: 7. 17. 2 Sam. 12: 31. Et de Joachazo notatur, à Chasaële & Benhadado ita afflictum fuisse, ut non haberet nisi 50 equites, decem currus, decem millia peditum. 2 Reg. 13: 3. 7. Hasaël Joramum filium Achabi cecidit in Ramoth Gilead. 2 Reg. 8: 28.

Et immittam ignem in domum Hasaëlis, & comedet palatia Benhadad.

Historia. Is ignis fuit zelus ille, quem concepit Rezin ad subjugandam Judæam & Hierosolymam. qui fuit occasio destruendi regni Syrorum in pœnam crudelitatis ab Hasaële & Benhadado exercitæ. 2 Reg. 15: 36. 16: 5. 6.

Et confringam vectem Damasci, id est, portæ aperientur hostibus. *Et exscindam habitantem ex valle Aven*, hoc est, Vani. Idolum significat, fortè in valle Libani, de qua Jos. 11: 17. 12: 7. *Et tenentem sceptrum ex Beth-Eden*, id est, domo voluptatis. Is locus Grotio putatur esse *παράδεισος*, cujus mentionem facit Ptolemæus & Strabo. *Et migrabunt populus Syriæ Kiram: dixit Jehovah.* Conjicit Grotius, in Albaniam fuisse translatos, illò, ubi Κῦρος fluvius est, quem Ptolemæus commemorat. Sed idem & Κύριον & Κυρρηστικὴν Syriam agnoscit.

Historia. Rex Assyriæ Tiglath-Pileser, rogatus & conductus ab Achazo, occupavit

pavit Damaſcum & egit Damaſcenos in exilium Kiram, & Rezinem interfecit. 2 Reg. 16 : 8. 9.

II. Judicium Gazæ ſive Palæſtinorum. verſ. 6. 7. 8. *Eò quòd captivarint captivitate plenariâ ad tradendum Edomo.* Ea maxima defectio Gazæ erat.

Hiſtoria eſt 2 Chron. 21 : 16. Ubi narratur, quòd ſub Joramo filio Joſaphati cum Arabibus, & ſic Idumæis, per quorum terram illi debuerunt expeditionem facere, diffiderint Judam. Niſi malis, à Propheta rem deinceps ſub Achaſo geſtam prædici, de qua eſt 2 Chron. 28 : 17. 18. Palæſtini enim eo tempore cum Idumæis invaſerunt Judæam.

Et immittam ignem in murum Gazæ &c.

Hiſtoria. Ezechias percuſſit eos uſque Gazam. 2 Reg. 18. Gaza à Pharaone fuit cæſa. Jer. 47 : 1. Deinde venit in poteſtatem Aſſyriorum & Perſarum. Jer. 25 : 20. Eam Alexander Macedo poſt Tyrum expugnavit, ut à Diodoro Siculo refertur. Deinceps urbes Palæſtinorum venerunt in poteſtatem Judæorum ſub Maccabæis. Ita vaticinium Amoſi impletum eſt.

III. Judicium Tyri. ℣. 9. 10. Objicit ei Amoſus *proditionem*.

Videntur adjuviſſe Palæſtinos. Saltem non tulerunt ſuppetias Iſraëlitis.

Non recordati fœderis fratrum.

Vulgò putant, reſpici ad Chiramum, qui cum Davide & Solomone fœdus habuit. Tempore Zedekijæ cum aliorum regum legatis etiam Tyrii fuerunt Hieroſolymæ. Jer. 27 : 3. Ezechiel 26 : 2. attribuit Tyro gaudium ob deletionem Hieroſolymæ. Aben-Eſra dicit, Tyrios adjuviſſe Idumæos jus ſanguinis & communis fœderis violantes.

Et mittam ignem in murum Tyri, & comedet palatia ejus.

Ezech. 26 : 7. ei comminatur excidium à Nebucadnezare.

IV. Judicium Edomi. verſ. 11. 12. Ei tribuit iram erga fratrem, quam patri gentis imputat. Eam & poſteri ejus imitati ſunt. Exaggerat eam iram, 1. quòd proceſſerit ad perſecutionem fratris. Num. 20 : 18. 20. 2. quòd exſtinxerit miſericordiam in malis. 3. quòd *laniaverit*. tempore Davidis. 2 Sam. 8 : 13. 14. quatenus totum hominem occupat, & non finit quieſcere, niſi cum interitu & maximo malo ejus, cui iraſcitur. 4. quòd creverit in excandeſcentiam, & nunquam ceſſaverit.

Id apparuit poſtea in rebellione continua & populatione Iſraëlitarum.

V. Judicium Ammonitarum. verſ. 13. 14. 15. *Defectio* illis tribuitur, quia promiſſionem acceperat Pater. *Et quòd fiderint gravidas Gilead ad prolatandum terminum ſuum.*

Hiſtoria. Ammonitæ preſſerunt Iſraëlem tertio ſæculo ob introitu in terram. Jud. 10 : 8. 9. In ſpecie Gileaditidos iſtic eſt mentio : ut & hic apud Amoſum. Nachaſch rex Ammonitarum obſedit Jabeſch in Gilead. 1 Sam. 11 : 1. Poſt Amoſum Jeremias vaticinatur contra Ammonitas tenentes terras Iſraëlitarum. Jer. 49 : 1. Etiam Sophonias eodem tempore, cap. 2 : 8. 9. & Ezechiel contra Ammonitas prophetarunt.

VI. Judicium Moabitarum. Cap. II : 1. 2. 3. Factum, quod hic objicitur, *quod combuſſerit oſſa regis Edom in calcem*, videtur id ipſum eſſe, quod

Nar-

Narratur 2 Reg. 3 : 27. Quod si recipimus, non filium suum proprium, sed filium regis Idumæorum bello captum combusserit, ut Junius existimat.

Sed & credibile est, postquam rex Edom cum Joramo & Josaphato venisset contra Moabitas, illique recessissent, ut Moabitæ domuerint Edomitas, & sic cum ipsorum reliquiis venerint contra Josaphatum, quod narratur 2 Chron. 20 : 1. & seqq.

Porro Amosus vers. 2. & 3. brevi compendio vaticinatur non tantùm exstinctionem regni, sed & reipublicæ in Moab. Quod quidem adeo evenit, ut ne nomen quidem Moabi ampliùs exstet in mundo; ut nec cæterarum gentium, quæ vetustis sæculis fuerunt celebres.

Notandum verò, hoc fine hæc judicia Dei proponi per Amosum, ut ostendat, si Deus in gentibus, quibus ita non innotuit, contemtum sui adeo vindicet, fieri non posse, quin severissimè puniat eos, qui ab ipso vocati sunt, & nomen populi Dei sustinuerunt, & nihilominùs ipsum verâ fide non colunt. Vide Amos. 3 : 2.

VII. Judicium Judæorum. vers. 4. 5. Juda primus dignitate, primus & in judicio: quippe & primus in delicto. Habebant enim legem Dei & templum; sed legem Dei spreverunt. &c. Hinc prima labes & fons omnis defectionis; quæ primò in Israëlitis, deinde & in Judæis patefacta est. *Lex Dei* hîc significat non tantùm doctrinam, quâ Deus docet, quid faciendo similes simus Deo & sancti; sed totam doctrinam Dei, quâ & hominis reatum accusat, & ostendit, qualis obedientia necessaria sit ad meritum vitæ, quâve homini fides in Deum, ut testem solum & sufficientem, imperatur, & quæ sit veritas conversionis, patefit. Ipsum verò testimonium voluntatis Dei de justificatione hominis peccatoris per fidem in lege propriè dicta non continetur, sed per alterum, *Statuta* propriè significatur; suntque opera, quorum nulla ratio redditur, nisi voluntas Dei ut supremi Domini, & quibus hominis libertas circumscribitur, ita ut nihil iis addere vel demere liceat. Unde חקים & *δόγματα* appellantur. Res autem eæ, de quibus præcipiunt, continent umbram futurorum & cœlestium bonorum. Igitur *observatio statutorum* est fides integra & infucata testimoniorum Dei de redemtione & justitia, & sanctificatione ac glorificatione electorum. Hisce opponit *fidem mendaciorum propriorum*, quæ illos fecerunt errare ac incertos agere. Causa verò illis adhærendi ponitur exemplum patrum. Inter mendacia id primum & maximum fuit, Deum vel sine precio, vel precio operum propriorum sive legis moralis sive ceremonialis remittere peccata. Deinde si consideremus, ipsos ignorasse causam, cur Deus noluerit in ullo alio loco, nisi ante tabernaculum sacrificari; cùm tamen Samuël & sancti, arcâ captâ, ubivis sacrificarent; èxinde, ut & ex priore causa facilè cognoscitur, quomodo adduci populus potuerit, ut sacrificaret in celsis; cur Jaroboam, constituto templo, licitum voluerit videri in Dan & Bethel altare & templum instituere.

Pœna, nempe quâ se Deus sanctificaturus erat coram toto mundo, *est ignis consumturus & Judam & palatia Hierosolymæ*, id est, templum & domum regis ac principum.

VIII. Judicium decem Tribuum. à ℣. 6. usque ad finem cap. Hic est

1. Propositio judicii irrevocabiliter decreti cum expressione delictorum. vers. 6. 7. 8.

Verf. 6. *Non revocabo illud.* Scilicet quod infrà verf. 13. & feqq. fpecificatur.

Culpæ Ifraëlis variæ hic notantur.

(a.) Proditio. Poteft intelligi de fratribus Judæis, quos fæpe prodiderunt hoftibus, & oppugnatos ab hoftibus non adjuverunt, idque fui regni ftabiliendi causâ, & ut ipfi *in calceis ambularent*, id eft, in pace commodiufculè viverent. Et quum vitulis ac Baali facrificarent, nemini licitum fuit fine periculo ifta facta reprehendere. Similiter Judæi in Chrifto peccarunt, quem gentibus pro rebus terrenis tradiderunt.

(b.) *Protritio tenuium.* verf. 7. Notatur immifericordia erga pauperes, tum oppreffio Judæorum, tum perfecutio diffidentium.

(c.) *Declinatio viæ manfuetorum.* Intelligitur צות, פר violentia & terribilitas, unde efficitur, ut ענוים, modefti & manfueti ipfis vereantur occurrere. Reges Ifraëlis fubditis fuis erant terribiles.

(d.) *Inceftus.* Exemplum eft in Abfalomo. Nempe, ut probarent, fe in gratiam regum idololatricorum Deum Ifraëlis abnegaffe, in re, ad quam nemo eos cogeret.

(e.) *Pignoris captio.* verf. 8. contra legem Exod. 22: 25. 26. Deut. 24: 12. 13.

(f.) Mulctatio innocentium ad abundantiam voluptatis.

(g.) Idololatria. *Apud omne altare.* Unum altare Deus dederat. Eft hæc idololatria adverfus fecundum præceptum. Sed ea eft interpretativè idololatria contra primum. Ideo addit *In domo Deorum fuorum.* quod de domo veri Dei intelligi non poteft, (eam enim Ifraëlitæ non habebant,) fed de Deo, quem fibi finxerunt.

(h.) Abufus religionis ad voluptatem. Nam hic actus religionis folus, quippe primarius, notatur, *Accumbere & vinum bibere.*

(i.) Sui juris in proximum executio cum dolore & damno illius, ad celebrationem falfæ religionis & fructum voluptatis.

2. Commemoratio beneficiorum cum exprobratione contemtûs eorum. verf. 9---12. Hic multæ rationes confertim proponuntur.

(a.) Amorrhæorum deletio, ut vacua fieret Ifraëli poffeffio terræ, quamvis procerorum inter homines, ut cedri inter arbores; atque abundantium copiâ omnium bonorum.

(b.) Ifraëlitarum eductio ex Ægypto, quamvis nihilo meliores effent Ægyptiis, & eo indigni effent.

(c.) Eorum toleratio in deferto per quadraginta annos.

(d.) Eorum introductio in terram, non obftante multiplici ipforum ingratitudine & contumaciâ in deferto demonftratâ.

(e.) Sanctificatio populi, non tantùm per circumcifionem & cæteros ritus; fed etiam per quotidianam inftitutionem, & quidem per fratres ipforum, ita ut certi effe poffent, per illos ipfis patefieri voluntatem Dei. Confer Amof. 3: 7. Num. 23: 27. Nec tantùm. Sed etiam operatus eft in ipfis obedientiam, nec tantùm in ætate provectis, fed & in juvenibus; nec tantùm ad qualemcunque cultum, fed etiam ad voluntarium: qualis eft Naziræorum, qui fuâ fponte fe coram Deo humiliant, preces fuas coram Deo effundunt, & vota folennia ipfi nuncupant, & ea coram toto populo cum gratiarum actione perfolvunt. Vide Num. 6: 1. &c. Quorum etiam fingularis benedictio fuit. Thren. 4: 7. Etiam voluntarium obfequium Dei donum eft.

De hoc & cæteris beneficiis ad confcientiam interrogantur. *An etiam nihil eft hoc,*

hoc, filii Israël? id est, Annon hæc maximi sunt facienda? Quid majus sibi præstitum velint?

Vers. 12. Cum his jam comparat æstimationem tantorum bonorum. Scilicet quòd renisi sint Spiritui Sancto, partim cogendo Nazitæos bibere vinum, partim interdicendo prophetis, ne prophetarent.

3. Specificatio pœnæ, vers. 13—16. Mala hic denunciata sunt *Angustia*, *fuga*, &, si non *internecio*, saltem *captivitas*. *Angustia* est, quando hominibus introitus & exitus, consilium & omnis machinatio averruncandi mali adimitur. Comparat autem terram homines angustantem & quasi excutientem cum plaustro stridenti sub manipulis. Homines verò in varia genera distribuit, ut generalem ἀπορίαν ostendat. *Veloces*, qui pedibus fidunt, ut fugiant. *Fortes*, quorum est laborare, pugnare. 1. *Non contendet vim suam*. Animus ipsi concidet. 2. Si robore præstent, non tamen sese eripient. Hic rursus distributio. Robustus se eriperet vel telo, vel pedibus, vel jumento, vel viribus. Horum nihil fiet. Animosior verò qui fuerit in die illo, fugiet nudus. Hæc quia de Israële decem tribuum dicuntur, ad illos convenit restringere.

Ἀσυνεσία, quod tertium est, à quo Deus judicium suum in Judam & Israëlem justificat, quemadmodum in exergasia generali suprà animadversum est, explicatur Cap. III. usque ad ℣. 11. Hic habetur

1. Excitatio ad attentionem & animadversionem. vers. 1. Intimatio significat, necesse esse, ut vel in animum admittant verbum hoc, vel ejus veritatem aliquando sentiant.

2. Propositio, vers. 2. *Tantùm vos agnovi ex omnibus populis terræ*. Nempe ideo vos cogitatis, Deum vobis condonaturum esse peccata, vel etiam non peccare in multis, quæ ipsis ad honorem & cultum Dei videbantur bona, quòd scilicet Deus non permitteret ipsos errare. Sed beneficium, quod concessum est, *Electionis*, tum ad manifestationem Dei apud ipsos, tum ad gratiam regenerationis & vivificationis, tantùm certorum est. Non est ut ex eo beneficio præsumatis temerè, vobis condonatum iri peccata, & favorem Dei conciliatum iri. Nam ex eo potiùs sequitur, ut quod ad hypocritas attinet, ad sanctificandum nomen meum, & quod ad bonos & fideles, ad castigationem ipsorum, *visitaturus sim super vobis omnes pravitates vestras*.

3. Confutatio ratiocinationum. vers. 3—8. Sunt autem dicta parabolica sex; duo claram & simplicem sententiam habentia; & denique unum protasi & apodosi constans.

Primo dicto asseritur necessaria coitio duorum, si comperiantur unà ambulare. Ex quo sequitur, si *Deus cum populo suo ambulet*, id est, eum secundet, necesse esse; *ut coiverint*, id est, ut fœdus Dei observent, & in viis ejus ambulent.

Secundo dicto ex more Leonis, qui in sylvis vagans non rugit, nisi cùm prædam laniandam invadit, colligitur, si Deus rugit (confer cap. 1 : 2.) esse aliquid, quod ipsum provocet ad iram.

Tertio dicto ponitur, Rugitum Leonis in antro suo esse signum captæ prædæ. Ergo silentium Leonis non est contemnendum, aut ei fidendum. Sic nec silenti Deo ad ingratitudinem hominum insultandum temerè est.

Quarto dicto ostenditur, quemadmodum avicula non capitur laqueo, nisi sit aliquod ἰξώδες & aliqua decipula, ita hominem non illaqueari nexibus Satanæ, peccati & maledictionis, nisi concupiscentiâ suâ extractus & inescatus se innodaverit. Jac. 1 : 14.

Quinto dicto significatur industria Aucupis, qui non desistit insidiari aviculis, & non tollit laqueum, antequam quid ceperit. Innuit, esse יקש (Ps. 91 : 3.) aucupem animarum indefatigatum, qui non prius desistat aucupari, quàm ceperit. Vigilandum ergo, ne periclitetur anima nostra.

Sexto dicto significatur sollicitudo & vigilantia hominum in statu civili & vitæ corporis ac bonis hujus vitæ conservandis. Constituitur Speculator cum Buccina. Quòd si buccinâ signum dederit, cognoscitur hostem imminere, & statim civitas ad arma concurrit. At clangentibus Prophetis, quos vigiles constituit Deus, Ezech. 3 : 17. nemo attendit, nemo pavitat.

Septimo dicto occurrit cogitationi hominum, qui putant, Prophetas agitari, ut vulgo loquuntur, passionibus, & propterea ad vocem illorum non trepidant. Provocat hic ad fidem providentiæ divinæ. Non posse esse in civitate *malum*, id est, afflictionem ullam; adde & corruptionem, nisi divino judicio, & partim efficaci potentiâ, partim traditione in efficaciam erroris.

Octavum dictum probat præcedens, quia nihil facit Deus, quod non antea declaraverit se facturum.

Nono dicto probatur necessitas vaticinandi, à divina voce; quæ comparatur ratione efficaciæ ad movendum corda rugitui leonis, respectu viatoris. Opponitur id hominibus irascentibus in Prophetas, quando ipsis iram Dei denunciarent. Ut Achab succensuit Michæ, quòd non loqueretur ipsi bonum.

4. Accusatio *ἀσυνεσίας* sive *ἀναισθησίας*. vers. 9. 10. Ea *ἀσυνεσία* est circa omnia superiùs posita. Jubet autem præconiari tanquam miraculum ex tectis palatiorum Azoti & Ægypti, (sic enim solebat fieri. Vide Matth. 10 : 27. Luc. 12 : 3.) ut congregarentur ad montes Samariæ, ut ibi contemplarentur 1. mala ipsorum. nempe *turbas* ab externis; *fraudes* à potentibus populi. Et quòd tamen 2. non resipuerint, quòd *nesciant facere rectum*, id est, quòd omnino inepti sint ad faciendum rectum. Probat autem hanc impœnitentiam. quòd *injuriam & vastationem thesaurizent*, id est, quòd thesauros colligant ex vi & vastitate pauperum, quam ipsi fecerint. Duplex hic culpa. 1. injustitiæ. 2. immisericordiæ. Nam pauperibus etiam justa actio remittenda est. Lev. 25 : 35. 36. 37. Exod. 24: 25. 26. Deut. 15 : 1. 2. 3.

Exergasiæ pars Specialis.

Primum ejus membrum agit cum Samaritanis seorsum, usque ad cap. 6. Continuatur hic gradatim judicium, quod inceperat comminari suprà cap. 2 : 13. &c. Habemus hic

I. De Angustiæ superiùs memoratæ latitudine & effectu. cap. 3 : 11—15.
II. De securitate Samaritanorum, & vano cultu. cap. 4 : 1—5.
III. De plagis antecedentibus frustra adhibitis. ℣. 6—11.
IV. De vera pœnitentia. ℣. 12. & cap. 5 : 1—26.
V. De colophone afflictionis, exilio. ℣. 27.

De prima.

Angustiam declarat expressiùs fore circa totam terram in circuitu. ℣. 11. Effectus autem sunt,

1. De-

1. Dejectio murorum, arcium. ℣. 11.
2. Spoliatio palatiorum. ibid.
3. Plenaria populi sublatio, paucissimis relictis. Quæ comparatur cum devoratione oviculæ, relictis duobus cruribus, aut parte auriculæ. ℣. 12.
4. Destructio altarium in Bethel. Forma destructionis additur, scilicet Incisio cornuum altaris, ut cadant in terram. ℣. 14.
5. Destructio domuum regiarum. quæ designantur domus hibernæ & æstivæ. Id ad commodum pertinet. Nec deerat splendor. *Domum eburnam* fecerat Achab. 1 Reg. 22: 37. Alii sine dubio imitati sunt.

II. De securitate Samaritanorum & vano cultu. Cap. IV. 1--5.

Samaritanis improperat 1. Vim. עשק oppressio sive fraudatio tenuium est, quando per vim & fraudem res alicujus occupantur, vel detinentur; vel etiam quis in nexum rapitur. מרוצה. vexatio est, quando quis alteri judicium vel nefariè intentat, vel nequiter eludit. Ea vis est vers. 1. 2. Temulentiam. dum regem invitant ad luxuriam & ebrietatem. ibid. Id ὑποποτικῷ Hos. 7: 3. 4. 5. Talis rex cum principibus suis compotans erat Benhadad. 1 Reg. 20: 16. 3. Vanum cultum vers. 4. & 5. Notat cultum, quem Deo se offerre putabant, esse λατρείαν, utpote qui sine fide, per media à Deo non præcepta, perageretur. Vide ultima verba. *Nam sic dilexistis* Deum. Dilectio vestra intra opera & formulas cerimoniarum subsistit.

Pœnam autem denunciat vers. 2. & 3. etiam juramento Dei confirmatam. Jurat Deus *per sanctitatem suam*, id est, per se ipsum, vel per Filium, in quo habitat. Neque enim per minorem jurat. Significatur τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς, & simul sigillum ejus immutabilitatis, ejusque ratio, nimirum sanctitas Dei, &, si de Filio interpretamur, unitas Patris cum Filio: quam non potest dissimulare attestando profanantibus nomen suum, quasi cum Deo fœdus colerent mediante Filio Dei. Pœna est. *Extrahemini aculeis & hamis*, vers. 2. ab iis, qui homines ut pisces captant. Et: *Per rupturas exibitis*. id obsessorum est. *Quæque ante se*, id est, palantes, neque ad cara, neque ad socios respicientes. Et *conjicietis vos in arcem*; vel, ut Junius, *projicietis id, quod est in arce*, eo sensu: Res, quas olim congessistis in arcem vestram, nunc projicietis.

III. De Plagarum antecedentium frustratione.

Eas commemorat quatuor.
1. Famem tribus vel quatuor modis effectam.
(a.) quoquo modo. vers. 6. Pœnam vocat *immunitatem dentium & defectum cibi*. Convenit, hic simpliciter intelligere negationem benedictionis divinæ, paupertatem, quæ consequitur luxum, fraudationes decoctorum, oppressiones potentum, morbos & incommoda &c.
(b.) per ἀβροχίαν, vers. 7. 8. Scilicet præter illam magnam ἀβροχίαν, quæ fuit tempore Eliæ. Indicat tamen hæc prophetia, pœnæ admixtam clementiam fuisse; ita ut paucis civitatibus daretur pluvia, licet non ad satietatem multarum, tamen ad quandam sustentationem. Opportunitatem negatæ pluviæ notat à circumstantia temporis, scilicet *trimestri ante messem*. Ea in Judæa incipit mense Nisan, cujus medio *primitiæ messis* in Paschate postridie Sabbati offerebantur.

Lev. 23: 6. 10. 11. 15. Is nostro Martio respondet. Ergo tres menses antecedentes sunt, ut Latinis December, Januarius, Februarius; ita Hebræis אדר, שבט, טבת. Exod. 23: 16. *festum messis* est Pentecoste. Imber, qui istis mensibus cadit, מלקוש appellatur, & inservit terræ aperiendæ, emolliendæ, ac frugibus augendis.

(c.) per uredinem cum brucho. vers. 9. *Uredinem* esse volunt à nimia siccitate, *rubiginem* ἐρυσίβην à nimio humore. Secundùm annos hæc rectè distinguuntur. q. d. Alio anno dedi ἀβροχίαν, alio uredinem, robiginem, bruchos & locustas: & non resipuistis.

2. & 3tium plagarum genus conjungit. vers. 10. Pestem & gladium, manum Dei & manum hominum, super eos fuisse.

4. Destructionem urbium. vers. 11.

IV. De vera pœnitentia à vers. 12. Cap. 4. usque ad 27. Cap. 5.

Hic est

1. Transitio. vers. 12. *Propterea sic faciam tibi, Israël.* Non subjicit, quid sit acturus. Per aposiopesin id abrumpit ac differt in vers. 27. cap. 5.

2. Excitatio Israëlis ad præparandum se in occursum Domini, vers. 12. ut scilicet vel si fieri posset, ejus iram per veram pœnitentiam averterent, vel saltem Deo occasionem darent quasdam reliquias servandi.

3. Confirmatio hujus parænesεos,

(a.) à Dei dignitate. vers. 13. Non est, cur te pigeat Deo occurrere. Nam est magnus multis modis. 1. Is creavit totum orbem terræ. id enim per *montes* significatur. Consignificantur autem homines, qui sunt in toto mundo. 2. Is creat spiritum; quod non tam de vento, vel spiritu vitali in animantibus & hominibus, quàm de anima rationali in homine intelligendum est. Ergo & illuminat, quos vult. 3. *Indicat homini cogitata sua.* subintellige Dei, ante omnia. partim per dictamen conscientiæ, partim per verbum revelatum, partim per Spiritum suum id in cordibus obsignantem, quod exterius auditur. Potest etiam intelligi de revelatione cogitationum hominis. Luc. 2: 35. ut discant illum revereri, qui non secundùm id, quod oculus videt, judicat. 4. *Facit auroram caliginem*, quando dies facit longos & breves, mutatque anni tempora, ver, æstatem, autumnum. Idque ad fructificationem terræ, & servationem hominum ac animalium. 5. *Calcat celsa terræ*, id est, dominatur in mundo: partim coërcens gentes, ut aliquam observent disciplinam, Ps. 94: 10. item, ut non oppugnent populum Dei: partim evertens ac erigens solia regnorum pro beneplacito. 6. Est *Dominus* יהוה, qui *est* ab æterno & infinitas habet perfectiones: & *est quod est*, quia simplicissimus & unus & immutabilis: item *fit quod est*, dum suas perfectiones non abnegat nec occultat creaturæ rationali, & implet decretum ac verbum suum. 7. Est *Deus exercituum*, id est, decrevit regnum suum erigere in toto mundo, nec tantùm unius populi vult Deus dici.

(b.) à dolore Prophetarum prævidentium magnitudinem mali. Cap. V. 1. 2. 3. Non ergo vos oportet stupidos esse & indurari, quando mala imminentia annunciamus. Summa lamenti est: *Israëlem projectum iri in terram*, id est, regnum Israëlis cum gente planè iri prostratum, & quidem sine spe surrectionis, & sine ullo opitulatore. 2. maximam multitudinem ad summam paucitatem redactum iri.

Historia

Historia est in deportatione Assyriaca, de qua ℣. 27.

(c.) à promissione vitæ sub conditione quæstionis Dei. vers. 4.

(d.) à vanitate & interitu idololatriæ, quam committebant Israëlitæ adversus secundum præceptum. vers. 5. Is autem probatur à causa, vers. 6. 7. nempe à peccatis, quæ sunt, *vertere judicium in absinthium.* Judicium illud non tam in controversiis privatorum, quàm in discretione peccatorum, qui se cœtui Dei permiscent, à verè justis, qui veram ac vivam fidem in Christum operibus charitatis ostendunt; consistit. *& justitiam in terram destituere.* Justitia non tantùm justè facta, sed inprimis fidem apprehendentem justitiam Dei, in Sacris Literis significat. Denique confirmatur interitus idololatriæ à potentia Dei, ad efficiendum timorem, ℣. 8. 9. *Faciens Pleiadas & Orionem*, circa cardines æquinoctiales. Subintellige ex Job. 38: 31. in כימה amœnitates veris: ver enim aperit ortu suo. Estque, ut conjicit Aben-Esra, Oculus Tauri: in כסיל ψυχρὸν, צר (℣. 23.) autumni & hyemis. Est enim secundùm Aben-Esram Cor Scorpii. *Et mutans in matutinum umbram mortis* sive *caliginem, & diem nocte obtenebrat.* Illa est in longitudinis dierum mutatione varietas. Ita verò & potest Israëlitas lucis opinione gaudentes in tenebras detrudere. *qui vocat aquas, & effundit eas in faciem terræ.* Id in diluvii, tam generali, quàm particularibus apparet. Ita & gentes in terram Israëlis potest effundere. *Qui facilitat calamitatem super robustum*, &c. Id jam expressè dicit.

4. Digressio ad complorationem adhortationi insertam. Ea habet

(a.) Soliloquium, sive Exclamationem de duritie cordis, quòd *aderint in porta*, sive omni loco judiciorum, curiâ, comitio, cui loco conveniens est מוכיח, *redarguentem*, Spiritum Sanctum per os ministrorum suorum eos redarguentem ac defendentem, 1. quòd totus mundus, etiam Judæi, sint *in peccato, quia non credunt in Christum.* 2. quòd *justitia* exstet apud Ecclesiam, *quia Christus ad Patrem abit.* 3. quòd sit *judicium* mundo metuendum, *quia princeps mundi condemnatus est.* Et quòd *abominentur* eum, qui *loquitur integritatem*, id est, qui integritatem & puritatem suæ fidei prædicat, & alios non integrè ambulantes cum Deo suo, ut David, redarguit & accusat.

(b.) Apostrophen, quæ invectivam continet, quâ

(α.) ostendit pœnam odium redarguentium consecutam, vers. 11. Nempe docet, non tantùm peccata illorum non remitti, sed etiam, ipsa turpissima peccata, divino judicio hunc contemtum & odium verbi veritatis sequi. Peccatorum specimina hîc ponuntur ea, quæ committuntur in tenuioribus, id est, iis, qui non sunt in aliqua eminentia constituti, nimirum eorum oppressio, sive *conculcatio.* Atqui dictum erat אל תרדו בפרך. Huc referri possunt onera multiplicia imposita cervicibus discipulorum. משאת בר תקחו. civilia latrocinia notat, & quidem sub specie juris, quando necessitas offerendi affertur. Sic fit, ut nec judices officium facere velint nisi muneribus invitati, & constituant sibi magna precia. Ea enim requirebantur, ut possent *domos ex lapide cæso ædificare, & vineas desiderabiles plantare.* Sed tolerabile erat, eos pro officio amplam mercedem capere, dummodo id ex fide bona exsequerentur. Id verò negat Propheta. Sed ostendit, eos *justum oppugnasse*, etiam sententias vendidisse, imò reos impunitos dimisisse, *accepto lytro*, & impedivisse cursum justitiæ in causa egenorum. vers. 13. Denique hujus tyrannidis effectum ostendit, silentium eorum, qui intelligerent veritatem & justitiam, & attenderent verbo Dei.

5. Nova parænesis accommodata præcedenti complorationi: quâ hortatur, ut inten-

intendant bono, & oderint malum, & conſtituant judicium. verſ. 14. 15. Per *bonum* intellige non tantùm, quod lex Dei perpetua & conſcientia approbat tanquam rectum, ſed multo magis illud opus, quod Deus conſtituit medium juſtificationis. Per *malum* ex oppoſito omnia, quæ repugnant conſcientiæ rectæ, ac inprimis ἀσέβειαι. ad quam pertinet etiam, velle Deo placere per opera legis, & ſervitutem elementorum mundi. Agitur enim de iis, qui ſibi promittebant, Deum eſſe cum ipſis, quia facerent ea, quæ habentur cap. 4 : 4. 5. *Odit malum* non tantùm, qui non amat, ut qui ſe indifferenter habet, & id patitur in aliis, ſed id omnibus modis fugit in homine quocunque, & ejus communionem vitat, quin evertit & oppugnat omnibus machinis.

Conſtituere, figere judicium eſt illud in publico conſtituere certum & minimè claudum, deinde promtum paratumque omnibus. Suaſoriæ rationes ſunt hic. 1. *vita*, verſ. 14. beata nimirum, quæ durat in perpetuum. Ejus verò initium eſt conſolatio de gratia Dei, quam falsò ſibi vendicabant in ſua impietate & injuſtitia. *Sic Deus erit vobiſcum, ut vobis promittitis.* 2. clementia exercenda erga reliquias Joſephi. Etiam in pœnis adhæreſcendum eſt Deo. Nam, ſi nemo alius, ſaltem is, qui Deo adhæret, ſalvabitur, utut in carne ſecundùm hominem judicetur.

Hanc clementiam illuſtrat à contraria ira, denunciata ob culpam poſitam ℣. 10. quæ denunciatio cum verſ. 13. connecti poteſt, ut verſ. 14. & 15. ſint in παρενθέσει. Cæterùm cauſa efficiens mortium & lamentorum eſt viſitatio divina cum ira, ℣. 17. qualis Ægypti. Exod. 12 : 12. Manifeſtat autem in tali caſtigatione ſuam gratiam, quâ declarat, ſe populum elegiſſe, ut ſanctitatis ſuæ redderet participem. Denunciatur id in nomine *Jehovæ*, qui deſcribitur à fœdere deſtinato multis gentibus, unde *Deus exercituum*, & à dominio ſive regno, unde *Dominus* appellatur.

6. Confutatio vanarum cogitationum, earumque duplicium.

(a.) Voti diei Domini, id eſt, præſentiæ Dei ipſius in carne, cum perſuaſione afferendæ impunitatis & lætitiæ dandæ improbis. verſ. 18. 19. 20. Eorum inſaniam refutat, quòd *dies ille eſſet futurus tenebræ & non lux.* Id ita intelligendum eſt. 1. quòd dies ille non eſſet futurus ſpecioſus in oculis hominum, Eſ. 53: 2. neque venturum eſſet regnum Dei μετὰ παρατηρήσεως. Luc. 17 : 20. ſed Dominus appariturus eſſet in forma ſervi. Eſ. 49 : 7. Pſ. 8 : 6. Pſ. 22 : 7. Phil. 2 : 7. 8. 2. quòd inde extiturum eſſet ſcandalum multorum in Iſraële. Eſ. 8 : 14. ut reprobaretur à gente & principibus populi. Pſ. 118 : 22. & exſcinderetur è terra viventium. Eſ. 53 : 8. 3. quòd Iſraëlem traditurus eſſet per tempus propter incredulitatem. Quæ calamitas hic ab Amoſo explicatur per parabolam. verſ. 19. Nempe *Leonem*, Chriſtum, ejuſque regnum fugiunt & convertunt ſe ad *Urſum*, Romanos: Hos Deus contra illos incitat: revertuntur *domum*, ad templum. Sed Deus jam receſſerat à templo, & *ſerpens*, Diabolus ſeducens eos per ſpeciem templi & ſacrorum externam, eos pungit.

> NB. Judæi vetuſtiores conſiderantes Eſ. 53 : 1. Mal. 3 : 4--7. auſi ſunt & adventum Chriſti averſari, & paſſiones ejus: ſaltem ne ipſi viderent. Sanh. p. 357. & ratio additur p. 358. ex hoc loco Amoſi. Unde apparet, Veteres hunc locum de adventu Chriſti accepiſſe.

(b.) Fiduciæ in ſolennitatibus & ſacrificiis & ſtrepitu cantionum. verſ. 21. 22. 23. cum præceptione veri cultûs, verſ. 24. & abnegatione cultûs veterum, qui in patrocinium cultûs illius tempeſtatis poterat allegari. verſ. 25. 26. In hiſce rejicit

jicit omnem cultum externum, ut 1. *festa*. Jussi enim erant ter comparere coram Deo, in loco, quem elegerat Deus. Quia autem Sabbata dicuntur, etiam ipsum Sabbatum intelligendum est. 2. *sacrificia*, ut holocausta, munera sive oblationes ex farre, thure, & oleo; item pacifica, sub quibus & intelligenda, quæ pro peccato. 3. *cantiones*. cum quibus debet intelligi omnis lectio Sacrarum Literarum, quarum potissima pars carminibus inserta est.

Rejectio significatur per *Verba odii* & *repudiationis*, per negationem *acceptationis* & *intuitionis*, per negationem *odoratûs*, per jussionem *auferendi* ut rem molestam. Intellige hanc rejectionem, si cultus internus & verus absit, quem ℣. 24. præcipit. Vide ad Joël. 2: 13.

Vers. 24. Præcipit *judicium* & *justitiam*. Postulat autem, ut cum promtitudine & zelo ea observentur. De iis ℣. 7.

Vers. 25. & 26. Patrocinium, quod sumebant à Patribus, refutat. 1. quòd *cessaverint sacrificia in deserto*. ℣. 25.

> Notant docti, sacrificia cessasse post habitationem juxta montem Sinaï, nimirum ab anno secundo Exodi, mense secundo, die vigesima. Sic Abarbenel. Nam & circumcisio cessavit, & Pascha, quod restaurarunt. Jos. 5: 10.

2. quòd tabernaculum & arcam & Cherubinos portantes *tentorium regis sui*, idololatrici cujusdam regis, qui & מולך & מלכם dicitur, *& basin imaginum stellæ Deorum suorum portaverint*. Nam quum Deum in Christo non agnoscerent, Cherubinos autem ut symbola angelorum haberent supra arcam, non injuriâ illos vocat *imagines stellæ Deorum ipsorum*, & arcam *locamentum* istarum imaginum. Idem enim de istis cogitabant, quod gentiles colentes sydera, quia putabant, ea esse vel animalia, vel corpora geniorum, quos *intelligentias* vocabant, aut eorum saltem quasi vehicula. Similis huic loco est sarcasmus, quum Cherubini *vituli* appellantur.

V. De colophone afflictionis, exilio. vers. 27.

Et transportabo vos ultra Damascum. Is terminus terræ sanctæ Septentrionalis. Notandum verò, quod Amosus indefinitiùs dixit, id Stephanum distinctiùs, & secundùm rei eventum declarasse. Act. 7: 43. qui dicit, *ultra Babylonem* (in quam tribus Judæ deducta) esse avectos, in Mediam nempe ipsam & Colchos (hoc enim חלח 2 Reg. 17: 6. Et Herodoti tempore circumcisi fuerunt. Herod. Euterp.) & Iberiam. hanc enim docti esse existimant Chaboram.

> Nota, exclusionem à terra olim fuisse symbolum exclusionis à regno cœlorum. Huic cladi & pii implicabantur, quod procul dubio durissimum fuit.

Exergasiæ specialis Membrum Secundum, quod agit cum Hierosolymitanis, pertinens à Cap. VI. usque ad IX. 11.

Tota hæc pericopa versatur in duplici argumento. Agit enim de *Afflictione* Israëlitarum, usque ad Cap. VIII. ℣ſ. 4. Et de *Deletione* Reipublicæ deinceps.

I. De Afflictione.

Hic 1. proponitur sententia definitiva contra utramque domum Israëlis, cum expressione aliquot culparum communium. Cap. VI.

2. agitur de signo antecedente, eoque evidenti, quod est destructio regni in decem tribubus. Cap. VII. 1--9.

3. de ordine executionis, ut præcedat Exilium decem tribuum, Cap. VII. 10--17. sequatur Judæ, Cap. VIII. 1. 2. 3.

Sententia definitiva communis habet

1. Accusationem, Cap. VI. 1--6. Væ principibus utriusque domûs Israëlis in Sione & Samaria, duabus regni sedibus. Et duo regna indicat, cùm dicit ℣. 2. *præ regnis his*. Describuntur autem

(a.) à vitiosa animi habitudine. *Tranquilli. Securi.* Suprà 4 : 1. conferebantur cum *vaccis*. Ea securitas specificatur ℣. 3. 4. 5. 6.

(b) à prærogativa præ reliquis hominibus, quòd *nominati*, id est, quòd non tantum, ut Principes solent, nomine tenus passim noscitarentur, sed & quòd in nomine ipsorum, & ipsis auctoribus omnia dicerentur & agerentur. Ea auctoritas illustratur comparatione Israëlis, in quo excellebant, cum reliquis gentibus. Eum appellat ראשית גוים ἀπαρχὴ τῶν ἐθνῶν, *præcipuum* vel *primitias gentium*. Non ut Amalec, Num. 24 : 20. propter qualemcunque præstantiam, sed quia eam gentem Deus elegerat præ cæteris, ut ei notificaret vias suas, vers. 1. quòd præ optimis maximisque regnis notis in vicinia, & in isto sæculo florentibus eminerent. ut *Chalanâ*. quæ in Assyria erat. Eam Hieronymus Seleuciam vel Ctesiphonta esse putavit; quod & Chaldæus extulit; & ea fuit sita in *Chalonitide*, cujus mentionem facit Strabo, Plinius, Polybius, Dionysius, Priscianus, demonstrante Bocharto. Secundus locus est *Hamatha*, cui *magna* epitheton fit. Ea Antiochia Hieronymo. Et *magnam* appellari vult in αὐτολεξεῖ *Hamath* simpliciter, quæ Epiphania. Tertius locus est metropolis Palæstinæ. Comparat terras illas cum regnis Israëlis in *bonitate*, id est, fertilitate, abundantia hominum & divitiarum, & omnium ornamentorum, & *in amplitudine termini*. Confer Deut. 32 : 8. & seqq.

Vers. 3. & seqq. expressiùs culpa securitatis objicitur. Nempe abundantia omnium rerum efficiebat, ut appropinquantem diem mali non adverterent : è contrario *sedem tyrannicam approximarent*. Principum est *sedere*, id est, docere & judicare. vers. 3. *Lecti eburnei* sive in accubitu, sive in decubitu. Somnus profundus & multus; ut in spondis suis computrescere & diffluere viderentur. vers. 4. Inter hæc studium Musicæ, quod David ad laudem Dei contulit, collatum ad pruritum aurium. Deinde οἰνοφλυγία, quòd crateribus vini capacioribus id biberent, & prodigalitas ac luxus in optimis unguentis, eaque omnia, dum *Joseph confringitur*, quâ re illi *non dolent*. Confer cap. IV. plagas Dei, quibus non fuerunt commoti ad pœnitentiam.

2. Denunciationem malorum. vers. 7--11. Dixerat cap. 5 : 27. Deum esse decem tribus abducturum. Hanc pœnam hic etiam extendit ad tribum Judæ: licet non

non uno exilio utrique abducti sint. Tum sermonem dirigit ad principes populi, ad quos populus accedebat, ad verbum Domini ab iis repetendum, ut qui principes in peccato fuerint, etiam *in principiis migrent.* Tum adjicit effectum; *Abolitionem epulationis hominum computrescentium* ac diffluentium. Epula idololatrarum & illorum etiam, qui convivia in templo velut in honorem Dei veri celebrabant, quum fide Dei carerent, per sarcasmum quasi לחם אונים (Hos. 9:4.) id est, panem dolorum, & *silicernium*, (id est, cœnam funeralem, quæ à pollutis percipiebatur) irridet.

Secundus gradus, sed tempore anterior, est *Traditio urbis & plenitudinis ejus.* vers. 8. Hæc autem confirmatur à Dei amore, quo amat id, quo Jacobus gloriatur, tum odio erga ejus arces & palatia, id est, templa. idque propter hominum infidelitatem. Uterque autem affectus confirmatur juramento & nomine Dei. Propheta præfatur, *Dominum*, id est, eum, cujus est non modò universum, sed Ecclesia, *jurasse per animam suam.* Tum ponuntur verba Domini, qui nominat auctorem sententiæ *Jebovam Deum exercituum.* Denunciat autem prælidibus populi, se concupiscere potiùs regnum suum, quàm dominationem ipsorum, per quos nomen Dei blasphemabatur, Es. 52:5. ideoque judicandi populi carnalis initium jamjam esse facturum, *tradendo urbem & plenitudinem ejus*, id est, urbem, templum, regem, populum.

Tertius gradus antecedens duos priores est vers. 9. nimirum mortalitas à peste, sive à fame. Ea plaga exaggeratur. 1. dum denunciatur *reliquis* scilicet à clade bellicà. (vide infrà vers. 14.) 2. dum denunciatur omnibus vel *decem* de domo una. 3. dum ὑποτυπώσει desperationem superstitum. Scilicet proponit domum cadavere funestam: alium in penetralibus intimis decumbentem; proximum sanguine, qui justa debebat facere mortuo, cadaver exportantem, & sciscitantem ex decumbente: Nunquid sit in ipso spiritûs aut virium? Eumque respondere conantem: alterumque sermoni intercedentem, & silentium imperantem, ne fortè in mentionem Dei incidant, cujus mentio ipsis horribilis futura esset propter malam conscientiam, cùm desperatio de gratia Dei in populo vigeret.

3. Defensionem. vers. 12. 13. 14. Verbis horum versiculorum exagitat Propheta stultitiam populi, qui confiderint absque Deo bella gerere & bonis terræ frui, vers. 13. f. quasi possint currere equi in petra, aut arare boves, quod impossibile est, partim ob lubricum, partim ob duritiem, partim ob inæqualitatem. vers. 12. præsertim *cùm convertissent judicium*, disciplinam institutam à Deo ad segregandum bonos à malis, *in venenum*, eam corrumpendo. & justitiam Dei ignorantes, *fructum justitiæ*, quæ per fidem obtinetur, charitatem scilicet, non tulissent, sed contrà in superstitionem & lasciviam ac scandalizationem proximi se effudissent. vers. 12. Denique *in re nihili lætati essent.* quod potest esse regnum Jeroboami II. ut antecessoribus paulo felicioris, cum arrogantia de propriis viribus. Ergo refutat illas vires per oppositionem afflictionis generalis: cujus causam principalem se dicit Deus, ut ostendat, se quoque ipsis dedisse cornua; instrumentalem verò *gentem* aliquam *non-populum.* Intellige Assyrios & Chaldæos. Et cùm hoc caput generale sit, & indefinitè agat, in sequentibus autem sit quid magis definitum, intellige etiam Romanos.

Hæc est rerum series & ordo retrogrado gradu à propheta proposita, dum ab effectis ad causas, à consequentibus ad antecedentia ascenditur. Eadem verò distinctè sic proponi possunt.

 1. Israë-

1. Iſraëlitis ſine Deo ſibi potentiam vindicantibus, fore, ut Deus contra ipſos excitet gentem: quæ illos coarctet undiquaque.
2. Hanc interfectis plurimis vel abductis illos in oppida concluſuram, ubi peſtilentiâ & fame in magna deſperatione moriantur; adeo ut partim penuriâ, partim hoſtium violentiâ domus illorum confringantur aut rimas agant.
3. Denique urbem, & inprimis Hieroſolymam cum templo traditum & exciſum, omnemque multitudinem & plenitudinem ejus abductum iri.

Signum antecedens ſententiæ definitivæ exſecutionem. quod eſt deſtructio Regni in decem tribubus. Cap. VII. 1—10.

Hoc ſignum habet præcedaneas comminationes duas deprecatione averſas.

1. verſ. 1. 2. 3. Ibi per *locuſtam* Hieronymus intelligit Sancheribum.

2. verſ. 4. 5. 6. Hic poſt longam inſtitutionem & patientiam inſtituitur diſceptatio cum populo carnali, quæ deinceps facta. Vide Eſ. 5: 5. 6. Et dicitur contentio illa fore per *ignem*, id eſt, iram Dei conſumentem, ac *comedentem abyſſum magnam*, id eſt, ſubtrahentem benedictionem divinam, ne abyſſus, (*τὴν καταπότειρα μέγα τῆς γῆς*) in qua cæteroquin eſt benedictio, Gen. 49: 25. adde Deut. 33: 13. quicquam ad bonum populi proferret; & *comedit partem*, nec *terræ*, nec *agri regii*, ſed *partem Dei* ſive Iſraëlis hæreditatem ſeparatam à toto mundo.

Jam bis Deus exoratur ab Amoſo propter parvitatem Jacobi, ut ſubſiſtere aliquâ ratione poſſet.

Subſequitur tandem viſio monſtrans abruptionem tolerantiæ & judicii finem ac initium. verſ. 7. 8. 9. Symbolum eſt *Deus ſtans ſuper murum perpendiculi cum perpendiculo.* Poſitio *perpendiculi* ſignificat judicium non tantùm ordinatum, ſed & exactum, ſcilicet tale, quale iram Dei, vim exſecrationis & meritum incredulitatis & nequitiæ eorum oſtendere poſſit. Illuſtratur id antitheſi contrarii. *Non addam ipſi præterire.* Senſus idem eſt Hoſ. 1: 6.

Dogma. Status Iſraëlis ante Chriſtum eſt ſtatus *ἀνοχῆς*, in qua Deus exercuit *πάρεσιν*. Sed illa *ἀνοχὴ* & *πάρεσις* habet finem: eique ſuccedit זעם *θυμὸς* habens ſuum initium & finem in populo. Eſ. 10: 25. Dan. 8: 19. Et denique שנת רצין annus gratiæ & *ἄφεσις*. cujus initium eſt in electis Iſraëlis, & in ipſorum plenitudine conſummatio. Rom. 11: 25. 26. 32.

Secundò illuſtratur judicium ab effectu, conſummato, & initiali. Effectus conſummatus eſt *vaſtitas celſorum Iſaaci*, id eſt, populi ex Idumæis & Iſraëlitis jam conflati. Dum *celſa* dicit, intelligit locos Dei cultui contra ipſius præceptum dedicatos. Et *deſolatio ſanctuariorum*, templi inprimis, quod erat penès *Iſraëlem*. *Vaſtitas* ea habet comitem ſtuporem ſive indurationem hominum. ex Dan. 9: 7. Initialis effectus ſententiæ divinæ eſt deſtructio Regni *domûs Jeroboami per gladium.* quæ eſt abolitio regni in decem tribubus. Hoſ. 1: 4. Nam qui poſt Jehu poſteros ſive Zachariam filium Jeroboami II. ſucceſſerunt, non reges, ſed fures & latrones regni fuerunt. Hoſ. 7: 1.

Hiſtoria. Amos prophetavit in diebus Uzziæ & Jeroboami II. id eſt, per annos quatuordecim. Mortuo Jeroboamo filius ejus Zacharias regnavit menſes ſex. interfectus à Sallumo, primo regni fure. Sed per menſem.

mensem præfuit. Menahem secundus fur & latro ejus decem annis præfuit. Sub quo Pul, & ipse *fur*, cœpit populari terram. Successit filius Menahemi Pekachja hæres furis, qui præfuit biennio. Eum occidit Pekach filius Romoliæ tertius fur regni & parricida. Præfuit annis viginti. Sub eo Tiglath-Pileser cœpit populum in exilium agere. Illi vitam & regnum eripuit Hoseas fur quartus, qui præfuit annis novem.

Exsecutio sententiæ in exilio decem tribuum. Cap. VII. 10—17.

Hic est 1. occasio explicationis sententiæ quoad exsecutionem in decem tribubus. Ea est *partim* accusatio Amosi ad regem per Amazjam facta, & ea duplici nomine falsa: quasi Amos conspirasset contra Regem, & ei mortem violentam esset interminatus, addito periculo, quòd terra ejus verba non esset latura, & in animo retentura. *partim* etiam Amazjæ alloquium, quo ipsum amandat in Judæam, cum oblatione viatici & victûs: & vetat Bethele prophetare, additâ ratione, quia sit *sanctuarium regis & domûs regni*. hoc intelligendum est de templo Bethelensi. q. d. Rex & Regnum Israëliticum, divinâ directione ac auctoritate à Regno Regum Judæ separatum, sanctuarium hoc instituerunt, quasi per divinam voluntatem id factum sit; Ergo non licet tibi contra id prophetare.

2. In Amosi verbis est

(a.) allegatio necessitatis prophetandi à divina jussione. quam facit probabilem ex antiquo vitæ genere, quòd non fuerit Propheta aut Prophetæ filius, id est, quòd non fuerit nomen suum professus inter studiosos Sacrarum Literarum ei studio σχολάζοντας, sive, ut nos loquimur, scholasticos, aut doctor populi: imò contrà quòd armentarius fuerit quoad genus vitæ: pauper, quoad victum & fortunas, ut quærens sycomoros ad vendendum vel vescendum: actu, opilio. atque adeo nullis literis imbutus. Unde non poterat existimari, prophetias spargere, ad aliquam partem disputantium de divino cultu roborandam. Contrà, quum prophetiæ Amosi plenæ essent spiritualis sapientiæ & fortitudinis, certissimum id erat τεκμήριον, quòd à Deo missus esset.

(b.) denunciatio pœnæ ob interdictam prophetiam. Ea pœna est *partim* privata, Uxoris scortatio sive captâ urbe, per vim, sive potiùs ex paupertate; ut corpore quæstum faciat; vel denique judicio Dei, ut impuritas domûs Amazjæ manifestetur, adhuc vivo marito. & filiorum ac filiarum occisio. *partim* communis, Agri partitio, mors in exsilio. quod Israëlitis decem tribuum assignatur. Id supplicium Israëlis jam suprà 5: 27. 6: 7. expresserat.

Exsecutio sententiæ in captivitate Babylonica. Cap. VIII. 1. 2. 3.

Notandum hic symbolum & expositio. Symbolum est in re & in voce. In voce קַיִץ, cui vocis sono convenit קֵץ vers. 2. Sed rem videamus. *Corbis fructuum* notat maturitatem populi ad pœnam, & ultimam collectionem scandalorum ad ejiciendum ea ex terra. Expositio indicat *finem*. Hoc in hoc loco nondum intellexerim de perenni reipublicæ deletione, sed de populi totali ablatione ex terra, cum destructione cultûs externi. Id notatur per vocem, *ad populum meum*, ne quid scilicet ejus supersit, unde populus meus vocari possit, nempe ex cultu externo.

 Con-

Consequens est. *Eiulabunt*, cum singultu & ejulatu extra terram pronunciabuntur, *carmina templi*, (Hierosolymitani, antonomasticè sic dicti) quæ antehac solebant cum suavi modulatione pronunciari in templo.

Connexum plagæ est *multitudo cadaverum in omni loco projecta*, atque adeo in ipso templo aut solo templi.

Hæc prophetia abrumpitur per voculam silentii. Posset esse imperium silendi Deo. ut Zoph. 1 : 7. Hab. 2 : 10. Sed abruptionem sermonis esse, suadet accentus continuans, qui præcedit. Ordo sermonis postulabat nominari eum, qui projecturus esset, sed quia eum nec cognoscebant, nec nominari volebant, (Amos. 6 : 10.) iccircò abrumpit per μίμησιν.

II. De Reipublicæ finali deletione.

Hæc pars continet tria membra:

I. Disceptationem. Cap. VIII. 4---8. Hic est

1. Præfatio. vers. 4.

2. Accusatio. Accusatur autem

(a.) Appetitus exscindendi inopes & egenos. vers. 4. Inprimis hic significantur Christus & discipuli ejus.

(b.) Fastidium Sabbati & festorum dierum. quæ erant signa, quòd Deus esset sanctificator ipsorum: & typi innovationis omnium rerum, & quietis, quam Deus largiturus erat credentibus per Christum, non tantùm post hanc vitam, sed & in Novo Testamento à jugo legis & ceremoniarum, & potestate peccati. Vide Hebr. 4 : 9. 10. 11. Accusatur ergo in typo fastidium ipsius rei.

(c.) Studium rerum terrenarum cum injustitia. Quæ in *diminutione mensuræ* rerum divendendarum, *in augmento ponderis nummi* accipiendi, & in *corruptione libræ* consistit: item in fœnoris aut debiti exactione immisericordi, ut argento suo abuterentur non ad comparandum necessaria & juvandum afflictos, sed ad illos redigendum in potestatem. Denique in *rerum venalium adulteratione*.

NB. Est in his servitus ventris & concupiscentiarum. quæ est idololatria. Philip. 3 : 19. Job. 31 : 24. 25. 28. Deinde abnegatio gratiæ & benedictionis divinæ. Denique violatio charitatis.

Vers. 7. Juramentum Dei significat immutabile propositum non condonandi hanc culpam. *Jurat* autem *per erectionem Jacobi*, sive Eum, in quo verus Jacob, ut Redemtore suo, gloriatur, hoc est, Filium suum. Convenit enim Deo Patri, jurare per Filium, & vice versâ.

Vers. 8. Pronunciat autem, propter illa peccata *terram instar lucis* sive jubaris *ascensuram*, fore scilicet, ut tota flammis colluceat: deinde fore, ut *instar Nili expellatur & desidat*. Expellitur Nilus, quando deducitur extra alveum in agros per incilia; demergitur sive relabitur, quando exilis & tenuis subsidit rursus. Pulcherrimè convenit emblemati populi Judaïci extra terram suam egestio, (quæ in captivitate Babylonica primò facta est) & in varias oras propulsio, propulsique partim, partim relicti in terra ad brevitatem & paucitatem insignem redactio.

Historia. Ita post captivitatem Babylonicam cum populo actum est. Magna pars mansit in Babylonia: quidam ad reliquias redierunt. Inundavit terram & mundum ferè totum. At, Christo spreto, in terra & extra illam ad paucitatem evidentem redactus est.

II. De-

II. Denunciationem judicii. verf. 9—14. & cap. IX. 1—5.

Hæc agunt de reipublicæ deletione, & ſtatu populi eam conſequente. Ordo enim jam nos deducit ad Romanam diſperſionem, & emblema ipſum Nili exundantis & reſidentis exactè convenit eventui.

Verſ. 9. Eſt quaſi propoſitio, & denunciatur maximus mœror & λύπεία.

Quoad literam *Sol in meridie* ab hora ſexta uſque ad nonam *obtenebratus* fuit in morte Chriſti.

Et faciam tenebras terræ in die lucis. Significat illas tenebras, id eſt, indurationem, quibus perculſi ſunt Judæi eo tempore, quo Chriſtus lux mundi inter ipſos verſatus eſt. Sanè nullum alium *diem lucis* habuerunt unquam Iſraëlitæ, quàm quo Chriſtus ipſis ἐπεδήμησεν. Et hic eſt ille *dies*, quem ipſi exſpectant. Nam totum tempus Veteris Teſtamenti eſt tempus umbrarum.

Verſ. 10. Denunciatur *mutatio feſtorum* (quæ abuſu & faſtidio profanârant, verſ. 6.) *in luctum.* Quod ſanè factum partim ante excidium, per multas injurias Romanorum; partim in ultima obſidione, quæ facta eſt in Paſchate; partim exciſo templo & populo. Unde nec jam poſſunt, ubicunque degant, in bona conſcientia, quæ lætitiæ nutricula, feſta ſua agere. & *carminum in threnum.* Quid enim jam Judæis carmina, quibus olim laudes Dei decantabant, niſi threni? *Inductio ſacci* ſive *cilicii in lumbos ipſorum.* cultûs aſperi & duri. & *calvitiei in omne caput.* Ea ſunt ſigna mœroris ingentis. *Ponam id*, ſcilicet feſta & carmina, *ut luctum unigeniti*, quippe occiſo Filio Dei unigenito, *& extremum ejus*, ſcilicet feſti, *ut diem amarum.*

Rerum ordo in tota prophetia & conferta eorum, quæ in hac pericopa dicuntur, implementa, demonſtrant, hæc ad paſſionem Domini & judicium conſecutum non tantùm accommodari poſſe, ſed & debere.

Verſ. 11. *Denunciat famem & ſitim ad audiendum verbum Dei.* propter quam pervagentur per totam terram Iſraëlis, quæ verſ. 12. ſuis limitibus deſignatur, atque intelligi poteſt tota gens in toto mundo habitans: cujus effectus ſit animi deliquium in virginibus pulcherrimis & juvenibus. Non quaſi copiam legendi verbi Dei non ſint habituri, ſed 1. quòd invaleſcentibus traditionibus, & falſis interpretationibus incerti ſint futuri, quid pro verbo Dei debeant accipere, & ſic ab uno doctore ad alium vagentur. 2. quòd requiſituri ſint impletionem verbi Dei. 3. Sancti olim ipſum Deum loquentem verba ſua poſt Moſen & Prophetas, qui locuti ſunt ex terra, audire deſiderarunt. Neglecto autem Chriſto, jam in Judæis manet exſpectatio adventûs Chriſti, ex quo verbum Dei audiant.

Verſ. 13. *Virgines & juvenes* dicitur de caſtiſſimis & fortiſſimis in populo.

Verſ. 14. Denunciatur caſus omnium illorum, qui jurant per Deum, non in fide, ſed in ſuperſtitione, ſecundùm proprias adinventiones & traditiones patrum. Pro exemplo. Qui jurant per eum, qui colitur Samariæ. Quod Amos dicit, *jurare per culpam & reatum Samariæ.* Etiam Chriſti tempore Samaritani à Judæis diſſidebant, & Chriſtum æquè ac illi exſpectabant, ſuſpendentes judicium ſuum uſque ad illius adventum, & interim in ſuis peccatis perſeverantes. Eſtque Amoſi intentio, ſuperſtitionem Judæorum exſibilare, idque comparando eam cum iis, qui Dane colebant Deum non in ſinceritate & fide vera.

Via Beerſeba eſt is, qui quæritur in Beerſeba. In tribus hiſce locis, Samaria, Dane, & Beerſeba, Deus olim non præeunte mandato per ἐθελοθρησκείαν cultus fuit. Hic autem fuit typus eorum, qui putant, Deum omnino in terra colendum eſſe.

Quod

Quod etiam nunc eſt vitium Judæorum, quærentium Hieroſolymam, poſtquam Chriſtus in cœlum ſublatus eſt.

Cap.IX. 1. eſt illuſtratio verſ. 8. & 10. item ejus, quod verſ. 14. in fine dixerat. *Cadent, & non ſtabunt amplius*. Illuſtratio ea ſumitur

1. à cauſa, ſcilicet mandato *Domini ſtantis ad altare*. Id Sacerdotis eſt. Apoc. 8 : 3. Intellige Filium Dei miſſum à Deo in carne, offerentem, virtute dignitatis ſuæ & meriti ſui (quod per *Altare* ſignificatur in Apoc.) & Spiritûs ſanctificationis, preces ſanctorum. At hic ſermo eſt de altari terreſtri, cui non inſervit Chriſtus. Intelligitur ergo Chriſtus templum ſuum viſitans per judicium, & ſacerdotes umbris contendentes ſervire ab altari depellens, & templum cum altari deſtruens.

2. à definitione & diſtributione. Eſt

(a.) Deſtructio templi. *Percute malum*, id eſt, ſphæram, globum vertici vel angulo ſuperimpoſitum. Intellige culmen domûs ſive templi. & mandatur angelo, ut id tantâ vi percutiat, ut limina ipſa contremiſcant. Jubet porro *illa* omnia, tectum, parietes, *frangere in caput ipſorum*, quorum erat intrare in locum ſanctum.

(b.) Cædes. *Extremum illorum gladio cædam*. Intellige hoc de ſacerdotibus, quos ex templo expellit Dominus.

Notabile eſt in hiſtoria, quomodo Titus reliquias Sacerdotum, jam accenſo templo, juſſerit occidi. Joſ. ἁλώσ. 7 : 13.

Hæc cædes exaggeratur excluſione fugientium, & eorum, qui videbantur effugiſſe : ſcilicet Deo ipſos ſcrutante, & ex latebris producente.

Exemplum eſt in Simone Giora, qui ex cuniculis templi prodiit. Joſ. ἁλώσ. 7 : 20. item Johannes alter dux effugere non potuit. cap. 18. De Judæis Titus, aſpectis illorum munitionibus, miratus eſt, &, ut refert Joſ. 7 : 16. *Deo*, inquit, *adjuvante pugnavimus, & Deus erat, qui detraxit ab illis munimentis Judæos. Nam quæ hominum manus, aut quæ machinæ ad iſtas valerent?* Hoc eſt, quod Amos hic dicit: *Si aſcenderent in cœlum, inde dejicerem ipſos*.

Verſ. 3. Significatur, ne in inſulis quidem tutos fore. Ubi per hyperbolen dicit: *Si in maris fundo &c. ſerpens eos morderet*. q. d. Habeo ubique contra eos armatas creaturas. Morſus conſcientiæ ſine dubio gravis eſt Judæis in eo ſtatu.

Verſ. 4. Indigitatur gladius ex captivitate excitandus. Adde & Eſ. 6 : 13.

Factum id occaſione Bar Cozibæ ſub Adriano Cæſare.

(c.) Deſtructio politiæ & Diminutio populi ubique diffuſi extra terram & in terra. ℣. 5. *Domino tangente terram colliqueſcet, & lugebunt omnes habitantes in ea; & aſcendet ut Amnis tota, & reſidebunt ut fluvius Ægypti.* Politia Judæorum Deo tangente colliqueſcet, cum luctu omnium, qui ſe non maturè ab ea ſeparaverint. Ea colliquefactio illuſtratur pulcherrimo emblemate Amnis exundantis & reſidentis: qualis eſt Nilus. Populus exuberans & undique diffuſus refert amnem exuberantem. Idem diminutus ubique extra terram & in terra refert amnem in ſe redeuntem & ſubſidentem, ut non ampliùs tegat faciem terræ, ſed hinc inde in lamis & foveis aliquid deſidis & fœtentis aquæ reperiatur.

III. Defenſionem judicii contra objectiones. ℣. 6--10. Tria habet argumenta,

1. quòd eam perſonam rejecerint, quæ ſit divina. Id enim innuit, quando ex prædicatis veritatem & competentiam nominis *Jehovah* aſtruit. Et quidem hoc modo.

(a.) *qui*

(a.) *qui struit in cœlo gradus suos*, id est, qui suâ virtute ascendit in cœlum ad occupandum thronum, tanquam suum & à se ædificatum; is reverâ est Jehovah. Atqui is, quem vos rejicitis, propter quem hæ plagæ vobis infliguntur, ascendit in cœlum, velut gradibus suis & in thronum suum à semet exstructum, nimirum Christus. Ergo is est *Jehovah*.

Quòd *suis gradibus* ascenderit, probatur, quia dixerat antea, se ascensurum, ut Filium Dei, à quo exierit; ut qui priùs descenderit; qui sit unum cum Patre, qui faciat opera Patris, & similia. Quâ re factâ, non potuit de veritate dicti dubitari.

Minor est Ps. 16:11. Ps. 45:5. צלח רכב, *δίεχε*, *κάθε*. Ps. 110:1.5. Es. 53:8. לקח. Hos. 9:8. & inprimis Ps. 2:4. ubi Sedens in cœlo dicitur respectivè ad Dominum & Unctum ejus.

(b.) *Qui manipulum suum in terra fundavit*. Sensus est. Qui habet regnum inter homines, cujus cives ipse redemit, ipse colligit & colligat spiritu suo, & per fidem in se facit subsistere, & potentiâ suâ conservat; ejus nomen est Jehovah.

Minorem vide Es. 49:6. Ps. 118:2. Zach. 6:13.

(c.) *Qui vocat aquas maris, & eas effundit super faciem terræ*.

Habere filium potestatem in ventos & maria, ipse probavit, Matth. 8:27. In allegoria: Mundum, ut mare, facit inundare terram, id est, populum Israëliticum. Ita fecit extremas gentium inundare populum Romanum. Hæc Christus sibi attribuit in Apocalypsi tota. Et Prophetæ passim Christo judicium attribuunt & victoriam de hostibus.

NB. Potest etiam converti hoc argumentum. Qui in Scripturis appellatur *Jehovah*, is est, qui hæc omnia opera facit eo modo, quo Deus illa facit. Sed Filius vocatur Jehovah: quod nec Sociniani audent negare.

2dum caput Apologiæ est vers. 7. quòd Israëlitæ non sint *semen*, sive *filii* Abrahami, Isaaci & Jacobi; quia, *ut filii Cuschæorum*, sint ipsi, id est, ut quivis alienigenæ: tam aversi ab ipso, & tam infideles, quàm quivis Cuschæus esse possit.

At, inquies, Deus non potest abdicare *populum suum, quem eduxit ex Ægypto*. Respondet: Hoc beneficio nihil magis juris esse consecutos Israëlitas ad adoptionem, quàm Palæstinos, quos ex Caphtor, & Syros, quos ex Kir in eandem terram deduxit: nisi & Deum suum, qui illis se notificaverat, non gentibus, in fide recognoscant.

3tium caput Apologiæ est, quòd Judæi, ut erant refractarii, quoad gratiam non uno modo contra Deum murmurarent. 1. de ea desperando. ut Ezech. 18. ubi parœmia ipsis usitata refertur. *Comederunt Patres omphacem, & dentes filiorum stupent*. Cujus sensus est, Deum punire peccata parentum in filiis. 2. de ea nimium præsumendo. Putabant enim, fieri non posse, ut Christus ad ipsos veniens ipsis esset offendiculo, & rejectioni & sic punitioni. Nam Deum non oblitum fœderis sui. Respondet ad hanc murmurationem Amosus, 1. distinguendo profligationem regni peccaminosi, & domûs Jacobi. Illam ponit, hanc negat. *Regnum ἁμαρτωλὸν* dicit gubernationem per regem, Principes, Sacerdotes, & cætera, quæ ad reipublicæ formam pertinebant; quâ regebantur præceptis hominum, & ab illis judicabantur, & ἐξ τῶ δικεῖν αὐτοῖς castigabantur. *Domum Jacobi* vocat *semen promissionis*. *Domus* emphaticè *regno* opponitur. Non enim humanâ potestate, sed potiùs paternâ informatione & longanimitate ac charitate

tate Dei regnum amat propagari. 2. distinguendo agitationem Jacobi à perditione. Dicit, se agitaturum *domum Israëlis* tanquam cribro: sed ne lapillum quidem illius domûs (manet in allegoria) casurum in terram. Electi fideles cum cæteris exagitantur, sed non excutiuntur. 3. pronunciando contra peccatores populi sententiam gladii: idque in retaliationem securitatis, quòd (abusi verbo Dei, vel illud contemnentes) sibi spondere ausi fuerint, qui Deum in Christo rejecerant, malum sibi non adventurum, saltem illis non occursurum. idque quia Christum stante templo exspectabant, & præsupponebant, Jesum non esse Christum.

Jos. ἁλώσ. 7: 12. *Quod maximè illos ad bellum suscipiendum extulit, erat oraculum ambiguum in Sacris inventum Literis, quòd circa illam tempestatem ex ipsorum aliquis regione orbem habitabilem esset imperio subjecturus.* Hæc falsa fiducia, fatente Josepho, circa tempus excidii fuit redarguta.

SECUNDA PARS

PROPHETIÆ,

De Erectione Regni Davidis in Christo. vers. 11---15.

HIc duo membra sunt.

I. Promissio erectionis regni Davidis. ℣. 11. Observemus hic

1. Rem promissam. Ea triplex est.

(a.) Erectio Tugurii Davidis collapsi. *Tugurium Davidis* alludit ad promissionem Davidi factam. 2 Sam. 7: 11. *Domum faciet tibi Deus.* quod ipse David interpretatur 2 Sam. 23: 5. non pertinere ad domum carnalem, quippe non rectam cum Deo; sed ad fœdus æternum sibi fixum, expositum inter omnes & servatum, de salute Davidis & εὐδοκία. Notatur igitur per *domum Davidis* semen. Sed cùm *Tugurium* dicit sive σκηνὴν, *tabernaculum*, notat semen regnans & protegens sive præbens refugium populo, in quo salventur. Is Christus est, in quo est salus & justitia populo. Igitur erectio Tugurii Davidis est datio Christi. Cùm dicitur *Tugurium cadens*, sive *lapsum*, prophetia est clarissima, Regnum Messiæ antecessuram esse ruinam regni posterorum Davidis. Similiter ipse David, 2 Sam. 23: 5. Omnis salus mea & omnis εὐδοκία erit, *quum non germinabit* scilicet domus mea, id est, quum non existet ex illa *virga ad dominandum.* Ezech. 19: 14.

Sceptrum illud, & quidem domûs Davidicæ, in captivitate Babylonica desiit. Non tamen ita, ut simul legislator recederet. Lex enim etiam tum, saltem in exercitio partiali, veluti in circumcisione, respectu ad templum, (qui fundabatur in promissione restitutionis post LXX annos) discrimine ciborum &c. atque etiam postea in pleno exercitio fuit continuata.

(b.) *Reconcinnatio rupturarum in illis* scilicet *regnis* Israëlis & Judæ. Id futurum erat cum adventu Messiæ.

(c.) *Erectio destructionum Davidis*, id est, corporis Christi, qui ut filius

Da-

Davidis, ita etiam David nuncupatur. Cum hoc etiam intellige dispersionem discipulorum. Erit igitur resuscitatio Christi ex mortuis, quam sequitur recollectio & recreatio discipulorum, & tum ascensio in cœlum.

(d.) *Ædificatio Tugurii Davidis ut pristino tempore.* scilicet 1. in majestate & gloria non minore, quàm fuerit tempore Davidis: licet longè præstantiori. 2. in omnium tribuum conspiratione.

2. Tempus erigendi Tugurii Davidis. *In die illo*, id est, eodem tempore, quo Deus oculos intendet in regnum peccaminosum, ad illud exscindendum, & in domum Jacobi, ad illam salvandam, vers. 8. *erecturus sum Tugurium Davidis.* Conf. cap. 8 : 9. 10. & 9 : 1.

> In eventu patuit, quemadmodum & aliæ prophetiæ flagitant, in Jesu Christo hæc ante destructionem politiæ esse impleta.

II. Promissio bonorum regni. Sunt autem

1. Hæreditas gentium, vers. 12. *Ut hæreditent* scilicet reliquiæ; non enim ad peccatores Israëlitas id pertinet. Vide Es. 10 : 21. 22. (Ejus hæreditatis hæc natura est, ut dum gentes ambulant in vestigiis fidei Abrahami, Rom. 4 : 12. atque etiam illorum ex filiis Abrahami, quibus primò post resurrectionem Christi prædicatum est Euangelium, & qui in ipsum crediderunt, Act. 3 : 25. 26. ad communionem benedictionis Abrahami & reliquiarum, quæ est imputatio justitiæ, Gal. 3 : 19. assumantur.) *reliquias Edomi*, ante reliquas gentes, ut qui eo fine Israëlitis coaluissent, ut cum reliquiis Israëlis salvarentur.

> Ubi nunc sunt Idumæi, quos Christus hæreditet? Nisi jam venerit, & hæreditaverit.

Super quibus fuerit nuncupatum nomen meum, id est, qui nomen meum, jam manifestatum in virtute sua in Christo, profitentur, & invocant, & celebrant. Confer Joël. 3 : 5.

> Ex h. l. conficit Apostolus Rom. 10 : 14. vocationem gentium per Euangelii præcones Apostolos debuisse fieri.
>
> Rursus ex eodem colligit Jacobus & Apostoli, Act. 15 : 17. Deum decrevisse gentes justificare & salvare per fidem absque onere legis. Fundamentum autem hoc concludendi ex isto loco est duplex: 1. quòd hic unicum medium communionis justitiæ ac benedictionis exprimitur, *nuncupari à nomine Dei*, id est, se Christo addicere in populum & peculium, & ejus beneficio, quod est in redemtione, publicè apud omnes gloriari. 2. quòd opera Dei testentur de decretis ac sensu Spiritus loquentis in Scripturis. At Cornelius incircumcisus, Deo ordinante, in communionem sortis sanctorum in luce erat assumtus.

Obsignat hoc bonum Israëli per *Verbum Dei*, & *Propositum efficax*. Primum his verbis proponit. *Ait Jehovah*, id est, qui hoc modo, & per hoc beneficium fit, quod est. Fides gentium est res firmi propositi, per verbum declarati, & ad credendum propositi, & per fidem & spem sanctorum ratificati, atque in vim fœderis & contractûs traducti. Posterius, nimirum efficacia Dei, his verbis significatur. *Qui facit hoc.* Dei id opus est, adeoque nemo potest efficere, ut Israël hæreditatem gentium non cernat, id est, ut electi non salventur.

NB. Pro eo, quod nos sic vertimus, *ut hæreditent reliquias Edomi & omnes gentes*, legimus Act. 15 : 17. ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον καὶ πάντα τὰ ἔθνη. Apparet, Lucam retinuisse ver-

 sionem

ſionem LXX interpretum. qui, quantumvis hallucinati fuerint in quibuſdam vocabulis (dum יירשו mutarunt in ידרשו & אדום in אדם, & addiderunt τὸν Κύριον) nihilominùs rem ipſam dixerunt. Nam *Edom* & *gentes* non fiunt hæreditas, niſi quando incipiunt *requirere Dominum*. Videntur autem per καταλοίπους ἀνθρώπων in contradiſtinctione cæterarum gentium homines Palæſtinæ vicinos & ab Iſraële diſcretos intellexiſſe. inter quos Idumæi.

2. Abundantia. verſ. 13. In primo colo ſignificatur pax, & imperturbata agricolatio, cum benedictione divina. Unus metet, alter ſtatim arabit. Unus ſparget ſemina in agro arato, alter ſimul calcabit uvas, ut ultimo anni tempore fieri ſolet. Continuum opus erit, continuus fructus. *Aratio* in agro Domini eſt lancinatio conſcientiæ per legem, ad extirpationem vitiorum. *Satio* ſalutaris ſeminis Euangelici per doctrinam inſertio. *Meſſis* exactio fructuum fidei in operibus charitatis. *Vindemia* exactio fructuum fidei in paſſionibus ad lætificandum animum demonſtratione conſolationis & lætitiæ ſpiritualis. Confer Hoſ. 10: 12. 13.

Altero colo notatur ubertas ſermonis juſtitiæ lætificantis animum in omni parte mundi. Adde Joël. 4: 10. Oppoſitum id eſt *fami* & *ſiti* Judæorum. de qua cap. 8: 11. Quæ oppoſitio etiam eſt Eſ. 65: 13. 14.

3. Vindicatio & reſtitutio Eccleſiæ aſſidua. verſ. 14. 15. Adde Deut. 32: 36. *Per populum Dei Iſraëlem* intellige cœtum Iſraëlis pertinentem ad tabernaculum Davidis, pro hæreditate poſſidentem reliquias Edomi & gentium, ſuper quibus nuncupatur nomen Dei, id eſt, Eccleſiam Chriſtianam. Hic intelligitur, tempus Eccleſiæ Chriſtianæ, poſt reædificationem Tabernaculi Davidis, eſſe duplex,

(a.) Decrementi ſive ejulationis & jacturarum.
(b.) Reſtitutionis.

Decrementa & jacturæ hic notatæ ſunt duæ: Urbium, vinearum, hortorum deſtructio: & Avulſio ex terra ſua. Quod primum eſt, ponitur ultimum. *Avulſio ex terra* cœpit fieri, quando Eccleſia Chriſtiana ſeparata fuit à populo Judaïco, ita ut ei non poſſet ampliùs cohabitare, ad eum vocandum. Continuata eadem eſt, quando Eccleſia coacta eſt à multis locis, in quibus antea hoſpitata fuerat & floruerat, fugere & ſecedere. Ita ex Palæſtina, ex Aſia pleraque & Ægypto ſeceſſit. Etiam Antichriſtus in Occidente eam ejecit è medio ſui cœtûs. Promiſſio ſpondet

(α.) Libertatem *reædificandi* deſtructa & habitationem ſecuram, cum cultu vinearum & hortorum. quæ celebrationem congregationum ad ædificationem ſignificant.


(β.) *Plantationem in terra*, id eſt, reductionem Euangelii in loca, unde depulſum erat, & Judæorum converſionem, eorumque in Palæſtina ipſa cum gentibus inibi habitantibus ad regnum Chriſti congregationem.

Saltem Eccleſia Chriſtiana 1. non minùs florebit, quàm antea. 2. non minùs latè patebit Eccleſia Reformata, quàm olim Eccleſia Chriſtiana ante tyrannidem Antichriſtianam. 3. non minor erit numerus Judæorum ad Chriſtum accedentium, quàm olim tempore Davidis aut Solomonis.

ANA-

ANALYSIS &c.

OBADIAE.



Umma Prophetiæ hujus hæc est. Alicui genti aut generi hominum, sub nomine Edomi, unà cum aliis gentibus, comminatur abolitionem: Contrà promittit populo Dei, sub nomine Zijonis, liberationem ex captivitate & hæreditatis pristinæ restitutionem & amplificationem reipublicæ & regnum Dei.

Eadem prophetia magnâ parte exstat apud Jeremiam cap. 49. & Ezech. c. 25. & 35. Et Esa. 34.

Habetur in hac prophetia

A. Inscriptio sive titulus. vers. 1. *Visio Obadjæ*, id est, descriptio sive narratio ejus, quod vidit Obadjas, Deo revelante.

B. Sermo ipse Prophetæ. In eo est

I. Præfatio Prophetæ narrantis verba Dei ℣. 1. part. 2. Nominat

1. Auctorem verbi. *Sic dixit Dominus*, qui habet proprium peculium, Pater & Christus per Spiritum suum hæc loquuntur, *Jehovah*, qui idem est Jehovah.

2. Objectum. *ad Edomum*, id est, Idumæos Judæis permixtos. A Johanne enim Hyrcano sunt subjugati & coacti circumcidi. Jos. Ant. 13:17. Antipater & Herodes filiique ejus Idumæi denique cum Judæis rebellarunt Romanis, & ad templum commune defendendum venerunt Hierosolymam; nec tantùm Idumæos & Judæos istius ætatis compellat, sed etiam eorum reliquias superstites futuras usque ad conversionem, quando fient hæreditas Ecclesiæ, Amos. 9: 27. quemadmodum olim Esau, licet primogenitus, datus fratri minori hæreditandus. Num. 24: 18. & Gen. 27.

3. Propositionem conceptam ut personarum divinarum à Patre missarum edit. *Audivimus* ego Filius, & Spiritus Sanctus *à Jehova*, Deo Patre, & missi sumus ad testandum, *auditionem*, κήρυγμα, rem prædicandam Patris de Filio suo, in quo beneplacitum habet; cum damnatione omnis justitiæ carnis. Hoc κήρυγμα sive Euangelium Pater promulgavit, *& legatus in gentes missus est*. Jam Apostoli in totum mundum sunt missi ad vocandum gentes, non ad servitutem, sed ad libertatem. Ea jam signa sunt, decretum esse nostrum trium Testium oppugnandi spiritualem Botsram tanquam sedem servitutis.

NB. Jeremias cap. 49: 14. eadem verba ad gentes dirigit, hoc modo. *Auditionem audivi à Domino, & legatus in gentibus mittitur: Congregamini & surgite ad bellum.* Utrobique est eadem res. Deus enim congregando gentes adversus suos inimicos, ipse contra eos proficiscitur. Et Deus suis servis propositum suum de gratia in Filio manifestavit, & in tempore promulgavit, ut potuerit aliquis eorum dicere, Auditionem (nota emphasin ejus contradistinctè ad ἐπαγγελίαν) audivi à Domino. Nec priùs gentes erant congregandæ adversus Hiero-

rosolymam, quàm Apostoli in gentibus Euangelium prædicarent. Tantùm diversa emphasis hoc vel illo loquendi modo indicatur.

II. Verborum Dei repetitio, *inde ad finem*. Est in his

1. quod ad judicium in gentes pertinet, ad ℣. 17. Est hic

(a.) hypotyposis excidii ejus populi, qui sub nomine Edomi spiritualiter proponitur, tanquam effectus decreti divini propositi vers. 1. part. 2. cum exsibilatione omnis fiduciæ ipsius. ad ℣. 10. Ea continet

(α.) *Summam* quandam. ℣. 1. *Ecce, parvum te reddidi in gentibus*, 1. non ampliùs *populum*, sed *gentem*, quæ olim inter gentes non numerabatur. Num. 23:13. 2. præ reliquis gentem vilissimam & contemtissimam. Id excidio plenario durius est, præsertim cùm is, qui ita dejicitur, antea præ cæteris & sapientiâ, & divinâ præsentiâ, & gloriâ ac splendore in mundo gavisus sit.

Eadem habet Jerem. 49:15. nisi quòd in fine. *Spretum in hominibus*, id est, inter vilissimos homines.

(β.) Exegesin. Ea habet accusationem vanæ fiduciæ, & destructionis explicationem. *In genere* irridet superbiam animi. vers. 3, *Superbia cordis tui imposuit tibi*, id est, protervia illa, quâ non humiliatus es coram Deo, ut te subjiceres ipsi, nihil profuit tibi, sed te decepit. De hac זדון protervia prophetat Moses Deut. 29:19. 20.

Jeremias addit ℣. 16. תפלצתך.

In specie vanam fiduciam *in munitissimis urbibus*. ℣. 3. colo alt. & ℣. 4.

Arduæ & munitissimæ fuere urbes in Palæstina. quod & exploratores terræ Canaan retulerunt. Talis inprimis erat Hierosolyma, in Scripturis & à Josepho prædicata. Iis magis, quàm Deo Judæi confisi. nam quomodo poterant Deo fidere, qui Christum rejecissent? Eadem habet Jeremias.

In thesauris. vers. 5. 6. Hisce similia habet Jer. 49:9. 10. Scopus horum verborum est, ostendere, talem esse despoliationem Israëlitarum, ut appareat, eam non avaritiæ hominum, qui capiunt, quantum satis est, & postea abeunt; neque castigationi paternæ Dei, quæ per *vindemiam* significatur, quæ semper reliquias aliquas reliquerat, more vinitorum, qui uvas vel maturas, vel putridas solent ablegere, immaturas ad racemationem relinquere, sed divinæ iræ & manui esse deputandam, non ad repurgandum, sed ad exstirpandum. Ideo dicit ℣. 6. *Quomodo vestigati sunt Esavi, perquisiti sunt thesauri ejus?*

Præcipuè admirabile est, quòd quæsitum est aurum Judæorum in ventribus ipsorum, quum cognitum esset, unum atque alterum id deglutivisse. Item, quòd Simon Gioras præcipuus tyrannus ex cloaca in solo templi ipse prodiit, & sese in triumpho ducendum tradidit. De ea ira est Deut. 29:21. 32:22. Et hoc clariùs exprimunt verba Jer. 49:10. *Nam ego nudavi Esavum, revelavi latibula ejus, & non potest se occultare*. Quod ad opes attinet, eas in templo captas, asseverat Jos. 7. Bell. Jud. cap. 11.

In amicis. vers. 7. Hic irridetur 1. vana fiducia in fœdere cum Romanis, & pace cum illis, cujus amittendæ metu Christum tradiderant. Ea pax & confœderatio etiam Hos. 2:7. 8. indicata est. 2. Traducitur vana fiducia in terra Canaan. quæ ipsis esset data in hæreditatem: cum accusatione imprudentiæ & ἀσυνεσίας. quòd scilicet ne tum quidem, cùm Christus ipsis intersepivisset viam ipsorum, ut non

non possent attingere amasios suos, cum quibus fornicabantur, cognoscerent, quis ipsis templum, urbem, terram, & fructum ejus, *panem* dederit. Hos. 2:8. 9. 10. & confer Deut. 32:28. 29.

Vanæ verò fiduciæ opponit, 1. quòd amici ipsos *deceperint*, id est, exspectationem eorum fefellerint. Nam illi exspectabant ab ipsis libertatem & *αὐτονομίαν*.

Romani reges dederunt pro lubitu: constituerunt ipsis tribunalia; eripuerunt ipsis jus vitæ & necis, atque ita exercendæ legis forensis omni parte; redegerunt Judæam in formulam provinciæ; censui subjecerunt.

2. quòd *eis prævaluerint*,

Occupatâ totâ regione, expugnatis arcibus, ut Jotapatâ, à Josepho fortiter defensâ; expugnatâ denique urbis parte.

3. quòd *eis*, inclusis scilicet, *dederint stercus ipsorum comedendum*.

Titus, expugnatâ urbe inferiori, murum circumduxit templo & superiori civitati: ita ut fame cogerentur ad deditionem. Confer prædictionem Christi, Luc. 19:43.

4. quòd *ipsos usque ad terminum ultimum propulerint*, id est, nullam partem ipsis reliquerint, quam ut suam habitarent.

Id sub Adriano confectum est. Notandum, quòd anno 134. Olympiade 228. tertio, Adrianus ademerit Judæis potestatem introëundi Hierosolymam. Blondell. præfat. Apol. p. 16. Euseb. lib. 4:6. Et scitum est, à Judæis appellari גבולין *terminos*, loca ab Hierosolyma discreta. ut in Canone de pronunciatione nominis Tetragrammati.

Obiter hîc indicatur instrumentum excidii populus Romanus fœderatus. Bileam, ex qua plaga venturi essent, ostendit Num. 24:24.

In sapientibus. vers. 8. Ostendit autem, fore Judæos absque *sapientia Dei*, id est, absque cognitione mysterii de sanctificatione nominis Dei per obedientiam Christi, & fidem in illum; (Potest id etiam ad politicam sapientiam extendi.) & absque *prudentia*, quæ consistit in electione illorum, quæ faciunt ad assecutionem justitiæ Dei, & alienorum omnium rejectione.

Omitti non debet, quod memorat Josephus, de Bell. Jud. 7:12. maximè Judæos fuisse ad bellum instigatos per oraculum ambiguum in Sacris libris inventum, quòd eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Multos sapientes in ejus dicti interpretatione fuisse deceptos. Hoc autem responso, inquit Josephus, Vespasiani designabatur imperium, qui apud Judæam creatus est Imperator. Ostendit Josephus, quanta ignorantia in illo populo tunc fuerit. Et quam vim oportet illos ex eo tempore fecisse conscientiis suis, ut damnarent spem Messiæ, ut vetarent computari tempora, ut fingerent, Christum venisse quidem, sed necdum esse manifestatum; conditionatam fuisse promissionem; alii, ut Barcochebam sequerentur; alii, ut ex astris adventum Messiæ prædicerent, ut quidam R. Abraham, de quo Picus Mirandula; quem sequitur Abarbenel, ad Es. 65:17. (ubi memorat, se ea de re & alibi locutum. nempe conjunctionem magnam Saturni & Jovis in Piscibus, quam dicit factam anno sexti millenarii 224to, id est, A. C. 1464. Israëli libertatem & restitutionem polliceri.

Sed

Sed illa somnia dies prostituit.) Denique ut totam Scripturam Propheticam nefariis modis contorserint. Adde Jer. 49: 7.

Denique *in fortibus*. vers. 9. Eos dicit *consternatos fuisse propter occisionem*, id est, ut pavidos inclusos fuisse muris Hierosolymæ. Et plurimi pavitarunt, & bellum illud noluerunt.

Alii scelerati nebulones hinc inde manum sibi fecerunt. Hi verò inter se digladiati sunt, seque mutuis cladibus insanum in modum laniarunt & populum oppresserunt; non tamen multa fortitudinis specimina ipsi ediderunt in hostes.

Hoc autem quare factum est? Indicat Obadjas, *ut exscinderetur Vir*, id est, Senatus, Sacerdotes, Principes populi, *à monte Esau*, id est, à monte templi, ubi sedes principum erat. Qui mons eo tempore, quum vastaretur, non mons Dei, sed Edomi erat.

Id directionis erat divinæ. Si enim extra Hierosolymam debellatum fuisset, poterat Senatus, populus, Sacerdotium conservari: quod & valde volebat Titus. Nunc oportuit eos in templo suo oppugnari, & portionum cremandarum ab ipsis latronibus fieri initium, & Tito nolente ignem in templum injici, & insuper sacerdotes ut supervacuos mactari. Joseph. Bell. Jud. 7: 13.

(b.) Ætiologia judicii summaria. ℣. 10. 11. Judicium ipsum appellatur כרת *excidium*. Intellige secundùm analogiam loci tale excidium, per quod relinquatur parva gens in gentibus sine omni magistratu & ducatu, id est, nunquam restituendam esse rempublicam Judaïcam. Connexum judicii est *pudor opprimens*, nempe in confusione spei suæ omnis, de qua spe in præcedentibus. Æquitas judicii demonstratur ab *injuria*, & quidem per vim & malitiam commissa in Jacobo fratre. Hìc omnis Edom tam carnalis & separatus à republica Israëlis, quàm spiritualis & eidem adjunctus, uno judicio percellitur. Ita Judæi abnegantes Christum constituuntur hæredes profanitatis & injuriarum Edomi, quas ullo tempore in Ecclesiam, quæ semen Jacobi, exercuit, & omnis ea vis in Edomo hoc novissimo, id est, Idumæis, & sociis Judæis degeneribus, punietur. Injuria est 1. *stare ex adverso*, ἀντικεῖσθαι Ita obstitit Edom fratri suo Jacobo adeunti hæreditatem suam. 2. *associari hostibus in captivatione copiæ ipsorum*, *& in oppugnatione urbium*. Omnes hi erant actus profanitatis, quâ irridebant spem Israëlis; & odii, quo persequebantur ipsum gloriantem in divina promissione & benedictione. Vide historiam 2 Chron. 20: 10. 2 Reg. 8: 20. 21. 22. 2 Chron. 28: 17. Thren. 4: 21. 22. Idem crimen Judæorum in societate Idumæorum. Nam spem Israëlis veri irridebant & persequebantur.

(c.) Præmonitio ad Edomum, à quibus malignitatibus debeat in posterum abstinere, si velit evadere judicium antea descriptum. vers. 12. 13. 14. *Et*, q. d. nunc itaque, priusquam ille dies veniat, ab hisce peccatis cave.

1. *In die fratris tui*, id est, quando visitabitur frater tuus. Is in contradistinctione filiorum Judæ decem tribus Israëlis erant. Visitatio autem illa continuatur usque ad נכר *alienationem*, id est, abjectionem à facie Dei. Vide 2 Reg. 17: 23. Ea est in abductione decem tribuum. Tunc *ne spectes*, id est, ne revoces ad animum & annotes, cum cogitatione, nihil Jacobo profuisse benedictionem.

2. *In die perditionis filiorum Judæ*, id est, quando in exilium Babylonicum deportabuntur, sicque pro non populo habebuntur, Hos. 1: 9. Tunc *ne læ-*

teris

teris super ipsis. Lætaturus enim erat Edom, quasi sublatâ sude ex oculo.

3. Et *in die angustiæ filiorum Judæ*, id est, quando reducti affligentur ab Antiocho. *ne magno ore utaris*, id est, ne magna loquaris, sive cachinnum tollas. Nam videbatur planè in contrarium vertisse, quòd Judæi ex captivitate reduces templum urbemque ædificaverant. Cultus enim Dei sistebatur, idololatria in templo erigebatur, populus sibi faciebat præputia, legem abnegabant multi & comburebant, reliqui maximis pœnis ad sacrificandum idolis compellebantur.

4. Quum deinde habebo *populum* peculiarem, redemtum sanguine meo, ac in me ut manifestatum in carne credentem, Hos. 2:1. Et cùm, me sponso eorum ab ipsis sublato, diem luctûs & tristitiæ habebunt. Ibi tu, Edom, *ne intres portas ejus*. ne judiciis populi mei te intempestivè misceas.

Herodes Antipas gente Idumæus Hierosolymæ fuit, quum Christus judicaretur, & is ad ipsum deductus est, & ab ipso contemtus & remissus ad Pilatum, quum non faceret ad votum ejus miraculum. Herodes Agrippa Jacobum interfecit, Petrum in carcerem conjecit. Deinceps, cùm malè ageretur cum populo Dei, saltem spectatores fuerunt Idumæi: atque, ut de præcipuis ipsorum dicamus, quum impedire possent, passi sunt Christianos vexari, ut Rex Agrippa in Actis, cap. 26: 28. 32. *Immissio* manûs facta est à Pontificibus, Pharisæis, & civibus Idumæo animo & fide præditis. Sic Jacobum fratrem Domini interfectum memorat Jos. Ant. 20: 8. Quomodo Idumæi Hierosolymam venerint ad ultimam obsidionem sustinendam, narrat Jos. 4. Bell. Jud. c. 7. notans, tum tempestates & tonitrua horribilia fuisse. Ipsorum crudelitas in pacatos fuit enormis exinde. *Effugientes* optimè intelliguntur, qui conservati tum à morte indurationis, tum à persecutione Senatûs, in gentibus prædicarunt Euangelium. Iis ubique in omni quasi via restiterunt Judæi, & contra illos persecutiones excitarunt. *Residuos* verò *tradiderunt* in manus gentilium, quum eos primò calumniis suis odiosos effecissent. Unde gravissimæ persecutiones exortæ sunt. Quod & Justinus Martyr non dissimulat in Dialogo cum Tryphone, cujus verba citat Eusebius. Vide Comment. Cl. Coccejі.

(d.) Complexio judicii in omnes gentes vers. 15. 16. Præmonitioni adjungitur ratio. Ne ista facias, *quia* dies Domini instat, quo scilicet ista futura sunt, quæ antea sunt per hypotyposin expressa.

NB. ex præmonitione illa de circumstantia judicii gentium posse judicari. Suprà vers. 1. Quum audita fuerit à Domino Auditio sive prædicatio; & Legatus, Nuncius Euangelii, fuerit missus in Gentibus, tunc congregate, &c.

Dicit autem, quòd primus Edom, id est, Judæus Edomo conglutinatus sit laturus judicium suum. Id dicitur duobus colis. *Quemadmodum fecisti, fiet tibi*: *maleficium tuum redibit in caput tuum.* Æquitas astruitur jure talionis. Solent Rabbini, quando bis idem repeti videtur, statuere, id diversi esse temporis designationem. Et ita bis experta est Dei manum Edom;

Sub Tito & ub Adriano.

Deinde, quòd *omnes gentes similiter acturæ sint semper*, non interruptâ serie, cum Ecclesia, atque Idumæi, eorumque similes Judæi cum ea egerunt. *Ut bibistis, bibent.*

Eæ gentes sunt 1. Draco Apocalypticus. 2. Bestia Apocalyptica, & ipsius capita, inprimis octavum cum suis regibus.

Denique quòd post illam bibitionem *sint futuræ gentes ac si non fuissent.* Dixit id brevius Bileam, Num. 24 : 24.

Hæ gentium conversiones in aliis prophetiis speciatim explicantur, inprimis in Daniele & Apocalypsi.

Pars secunda verborum Dei pertinet ad gratiam exercendam erga populum Dei electum. à vers. 17. ad finem.

Tenendum est, Regni Dei revelationem esse duplicem. 1. in abolitione servitutis Judaïcæ. 2. in abolitione Antichristi. De tempore prioris manifestationis regni in superioribus vidimus. Deinde supplicium gentibus denunciatum, vers. 15. 16. ulterius tendit: Conveniens igitur est, ut hæc consolatio coëxtendatur prænunciationi terroris & tentationis.

Habentur igitur hic

1. Conservatio reliquiarum effugientium in Sijone. vers. 17. Sic vers. 14. Effugientes ejus. Innuit, quum manifestatus fuerit rex in Israële Filius Dei, tum non omnes esse credituros, sed tantùm secundùm promissionem *confugituros esse*, qui salventur per justitiam fidei, Hab. 2. *ad montem Sion*, id est, ad Christum Novi Testamenti annunciatorem, in monte Sion revelatum.

2. Effusio Spiritûs Sancti in reliquias. *Et erit Sanctum*, id est, Deus faciet illas reliquias templum & domum suam: & unget illos Spiritu Sancto. Dan. 9 : 24.

3. Κληροδοσία. *Et hæreditabunt domus Jacobi hæreditarias portiones suas.* Fideles omnium tribuum in vestigiis Jacobi ambulantes singuli hæreditatem aliquam sortientur inter gentes, Deo aperiente ostium prædicationis. Idque in compensationem perditæ hæreditatis terrenæ. Deut. 34 : 14. 15. 16. 17.

4. *Consumtio Edomi.* vers. 18. Ea tribuitur *domui Jacobi*, & inprimis *domui Josephi.* Intelligitur consumtio Judæorum per Christianos, postquam fuerit Edom effectus parvus in gentibus; scilicet ut sacro & spirituali bello ab iis vincantur, & ad æmulationem ab illis excitentur, & sic paulatim Judaïcus error & Synagoga deseratur.

5. Hostium subactio sub pedes Ecclesiæ ad possessionem. vers. 19. 20. Ecclesiam in duas partes dividit. 1. Qui patrias sedes obtinent. Australes, Planiciei incolas, & Benjaminem. 2. Exsules in duplici plaga. Illis tribuit acquisitionem montis Esavi & Philistæorum, & recuperationem agri Ephrajimi, & agri Samariæ & Gileaditidos. Innuitur hic præcedens Ecclesiæ diminutio secundùm quasdam veluti tribus & partes terræ.

Exsules quod attinet, id est, dispersos inter alienos ab Ecclesia, duplices facit. 1. *Exsules muri illius.* Credibile, quòd innuat Samariam. vel, *copiæ hujus filiorum Israëlis*, id est, illi filiorum Israëlis exsules, qui ad copias pertinent, & sunt aliquo modo separati. Eos dicit *Cananæos*, q. d. in Cananæa & ut Cananæos viventes *usque ad Sareptam*, quæ est in finibus Sidoniorum. 2. *Exsules Hierosolymæ, qui sunt in Sepharad.* Locus olim notus.

In genere innuitur. Quòd in multis gentibus sint futuri exsules Israëlis ultimo tempore redituri ad sua, id est, ad unionem & libertatem Ecclesiæ. Nominatim verò duplicem captivitatem, unam Cananæorum, alteram ex Hierosolyma Sepharadæorum collocat in urbibus Australibus ad occupandum montem Esavi, si licet hoc comparare cum ℣. 19.

Deus

Deus novit, quos elegerit ad hoc, ut Judæorum Synagogas reducant ad Deum. Quum id fiet, sine dubio & causa denominationis hujus patebit.

Exules Cananæi fortè ii, qui jam adhuc captivati sunt à Pontificiis. Et, si concedamus per *Sepharad* Hispaniam intelligi, quæ vel maximè se opponit Euangelio, id efficietur, Christianos inibi oppressos vel Judæos ibi dispersos in Christi fide obtenturos partem in terra Dei & libertate Ecclesiæ.

6. *Excitatio servantium in monte Sion ad judicandum montem Esau.* Si spiritualiter id intelligendum, *salvantes* sunt ii, qui veritatem demonstrant ex verbo, ut judicentur errantes in conscientiis suis & compuncti serventur.

Sin literaliter, tum per montem Esau erunt intelligendi similes Idumæis, qui persequuntur Ecclesiam, in quibus, ut analogis, Edom porro judicandus sit per gladium eorum, quos Deus excitaturus sit ad salvandum Ecclesiam. Confer Es. 19:20.

7. Abolitio omnis tyrannidis, & propagatio regni Dei inter gentes.



ANALYSIS &c.

JONÆ.


Onas ex Gath-Chepher, loco tribûs Zebulun, Jos. 9: 13. inter Sephorim & Tiberiada, ut docet Hieronymus, oriundus fuit. 2 Reg. 14: 25. Filius Amithæi. ibid.

Potest vixisse tempore Jeroboami II. & ipsi auctor fuisse nomine Dei expellendi Syros ex urbibus trans Jordanem sitis. 2 Reg. 14: 25. Ex quo loco apparet, eum alia etiam prophetasse.

Argumentum Prophetiæ Jonæ.

Notatur hic historia
I. Missionis Jonæ ad prædicandum Ninevitis, usque ad cap. 3: 3.
II. Prædicationis. cap. 3: 3. 4.
III. Humiliationis Ninevitarum. cap. 3: 5—9.
IV. Clementiæ Dei erga humiliatos, ejusque defensio. cap. 3: 10. usque ad finem.

Scopus præcipuus est, typum explicare mortis & resurrectionis Christi Domini, prædicaturi & daturi gentibus pœnitentiam: & proponere argumentum ac pignus redemtionis filiorum Dei ex morte propter Christum, & clementiæ exercendæ in gentibus.

In Parte Prima est,

1. Mandatum Dei Jonæ datum. Cap. 1: 1. 2. *Et* (in continuatione librorum sacrorum ea particula non est supervacua) *factum est. ἐγένετο.* Pervenit ad illum, insinuatum est ipsi, *verbum Jehovæ ad Jonam* &c. Mandatum illud est,

(a.) *ut abiret Niniven urbem illam magnam*, quòd scilicet eâ tempestate nulla major esset. Id significat; ne deterreat te illius magnitudo & potentia.

(b.) *ut ibi prædicaret*, & quidem *contra illam*. Grave id erat, alieno, in urbe tam magna, quibus Deus hactenus non miserat Prophetas, prædicare, & quidem contra illos, in quorum manu futurus erat. Argumentum prædicationis. *Quòd ascenderit* &c. vel Ratio ejus: *Quia ascendit malitia illorum coram Deo*: in eum cumulum aucta est, ut flagitet vindictam divinam. Ea malitia inprimis in eo consistit, quòd vera religio oppugnetur, vel blasphemia imperetur, & homines ad eam cogantur.

2. Fuga Jonæ. vers. 3. Pro eo, quòd debebat Jonas ire Niniven, profectus est *Tarsisam*. nimirum vel in mare magnum, vel ad regionem Tarsis, id est, vel in Ciliciam, in qua Tarsus patria Pauli: ita non multum deviasset, (nam Ninive & Tarsus in Boreali climate utraque) sed tantummodò quæsivisset ambages; vel Tunetem sive Carthaginem in Africa, vel Tartessum in Bætica Hispaniæ. *à conspectu Jehovæ*, sive, *ne staret coram Jehova*, id est, ne ministerium prophetæ magis

gis in terra sua obiret. Quippe cogitabat 1. futurum, ut quum judicium Ninevitis secundùm prophetiam suam nou infligeretur, quòd sciret Deum esse misericordem erga pœnitentes, tum in populo suo prophetiam jam tantopere irrisam magis in ludibrium cessuram; quod pati vir pius non potuit. 2. certè putare potuit, Deum hoc mandatum ipsi dedisse, ut pœnam inobedientiæ Israëlis; quemadmodum postea Apostoli missi ad Judæos, illis refragantibus veritati, in pœnam ipsorum ad gentes missi sunt. Et præsagiebat animus, fore, ut tunc quidem non periret Nineve, sed ad sermonem ejus humiliarentur in opprobrium gentis suæ tot prophetarum oraculis non reductæ ad meliorem frugem. Hæ causæ fuerunt, cur tergiversaretur, & in exilium se voluntarium conjiceret, si quâ ratione Deum exorare posset, ne cogeretur subire ministerium tam durum. Nec enim putandum est, propositum fuisse viro pio, planè non obtemperare. Causas tergiversationis vide Jon. 4: 2.

3. Divina gubernatio, quâ fuga Jonæ impedita est, & medium obiter factum est revocandi Jonam in viam, in quam miserat ipsum. Hic autem distincta Dei opera sunt advertenda.

(a.) Immissio tempestatis; cum ejus connexis. vers. 4. 5. 6. Hic animadvertendus est timor nautarum, qui ad preces conversi sunt. *Clamaverunt* autem *quisque ad Deum suum*. Inter ea enim, quibus Deus se non intestatum relinquit gentibus, quas alioqui sinit viis suis incedere, sunt tempestates. Et Theologia naturalis, sive opinio radicata in conscientia animadvertente dictatus suos & opera Dei, se maximè exserit in periculis. Cujus hic specimen est. Apparet etiam, gentes, quando se putant sapientes esse, stultas fieri. Ita in precibus Sciunt, Deum adorandum esse. Tertull. in testimonio Animæ, cap. II. ostendit, Gentes, quando seriò agunt, Deum unum nominare. Hic tamen vis δεισιδαιμονίας noscitur. Partiebantur divinitatem in plures. Eos colebant vel cum delectu, vel fluctuanti fiducia quoscunque poterant nominare; sperantes, inter omnes fore saltem unum, qui invocantibus subvenire & posset & vellet. Igitur & nauclerus sic Jonam excitat, suum uti Deum invocet monens, si fortè in eo momentum ad salutem esset.

Spes naucleri est in his. *Fortasse serenabitur nobis Deus.* Quando nominat nnum Deum, id facit, quod Tertullianum audivimus dicentem, Paganos, cùm seriò agunt, unum Deum nominare. Sed rursùs, quum dicit, *serenetur*, quod cœli propriè est, *cœlum* pro *Deo* habet, & quidem summo. vel metaphoricè id potest accipi. q. d. Fortasse non abscondet faciem suam à nobis Deus, sed lucem vultûs sui attollet super nos, ut videamus faciem ejus in jubilo. Notandum etiam, stilum profanum imitari sacrum, sed absque scientia.

(b.) Denotatio Jonæ per sortem. vers. 7---10. Temeraria sortitio fuit instituta ad deprehendendum arcanum Dei sine jussu ipsius. Nihilominùs Deus & permissionem hujus temeritatis intexuit consilio suo ad perficiendum opus suum. Exemplum hic est, quomodo eadem in re possit esse manifestatio divini secreti & illusio Diabolica. Satanas per sortes, per oracula, & divinationes gentiles fascinavit. Deus in iis secreta sua patefecit & se non reliquit intestatum. Secreti manifestatio Deum arguit & σοφίαν: temeritas & superstitio Spiritum deceptorem. qui etiam in oraculis tortuosis & ambiguis convincitur.

Vers. 9. & 10. in Jona proponitur exemplum hominis amantis Deum. 1. in confessione spei & religionis suæ. *Hebræus ego sum*, id est, hujus non tantùm natio-

nis & populi, ſed & religionis. neque eo contentus fidem ſuam exponit. Quando *Deum cœli* nominat, oſtendit eum, qui ex cœlo non tantùm ſe patefecit operibus quotidianis, ſed & fœdus ſuum notificavit hominibus, nimirum Adamo, Noacho, Patribus, & Iſraëlitis in deſerto. Quando eum ſolum nominat, omnes Deos aëreos, terreſtres, marinos, fluviatiles abnegat. Quando *Jehovam* dicit, unum ſe credere in cœlis Deum profitetur, & oſtendit, gentiles quidem ὀλύμπιοι vel οὐράνιοι nominare, ſed non noſſe nomen ejus. Quando אלהים plurativè dicit, myſterium fidei non abnegat; ſed & patefactionem fœderis ad fidem innuit. Quando *creatorem* adjungit, comprobat, quod dictum Jerem. 10. *Dii, qui cœlum & terram non fecerunt, peribunt ſub cœlo hoc.* Per id etiam confirmat, in neminem credendum eſſe juſtitiæ & ſalutis cauſa, niſi in eum, qui cœlum & terram fecit. Religionem ſuam verbo *Timeo* ſignificat. Timor ſignificat animi ſubmiſſionem erga Deum non tantùm ut maximum ſed & optimum. Reſpicitque maximè ad verbum Dei, quod eſt verbum gratiæ, qui timor eſt initium, imò arca & theſaurus ſapientiæ. 2. in ingenua profeſſione culpæ. Nempe Jonas ut conſcientiâ & ſorte à Deo ipſo deprehenſus, peccatum ſuum aperuit gloriam dans Deo.

Sequitur Jonæ ἐξομολόγησιν timor vectorum & increpatio facti. Timuerunt meritò, qui viderunt ſibi cum Deo rem eſſe, cujus mirabilia opera inaudiverant, cujus providentiam & potentiam tum experiebantur.

(c.) Conjectio Jonæ in mare. ℣. 11—16.

Verſ. 11. Jonam interrogant, ut Prophetam. Videbant enim Deum ſervum ſuum fugitivum aſſerere & in viam revocare. Probabiliter igitur colligunt, ipſum conſilium vel generale, vel ſaltem ad ipſorum ſalutem faciens expedire poſſe.

Verſ. 12. Jonas reſpondet ſpiritu Prophetico: ut ex eventu apparet. Prophetat autem de ſui conjectione in mare, & ſecuta tranquillitate. Hic typus eſt prophetiæ Chriſti de morte ſua & ſecutura mortem ſuam pace. Nam, ut dicit Eſ. 53: 5. *exemplaris pœna ad pacem noſtram ſuper ipſo erat, & in vibicibus ejus facta nobis eſt ſanatio.* Non ideo neceſſe erat, Jonam expiare peccata reliquorum navigantium: ſufficit ſimilitudo mortis Chriſti & tranquillitatis conſequentis illam ſimilitudinem mortis. Interim & Jonas quodammodo victima pro illis factus eſt, quia in ipſo ad periculum mortis adacto Deus ſeveritatem ſuam, in illis tolerantiam ſuam voluit demonſtrare. *Tollite me.* non præcipit, ſed oſtendit, quid ipſi poſſint facere, ut ſalventur. Ita Chriſtus, λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον.

Verſ. 13. Aliud remedium periculi evadendi per remigationem ad terram fruſtra adhibitum narratur.

Verſ. 14. Eſt ἀφοσίωσις nautarum jactum Jonæ præcedens. Non poſſunt tamen à temeritate abſolvi. ut & Jonas eos cap. 2: 8. *obſervatores vanitatum & pietatem deſerturos* affirmat. Nihil ergo iſtorum fecerunt in fide, ut nec Judæi, qui Chriſtum tradiderunt in manus gentium, quamvis dixiſſet, *Solvite templum hoc.* Confer Zach. 11: 12. Ea traditio analoga eſt conjectioni Jonæ in mare.

Verſ. 16. *Timor* ille, de quo hic mentio eſt, carnalis & ἐθελόθρησκος fuit. Timebant facere contra rationes ſuas, quibus ipſi placere viſum eſt; & non timebant peccatum, neque quærebant notitiam viarum ejus. *Sacrificia* pagani moris, licet in nomen Jehovæ; quemadmodum etiam Iſraëlitarum ſacrificia in celſis Deo non placuerunt, imò cenſentur Molocho potiùs, quàm Deo oblata. Amoſ. 5: 26. Si mandatum Dei & fides Salvatoris abſit, non poteſt eſſe Deo gratum ſacrificium. Sic gentes ſibi viſæ ſapienter agere ſtultæ factæ ſunt. *Vota* item

non

non ex verò charitatis zelo profecta. quibus sua opponit Jonas cap. 2: 9.

(d.) Jonæ absorptio. vers. 17. Tempus, quo Jonas fuit in ventre piscis, non sine causa specificat Scriptura. Nam & evidentius miraculum est; & debebat esse typus Christi. Matth. 12: 38. 39. Hoc signo probatur Jonas verus Propheta Dei.

Oratio Jonæ in ventre piscis est cap. 2: 1--9. Est oratio hæc εὐχαριστία, & constat

I. Recognitione divinæ gratiæ. ℣. 2--7. Ea cognitio concernit

1. periculum vitæ. ℣. 2--6. Hic est

(a.) Propositio, quâ recognoscit divinam exauditionem. ℣. 2. Ea bimembris est. Statum enim suum duplicem hâc propositione distinguit.

(α.) Statum angustiæ & periculi, ex quo clamanti responderit Deus, nimirum *cùm jactaretur in mari*, quum nullum appareret vitæ auxilium. *Responsio* significat opus Dei Jonæ petitioni respondens. Est ea Jonæ in ventrem piscis receptio tanquam in arcam aut naviculam, in qua conservaretur vivus.

(β.) Statum sui conditi in ventre piscis. quem analogicè vocat *ventrem inferni.* Sibi tribuit *implorationem*, Deo *auditionem*. Id connotat affectum. Non rejecerat Deus implorationem suam, quòd in ventre inferni adhuc viveret.

(b.) Confirmatio: in qua est

(α.) Exaggeratio periculi in jactatione marinâ, antequam deglutiretur. Gradatio est. 1. *Jactabat me profundum in corde marium.* non prope littus. Nondum hic significat mersionem. *Cor* non est præcisè accipiendum de media profunditate aquæ. 2. *Flumen circumdabat me*, id est, fluxus & impetus aquæ, licet non concitatæ ventis. Ῥεῦμα enim habet mare vel à fluminibus in id se exonerantibus, vel ab æstu. 3. *Fluctus*, LXX μετεωρισμοί, & quidem 4. magni; qui גלים dicuntur, quasi *montes aquarum.*

(β.) ἀπόκρισις τοῦ θανάτου. ℣. 4. col. 1. Nimirum *judicaverat se expulsum esse à coram oculis Dei*, id est, in eum statum peccato suo esse redactum, ut Deus ipsum non respiceret, sed sineret perire in sua exorbitatione, saltem morte corporis. Nec enim desperabat de divina gratia, qui ex angustia clamabat ad Deum.

(γ.) Spes præsumens contrarium bonum. colo 2. *Adhuc videbo sanctuarium tuum.* Intellige cœlum vel etiam templum Hierosolymitanum. Pignus hujus spei erat, quòd Deus ipsi ex angustia respondisset, de quo ℣. 5. 6. *Aquæ imminebant usque ad animam.* nimirum quando cœpit demergi. Propemodum suffocatum se ostendit. *Abyssus cingebat me*, quum mersus esset. *Alga alligabatur capiti meo.* Erat in ventre ceti. παροιμιώδης est locutio, quum emergere mersus non potest. *Ad aquamenta montium descendi*, id est, eò descendi, ubi nulla est ampliùs montium & subsidentium terrarum distinctio. Ergò infra regionem viventium & fundamenta ejus, & sic planè in ventrem inferni. Ampliùs, *Terra*: *vectes ejus circa me in perpetuum.* Loquitur in parabola de conclusione sui in ventre ceti. Eam comparat sepulturæ. Huic tribuit *vectes.* Comparat enim sepulchrum cum carcere.

In hisce quasi *mortibus* typum *mortium* Christi, de quibus Es. 53: 9. cum ipsa sepultura & periculo corruptionis, esse quis dubitet?

Hisce quasi mortis gradibus comparat gratiam & potentiam Dei conservantis vitam ipsius. Id dicit: *Et eduxisti ex fovea corrumpente vitam meam.* q. d. Corpus quidem meum ita inclusisti, sed vitam meam ex fovea corrumpente eduxisti, dum spiritum meum in corpore meo conservasti potentiâ tuâ & curâ singulari.

De

De Christo dicitur Ps. 16:10. *Non dabis pium tuum videre corruptionem*, sive *foveam corrumpentem*, quamvis de carne ipsius dicatur vers. 9. *procumbere*. quod est in morte.

2. Tristitiam ipsius. ℣. 7. dicit, *se Dei recordatum esse in convolutione animæ suæ*. Hic tristitiam suam & convolutionem animæ suæ, cum qua ab initio legationis suæ conflictatus fuerat, comprehendit: & glorificat Deum, quòd nec momento ipsum deseruerit. Quod dixerat in fine ℣. 6. *Jehovam esse Deum ipsius*; id in duobus patescit. 1. quòd & tum Dei recordatus sit. Gratiæ enim divinæ est, quòd homo in sua hæsitatione & perplexitate Dei non obliviscitur. *Orationem* suam dicit exauditam. Atqui oraverat, ne sibi imponeretur necessitas eundi Nineven. Exaudit igitur Deus etiam tum, quando preces stultas non exaudit, sed nec imputat nobis stultitiam nostram, ut nos ab oculis suis propellat, verùm nostri misertus nos ab errore in viam reducat. Gloriatur, *hanc orationem suam* Deo non ingratam fuisse; sed *pervenisse ad templum sanctum suum*, intellige vel cœlum, in quo dicitur Deus habitare, unde manifestat suam providentiam, Act. 14:17. unde locutus erat ad populum, unde Filium Dei Salvatorem & donum Spiritûs filiationis exspectabant; vel templum, tanquam figuram carnis Christi & Ecclesiæ. In Christo ut templo Dei exauditam suam orationem innuit. Et *cùm ipse nesciret, quid oraret, Spiritum* precum *succurrisse infirmitatibus* ipsius, dum non passus est, ipsum sui oblivisci, & *intercessisse pro ipso gemitibus non loquentibus*.

II. Promissione, cui annectitur professio fidei. vers. 8. 9. Promittit solutionem votorum, & quidem præfatus de perseverantia propositi sui, in comparatione idololatrarum. *Qui observant vanitates temerarias, pietatem suam relinquent*, id est, qui colunt idola, & in speciem pietatem aliquam profitentur, eorum studium evanidum erit, ac irritum. Propositum suum explicat, quod est 1. publicæ confessionis, nimirum illius, quâ abjicientes nostram justitiam, Deo gloriam tribuimus gratiosæ justificationis in Christo & omnium beneficiorum ejus, & in ipso gloriamur. 2. sacrificii. *At ego in voce confessionis sacrificabo tibi*. Verum sacrificium est confessio. Ps. 50:14. nec ulli nisi Deo sacrificandum est. Atqui etiam Christus illud odoratur. Es. 11:3. Eum amamus, in eum credimus, eum glorificamus. Ergo is Deus est. *Quod vovi, solvam*. Omnia scilicet ea, per quæ Deus colitur, in votis continentur. Sed & specialia quædam obsequia, lege generali approbata, voveri possunt.

Hisce adjicit summam quasi confessionis, sive profitetur fidem suam. *Salus est Domini*. Ejus dicti enucleatio hæc est. 1. Peccator opus habet *salute*, id est, redemtione, regeneratione, adoptione, justificatione, conservatione in justitia, glorificatione. 2. Ea salus est possibilis, & reverâ datur, propter sufficientiam & misericordiam Dei. Ea extra Deum non est, sed à Deo solo omnibus suis partibus perficitur. Id conficit Jonas ex sui vocatione & sanctificatione, quâ Deus erat factus ipsius Jehovah, tum conservatione in sanctificatione etiam inter maximas tentationes, tum sui exauditione ad restituendum sibi aspectum templi Dei.

(e.) Jonæ evomitio. vers. 10. Ea typus & pignus est resurrectionis Christi. Nam quum Deut. 30:12. definiatur Fidei esse, non dicere, quis nobis ibit ultra mare & afferet nobis hoc præceptum? atque ita, Credere Christi resurrectionem è mortuis; accedente hoc miraculo, tum per analogiam promissio fuit declarata, tum per opus potentiæ Dei confirmata. Eadem est pignus vocationis Ecclesiæ è mundo. Es. 43:6. & liberationis ejus ex necessitatibus & suscitationis carnis. Nam omnis liberatio est pignus consummatæ liberationis. (f.) Re-

(f.) Repetita Missio. Cap. III. 1. 2. Jonas post emersionem ex mari præco gentium factus analogiam obtinet ad Christum, qui *primus ex mortuis* debuit *lucem annunciare populo & gentibus*. Act. 26: 23.

Hactenus missio Jonæ; sequitur

Prædicatio. vers. 3. 4. Cap. 3. *Ninive erat urbs magna Deo*, id est, egregiâ & haud vulgari magnitudine. *ambulatio tridui.* Romani iter diei 160, aut, summum, 166⅔ stadiis metiuntur. Tum tridui iter esset 480 stadia. quem Diodorus lib. II. ambitum Nineves facit. *Et incepit Jonas ingredi per civitatem, itinere unius diei.* Id secundùm probabilissimam rationem sic accipiendum est, quòd Jonas suæ prædicationis spacia diviserit ita, ut secundùm latitudinem urbis longitudinem ejus aliqvoties emetiretur diversis urbis regionibus ac vicis. Igitur, cùm semel emensus esset urbis prolixitatem, secuta est Ninevitarum humiliatio. Præconii argumentum est, *Post dies quadraginta Niniven eversum iri.* Sensus hujus dicti est: quadraginta dies concedi Ninevitis ad pœnitentiam. Quemadmodum primo mundo diluvium denunciatum est in annos 120. Comminatio est, non prædictio. Comminationes autem etiam rerum corporalium sæpe sunt conditionatæ. Non quasi voluntas Dei sit suspensa à conditione incerta, sed ostenditur, quid peccatum Ninevitarum sine conversione certò commeruerit, nimirum *eversionem*, nempe talem, qualis erat Sodomæ ac Gomorrhæ: Itaque si conserventur, eos non sine pœnitentia conservatum iri.

Humiliatio Ninevitarum ostendit, quomodo ipsi intellexerint verba Dei, vers. 5—9. Ita Ninevitæ judicarunt, salvâ veritate præconii Jonæ, Deum potuisse in sua potestate vel punire, vel parcere. Sicque *crediderunt*, Jonam esse à Deo missum præconem pœnitentiæ, seque sine pœnitentia Dei iram non posse evadere. Quia tamen testamentum gratiæ ignorabant; non potuerunt se verâ cordis fiduciâ Deo, ut *fideli* ad servandum *creatori* committere. Meliores tamen Ninevitæ auditoribus Christi, qui Mosen & Prophetas habebant, ipsum Christum in ipsorum oraculis depictum coram videbant. *Et indixerunt jejunium.* Quomodo id factum, vers. 6. explicat. Humiliatio in duobus est, *jejunio & sacco.* De rege ulteriùs; *Descendit de throno, deposuit* regium ornamentum, *sedit in cinere.* Convocato Senatu indixit jejunium hominibus & jumentis, prohibuit ornamenta, imperavit cilicium, hortatus est ad preces, easque violentas, id est, non segniter & perfunctoriè, & ad Deum. Putant gentes, se multa loquentes & vociferantes exauditum iri. Matth. 6: 7. Potest etiam *violentia* de sincero cordis affectu explicari. *Deum* invocari vult, scilicet Deum Jonæ. Nam de falsis Diis nulla mentio. *Et ut convertantur quisque à via sua mala.* ℣. 8. Id, ut in ignorantibus vias Dei, accipiendum est de conversatione inhonesta, quam etiam gentes damnant. Estque hæc potiùs παράκλησις, quàm imperium. Nam magistratus non imperat religionem, ne sibi imperium in conscientiam videatur assumere. Similiter *de injuria amolienda.* Nam de occultis reges non judicant. Est hic testimonium conscientiæ humanæ de necessitate μετανοίας, & ejus natura. Fundamentum ac incentivum pœnitentiæ est vers. 9. Bonitas Dei: cui attestatur conscientia, posse ipsum remittere peccata. *Quis scit?* Spem bonam insinuat. *Avertetur & pœnitudine afficietur Deus* &c. non quòd Deus mutetur, sed quòd mutet opus suum, tanquam pœnitens, & non facit, quod facit iratus. Sequitur

IV. Historia Clementiæ Dei erga Ninevitas, ejusque defensio. Habetur hic

1. Clementia. vers. 10. *Pœnituit mali, quod locutus erat.* Adeo omi-

sit, ac si nunquam locutus fuisset, aut si mutavisset consilium.


2. Jonæ ægritudo. Cap. IV. 1. 2. 3. Non tam malignus fuit Jonas, ut ipsi displicere potuerit vera resipiscentia, vel etiam clementia erga resipiscentes exercita: sed, se fieri medium demonstrandæ duritiei populi sui: itemque quòd Deus extrinsecæ isti humiliationi, quam tamen sinceram non esse sciret, veniam impunitatemque impertiretur, (quod videbatur in contemtum prophetiæ cedere) id ipsi vehementer doluit. Fugam suam defendit, ut rationabilem. Rationem sumit à Dei bonitate. Elogia Dei ex Mose sunt, de quibus alibi.

Petitio est, *ut animam suam recipiat ad se*. Annotat Drusius, hunc locum facere contra eos, qui negant animæ immortalitatem. Significat Jonas, per longanimitatem Dei ministerium suum fieri inutile; id sibi gravius esse, quàm mori: non sufficere sibi vires ad ferendum opprobrium suum. Tales querimoniæ etiam aliorum piorum, ut Eliæ, 1 Reg. 19: 4. Jeremiæ, cap. 20: 18.

3. Defensio divina per argumentum duplex, à ℣. 4. usque ad finem. Thesis disceptanda est: *Jonas non bene commovetur*, vers. 4. Id probat 1. quòd mœror ejus, quem putaret esse sanctissimum, tam levi solatio carnali, quale est per ricini umbram & ortum festinatum, levaretur. 2. à clementiæ Deo decoræ & laudabilis objecto, nimirum puerorum in urbe Nineve & animalium multitudine. Non allegat Deus pœnitentiam Ninevitarum, ut in qua nihil sinceri esset. Convincitur autem decentia hujus bonitatis ex affectu Jonæ circa germen suâ naturâ fluxum & alienæ effectionis. Jonas enim putabat suam arbusculam miserari, & quidem *ad mortem usque*, id est, ut putaret vitam piorum propter quotidianam tentationem & afflictionem & castigationem deprecandam esse; imò mœrorem illum in consideratione tam subitæ severitatis Dei sibi tam gravem, ut vitam adimere posset; atque idem non considerabat, quid se futurum esset, & quanto horrore percellendus esset, si Niniven everti cælitùs conspiceret.

ANA-

ANALYSIS &c. MICHÆÆ.



Ujus Prophetiam secundùm vaticinii argumentum, quod quater repetitur, in quatuor partes dividimus. *Prima* pertinet ad Cap. III. *Secunda* inde ad vers. 8. Cap. IV. *Tertia* inde ad Cap. VI. *Quarta* abinde ad finem.

Prima pars post *titulum* vers. 1. Ubi observandum, Prophetiam hanc explicare Samariæ & Hierosolymæ excidium, sed Hierosolymæ restaurationem & Christi adventum ad templum in ea, ac Ecclesiæ Novi Testamenti propagationem ex ea in totum mundum; & *excitationem audientiæ*. ℣. 2. Continet

I. Propositionem summariam. ℣. 3. 4. atque in ea

1. Denunciationem adventûs Dei ad occupandum regnum in toto mundo. ℣. 3. Adventus sive manifestatio Dei in carne hic *descensio* dicitur. Regni occupatio per *calcare celsa terræ*, sive terram sibi subjicere, explicatur.

2. Judicium comitans adventum ejus. vers. 4. Hic significatur ingens mutatio omnis statûs in mundo, & abolitio quarundam monarchiarum, sive regnorum, quæ *montes*; principatuum & rerumpublicarum, quæ *valles* sive *plana* dicuntur, idque eo fine, ut Dei regnum dilatetur in omnia.

II. Explicationem judiciorum, & destructionem regnorum. Ea explicat

1. à causa, nimirum contaminatione populi. vers. 5. *Propter defectionem Jacobi*, id est, eos in Ecclesia, qui verum Deum abnegant, apostatas, *& propter peccata domûs Israël*, id est, propter eos, qui præterquam in uno altari, id est, uno mediatore Christo alibi fiduciam accessûs ad Deum collocant. *Quis defectio Jacobi*, id est, typus apostatarum? *Samaria*. Quippe Achab Samariæ struxit fanum Baali. *Et quæ celsa Judæ*, id est, typus eorum, qui non in solo Christo fiduciam suam collocant? *Hierosolyma*. Quæ scilicet præter templum, quod erat Hierosolymæ, etiam *celsa*, id est, fana & altaria extra Hierosolymam dedicavit.

2. à primis exemplis, *in Samaria*, vers. 6. 7. 8. Ubi prædicitur, fore, ut omnes opes ejus, quas per promiscuam idololatriam & mutuam gentium familiaritatem, sicque ex fornicatione idolorum, corrasit, ad aliam meretricem, ceu quæstus meretricius, ducantur, id est, ad Ninevem. Et quidem ita, ut actum sit de hominibus decem tribuum in captivitatem abductis, nullaque in ipsis spes reductionis supersit.

Historia. Samaria obsessa est anno septimo Hoseæ, qui est quartus Ezechiæ, capta anno nono Hoseæ, qui sextus Ezechiæ.

In Judæa & Hierosolyma. vers. 9. colo 2. usque ad finem cap. Summa est: Luctum, fugam, solitudinem, fore in oppidis Judæ. Domum illam perpetuæ conjunctionis, id est, templum, ablatum iri à Judæis, & Hierosolymam obrutum iri malis, descendentibus à Domino, luxum & superbiam cessaturam, Ga-

thum & oppida Judæ ab hostibus iri occupatum usque ad Adullam. Denique populum in exilium abiturum. Ita sanè vers. 11. 12. 15. 16. destructio Hierosolymæ & populi exsilium denunciari videtur. Et convenit hæc prophetia cum argumento vers. 4. cap. 2.

Quod attinet detestationem vers. 10. *Gathi ne indicetis* &c. partim habet voti sensum; Utinam fieri possit, ne talia judicia Dei apud peregrinas gentes nuncientur, ne nomen Dei propter ea blasphemetur! partim admonitionem de moderando dolore, quasi omnis illorum spes in bonis terrenis posita fuisset.

3. à causis aliis. Cap. II. vers. 1---11. Hic in vers. 4. est 1. dicterium eorum, qui judicium Dei in vastatione Hierosolymæ blasphemant. 2 est hic abnegatio veritatis Dei, quòd, non obstante promissione patribus factâ, *partem* & hæreditatem *populi Israëlitici mutasset*, id est, alienasset, & in alienorum potestatem tradidisset; Deinde potentiæ Dei; *quomodo eripiet* ex potestate hostium partem populi, & restituet in libertatem? 3. est abnegatio sapientiæ; *quòd si restituendi essent agri, cur ergo aliis distribuisset?* Vers. 5. continet obliquè 1. recollectionem populi in קהל panegyrin. quæ propriè est, ubi comitia reipublicæ causâ celebrantur. 2. restitutionem templi, ut sit *panegyris Dei* habitantis inter ipsos, scilicet per Spiritum & φαίνεσθαι ἐν σαρκί. 3. distributionem terræ inter filios & nepotes abductorum. Denunciatur verò pœna incredulis & blasphemis, non habere semen particeps hæreditatis.

Vers. 10. Iterum definit pœnam exilii. *Surgite & abite. Nam non est hæc requies.* Vera requies est, cessare ab operibus mortuis, sanctificare nomen Dei, & proximum adjuvare & ædificare. Atque ad eum finem, ut sic quiesceretis, introducti estis in terram. Unde & alludens Scriptura ad introductionem populi in terram per Josuam, vocat eam *Requiem Dei.* Ps. 95: 11. Confer Heb. 3: 16. 19. Jam verò ita agere, non est requiescere & σαββατίζειν. Ergo ipsis abeundum esse. Lev. 26: 34. 35. dicitur, terram, ipsis ejectis, quieturam, quæ non quieverit in ipsorum Sabbathis. Eadem terra à fine hic appellatur *Requies Dei.*

Impuritas corrumpit, id est, conscientia non elota à mortuis operibus per divinam aspersionem hyssopi, de qua est Ps. 51: 9. corrumpit & maledictionem invehit.

In hac pericopa notantur hæc peccata. 1. persecutio Prophetarum. 2. frequentia divortiorum. 3. sublatio reverentiæ Dei à pueris uxorum.

III. Explicationem regni ℣. 12. usque ad Cap. III. Ea complectitur

1. Recollectionem Israëlis. ℣. 12. Duo hic significantur. 1. Reductio Judæorum ex captivitate Babylonica in terram Canaan, factâ omnibus potestate redeundi, si vellent. 2. Conjunctio reliquiarum de decem tribubus in unam politiam ad communionem cultûs Dei in templo. qui antè separati erant in diversos populos per Jeroboamum. *Reliquias* dicit, 1. propter multiplices clades antegressas, & duplicem captivitatem, Assyriacam & Babylonicam, 2. propter electionem & custodiam Dei.

2. Amplificationem Israëlis. vers. 12. col. poster. Hic tria notantur. 1. multiplicatio populi recollecti. 2. abundantia rerum necessariarum, & inter eas terræ, in quam reducti, reformatio in pristinum statum, ut sit ovile Dei, restaurato templo. 3. multitudo exuberans. *Perstrepent*, vel *perstrepetis præ hominibus.* Explicatur hic ℣. 5. cap. 2. suprà. Adde Deut. 30: 3. 4. 5. & Hos. 2: 1.

3. Exaltationem Israëlis. vers. 13. p. p. Significatur, fore post captivitatem Babylonicam, ut omnes angustias, inprimis à regibus Syrorum, perrumpant, ter-

terram subigant, urbes occupent, easque retineant, atque ex iis prodeant & in eas redeant.

4. Dationem Messiæ Filii Dei. vers. 13. part. alt. Observetur ordo temporis & rerum gestarum. Babylonica captivitas, reductio, templi ædificatio, multiplicatio populi, angustiæ, liberatio, occupatio terræ & vicinarum regionum; tum venit Christus Rex. Clarissimum verò est, ductum Jehovæ restringi ad adventum Messiæ. Per potentiam quidem Dei Judæi subjugant terram, & gentes vicinas: sed tamen, Rege ipsorum præcedente, demum Dominus dicitur esse in principiis ipsorum.

Jam cum hac promissione connectendum est, quod dicitur cap. 1:3. ubi *descensus Domini* dicitur importans destructionem regnorum & politiarum, (inter quas ipsa Judæorum infidelium & inobedientium) usque ad occupationem arcium terræ.

Pars Secunda Prophetiæ à Cap. III. usque ad Cap. IV. vers. 8. duo membra complectitur.

I. Vaticinium de præsentis populi punitione, usque ad Cap. IV. Id spectat privatas pœnas

1. Principum. vers. 1—4. *Bonum*, de quo in vers. 2. explicatur Mich. 6:8. Pronomen demonstrativum in, *pellem eorum* &c. refer ad cap. 2: 12. 13. Cohæsio talis est: Ego colligam, quos vos excoriatis. Igitur, ut vers. 4. explicat, puniemini, dum frustra Deum invocabitis. In vers. 4. *Tunc* est indigitatio temporis quidem certi, sed occulti.

2. Pseudoprophetarum. vers. 5. 6. 7. Iis denunciatur 1. denegatio visionum, ut qui revelationibus abuterentur, applicando eas juxta cupiditates suas. 2. calamitas impendens contra exspectationem. 3. pudor ex propriis insomniis & conjecturis, quibus fascinati populum deceperunt.

3. Communes pœnas omnium. ℣. 8—12. Hic est

(a.) Præfatio vindicans auctoritatem prophetiæ. ℣. 8. Nota hic veras notas Spiritûs Dei in Propheta. 1. *vis* in dilectione & studio. 2. *judicium* in discretione boni à malo. 3. *fortitudo*, id est, animus excelsus vincens omnia impedimenta & omnes difficultates & adversitates. Ita se veri Prophetæ populo commendabant. Nempe legis divinæ sensum & sinceritatem vindicabant, omnes corruptelas & omnia scandala redarguebant, in discipulis Dei legem & testificationem obsignabant; abstinebant se ab inquinationibus mundi, excitabant ad spem regni Dei, pro nomine ipsius acerba omnia patiebantur, errantes spiritu lenitatis prosequebantur. Deus verò verbum ipsorum non patiebatur cadere in terram.

(b.) Promulgatio judicii. In ea considerandum, 1. quibus & qualibus id intimet, nempe principibus & sacerdotibus talibus, qui (*a.*) opes quærunt præ regno Deo & magis quàm necesse est, & modis non justis & ad finem malum. (*b.*) qui officium non faciunt, nisi in respectu ad quæstum. (*c.*) qui, quæ gratuita esse debebant, vendunt. (*d.*) propter quæstum malè judicant, docent, prophetant. (*e*). fiduciam in Deo ponunt in corde non puro, & non in fide promissionum. Adde hic cap. 2:7. (*f.*) qui Dei gratiam alligabant rebus externis & carnalibus. *Nonne Dominus est in medio nostri?* Sumus semen Abrahæ. Templum Dei apud nos. Legi obtemperamus. Idola, celsa diruta sunt. Nam Ezechias & Josias sustulerant. Conclusio: *Ergo non veniet malum super nos.*

Confer Jer. 7: 2. 3. 4. 5. & seqq. usque ad ℣. 15.

 2. ipsum

2. ipsum supplicium, vers. 12. Quod ad captivitatem Babylonicam referendum est, ut ex connexione cap. 3. & 4. apparet. Semper enim Prophetia adventum Messiæ captivitati Babylonicæ subtexit.

NB. Repetitur Jer. 26: 18. Sed id consideratu dignum est, quod Jer. 16: 19: dicunt Seniores, Ezechiam ad hoc verbum contremuisse, & pœnituisse Deum mali, quod locutus erat ad ipsos. Unde apparet, Michæam hæc locutum esse, antequam Sancherib ingrueret Judææ; & dilationem hujus pœnæ per Sancheribum intentatæ Seniores appellare pœnitentiam Dei.

II. Vaticinium de melioris regni erectione. Cap. IV. usque ad ℣. 8. Est hic

1. Exaltatio urbis & templi. ℣. 1. 2. In ea vide

(a.) Tempus. *Et erit in fine dierum*, id est, tandem, postquam effluxerint dies à Deo præfiniti durationi Veteris Testamenti & legis iram operantis.

Locus hic evincit, promissionem Messiæ pertinere ad templum secundum. Nam si ad tertium pertineret, maximus saltus esset & prætermitteretur planè secundi exstructio & destructio.

(b.) Indicationem exaltationis. *Erit mons domûs Domini aptus & constabilitus in capite montium, & elevabitur supra colles*, id est, major erit gloria ejus & templi in eo ædificati, quàm ullius unquam montis aut collis antea fuerit, vel postea futura sit: & ita erit mons ille exornatus, ut omnis defectus prioris temporis sarciatur, & omnis exspectatio impleatur. Gloria templum ita illustrans & perficiens est præsentia Messiæ, & effusio Spiritûs Sancti. Alibi quidem apparuit symbolum, vel audita est vox: hic caro personaliter unita τῷ Λόγῳ.

(c.) Consequens. *Et fluent ad illum populi.* Continuo tractu sine intermissione ad eum montem accedent, tum qui in regno Diaboli absque Deo in mundo variis imperiis exagitantur potiùs, quàm aguntur, tum qui hactenus à Deo vocati sunt per Mosen & Prophetas. *Populi*, id est, 1. particulæ tum initio, tum semper electi ex omnibus populis. *Superstites gentium vocati.* Joël. 3: 5. Amos. 8: 27. 9: 12. 2. maxima pars populorum tandem per externam confessionem. Est autem *accedere ad montem Domini*, (quod etiamnum fit) convertere animos mentesque ad quærendum communionem Christi, per quem ille mons exaltatur; & sanctorum, qui in eo egerunt & Christum audiverunt & in ipsum crediderunt.

(d.) Consequentis declarationem, ratione gentium antehac separatarum à communione populi Israëlitici. vers. 2. *Et ibunt gentes multæ, & dicent, Venite; ascendamus ad montem Jehovæ.* Vos quoque facite, quod nos facimus. Ite nobiscum. Phrasis est sumta à consuetudine Israëlitarum; qui solebant templum adire, ut sacerdotes ibi populum docentes & Mosen & Prophetarum oracula prælegentes & interpretantes audirent. Interim tamen, quemadmodum Israëlitæ, domi & in Synagogis legentes, audientes & meditantes legem & Prophetas, censebantur in templo, imò Deum in Sinaï loquentem audire; ita qui Euangelium in omnibus gentibus prædicatum audiunt, censentur templum adire.

Finis accessûs *ad domum Dei*, id est, ad Deum in templo suo loquentem, est, *ut ipse doceat & ea ambulent*, id est, ut ipso docente ambulent in itineribus ejus. Notetur modus docendi, scilicet præeundo. Id dicit prophetia, *docere è viis*, id est, præeuntem docere, vel argumento viarum docere tanquam ex typo.

Nota inprimis emphasin *montis Domini*, & *domûs Dei Jacob.* Manifestatio Dei in carne vera causa est istius appellationis.

(e.) Ratio-

(e.) Rationis redditionem de consequenti exaltationis. *Nam ex Sion exibit Lex, & verbum Jehovæ ex Hierosolyma.* *Lex* sive doctrina vocatur præceptum. *Verbum*, quod latius est, etiam εὐαγγέλιον & promissio. 1 Pet. 1: 25. *Exibit* ad gentes per missionem Apostolorum in totum mundum; non armis, non gladio, aut bello. Solum enim verbum sufficiet ad gentes edomandum, ut sponte obediant.

Falluntur ergo Judæi, qui Messiam bellatorem exspectant. Et Pontificii, qui Româ exiturum verbum contendunt, quo convertantur gentes.

Inest hîc argumentum pro veritate Christi. Hujus enim lex exivit Hierosolymis ad gentes, effecitque, ut, desertâ idololatriâ, vellent audire Deum in Mose & Prophetis loquentem. Nec potuit esse seductio: nulla enim Scriptura meminit seductionis tantæ, & simul destructionis tantæ politiæ & templi & dispersionis Judæorum, quæ ante adventum Messiæ esset futura. Sed contrà omnes prophetiæ, ut hæc ipsa, testantur, vocationem gentium futuram esse stante domo secundâ.

Apostoli Act. 15: 14—17. Rom. 16: 26. ex hoc loco concludunt, gentes convertendas esse ad fidem Dei & Messiæ. Nec enim sine intentione Spiritûs Sancti id impletum erat.

2. Judicium, quod peraget Deus regnans, ad faciendam pacem Ecclesiæ. ℣. 3. 4. 5.

Primò dicit prophetia, *Deum judicaturum inter populos multos.* Id judicium est abolitionis & coërcitionis peragendum pro causa Ecclesiæ inter populos magnos & multos. quale judicium peractum est in Judæis, secundùm prophetiam Hos. 2. & 3. item judicium in Romanos idololatras. Quò referenda similia judicia & plagæ.

Secundò dicit Prophetia, *Deum redarguturum*, sive potiùs demonstrationem facturum gentibus validis, cum eo effectu, ut cudant enses in ligones vel marras. Hic effectus diversus est à prioribus. Primus effectus Dei per verbum erat, efficere, ut credant & ambulent in viis Domini. Secundus, destructio hostium. Tertius effectus Dei per verbum est adactio hostium ad deponendum arma, & mentiendum Deo. ut fiat id, quod dicitur Es. 11. lupos cum agnis stabulaturos.

Implementum est evidens in Ecclesia Christiana. Non enim tantùm Deus destruxit rempublicam Judæorum, ut Christiana religio propagaretur, & valida imperia, sed & remotissimas gentes invexit in medios Christianos. Quæ ab initio magnâ usæ violentiâ, tandem deposuerunt publicam idololatriam, quanquam pro Christianis Arianæ fierent. Postmodum tamen & Arianismum missum fecerunt, & Christianam religionem tenuerunt. Idem effectum est in ipsis earum gentium sedibus per totum inprimis Septentrionem remotissimum.

Tertiò dicit Prophetia, Deum deinceps, postquam gentes longinquæ cuderint gladios suos in ligones, effecturum, ut contineantur gentes constrictæ ipsius providentiâ, ne possit una gens in aliam ferre gladium. Id etiam meritò distinguimus à præcedenti. Quippe diversum est, cudere gladios in ligones, & non sumere ac ferre gladium semel depositum. Et exemplum est in promtu, ubi, etsi gentes cum Ecclesia non colerent societatem, imò ab illa se jam separassent, coërcitæ tamen fuerunt, ut gladium in manu habentes, eum non inferrent.

Scilicet, quum avorum tempore pax religionis fuit sancita inter

ter eos, qui se separaverant à communione Ecclesiæ, & inter Ecclesiam.

Quartò dicit prophetia, Fore, *ut non discant ampliùs bellum.*

Cessantibus corruptoribus terræ, qui docent, eos, quos ipsi vocant hæreticos, esse omnibus modis persequendos. Nec enim necesse est, hoc ad disciplinam etiam militarem extendi.

Quintò significat prophetia pacem politicam, quæ tandem divino judicio & potentiâ efficietur. *Sedebit quisque sub vite & sub ficu sua.* Nec tantùm pax politica eo dicto significatur, sed & modus communionis sanctorum in cultu. Sub Novo Testamento privatim quisque invocat in omni loco, & duo tres conveniunt in nomine Christi sub ficu & vite sua, non requirentes Romam vel Hierosolymam, aut talem quem locum ut sanctum & religiosum respicientes.

Sextò prophetia illustrat illam pacem ab usu suo. vers. 5. *Nam omnes gentes ambulabunt quisque in nomine Dei sui, & nos ambulabimus in nomine Dei nostri in sæculum & perpetuum.* Usus pacis est libertas conscientiæ. Non impediemur profiteri nomen Domini Dei nostri; cui in Scripturis loquenti fidem obstringimus, & in ipsius præceptis vivere; licet multæ gentes sint addictæ suis idolomaniis & superstitionibus.

Sarraceni, Papistæ, hæretici suis ambulabunt moribus; nos liberè utemur nostris, à nullo impediti.

3. Ecclesiæ recollectio sub regno Christi. vers. 6. Recolligendos distribuit hæc prophetia in certa genera hominum, & ea inter se quoad tempus conjungit. *Claudicantes* sunt ii, qui veritatem Euangelii ullâ misturâ errorum præter verbum & institutionem dominicam in dogmatibus & regimine corrumpunt, & altrinsecùs inclinant non recto talo incedentes. *Propulsi*, qui vers. 7. *remoti*, sunt illi, qui carent libertate politicâ, sub tyrannis & idololatris agunt, ceu captivi. *Quos malo affecit* Deus, sunt Judæi à Deo longo tempore rejecti. Eos omnes Deus congregabit, *recipiendo claudicantem*, ut à defectione sua resipiscat & convertatur ad veritatem Euangelii; *congregando dispersos & longè amotos*, scilicet ut tyranni infringantur, & sic cœtus liberè agere possint, & sint quasi apud se domi; denique recipiendo & congregando id, quod malo affectum est.

4. Amplificatio Ecclesiæ partium. vers. 7. *Reliquias* intellige suppullulantes in spem priscæ abundantiæ.

5. Perpetuitas regni Dei super ipsa sine interruptione & interversione. vers. 7. p. 2. *Et regnabit Jehovah super ipsos in monte Sion à nunc & usque in sæculum.* Dehinc Sion pristinam faciem civitatis Dei per justitiam & judicium redemtæ habebit, & regetur verbo Dei; neque unquam postea Ecclesia subjicietur sceptro hominum.

In hoc regno omnes prophetiæ finiunt.

Tertia Prophetiæ Pars à ℣. 8. capitis IV. usque ad cap. VI. protenditur. Habet I. Propositionem. ℣. 8. Duo hic:

1. Judicium perventurum usque ad Sionem. *Tu autem, Turris gregis.* Alludit ad Gen. 35: 21. vel templum significat, vel Sionem. *Turris*, quia ad eam est perfugium; non ad salutem corporis, sed animæ, propter eum, qui habitat in ea. *Gregis*, quia ovium Christi turris est. Ii sancti habitantes Sione, & quotquot ad eos accedunt. *Clive filiæ Sion, Clive*, in quo est turris. Sed potest civitate illâ sive structurâ Dei, quæ est turris gregis, orbari, & tum nihil manet, nisi Clivus. *Ad te usque veniet.* Impersonalis locutio. Significat hostem, vel judicium perventurum.

2. Tum

2. Tum deinde venturum regnum Sionis, scilicet illud, quod extendetur in totum mundum. Regnum Messiæ. Id vocatur *regnum pristinum*. 1. quia est regnum Davidis, in filio ipsius Christo. 2. quia est regnum principis, qui sit ex ipsis, non principis advenæ. 3. quia est regnum Dei. 4. quia est regnum in duodecim tribus inter se junctas, ut temporibus priscis sub Davide & Solomone. 5. quia est regnum in gentes, ut David & Solomo gentibus imperitarunt. Sed tamen non est mundanum.

NB. Duo conjungit hic versus, Sionis destructionem & regnum Messiæ ex ea prodiens. Ita autem illa conjunguntur, ut divelli non possint, id est, non potest fieri, ut post destructam Sionem non veniat regnum Christi, sed prius iterum destruatur, antequam venerit, ut volunt Judæi.

II. Explicationem, tum afflictionis, ℣. 9. 10. p. p. Ea est

1. Ablatio regni. vers. 9. Est hic schematismus interrogationis. Habet istam emphasin. A Sione Rex cum sapientissimis quibusque & Senatu abducetur in captivitatem. Eâ re valde consternabitur & angetur. Sed ignorat ipsa malum suum, quod ipsi imminet.

Nota hic amotionem sceptri à Juda.

2. Destructio urbis & captivitas Babylonica. vers. 10. In his explicatio est eorum, quæ dixit Propheta obscurius suprà 1 : 9. 11. col. 3. 12. col. 2. 16. col. 2. cap. 2 : 5. 10. col. 1. cap. 3 : 12.

Methodus prophetiæ hic evidens signaculum habet. Destructionem & exaltationem (quæ novissimo tempore futura erat, cap. 4 : 1.) denuò describit. A fine ad initia redit.

III. tum præparationis ad regnum. Ea consistit

1. in liberatione ex captivitate. ℣. 10. part. alt.

2. in subjugatione gentium vicinarum. ℣. 11. 12. 13. Hæc pertinent ad Israëlem assertum ex captivitate Babylonica. Similia habentur Zach. 9. & 12. initio. Sed in omnibus illis prophetiis Judæi saltum faciunt ad templum tertium. Simplex & historicus sensus hic est. Post assertum Israëlem ex captivitate, nihilominus non statim venturum esse regnum promissum. Ante enim gentes vicinas venturas contra Hierosolymam, cum opinione contaminationis ejus & spe jucundi spectaculi.

Historia. Id factum est sub Antiocho. Visa enim est Hierosolyma profanata & in censum Hypocritarum redacta, ablato sacrificio jugi. Quæ res occasionem dedit vicinis gentibus quasi triumphandi de Israëlitis & religione & spe regni eorum.

Porrò Deus explicat consilium suum. Collectos esse, ut subigerentur ab Israëlitis, & in ipsorum ditionem & rempublicam concederent. Eventus est, ut omnium istorum populorum opes & copiæ servirent Deo, & *Domino totius terræ*, hoc est, Christo ;id est, quum ita propagata & amplificata fuerit Israëlitarum gens & respublica, tum veniat Christus & regnum suum ordiatur in omni parte Palæstinæ.

Et ita factum est. Maccabæi occasione tyrannidis Antiochi arma corripuerunt, in libertatem quandam asseruerunt rempublicam; neque antea arma deposuerunt, quàm totam Palæstinam, Moabitiden, Idumæam, Samariam, Ituræam &c. subegissent. Vide Jos. 13. Antiq. c. 23.

NB. In ultimis verbis significatur, quando Christus esset nasciturus & regnum suum orsurus. quando dicit. *Domino totius terræ devotum iri opulentiam gentium vicinarum.*

Et est hic testimonium pro divinitate Christi. Deus Pater Deo Filio, cui dominium totius terræ concessit, devovebit.

3. In excitatione Imperii Romani tanquam vindicis injuriæ Christo regi inferendæ. ℣. 14.

In primo colo hujus versûs vocatur populus Romanus in scenam, ut per totum orbem legiones ductet, unam provinciam, unum regnum post aliud expugnet, & debellet. *Nunc ducta legiones, filia legionum.*

Secundo colo indicatur obsidio Hierosolymæ vel etiam totius populi.

Pompejus Hierosolymam obsidione cinxit & cepit. Romani ex eo tempore undiquaque inclusam tenuerunt Judæam & tanquam coronâ cinctam. quæ fuit præparatio judicii in rebelles Judæos.

Tertio colo indicatur ὕβρις inter cæteras afflictiones Christo inferenda. nimirum ῥαπίσμα ipsi infligenda. *Judex Israëlis* is vocatur, qui & mox describitur.

IV. Regni ipsius descriptionem. Cap. V. Hujus descriptionis hæc sunt summa capita.

1. Ortus Messiæ & persona ejus. vers. 1. Simplicitas sententiæ hæc est. Quum Romani belligeratores jam totum orbem subegerint, ut Israëlem non quidem jam domuerint, sed veluti coronâ cinxerint, tum patietur Christus, nec tantùm morietur, sed & contumeliosis alapis verberabitur, qui est Judex Israëlis. Ut verò tibi, ô anima fidelis, ortum ejus pandam: is erit planè inopinatus & mirabilis. Erit *ex Bethlehem*, ex gente David: sed ita diminutâ & prostratâ, (postquam regnum domûs Davidicæ occiderit, ut est cap. 4: 9.) ut vix inter familias Judæ nomen locumque obtineat. Attamen *inde prodibit*, inde nascetur Judex Israëlis, ut accipiat potestatem *in totum Israëlem*, id est, in totam Ecclesiam. Cujus egressiones sunt nihilominus longè antiquiores ipsi omnium rerum initio coævæ, imò ante dies sæculi, scilicet ab æterno. Quia ergo inde orietur dux ille, tantum abest, ut parva Bethlehem parva censeri debeat, ut & maximæ illius prærogativæ cedere cogantur.

Luculenta hic est descriptio Mediatoris.

1. quoad personam. *Habet egressiones æternas & nascetur.*
2. quoad genus. *Ex Bethlehem Ephrata*, tanquam familia Judæ. Filius Davidis, surculus Jessai. At non amplius exstat Bethlehem. Necesse est igitur, Messiam jam pridem venisse.
3. quoad tempus φανερῶς. Cùm Romani obsidione cinxerint Hierosolymam, quod factum per Pompejum, & illam regionem undiquaque cinxerint. Cùm Davidicæ domûs nulla erit dignitas, nullæ copiæ, & vix numerus aliquis. Cùm nihilominus adhuc erunt familiæ Judæ γενεαλογούμεναι obtinentes terram suam.
4. quoad officium. *Judex Israëlis*, id est, 1. patronus Israëlis apud tribunal Patris contra accusationem Satanæ. 2. qui facit judicium in damnatione omnis justitiæ humanæ, & absolutione confugientium ad ipsum, & vindicatione renitentium, & liberatione Ecclesiæ ab omnibus malis.
5. quoad statum. 1. Exinanitionis. Erit servus dominantium, & patietur se judi-

judicio sisti, judicabitur, damnabitur, & tanquam improbus alapis cædetur. 2. Exaltationis. *Fiet* מושל *in Israële*, id est, omnem potestatem in Ecclesiam & pro salute Ecclesiæ datam sibi pacto Patris æterno etiam exercebit, sedens in throno Patris. *Fiet*, ἀποδειχθήσεται.

2. Populus. ℣. 2. 3. Is est

(a.) ex fratribus. vers. 2. *Propterea tradet*, rejiciet, Judex Israëlis, *illos* percutientes ipsum, fratres rebelles, Synagogam veterem: idque *ad tempus*, nimirum *donec pariens* mater libera, Hierosolyma cœlestis, civitas sanctorum consummatorum quoad spiritum in cœlo; (ad cujus societatem in privilegio libertatis etiam fideles assumuntur in Novo Testamento) quæ hactenus sterilis fuerat, dum Veteris Testamenti νομοθεσία & Civitas sub illa, & per illam gignens in servitutem duravit; jam verò vel rejectâ matre servâ, Hierosolymâ terrestri, quæ acceperat legem mancipantem in servitutem, sola nomen *parientis* obtinet, donec, inquam, pariens *pepererit* omnes filios suos in abundantia, quod erit πλήρωμα τῶν ἐθνῶν. Neque tamen tunc desinet parere, sed tum *reliquum fratrum* Christi *ad filios Israëlis revertentur*. Tunc totus Israël servabitur.

(b.) ex omnibus indiscriminatim. vers. 3. *Et stabit*, Judex Israëlis, è mortuis resurget, & perget stare, non recidet. *& pascet*, colliget oves, eas alet, conservabit, salvabit. *in robore Domini*, divina potentia, eaque victrice & irresistibili, quâ subjiciet sibi omnia. *in elatione nominis*, id est, efferente se per efficaciam Spiritûs Sancti in electis, *nomine Domini*, id est, manifestatione, prædicatione, annunciatione gratiæ Patris & Filii, quâ nomen Jehovæ declaratur, & cognoscuntur ejus virtutes. Is autem *Dominus*, id est, Deus Pater, dicitur *Deus Judicis Israëlis*, id est, Deus Christi, tum ratione humanæ naturæ, tum quatenus cum ipso personam Ecclesiæ sustinente Pater fœdus fecit, sive ipsi mandatum dedit in humanitate implendum.

Effectus pastionis in Ecclesia. *Et considebunt filii* Israëlis, primitiæ vocatorum Christianorum ex Judæis, qui hactenus in gentilitate tanquam in deserto jactabantur. *Nam nunc magnificabitur usque ad fines terræ*. habebit cœtum & Ecclesiam per totum mundum. Planum est, prophetiam de Ecclesia è gentibus loqui.

3. Pax. vers. 4. 5. *Et erit hæc pax*. Dixerat de pace cap. 4. vers. 3. 4. 5. Innuerat eam, quum diceret, *considebunt*, *magnificabitur usque ad fines Terræ*. Sed non est imaginandum, eam pacem sine omni angustia fore. Igitur nominatur inprimis magnus hostis Ecclesiæ Christianæ Assyrius, & ille quidem intraturus terram Christianorum & calcaturus palatia ipsorum. Habet interim Ecclesia Christiana pacem, scilicet cum gentibus, inter quas vivet, quæ servient Ecclesiæ, ut apparet, cùm in Assyrium principes, reges & Imperatores excitabuntur. *Assyrius* is primò Persæ sunt, in Sacris Literis quoque hoc nomine appellati. Hi enim non receperunt fidem, & illam oppugnarunt non tantùm in suis ditionibus, sed etiam Imperium Romanum hâc de causâ invaserunt.

Exemplum est Cosroës tempore Heraclii.

Succenturiantur his Sarraceni & Turcæ. *Septem pastores & octo unctos hominis* quum dicit, significat, inter Christianos fore plures reges potentissimos, qui uno tempore Assyriam invadere possint & invasuri sint. Adde Hos. 13: 7. ubi ejusdem expeditionis alio scopo est mentio. *Unctos hominis* intellige, qui ab uno homine, rege *Tyri coronatricis*, Es. 23: 8. id est, Papâ, rege emporii illius spiritualis uncti sunt. *Terra Nimrod* est Assyria, Babylonia. *Ostia ejus*, unde egrediuntur. Bellum

lum ad ostia usque Persarum & Sarracenorum retroagent. Denique *tripiet* ab Assyrio, scilicet aliquis.

Dux Bullionæus Gothofridus, qui regnum Hierosolymitannm orsus est.

4. Multiplicatio insignis à divina benedictione. vers. 6. In duobus hic fit comparatio. 1. in multitudine, ut guttarum roris & pluviæ. 2. in divina præventione. Stulti sunt, qui putant, Ecclesiam non propagari nisi humanâ ope, consilio, legibus, auctoritate, potestate. Non exspectarunt Ecclesiæ augmenta Papam Romanum. Adde hic Marc. 4: 27.

5. Victoria Ecclesiæ de gentibus. vers. 7. 8. Aliquid de reliquiis dicit, aliquid de Christo, quem per Apostrophen compellat. Rerum hic est ordo.

1. Christiani veri redigentur ad *reliquias*, ut maxima pars mundi non mereatur appellari, nisi *Gentes*. Zach. 13: 7. 8. 9. Hic notatur defectio & regnum Bestiæ.

2. *Reliquiæ* hæ congredientur cum *Gentibus* illis, *ut Leo* cum aliis feris.

3. Oppugnabuntur undiquaque.

4. Sed manus Christi hostes compescet, ut cogantur gloriam Deo dare & *non inferant gladium* Ecclesiæ, quem jam habebant in manu. Adde cap. 4: 3. col. 3. sive penult.

5. Inimicos denique iri excitatum contra Ecclesiam: eosque excisum iri.

6. Tum instar leonis inter oves fore Ecclesiam.

6. Repurgatio Ecclesiæ. ℣. 9--13.

Quoad potentiam humanam humiliabitur Ecclesia, ne confidat equis & curribus, urbibus & munimentis. Confer Hos. 10: 13. 14. 15. Deut. 32: 36. col. 3. 4.

Quoad religionem tollentur *præstigiæ*; id est, 1. omnis doctrina dæmonum. 2. omnis superstitiosus abusus verborum & rerum sacrarum, ut qui verba cœnæ pronunciat cum intentione faciendi corpus Christi, aut pani inesse vim procurandi gratiam putat. *Auspices* & ominum observatores; qui prophetant & tanquam divinum oraculum jactant, quod Deus non revelavit. *Simulacra*. In Apocalypsi *Imago Bestiæ* præcipuè inculcatur, quæ est Ecclesia repræsentativa, Vicarius Christi. *Et cippi*; omnia instrumenta falsi cultûs. *Et non ampliùs adorabunt opera manuum suarum*; non ampliùs sibi attribuent, quod est Dei, ut qui vim suam pro Deo habent.

Quoad regimen Ecclesiæ illegitimum fiet purgatio circa *nemora*, quæ commodè significant potestates Ecclesiasticas juxta altare Christum collocatas, quæ obumbrant accedentes ad altare & suæ potestati subjiciunt fidem illorum. Circa *urbes*, quas sibi quisque facit. Ecclesias particulares civitatum instar humano nomine & arbitrio rectas.

Hæc excisio scandalorum præcedit assumtionem claudicantis. cap. 4: 6. imò est medium ejus.

7. Judicium in gentes edendum. ℣. 14.

Confer Deut. 32: 41. 42. & suprà cap. 4: 4. & 7. item cap. 5: 4. *Et erit hæc pax*. Nam id ad totum hunc ordinem divinæ gubernationis referri potest, quâ Deus Ecclesiam ad pacem provehet.

Horum nulla Judæi possunt in se implementa adducere, ut qui nec cippos, nec imagines, nec urbes destruendas &c. habeant.

Quarta pars Prophetiæ cap. VI. & VII. continet

I. Litem

I. Litem Dei cum populo Israëlitico ante adventum Christi. Cap. VI. usque ad vers. 9. Est hic

1. Prophetæ præconium ad faciendam audientiam. ℣. 1. p. p.

2. Mandatum Jehovæ ad Prophetam de instituenda lite *cum montibus & collibus*. non tantùm cum singulis hominibus, sed & cum magnis & parvis eminentiis in terra.

3. Litis institutio, ℣. 2. & seqq. Ea habet

(a.) Præfationem. vers. 2. Si placet hanc litem dirigi ad ipsam terram, expostulat cum ea, cur tales tanquam justos foveat, alat, & non evomat?

(b.) Actionem. vers. 3. 4. 5. Ea est super injusto odio Dei per modum Apologiæ, verbis Dei instituta. Contentio, quam Deus cum hominibus habet, est duplex. 1. quâ se defendit, ut qui injustè sit odiosus populo suo. vers. 3. 2. quâ justè petit reverentiam & amorem. Atque huc spectat commemoratio benignissima beneficiorum populo isti præ cæteris gentibus exhibitorum. Ea sunt,

(α.) *Ereptio ex Ægypto*, ubi erant libertate privati, & quidem ita, ut de liberis ipsorum statuerent domini, utrum deberent tolli, an exponi & projici. Præterea in Ægypto non tantum exemplis, sed & imperiis ad defectionem à vero Deo impellebantur. Nihil enim Pharaoni molestius, quàm Israëlem esse *populum* separatum à populo suo. Exod. 1 : 8.

(β) Translatio in libertatem politicam. Non enim ita eos eduxit Deus ex Ægypto, ut subjiceret aliis dominis, sed misit ante illos Mosen, Aharonem & Mirjam: tres Prophetas, subjectos Deo ipsos *mittenti* & per eos loquenti, non reges, sed ministros Dei regis. Adde Hos. 12 : 14. Eam libertatem etiam habuerunt Israëlitæ sub Judicibus, quum quisque *quod bonum erat in oculis suis*, non impeditus à quoquam, *faciebat*.

(γ.) Demonstratio gratiæ in Bileami adactione ad benedicendum Israëli. Eo ipso autem, quo jubentur cogitare, quid Bileam responderit Balaco, jubentur repetere promissionem Christi & regni ipsius. De quibus Bileam clarissimè prophetavit.

(δ.) *Traductio à Sittim*, ubi fornicati erant Israëlitæ cum filiabus Moabitarum. Num. 25 : 1. ἐτελέσθησαν τῷ Βαὰλ, *ad Gilgal*, ad eum scilicet locum, qui à devolutione opprobrii per iteratam circumcisionem populi vocatus est Gilgal. Ubi & Pascha celebrarunt. Jos. 5 : 9 : 10. Hæc est magna comprobatio gratiæ Dei, quòd, non obstante tam enormi idololatriâ, ipsos in terram ac hæreditatem duxerit, ac signa fœderis ipsis dederit.

Hisce igitur omnibus demonstrantur *justitiæ Dei*, id est, quòd Deus justus sit in contentione cum Israëlitis, & respectu apologiæ, & respectu justæ petitionis.

(c.) Confessionem veri Israëlis de insufficientia sua, tum ad promerendum gratiam Dei, tum ad expiandum peccata.

Locus hic illustris est, ad probandum, verum Israëlem nullam habere justitiam ex se apud Deum, neque posse ipsi quicquam dare, aut præstare, quo gratiam impetret vel iram amoliatur.

(d.) Doctrinam Dei de hominis officio. vers. 8. *Indicavit tibi, ô homo, quid sit bonum.* quid sit רצין; quid sit δικαίωμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων; quid sit bonum in oculis ejus, quid approbet; quum nos mali simus, ad hoc ut simus in gratia. Id quum indicatum sit, apprehendendum & discendum est homini. Tria Deus vicissim ab homine requirit. 1. κρίσιν, *ut judicium observet*, id est, fugiat malum &

communionem cum malis; non condemnet, quos Deus absolvit; non justificet, quos Deus condemnat. 2. ἔλεον, *ut charitatem exerceat*, & quidem non frigidè, sed cum enixo studio. 3. πίσιν, ut coram Deo se humiliet, & ad verbum ejus trepidet, & in ipsius viis sollicitè ambulet, sine gloriatione in se ipso, cum abnegatione suarum virium & justitiæ, idque in fide Testamenti ipsius.

Locus hic expressus est ex Deut. 10 : 12.

II. Concionem Christi ad populum Prophetarum concioni succedentem. à ℣. 9. ad finem cap. VI. Ea habet

1. Præfationem. vers. 9. In ea propheta fungitur officio præconis, qui

(a.) indicat Dominum manifestatum in carne concionantem. *Vox Jehovæ auditur.* Id & connexa & consequentia demonstrant. Connexa: status populi à Domino vocati propriâ voce. Is notatur per *Urbem* & *Tribum.* Quæ voces notant urbis exstructionem & Templi cultûsque publici vigorem; Tribûs Judaicæ; Totius Israëlis in nomen unius tribûs coalitionem; denique dum solùm *tribus*, non *regnum* appellatur, Sceptri terrestris recessionem. Adde cap. 4 : 8. Abiit enim quod in Christo venit. Quod ad consequentia attinet: præcipuum est destructio urbis & tribûs, quam immediatè debuit præcedere vocatio Christi, cui tribus & urbs non obedivit.

(b.) per apostrophen adstipulatur manifestationi Domini concionantis, & veritati Dei in manifestatione Christi comprobatæ. *Et revera videt quisque nomen tuum*, id est, veritatem divinarum virtutum in opere redemtionis nostræ demonstrandarum, Sanctitatem, Justitiam, Misericordiam, Judicium, Potentiam, Sapientiam. Denique veritatem ipsius divinitatis in Christo, qualis & quanta in Sacris Dei oraculis est nominata.

Historia. Nomen DOMINI visum fuit oculariter in Nativitate ejus; in Baptismo, quum Spiritus in forma columbæ appareret super ipso; in sanatione morborum; in excitatione mortuorum; in prædicatione Euangelii pauperibus; in passione; in resurrectione à mortuis; in ascensione in cœlum; in effusione Spiritûs Sancti; in conversione efficaci Judæorum & gentium.

(c) excitat tribum ad audiendum. *Audite, ô tu Tribus.*

(d.) conqueritur de urbis & tribûs tarditate ad audiendum & conveniendum audiendi causâ. *Quis fecit illam convenire?* sensu negato. Nemo eam convenire fecit. Nemo impetravit, ut accederet ad Dominum concionantem, & ipsi auscultaret, atque colligeretur ab ipso.

2. Tractationem ipsam. Ea constat

(a.) Exprobratione variarum culparum. vers. 10—16. Eæ sunt

(α.) Carentia justitiæ veræ, illius scilicet, quâ homo peccator ὑπόδικος θεῷ ejus iram possit evadere, & hæres vitæ æternæ fieri. vers. 10. *Domus improbi.*

(β.) *Dilectio thesaurorum injustitiæ*, id est, retentio terrenæ hæreditatis, ceu præmii justitiæ carnalis. Colligebant ea bona in thesauros. Hinc explica *Mammonem injustitiæ*, Luc. 16 : 9. Hæc avaritia. Nec impertiebantur egenis. Hæc crudelitas. Et putabant, in perpetuum ea bona sibi iri relictum. Hæc abnegatio domini spiritualis Christi & hæreditatis mundi.

(γ.) Mensura iniqua. *Epha macilenta abominabilis.* Pharisæi leviora legis observabant, graviora omittebant. Matth. 23 : 23. De ea Salvator sæpe. Matth. 7 : 2. Marc. 4 : 24. Luc. 6 : 38.

(δ.) Ju-

(δ.) Judicium injustum, ejusque postulatio. *Nunquid insons essem cum lancibus improbitatis*, id est, si vos absolverem, & quos vos condemnatis, damnarem, annon prævaricator fierem?

(ε.) Doctrina falsa de hominis justitia coram Deo. Is *sacculus ponderis dolosi.* ℣. 11. Confer Matth. 9: 11. 12: 7.

(ζ.) *Injuria divitum.* Ii sunt, quos Christus *gestantes mollia vestimenta* vocat. ii scilicet, qui cæteris sunt potentiores officio & proventibus, ut Sacerdotes. *Injuria* in eo consistit, quòd tollerent clavim cognitionis; ipsi non intrarent, & alios intrare non permitterent, id est, sibi solis arrogarent docendi jus, & Christum scopum legis populo non ostenderent. Matth. 23: 13.

(η.) Habitantium dolus. Omnes habitantes Hierosolymam accusantur, quòd appellando se Israëlitas, Judæos, discipulos Mosis & Prophetarum, *falsum dicerent. Dolus* autem in eo est, quòd mendacium tegerent cortice verborum Mosis.

(θ.) Induratio contra plagas. Est hic catalogus plagarum, vers. 13. 14. 15. Suntque 1. insatiabilitas; quam probat avaritia, odia, simultates, injuriæ ad defraudandos proximos. 2. sterilitas uteri. confer Hos. 9: 11. 12. 3. strages juventutis in bello. 4. ἀφορία terræ. 5. pestilentia, vel avaritia potentiorum, prævertens fruitionem bonorum ex agris collectorum.

Denique exaggerat peccata, quòd inter gravissimas plagas nihilominus pergant in atrocissimis criminibus. qualia sunt, observare statuta Omri, & opus domûs Achabi. *Omri* in via domûs Jeroboami incessit integrè & supra antecessores suos, 1 Reg. 18: 25. 26. *Achab* Baalem coluit. ibid. vers. 31. Duo igitur genera idololatriæ impingit Judæis.

1. contra secundum præceptum, quæ est via Jeroboami. Id in Traditionibus fuit spectatum, & in sanctuarii cultu non sincero nec legitimo fine, Act. 7: 42. 43.
2. contra præceptum primum; ut Achab. quòd colerent Deos alios, ut 1. quando Dei Filium, & sic Deum Patrem abnegarunt. Adde Hos. 2: 7. 2. quando cum Romanis & eorum sacris spiritualiter fornicati sunt. Confidere enim idololatris ad conservationem suæ prosperitatis & pacis, est abnegatio Dei indirecta & fornicatio cum illis. Et Herodes templum struxit Cæsari.

(b.) Denunciatione exitûs. ℣. 16. p. 2. *Ut dem te in vastitatem.* Consequens; *Exsibilatio* eorum ut ἐθνικῶν & improborum. Ratio. *Ut ferant opprobrium populi Dei*, id est, ut, quemadmodum populum Dei tractarunt, ipsis retalietur: & blasphemiæ ac convicia in populum Dei effusa in caput ipsorum redundent. Duo ergo nova crimina ipsis improperantur.

1. Persecutio populi Dei. quæ est probrum aliquod piorum in oculis hujus mundi.
2. Calumniosa traductio, ut omnium in odio essent.

Denique innuitur rejectio Judæorum, ne sint populus Dei, & separatio veri populi Dei ab illis. Adde Deut. 32: 41. & ℣. 36.

III. Complorationem Christi partim de impœnitentia populi, partim de illorum excidio. Cap. VII. 1--5.

Comploratio de impœnitentia notat

1. Defectum verè piorum. ℣. 1. 2. p. p. Christus visitans populum suum, eum comparat cum horto, cujus fructus *collecti sint*; cum vinea, in qua *vindemia* peracta

acta est, & post vindemiam reliqua est *racematio*. Debebat autem esse ut hortus fructibus abundans, & jam *præcoquos*, maturos fructus aliquos in spem maturitatis in cæteris exhibens, & inventus est populus habens instar horti abjecti. Sic Apostolus Heb. 5 : 12.

Figuram hanc, quam Michæas in sermone metaphorico exhibuit, Christus etiam facto suo expressit. Marc. 11 : 13.

Metaphora explicatur per defectum piorum & rectorum. ℣. 2. p. p.

2. Pravitatem multiplicem omnium. ℣. 2. p. alt. & ℣. 3. Vitia sunt. 1. crudelitas & sævitia tum in mutuis cladibus & seditionibus, tum in persecutionibus discipulorum Christi. 2. quòd *malum suum*, id est, justitiam propriam, pallient, excusent, incrustent, ut videatur res bona. 3. quòd justitiam non ad subditorum bonum, sed ad utilitatem propriam exerceant. 4. quòd doctrinam salutis non sincerè, sed secundùm nequitiam animæ suæ, & affectationem mali, quæ הוה nequitia est, proponant, *& densent*, &, posito uno mendacio, integrum systema mendaciorum componant.

3. Corruptionem optimorum inter ipsos, vers. 4. p. p. *Optimus ipsorum est ut sentis; Rectus, minùs quàm vepres.* Confer Hebr. 6 : 8.

Comploratio excidii continet duo.

1. Contestationem de visitatione populi jam facta. *Dies speculatorum tuorum, visitatio tua, venit. Dies* ille, quem Abraham, Isaac & Jacob, & omnes sancti Dei Prophetæ cupiverunt videre, &, tanquam in specula constituti, exspectarunt, sed non viderunt, is venit, nimirum ὁ ἐπισκοπῆς σου, *visitatio tua*. Luc. 19 : 44. quâ Deus venit ad te. Confer Hos. 9 : 7.

2. Denunciationem excidii imminentis. ibid. vers. 4. *Nunc erit*, vel *fiet conturbatio illorum*. מבוכה, perplexatio, verè σύγχυσις, sive spectes statum internum, sive angustiam externam, sive cœcitatem & intricationem in negotio spei & consolationis suæ.

IV. Dialogum adumbrantem varias tentationes Ecclesiæ Novi Testamenti, usque ad subjectionem mundi, à vers. 5. ad finem. Dialogus iste continet sex sermones.

1. Verba Dei admonentis de cavendis hominibus ob dissensionem in causa Christi, & odium veritatis incitans etiam ad tradendum proximos quosvis. vers. 5. 6. Adde Matth. 10 : 34. 35. 36. Luc. 12 : 51. 52. 53. Matth. 24 : 9. 10. Prophetiæ ordo nos deducit ad tempora vicina excidio populi Judaïci. Sed ulteriùs pertinent.

2. Verba Ecclesiæ afflictæ. vers. 7---10. Ea introducitur, ut testans spem suam contra irrisionem infidelium Judæorum & gentilium, ℣. 7. Deinde ut hostium lætitiam confutans ab indemnitate sua. vers. 8. *Inimicam* hîc vocat inprimis gentem Judaïcam. Vide cap. 6 : 16. 7 : 2.

A causa afflictionis, nimirum *peccato suo*, quòd nimirum communicaverit peccatis mundi, ipsorum videlicet persequentium. De eo peccato est Apoc. 2 : 4.

A præsentis statûs mutatione, vers. 9. f. Deus, inquit, causam meam aget, & rependet mihi, pro eo quod passa sum. Reddet mihi pro tenebris lucem, pro pudore gloriam, pro tristitia lætitiam: ubi *videbo justitiam ejus*; inprimis in præstatione promissionum ipsius. Omnia huc vergunt, causam lætitiæ Ecclesiæ non esse tam liberationem ab angustia, vel hostium exitium, quàm incrementum regni Christi, gentibus per passiones Ecclesiæ lucrifactis.

A fu-

A futuro hostium pudore. vers. 10. *Et videbit Inimica mea, & operiet eam pudor: quæ dicit ad me; Ubi Jehova Deus tuus est?* Judæorum ea insultatio est & gentilium. Horum, qui ægrè ferebant, non invocari suos deos; illorum, qui ægrè ferebant, Christum Jehovam dici à Christianis.

Nota. Si Christiani alium quendam Deum, qui non esset propriè Deus, professi fuissent, Michæas in irrisione inimicorum Christianorum non posuisset hoc symbolum: *Jehovah est Deus noster.*

Denique à pœna hostium, *quum erunt in conculcationem ut lutum platearum.* vers. 10. Id versui 4. respondet, ubi *de implicatione* Judæorum.

3. Verba Dei ad Ecclesiam liberatam & pace potitam. ℣. 11. 12. 13.

In *Prima* parte commendatur finis beneficii. *Dies ædificandi macerias tuas*, scilicet collapsas, est. In eum scilicet finem data est tibi hæc pax, hæc requies, ut damna repares, id corrigas, in quo antea peccatum est, quo fervor Dei & persecutio est excitata: ut verbo, exemplo, disciplinâ te munias, munita regnum Dei propages. Explicatur hîc, quod dictum cap. 5: 3. *& considebunt.*

Secundò accusatur beneficii abusus, & negligentia officii. *Die illo eodem elongatur statutum.* Quum Ecclesia pacem nacta fuit sub Constantino M. tum ab illo חק, statuto ac definito veritatis modulo, ὑποτυπώσει sanorum verborum, quæ est in Scripturis, recessum est, tum factis tum doctrinâ per ἀπάτην, per dolum & inadvertentiam hominum.

Tertiò denunciatur castigatio recessionis à præscripto Dei. vers. 12. Est dies constitutus à Domino, quo te aggredietur teque opprimet aliquis per certa terrarum spatia, veniens ab Assyria usque ad urbes munitas, & ab urbibus munitis progrediens usque ad fluvium quendam ingentem; (qualis est Danubius) denique à mari ad mare, & utrumque litus imperio suo jungens.

Hæc aliquatenus impleta sunt in Persis, Sarracenis & Turcis. Per quos primò urbes munitæ in Asia & Ægypto occupatæ sunt: deinde Thracia usque ad Danubium: mox & tota Græcia à Ponto Euxino usque ad mare Adriaticum. Tamen non definio hîc, utrum illud, *à mari ad mare*, eo ipso impletum sit. Nam quod de Græcia occupata dixi, id potest intelligi sub progressu usque ad Danubium. Et duriorum metum ingerunt quædam Scripturæ. Confer hæc cum cap. 5: 4. 5. ubi pacis modus ostendebatur, hîc castigatio Christianorum indicatur.

Superest vers. 12. *& mons in montem*, scilicet veniet, id est, in pœnam Christianorum, regna diversa, quæ ad tempus Homini reges eorum ungenti (sup. 5: 4.) id est, Papæ, paruerant, inter se collidentur, non minori cum destructione & pernicie omnium rerum, quàm si mons unus cum altero collidatur. Vel definitè. Regnum aliquod & monarchia & mons magnus Verum Montem, regnum & populum Christi invadet, eaque regna inter se confligent, usque ad abolitionem alterius. Hic sensus magis est literæ consentaneus. *Mons* enim & *Mons* in sensu unitatis comparantur; & ההר emphaticè dicitur.

Ultimum, *Terræ devastatio.* Ecclesiæ terra hæc est. Ecclesiæ scilicet à monte altero separatæ. Causa vastitatis est in ipsis *terræ incolis*, id est, iis, qui se Ecclesiæ adjungunt, & ejus membra haberi & audire volunt. Fructus enim operum ipsorum hos effectus producit. *Opera* sunt ipsorum doctrinæ, instituta, adinventiones. Ista opera enarrantur cap. 5: 9--13. *Fructus* sunt oblivio Dei, fidei exstinctio, ædificationis impedimentum, falsum judicium, persecutio &c.

4. Petitionem Ecclesiæ oppressæ & vastatæ. vers. 14. Petit Ecclesia castigata,

(a.) se pasci à solo Deo, & sceptro sive pedo ipsius. Innuit, se oppressam fuisse à Pastore Stulto. Zach. 11. Virga Pastoris Stulti sunt Traditiones & leges ejus; quibus opponit *virgam* Dei Pastoris, id est, Euangelium. Momentum petitionis est, quòd *populus Dei est*, quem redemit, & suum fecit. Id exaggerat. *Oves hæreditarias tuas. Oves tuæ*, quia indigent tuo ductu & pastu. *Hæreditas*, quia datæ tibi à Patre, nunquam eripiendæ è manu tua.

Favet hic locus Ecclesiæ Reformatæ, quæ formidat subjici sceptro humano.

(b.) ut Deus populum suum *seorsim habitantem* velit pascere. Hic innuitur χωρισμὸς à cœtu & communione illorum, qui volunt esse sub sceptro injustitiæ. Confer Num. 23:13.

(c.) petit populum habitantem sylvam in agro virgâ Dei pasci. *Sylvam in arvo*, supple *habitantem*. *Sylva* est Hierarchia in aliqua Ecclesiæ parte servata, quum reliqua Ecclesia habeat faciem *Arvi* culti seminio verbi, & à cœlo benedictionem exspectantis sine servitute & nomine hominum. Ea Ecclesia Anglicana est.

(d.) petit Ecclesia populum expulsum ex sedibus suis in eas restitui. *Pascant Basan & Gilead, ut diebus sæculi. Dies sæculi* hic dicitur de omni tempore, quo Ecclesia Reformata locum aliquem obtinuit. *Basan* & *Gilead* dicuntur partes, in quibus Ecclesia Reformata à Papali contaminatione antiquitùs sedem quietam & quasi hæreditariam habuit; allusione ad terræ sanctæ distributionem. Hic autem consideratur Ecclesia, ut expulsa ex istis sedibus. Intellige Ecclesiam Germanicam ac Bohemicam.

Si literam premas, petitio est pro conversione Turcarum & Judæorum, ne Basan & Gilead & tota Palæstina ampliùs à gentibus calcetur, sed possideatur ab Israële Dei.

5. Consolationem Christi. vers. 15. 16. 17. Christus hic se distinguit ab alio, de quo dicit, *Jehovam Deum nostrum*. Testimonium hic est locuples 1. divinitatis Christi, quia sibi tribuit opera Dei. 2. humanitatis, quia cum Ecclesia se conjungens Deum Patrem appellat Deum NOSTRUM. Confer Joh. 20:17. Simul ostendit, in cujus nomine venerit. Alterum illum in nomine proprio venisse.

Promittit, mirabilia se ostensurum populo suo, id est, illi parti Ecclesiæ, pro qua reliqua Ecclesia intercedit, vers. 14. *Ut diebus, quibus tu egressus es ex Ægypto*, spirituali, atque in libertatem assertus es:. Ita is, qui habitat sylvam, & qui depulsus est ex Gilead, pro quo tu nunc oras, mirabilia videbit. Effectus est *pudor gentium* (ii hostes Ecclesiæ Reformatæ) de potentia sua; stupor, & aurium ad famam exsurdatio; humiliatio *in claustris suis*, (sive arces, sive monasteria intelligas) metus Dei Patris, qui Christum regem constituit in monte sancto suo, & Ecclesiæ.

6. δοξολογίαν Ecclesiæ. vers. 18. 19. 20. Ecclesia nunc de Deo Patre in tertia persona, nunc ad Christum in secunda persona loquitur. Est hic glorificatio Christi ut veri Dei, similem & parem non habentis. Interim Patri æqualis est, unus scilicet cum Patre & Spiritu Sancto, omnemque alium Deum æqualem excludens.

Summa gloria Patris & Filii constituitur in remissione peccatorum; in constan-

tia

tia dilectionis Ecclesiæ, ut hæreditatis suæ inalienabilis; vers. 18. in repetita miseratione & suppressione peccati per ablationem omnis castigationis, scilicet post repurgationem. (vide cap. 5. f.) Hic verò se comparat Ecclesia cum aliis, quorum peccatum Deus injecerit in profunda maris, quos per pronomen ἐκείνων, *Illos*, indigitat. Hæc in ℣. 19.

Tandem prædicat, promissiones gratuitas, Jacobo & Abrahamo & omnibus Patriarchis factas, de hæreditate scilicet mundi & salute totius Israëlis, in sese, ut posteris ipsorum, impleri.



ANALYSIS &c.

NAHUMI.



Saiæ σύγχρονος fuisse videtur; nam cap. 1: 13. describit interitum Sancheribi. Hæc etiam Hieronymi sententia est.

Summa Prophetiæ est Excidium Sancheribi, tum regni Babylonici, post excidium Nineves ac regni Assyriorum. Scopus autem est, ut hostes Dei omnes, inprimis Christo in carne revelato, Judæi regnum ejus oppugnaturi de ira Dei justa convincerentur: Ecclesia autem Deo confidere discat. Huic Prophetæ subjungitur Habaccuc, qui agit planiùs de Babyloniis & Romanis & Antichristo: ut ita per duos hos Prophetas totus ordo temporum detegatur.

Partes hujus Prophetiæ sunt duæ:

Prima, Concio Prophetæ ad populum tribûs Judæ de ira Dei suo tempore exercenda in populum immorigerum. cap. 1. à vers. 2. usque ad 12. In his spectatur scopus Prophetiæ. Hæc pars habet

I. Thesin, quâ affirmat zelum & vindictam Dei. vers. 2. אל *Deus potens*, non tantùm ut ipse in se sibi sufficiat, sed & omnia præter ipsum sistat, & sustentet. קנוא *zelotes*, habens immutabilem voluntatem demonstrandi gloriam suam, & veritatem perfectionum suarum, inprimis gratiæ suæ in Christo asserendi contra eos, qui eam oppugnant & contemnunt: & נוקם *ultor* lædentium & malitiæ, quæ in ipsis est, quam nullo modo potest approbare aut dissimulare. Hæc dicuntur de יהוה, *qui est*, *& est quod est*, *& fit quod est*. Porro huic iræ vindicanti adscribitur *excandescentia*, id est, voluntas destruendi omne hostium bonum & per potentiam suam, quasi cum quadam incitatione animi retaliandi malitiam contemtricem gratiæ & potentiæ suæ. Denique restringitur hæc ira ad *hostes*, oppugnatores, *& inimicos*, qui persequuntur ipsum affectu destruendi. Utrique sunt ii, qui arce Dei apprehensâ non faciunt cum eo pacem. Præterea modus ulciscendi definitur per נוטר הו *retinens* & recondens iram ad ulciscendum opportuno tempore. Scopus inculcandæ hujus veritatis est, ut cùm omnes electi in timore ac tremore salutem operarentur, tum inprimis Judæi, hâc admonitione, ob oculos ponente judicium Dei jam olim per Mosen descriptum Deut. 32. redderentur inexcusabiles.

II. Prolepsin longanimitatis Dei, & ejus elisionem duplicem. vers. 3. *Jehovah est*, quidem fateor, *longanimis*, decenter & potens & volens peccatorem tolerare, inprimis quem vult salvare, *& magnus vi*, ad refrenandam iram suam, & vim quasi faciendam sibi & justitiæ suæ, ut prætereat ac dissimulet etiam magnum peccatum; sed tamen 1. *omnino non absolvit*, sive absque animadversione pro innoxio habet, quando vel misericordiâ vel longanimitate utitur, id est, non remittit peccatum absque demonstratione sanctitatis & justitiæ suæ. Exod. 34: 7. 2. licet lentè, tamen cum majestate venit, quando ad vindictam procedit. Venit

enim

enim *cum turbine, procellaque & nube*, id est, cum destructione, terrore, coarctatione & plagis omne genus. *Nubes* tenebras faciunt, grandinem, nimbum, fulgura, fulmina & tonitrua pariunt.

III. Adumbrationem gravitatis iræ à rerum & operum Dei jam exstantium monumentis. vers. 4. 5. ad conjecturam de futuro faciendam. vers. 6. Solet Deus præmittere istiusmodi signa excitantia & percellentia animos, antequam decretorius dies judicii ingruat.

. Huc pertinent exsiccatio maris rubri & Jordanis; maris in continentem, & vice versâ, mutatio; obstructio alveorum in fluminibus & portubus; siccitas & ἀομβρία cum defectu aquæ in fluviis & rivis: & subsequente sterilitate. Jer. 14: 3. terræ motus, montium rupturæ & præcipitia. Qualia & Israëlitæ experti erant & meminerant facta. Hæc vim iræ Dei manifestant, ut cogitet homo, se in tempore iræ non posse subsistere. Quæ ira comparatur cum igne, & inculcatur ejus vis ab effecto in petris durissimis. Quæ ergo petra homini misero effugium & suffugium? Hos. 10: 8.

IV. Demonstrationem inevitabilitatis iræ sive certitudinis judicii.

Primò à decoro Dei in respectu ad Ecclesiam. *Deus bonus est in arcem.* Alloquitur Judæos persecutionem excitantes in Christianos. Vos, inquit, facitis *angustiam* populo meo. Est reverâ jam *dies* θλίψεως. Annon decebit me hic bonitatem meam exertare, ut præbeam me arcem, inprimis quia illi *confugiunt ad me?* Non putatis me illos nosse, qui ad me confugiunt, quia vos illos persequimini? Confer Deut. 32: 19. Hic locus ostendit

1. *Gratiam* & *bonitatem* Dei manifestandam in populo, ut confugiant ad ipsum tanquam ad arcem salutis. Quæ manifestatio est in Christo.

2. Persecutionem piorum propter nomen Dei vehementissimam, ut reverâ sit θλίψις.

3. Liberationem eorum futuram ex θλίψει, per severitatem in auctores persecutionis Judæos. Ea severitas describitur vers. 8. per comparationem *diluvii*: cum quo comparatur & *ira*. Prov. 27: 4. & per indicationem effecti, *Consummationis*; & subjecti, quod est partim *Locus Angustiæ* & persecutionis, id est, Templum, Synagogæ, Urbs, Respublica, Terra; partim *Inimici* sive persequentes, Judæi, qui reverâ dati sunt in Cimmerias *tenebras*, ut nihil videant.

Vers. 9. Est asseveratio excidii, consummationis & πανολεθρίας, contra hominum λογισμοὺς contra Deum. Additâ etiam alterâ ratione, quam à consideratione Ecclesiæ sumit; quòd non debeat iterum vel secundò oriri pressura. Hoc vult. Non conservabo templum, rempublicam, populum Judæorum, ne iterum iterumque Ecclesiam Christianam affligant. q. d. Minuenda est afflictio Ecclesiæ, non redintegranda. Hinc patet, primò Judæos, deinde Romanos, postmodum alios iis in persequendo succenturiatos compesci & deleri. Inter hos & Antichristus est.

Secundò ex maturitate puniendorum ad pœnam. Sunt, inquit, isti ut *stramen plenè exsiccatum*. Rursus comparat illos cum spinis complicatis. *Spinæ* dicuntur propterea, quòd infrugiferi sint & pungant, & bonam frugem strangulent; *complicatæ*, quia inter se conjurarunt, quòd pios in Christum credentes ferre non velint, atque ita ipsi, ut vepres, agrum Domini soli occupare. Ad earum complicationem solvendam quid opus est, nisi igne consumente? Rursus vocat illos *absorptos*, & quidem sicut *potus ipsorum*. Ingurgitarunt se cupiditatibus ipsorum,

ipsi absorpti à Satana & à populo Romano, quos tanquam amasios prosequuti erant. Hos. 2: 9.

Vers. 11. Culpa insignis excidium promerens indigitatur. quòd scilicet *ex Hierosolyma exiverit cogitans malum contra Dominum, & consulens nequitiam*, id est, quòd omnis machinatio contra regnum Christi, & inprimis impulsio gentilium contra Christianos sit ex Hierosolyma & Senatu Judæorum.

Exemplum est in Saulo, quem tamen Servator miseratus est. Et legantur Acta Apostolica. Alibi id ex Justino Martyre ostendimus, Judæos extitisse causam odii gentilium contra Christianos.

Hisce omnino addendum est, omnes hæreses & Antichristiana consilia originem suam debere Judæis.

Agi hic de Judæis, constare potest *tum* ex prædicatorum veritate; *tum* quòd vers. 4. meminit languoris Basan & Carmel, quæ terram Israëlis denotant; *tum* quòd vers. 12. & 13. compelletur Hierosolyma in mitigatione pœnarum. Ergo & vers. 11. in accusatione compellatur.

Secunda pars hujus Prophetiæ constat promissione moderandæ afflictionis in præsens, ante illum diem decretorium. Hic duo membra.

I. De sistenda tyrannide Assyriorum tempore Sennacheribi. cap. 1. ℣. 12. 13. 14. Hoc membrum continet tria.

1. Propositum Dei de non continuanda in præsens afflictione ad humiliandum. vers. 12. Causa ejus redditur triplex.

(a.) ab enormitate plagæ inflictæ decem tribubus. Quòd scilicet integri, tanto numero, adeò celeriter & longè avulsi amotique sint à termino suo.

(b.) ab insatiabilitate & superbia hostis. quòd, quum integros, adeoque multos, tam facilè abripuisset & transtulisset, hoc non contentus, *transiit*, scilicet in terram Judæ. hostis scilicet Sennacheribus, qui anno octavo post occupatam Samariam & transportatas decem tribus Judæam invasit. 2 Reg. 18: 10. 13.

(c.) ab humiliatione Judæorum.

Veritas patet ex Esai. 37: 1. 2. 3. 4. 14. 15.

2. Propositum frangendi jugi & solvendi funes. vers. 13.

Jugum ejus excussit Ezechias. 2 Reg. 18: 7. Compara denunciationem Esaiæ & Historiam, Es. 37: 34. 35. 36.

3. Denunciationem pœnæ Sancheribo infligendæ. vers. 14. In ea est

(a.) plaga conficiens. Interfectio ea est. Ea determinatur 1. ad breve tempus. *Non propagabitur semen de nomine tuo amplius*. Non diu vives, ita ut nec alios liberos suscipias ante tuam mortem. 2. quoad locum ac modum. *Ex domo Deorum tuorum exscindam sculptile & fusile*, id est, peribunt tibi simulachra ex oculis, quasi ibi non adessent; hoc est, adoranti tibi idola & videnti aspectus illorum adimetur. Hoc ænigmate involvitur cædes ante idola. Ampliùs dicit. *Ponam sepulchrum tuum*, id est, locum, in quo jaceat cadaver tuum.

Vide Es. 37: 38.

(b.) plaga antecedens interemtionem Hostis. Ea notatur his verbis: *quum vilis effectus fueris*. Nota verbum fœmininum ad denotandum effœminatum ejus animum. Historia est in prostratione exercitûs Sennacheribi, quum unâ nocte 185000 ceciderunt percussa ab Angelo. Pervasit ea fama ad gentes: cujus & Herodotus facit mentionem in Euterpe, cap. 141. ubi illud Sancheribi elogium: ἐς ἐμέ τις ὁρέων εὐσεβὴς ἔστω.

II. De

II. De restitutione cultûs in Judæa usque ad Christum, scilicet post captivitatem Babylonicam. Hic est

I. Promissio ipsa. Cap. II: 1. 2. 3. Observanda hîc

(a.) Prænunciatio præconii vocantis Judæ tribum ad agenda festa. Hæc prænunciatio phrasin sumit à more usitato & solenni. Festa, ut Neomeniæ, & Pascha, reliquaque, quæ ab eo pendebant, jussu Senatûs missis nunciis per præconium publicè indicebantur. Fieri verò id sine pace nequibat. Promissio vocationis ad festa celebranda præsupponit ea impedita fuisse.

Id in captivitate Babylonica factum est verè, deleto templo.

(b.) Altera excitatio, *Solve vota tua*, continet rationem. Debita est gratitudo, & quidem promissa in precibus sub calamitate fusis.

Confirmatio debiti gratitudinis sumitur à duobus argumentis.

1. à spe in posterum. quòd Improbus & *Nequam non addet transire in te. Totus excisus est.*

De Sancheribo id quidem intelligi potest. Sed ad plenitudinem Historiæ facit excidium Imperii Babylonii.

Hæc destructio Hostis transeuntis in terram (is Assyrius) & impedientis festa ejus (is Babylonius) illustratur per hypotyposin instrumenti & vigilantiæ & fortitudinis ejus. Docet

vers. 2. *Ascensurum dissipatorem ante Judam*, sive in facie Judæ, coram Juda & ipso quasi inspectante, scilicet dum adhuc est in captivitate, & dissipaturum regnum illud Impii, quod fuerat omnibus terribile, & videbatur invictum.

Dissipator ille Cyrus est, ut constat ex historia tum sacra, tum profana.

Modus destructionis. *Per obsidionem.*

Sic factum narrat Xenophon.

Obsidio describitur à vigilantia *in excubiis agendis*; *viam versus*: ne scilicet aliunde superveniente exercitu opprimeretur. tum *à lumborum* in laborando, fodiendo, oppugnando, & *omnium virium contentione.*

2. à restitutione decoris Jacobi, quod scilicet antehac vel ablatum, vel etiam deinceps per Antichristum profanatum fuerat.

Vers. 3. *Quia restituit Jehovah id, in quo celsos animos gerat Jacob, utpote qui est is, in quo celsos animos gerit Israël.* Jacobi ἄνχημα sive gloriatio hîc appellatur *Templum. Sed Jacobus*, populus secundùm carnem, qui ovat in templo, distinguitur à vero *Israële* sive filiis promissionis, qui ovant in Christo, & sic in Deo. Porro ideo restituitur ovatio filiorum carnis in integrum, quia Deus est ovatio filiorum Israëlis, ut quem oportebat ad populum in servitute constitutum venire, imò servum nasci. Gen. 49: 10. Hoc beneficium illustratur à remotione impedimenti. *Quia* vel *postquam pastinarunt illos* (spinas complicatas, quorum ultimi, qui igne consumti sunt, de quibus cap. 1: 10. fuerunt tradux & propago priorum, qui per Sancheribum, imò per Nebucadnezarem & Antiochum *pastinati* sunt, de quibus hîc fit sermo. Tantum interfuit: hi ministros; illi Dominum persecuti sunt.) *pastinatores.*

Per Nebucadnezarem Deus primos populi, ipsosque adeo Reges, & stirpem regiam eruncavit.

& *ramos* sive *pal mites eorum destruxerunt.* Potestatem regiam destruxerunt.

II. Descriptio calamitatis antegressæ hanc restitutionem. ℣. 4--8.

In hisce 5 versibus est Comparatio, ut dissimilium; & tamen utrinque suam pro-

profanitatem aut infidelitatem ostendentium, inde Babyloniorum, hinc regis & populi Judæorum. *Illorum*, ut pastinantium; *horum*, ut pastinatorum. Sic enim ex proximè antecedentibus continuantur. Scopus est, partim reddere rationem destructionis Babyloniorum, partim illustrare & justificare deletionem Urbis & Templi per Babylonios, ac regni sublationem, ac populi transportationem.

In Babyloniis vers. 4. 5. ostendit animos ingentes, & alacritatem in hominibus & in animalibus: quod est signum divinæ potentiæ in ipsis. Sed innuit, eos esse pessundandos, quia hâc suâ potentiâ contra Deum usi essent, & sibimet ipsis confisi essent. Nam ex eo ipsos vocaverat בליעל, ℣. 1.

In pastinandis Hierosolymitanis vivum spectaculum exhibetur Regis, Ducum, Urbis oppugnatæ, Fugæ, Urbis captæ, incensæ, Exilii. Regis vitium est *recordari Principum suorum*, & Dei interim, qui est גאונו gloriatio ejus, oblivisci. vers. 6.] Principum imbecillitas, pavor & projectus animus notatur, dum dicitur, *eos impegisse inter ambulandum*; nedum inter currendum. ibid. Interim oppugnatio urbis procedit. *Illi* pastinatores *accelerabant ad illius* Hierosolymæ *murum*, *& parabant testudinem.* Ibi igitur Rex & Principes nec confisi Deo, nec suis viribus, consilium Fugæ capessunt. Et *portæ fluviorum aperiuntur*, scilicet ad fugam. Sed è fuga retracti sunt.

Diligens est historia 2 Reg. 25. & Jer. 52. in notando loco eruptionis ad fugam capessendam. per portam scilicet, quæ inter duos muros erat ad hortum Regis. Eundem locum hîc antè designavit Nahumus. Vide Comment. Cl. COCCEJI.

Addit Propheta Fugæ regis *Templi*, id est, Sacerdotum in templo, qui etiam ipsi pro templo Dei, quod à Spiritu Dei inhabitaretur, habebantur, pavorem. *Et Templum diffluebat*, id est, Sacerdotum in templo corda colliquescebant: inde hoste oppugnante, hinc rege & militibus aufugientibus. Quid porrò? *Statuitur* scilicet testudo, hactenus parata, agitur sive adigitur in murum. Quo cum effectu? *Urbs nudatur*, id est, murus perrumpitur. Quid porrò, perrupto muro & nudatâ urbe, fit? *Urbs* העלתה *sursum cogitur ascendere*, ut victima, quæ igne comburitur. Allusio enim est ad victimas, quas solebant Sacerdotes העלות *facere ascendere*, ὁλοκαυτοῦν. Pungit igitur hâc phrasi Propheta. Tandem Exilium adumbrat hoc modo. *Ancillæ ejus*, scilicet Hierosolymæ (Regina enim, matronæ, liberæ jam captivatæ erant) *ducant* choros, scilicet dum abeunt in exilium, sed *tanquam* cum *voce columbarum*; & pro tympanis *pulsant pectora*.

3. Obsignatio promissionis in excidio Ninivæ. cap. 2. 9. usque ad finem prophetiæ. Habentur hîc istæ particulæ.

A. Summaria complexio excidii. vers. 9. 10. 11. Id adumbratur

(a.) Indicatione fugæ populorum, qui antea solebant in ea tanquam in piscina colligi. Pertinaciam fugæ repræsentat Revocando, & indicando, neminem respicere. ℣. 9.

(b.) Apostrophe ad hostes, quâ jubet eos prædari. Prædatio illustratur à copia. ℣. 10.

(c.) Exclamatione, quâ repræsentat statum Nineves post deprædationem. Qui est vacuitas & eversio totalis, qualis hortorum pastinatorum. Deinde in hominibus cor liquefactum, membra trepida, usque ad collisionem genuum, dolor in lumbis, credo à lassitudine; & atror ollaris ab aprico sole in exsilio.

Niniven fuisse amplissimam, ac regiam Assyriorum fuisse, & postea

ita

ita destructam, ut vix locus ejus sciatur, historiæ consentiunt. Quis destruxerit, docet Drusius ex Tobit, 14: 32. *Nebucadnezar & Assuerus.* Herodotus Clione Cyaxari Cyri avo destructionem assignat. Quod cum Tobit non malè convenit. Nam אחשורוש Græcis videtur in Ἀσσυῆρος, Κυαξάρης, Ξέρξης mutatum.

B. Justificatio ejus. vers. 12. 13. 14. Causam excidii rapacitatem & violentiam denotat. *Leones* dicuntur principes, reges. In vers. 12. notatur animositas, fiducia loci, ac securitas. In vers. 13. rapacitas & crudelitas. In vers. 14. notat finem fortunæ & progressus, scilicet ut, quando Deum ac terram ejus incipiet oppugnare, illum blasphemando, hanc deprædando & populando, habiturus sit Deum hostem; qui quidem per ipsos concremet currus Hierosolymæ; sed ut leones Nineves comedat gladius: atque ita *prædatio* ejus *à terra*, intellige Judæa, *exscindatur*, *& non audiatur ampliùs vox legati ejus.* Innuitur blasphematio Rabsakæ. Es. 36: 20.

C. Antithesis status ante excidium. Cap. III. vers. 1---7. Studia Nineves duplicia exponuntur. Belli ad coacervandas opes; & Idolololatriæ. Illius propositio est vers. 1. col. 1. *Va, urbs sanguinaria!* Exsecutio, vers. 1. col. 3. & versibus seqq. *Non recedit prædatio.* &c. Exergasia prædationis subjicitur primo loco. Ejusque gratiâ studium belli. Est hic viva imago *primò* expeditionis bellicæ. ℣. 2. *Secundò* triumphi. vers. 3. col. 1. *Tertiò* victoriæ sive cladis devictorum. col. 2. & 3. Idololatriæ propositio est vers. 1. col. 2. *Urbs universa est abnegatione triviali plena.* Sensus: Ita publica est apud Ninevitas abnegatio veritatis, ut in omnibus triviis, qui mos est idololatrarum, exerceatur. Exergasia, vers. 4. Causa potentiæ ei adscribitur. Religio enim ab hominibus sæculi non habetur nisi ut instrumentum parandi vel continendi Imperii. Idololatria ei sub nomine *Scortationis* tribuitur. Specialis enim quidam abusus religionis in ea fuit. 1. Hæreditarius à patribus, ut ab ætate Phelegi & Nimrodi, quum homines consilium ceperunt per regnum aliquod mundanum religionem conservandi. Quo prætextu Nimrod usus est ad constituendam Monarchiam. 2. Proprius defectioni. scilicet Conatus cogendi homines variarum linguarum & institutorum ac religionum in unam Monarchiam cum omnis religionis confusione. Id patet in Sancheribo, qui in suis jactantiis nomen Jehovæ allegat, tanquam auctoris suæ expeditionis; & tamen singulis terris Deos suos attribuit, & omnes in veneratione vult esse pari. Inde ergo Propheta Nineven appellat *scortum.* Cui & *pulchritudinem* attribuit. Fuit enim majestas urbis & imperii ingens. Deinde & *præstigias*, ad fascinandum homines. Inter præstigias fuit sine dubio, quam dixi, ostentatio religionis, & prætextus uniendi homines in religione & vindicandi honoris Dei diminutionem. Accessit humanitatis species: qualis est in ea oblatione, quam ostentavit Hierosolymitanis. 2 Reg. 18: 31. 32. Idem traducit infidelitatem Ægyptii, vers. 21. obliquè suam commendans virtutem & fidem. Singularis quoque humanitas fuit, quòd adjuvarent oppressos & auxilii contra potentiores egenos. ut perspicere est 2 Reg. 16: 8. 9. 10. Huc respicit Propheta, cùm dicit, *Quòd scortationibus suis & fascinis gentes & familias vendiderit.* Per artes hactenus commemoratas populi facilè venduntur. Nihil enim magis fascinat homines, quàm sapientiæ, juris, justitiæ, decoris & honestatis ostentatio.

Exemplum & praxin hujus elogii habemus in Tiglath-Pilesere, qui ita novit cum Achazo scortari, & eum fascinare, ut accepto munere

ipsi venderet exstirpationem regni Syriæ, & calamitatem regni Israëlis.

Vers. 5. Opponit statui priori posteriorem. Pulchritudini, quæ in majestate & splendore imperii est, *nuditatem*. Videbatur Nineve populis, gentibus, regnis imperium ferentibus undique circumvallata. Deus ostendit illam nudam; dum è proximo suscitavit ei populatores, hinc Medos, illinc Babylonios. Ita nuda & auxiliis destituta deprehensa est. Imò sic *fimbriæ ejus* veluti *in faciem reductæ sunt*. Quid enim Media & Babylonia nisi *fimbriæ* Assyriæ? Hisce Scythæ addi possunt, si Herodoto credimus. Tum etiam *abominabilia*, id est, abominabilem illam blasphemiam, quam in Deum Rex per literas, & Legatus per os evomuerat, *in ipsum rejecit*, & *stulta* esse ipsorum consilia ac *flagitiis plena*, id est, bella ab ipsis non pietatis & justitiæ, sed lucri & avaritiæ causâ geri demonstravit; quando Deus Sennacheribi copias manu non hominis occidit. Es. 31: 8. deinde quum Monarchiam illam dissolvit; sicque *posuit illam velut stercus*. Denique effectum hujus judicii describit vers. 6. ut discedant ab ea gentes, non confidentes ampliùs illo brachio & ipsius speciosis fascinis ad sequendam scortationem ejus.

D. Verificatio per elisionem instantiarum, sive falsæ fiduciæ. ut

(a.) Magnitudinis, à pari excidio *No-Amon*. vers. 8---11. Eadem urbs Jer. 46: 25. vocatur *Amon de No*. Ellipsis est in nostro loco, ut sit *No-Amon* pro *No urbs Amon*. *Amon* is *Jupiter Ammon*. qui & in partibus Africæ cultus fuit. Ezech. 30: 14. 15. *No*, & mox המון נא, allusione factâ ad אמון, memorantur. Ibi LXX Διόσπολις. Eæ *Thebæ*. Eustath. ad Dionys. p. 36. Hujus urbis firmitatem describit Propheta, 1. à situ. *Quæ sedet in amnibus: aqua circa illam*. Sitæ erant Thebæ ad Nilum, & sine dubio à Nilo circumfluebantur. Nam insulæ in Nilo multæ sunt. Vel amnes Nilum ingredientes eam munierunt. 2. ab assitis populis *à mari ad mare*, id est, à mari rubro usque ad mare mediterraneum. Vide Comment. Cl. COCCEJI. 3. ab auxiliis. Hic numerat populos: Orientaliores *Cuschæos*, id est, Arabes, à mari rubro ad sinum Persicum. Occidentaliores *Ægyptios*, addito, *sine fine*, scilicet quia Ægyptus in longum ad meridiem descendit. *Putæos* magis ad Occidentem, versus Oceanum Atlanticum. *Lubjes*; Putæorum ea gens est.

Hujus ergo urbis tam munitæ & undique fidis populis circumvallatæ excidium Propheta proponit, ut humiliet Nineven, neque tantùm, sed & obiter, ut Israëlitas deterreret à fiducia in Ægypto. Excidium ejus ὑποτυποῦται in 1. exilio. 2. puerorum elisione. 3. distributione principum per sortem, in servitutem. 4. constrictione magnatum in catenis. Hinc concludit, cum Ninive similiter agendum, cujus rursus excidium describit, ℣. 11.

Jeremias de Nineve nihil. Sed sub Josia rege vaticinatur contra *Amon de No*, contra Pharaonem Neconem, qui apud Euphratem à Nebucadnezare cæsus est. Jer. 46: 2. Verisimile est, Nineven jam tum fuisse subactam à Nebucadnezare. Quod & Hebræi tradunt in Seder Olam Rabba, cap. 24. Quod si ita est, fidem facit prophetiæ contra Nineven à prophetia graviori, &, ut videbatur, debilioris implementi. Et hæc est sententia Hieronymi, Theodoreti & aliorum: quam tutiorem putamus.

(b.) A pari excidio arcium. vers. 12. Dixerat vers. 11. requisituram Nineven arces. Hic addit, Munitiones tam facilè abjecturas esse suos propugnatores, quàm facilè excutiuntur præcoquæ ficus ex ficu.

(c.) Po-

(c.) Populi. verſ. 13. *Populo*, utut copioſo & in militia exercitato, tribuit animos & vires muliebres, ne ſcilicet quid audeant vel valeant efficere. Effectus eſt, ut ipſis non defendentibus *aperiantur portæ, & vectes igne devorentur.*

(d.) Foſſatorum & latericii operis. verſ. 14. 15. p. p. in fine inter inſtrumenta conſumtionis commemorat aliquid *inſtar bruchi*. Bruchis comparari poſſunt populatores.


(e.) Multitudinis mercatorum & habitatorum. verſ. 15. p. a. 16. 17. Copiam hominum advenarum ſive inquilinorum, ſive mercatorum, ſive miniſteriis ſe addicentium & ſe quaſi *ſacramento devoventium & auctorantium*, (ii מנזרים) itemque *ſtipendio auctoratorum*, (ii מפסרים) irridet ut nihil profuturam. Nam comparat eos cum locuſtis inſidentibus parieti in frigore, & eum, orto ſole, deſerentibus.

(f.) Principum. verſ. 18. ut *qui dormitent* per inertiam & negligentiam officii, *procumbant* per internecionem, unde fit, ut ſequatur inordinatio in ſubditis per omnes locos habitationis, ſcilicet in variis montibus.

E. Concluſio, ſignificans, nullam fore reſtitutionem & reparationem. ℣. 19.



ANALYSIS &c.
HABACCUCI.



Unc Prophetam Hebræi secuti Chronologiam suam satis antiquam sub Manasse collocant. Ipse Propheta satis indicat in initio, se vixisse captivitate Babylonicâ jam instante. ℣.5.6. Filium Sunamitidos fabulantur Judæi, quem excitavit Elisæus; ut Jonam Sareptanæ viduæ, quem excitavit Elias.

Optimo jure subjungitur Nahumo. Cùm enim Nahumus excidium finale politiæ Judaïcæ propter rejectum Christum vaticinatus esset, atque deinceps duo tempora mitigandæ castigationis ostendisset, nimirum sub Ezechia per Sancheribi, & sub Cyro per Chaldæorum destructionem: atque inde occasionem accepisset destructionem Hierosolymorum & regni Israëlis, deinde Nineves & Thebarum Ægyptiarum vaticinandi: ei succenturiatur Habaccuc, qui repræsentat statum miserrimum Ecclesiæ & politiæ ante captivitatem Babylonicam, excidium urbis & templi per Chaldæos minatur, & post comploratione illius calamitatis acerbissimæ, omisso Babyloniorum excidio, promittit restitutionem usûs prophetiæ (atque ita restitutionem urbis ac templi) usque ad Christum: tum Christi adventum, scelus & pœnam Judæorum: deinceps Romanorum & Antichristi ruinam. Denique totum filum statûs Ecclesiæ post revelatum Christum ad tempora usque ultima cap. 3. ordine pertexit. Partes sunt duæ.

Prima complectitur prophetiam integram à temporibus prophetiæ proximis usque ad coërcitionem hostium Ecclesiæ & pacem ejus. Cap. I. & II.

Secunda agit in specie de consequentibus Christi apparitionem in carne. Cap. III. Ita caput 3. iisdem spatiis cum 2. decurrit.

Prima pars complectitur duo membra:

A. Antecedentia adventum Christi & ipsis annexum adventum ejus. Cap. I. & II. usque ad ℣. 4. Id constat duobus articulis.

I. Coërcitione impiorum in Judæis per Chaldæos. Cap. I. Huc pertinent tria capita.

1. Quiritatio sive χιτλισμὸς piorum anhelantium ad salutem. vers. 2. 3. 4. In his observo

(a.) Bonum, ad quod anhelabant. Id erat *Salus*, vers. 1. non certè à præsenti quadam afflictione, sed maximè à causa omnium miseriarum, scilicet peccato & exsecratione: quâ submotâ, in lætitia & justitia sine timore hostium in regno Christi se præsumebant victuros. Luc. 1: 74. 75.

(b.) Boni dilationem, accendentem desideria, votaque & clamores prolicientem.

(c.) Voti teneritudinem, indicatam verbo שוע & זעק; quod exaggeratur à formula, *Clamo*, *Vi*! item querelâ de negatione exauditionis & opis.

(d.) Causas doloris. Eæ sunt 1. *Vanitas*, id est, falsa religio & superstitio ac idololatria exercita à populo in conspectu piorum: qui propter fœdus carnale coge-

cogebantur communicare cum ipsis: ut in possessione terræ, usu templi, circumcisione, & nomine Israëlitico, cum subjectione sub iisdem sacerdotibus & senioribus sive principibus, qui maximam partem erant ad impietatem duces. 2. Comes vanitatis *ærumna*. Id hic metonymicè significat laborem, ex quo nil nisi ærumna sequitur & miseria. Circa hanc notat Dei *patientiam* per verbum תביט *intueris*. 3. Afflictio sive persecutio occasione *Contentionis* sive Exactionis debiti à nominatis fratribus, & *litis*, sive accusationis superstitiosorum, & idololatrarum. 4. Consequens persecutionis unum, *Strigatio doctrinæ*: alterum *Impeditio judicii*, ne scilicet mali possint de medio tolli. Nec tantùm, verùm etiam exit *judicium perversum* sive *contortum*, ut justus damnetur & improbus absolvatur; lux sit pro tenebris, tenebræ pro luce; amarum pro dulci, dulce pro amaro. Hujus incommodi ratio redditur à multitudine & potestate improborum.

2. Coërcitio per Chaldæos. ℣. 5—11. In hac pericopa est

(a.) Generalis præfatio & propositio judiciorum Dei unâ serie, cum salvatione Ecclesiæ, imminentium. vers. 5. Excitatio Chaldæorum est *molitio* פעל, præparatio & exordium majoris operis. Cum hoc restitutio cultûs publici in templo, datio Messiæ, deletio politiæ, vocatio gentium, Romanæ gentilitatis excidium & imperii mutatio ad faciendum locum Antichristo, Antichristi judicia sunt, ut subsequens prophetia indicat, concatenata; ut ita *opus* Dei absolvatur. Hæc significat talia esse, ut fidem narrata non reperiant. Apostolus Act. 13:41. ad suam ætatem, nempe abdicationem populi Judaïci & vocationem gentium applicat. In initio versûs sarcasticè applaudit ei, quod Judæi faciebant. *Spectate gentes*, id est, inclinate ad Deos alios, placeant vobis ipsorum mores & instituta gentium; imò *ad illas respicite*, ac fiduciam in illis collocate. Hæc culpa est non unius temporis. Duravit enim in Judæis tempore Christi. Hos. 2: 7. Joh. 19: 12. 15. Joh. 11:48. Deinde mandat ipsis *stuporem*; quo scilicet etiamnum percussi sunt Judæi, & aures obturatæ, oculi obliti, cor grave, & velum impositum cordibus est.

NB. Apostolus Act. 13:41. hæc verba citans, pro בגוים habet Græcè *καταφρονηταί*, unde rectè Drusius conjectat, interpretes legendum censuisse בוגדים, quæ vox vers. 13. sic vertitur. Causæ nihil erat, quare Apostolus à recepta LXX versione abstineret, quia quam culpam in genere indicat Græca vox, eam in specie Hebræa phrasis designat.

(b.) Denunciatio specialis Judicii per Chaldæos infligendi. Hic de instrumento judicii & subjecto sermo est. *Instrumenti* qualitas est vers. 6. 7. Dicit Deus, *se excitaturum Chaldæos*, id est, post non multum temporis orituram Monarchiam Babylonicam. Genti Chaldæorum attribuit 1. *amarorem*, id est, austeritatem, severitatem, truculentiam. 2. *festinationem*. industriam & studium ingens ad propositum exsequendum. 3. cupiditatem aliena occupandi. 4. terribilitatem. 5. imperiositatem & superciliosam majestatem. 6. obsequium populorum, & multitudinem ac acrimoniam copiarum. Inde cum pardis, hinc cum lupis rapacibus comparantur. Mox & indefatigabilem strenuitatem. Unde cum aquilis ad prædam volantibus eas comparat. 7. propositum. *Totus ipse ad violentiam exercendam veniet*. Porro repetendo חמס *ad violationem eorum, quorum facies ad Orientem anhelat*. Id in genere significatum ℣. 5.

Achaz ad Orientem respexit, quum conduxit Assyrium contra Syros & regnum Ephrajim.

Violentiam specificat in *cogenda captivitate innumerabili*. Nam Nebucadnezar abduxit Judæos in captivitatem Babylonicam. 8. vilipendium *regum ac principum*. ℣. 8. Ita Sacerdotes ac Seniores populi vocantur. Vide Ps. 2 : 2. 9. facilitas expugnandi munitiones. *Subjecti* descriptio est vers. 11. à culpa principali. *Cujus vis est pro Deo suo*, id est, qui sibi adscribunt, quod divinæ gloriæ & divini doni atque efficaciæ est. Adde Deut. 29 : 19. Tales erant in populo Israëlitico, qui in lege justitiam ponebant; vel in iis, quæ irregenitus facere potest, ut ceremonialibus & externis factis moralibus. Consummatio judicii in eo est, ibid. *Tunc, pervadente & transeunte spiritu*, vento, procellâ, turbine. Solent cum vento comparari hostes. ut Hos. 13 : 15. *luet*, vel *stupebit*, *desolabitur*; si à שמם significationem vocis אשם deducat.

3. Deploratio status Ecclesiæ in ea coërcitione. ℣. 12---17.

In hac pericopa est plena libertatis filialis disceptatio sive potiùs *ἱκεσίας* ad Deum. Quæstio hujus disceptationis unica est. An futurum sit, vel deceat Deum permittere, ut Nebucadnezar usque sagenam suam attrahat? Hoc fideles præsumunt, minimè affirmandum. Quod concluditur vers. 17. Argumentum ducitur

(a.) à fœdere Dei ad sanctificandum populum, & conservandum, ne moriatur. vers. 12. *Annon tu ab olim*, ab æterno, & ante initium sæculorum, *Jehovah Deus mi*. Qui sis, quod es, & fœdus gratiæ mecum in fide promissiones tuas acceptante iniisti, *Sanctus meus*? Qui me assumsisti & consecrasti tibi ad communicandum mecum sanctitatem tuam? Et quidem ad hoc, *ut non moriamur*, id est, ut non tantùm in te credentes vitam æternam haberemus, sed & ut gens nostra neque corporaliter exscinderetur, neque spiritualiter in mortem ignorationis Dei & defectionis cum gentibus traderetur, ad serviendum ligno & lapidi, ut Deus noster esse desineres.

(b.) à scopo excitationis Nebucadnezaris. vers. 12. p. a. *Jehovah*, *in judicium posuisti ipsum*, Nebucadnezarem, id est, ut infideles & improbi, & sibi ac justitiæ suæ confidentes luant & desolentur ac obstupescant. quemadmodum dictum vers. 11. *Et rupem ad arguendum*, id est, cotem manifestandæ malitiæ ac infidelitatis, *fundasti ipsum*. Babylonius per imperium cogens ad idololatriam, ut Dan. 3. factus est medium explorandi fidem & constantiam piorum.

(c.) à Dei sanctitate: cui minimè conveniens malum intueri, vel pati, ut improbus justum absorbeat ac destruat. vers. 13.

(d.) à fine hominis & Dei cura circa ipsum. ℣. 14.

(e.) à tyranni malitia, quæ est 1. lætari in noxa. vers. 15. 2. fiducia in semetipso & imperio suo; ejusque causa. vers. 16. Per sagenam & everriculum hic intelligo artem & copias, omniaque instrumenta dominatûs. Iis sacrificat, qui illis confidit. Imputatur verò Nebucadnezari, quòd suum bonum in opimitate victûs quæsiverit, atque iccirco suam sapientiam ac potentiam extulerit.

Vers. 17. Denique est conclusio. Nimirum, non decere Deum, neque igitur futurum esse, ut permittatur eâ gratiâ rete suum evacuare semper. Et nova ratio additur. 1. ab excidio gentium. Nam Ecclesia esurit & quærit hæreditatem gentium, non excidium. 2. ab ipsius Babylonii crudelitate.

II. Qualitate temporis adventûs Christi. Cap. II. 1. 2. 3. Est hic

1. Narratio præstolationis Ecclesiæ ad responsionem Dei. vers. 1. Ea narratio hic per futura indicatur, uti liquet ex vers. 2. *Et respondit mihi*, Cæterùm Propheta

ta hic ſubſtituit ſuam perſonam pro perſona omnium piorum, anhelantium in captivitate Babylonica audire verbum Dei de exitu illius calamitatis. Erat id quidem antè à Moſe & Prophetis Dei, inprimis ab ipſo Jeremia prædictum, ſed tamen Deo temporum qualitates ponente in manu ſua, exſpectabant à Deo indices Prophetas, qui antè dicta partim explicarent exactiùs, partim applicarent.

Sic Daniel cap. 9 : 2. narrat, ſe conſideraſſe in Scripturis Jeremiæ, de annis & exitu captivitatis.

Comparat autem hanc indagationem & ſcrutationem cum *ſtatione* vigilis. Sua enim cuique homini *ſtatio* eſt, id eſt, tempus fidei & ſpei & vigilantiæ ad depellendas & vitandas Satanæ inſidias. Scrutanti Eccleſiæ ac exſpectanti attribuit *propugnaculum*, in quo ſtet ſpeculandi ergo. Fœdus Dei & promiſſio erat firmamentum exſpectationis ipſorum, & arx munita ſpei. Eccleſiæ ἐπερώτησιν capite præced. propoſitam vocat תוכחת ἔλεγχον, *argutionem* cum Deo. Ea eſt, quando in fide & pœnitentia ipſum de remiſſione peccatorum & benedictione, tanquam fœdere promiſſà, convenimus & compellamus.

2. Reſponſio Dei. verſ. 2. 3. Quemadmodum in Daniele eſt exemplum תוכחת & ſcrutationis: ita etiam accepti reſponſi, cum mandato id ſcribendi ad cujuſvis expeditam lectionem. Et ſanè Habaccuc hic in ſumma refert, quod Danieli clariùs & ſecundùm plures circumſtantias revelatum eſt, cap. 9. Innuit autem, uſitatum morem fuiſſe in populo Dei, ut Prophetæ ſcripta ſua publicè proponerent legenda, præſertim domi ſuæ. Ad id exemplum licet referas Eſ. 8 : 1.

Partes prophetiæ olim in ipſa captivitate pleniùs & enucleatiùs intimatæ ſunt novem.

1. Promiſſio reſtituendæ prophetiæ, id eſt, miniſterii Eccleſiaſtici, quemadmodum à Moſe inſtitutum erat, ad demonſtrandum eminus Chriſtum partim in verbo, partim in figuris. Conſignificatur hìc Reductio in terram, & Reſtitutio templi ac urbis.

2. Propheticæ prædicationis limitatio ad certum tempus & προθεσμίαν. Innuitur finienda ſervitus œconomorum & elementorum mundi. Confer Mich. 4 : 1.

3. Promiſſio præconis. *Et Præco*, ſubint. erit. mox dicit, יבא *veniet*. *Præco* opponitur *viſioni*. *Viſio* eſt futuri. *Præco* eſt, qui non futura denunciat, ſed rem & veritatem publicat. Eſt hic διαγγελιστής. Quis verò is ſit præco, facilè apparet ex emphaſi vocis. nimirum is, cujus eſt *verba Dei loqui*; Patrem & ipſius conſilium *enarrare* &c. Ampliùs ex ſequentibus prædicatis idem patebit.

4. Indicatio temporis adventûs Præconis. *Ad finem*, ſubint. illius מועד ſive præſtituti termini. Quum imminebit terminus præfixus viſioni, id eſt, Legi Moſis per ceremonias præmonſtranti.

5. Attributum Præconis ſive teſtis futuri. *Qui non mentietur*, quemadmodum Legiſlatores poterant mentiri. Non enim iis dederat Deus, ut infallibiles eſſent; quemadmodum Moſes, qui licet fidelis eſſet in tota domo Dei, tamen inter mendaces repertus eſt, quando non glorificavit Deum. Unde major Moſe cognoſcetur. Quin imò ſi non mentietur, utique & à cæteris peccatis erit immunis. Solus enim in veritate *dicet Domino*, *Dominus es tu*, quod non verum eſſet, ſi vel ſemel peccaret. Denique ne quis ſcandaliſatus in ipſius humilitate dicat, eum mentiri, maxima & glorioſiſſima prædicabit & verificabit de ſe.

6. Indicatio tum prolixitatis temporis illius, quo durabit viſio, tum anxietatis circa tempus adventûs. *Cunctabitur*.

7. Paræ-

7. Parænesis ad constantiam fidei & exspectationis. *Ubi cunctabitur, præstolare illum.* quasi contra spem exspecta, vel, in momenta exspecta.

8. Certitudo adventûs. *Nam veniendo veniet.* Fieri non potuit, ut non veniret vel propter fidem & salutem patrum.

9. Temporis præstituti observatio. *Non post tempus veniet.* In ea qualitate temporis veniet, quæ jam descripta est, & in eo tempore, quod deinceps per Prophetas indicabitur.

NB. Apostolus Heb. 10:37.38. quæ Habaccuc latè dixit de Adventu Christi, (quem sanè non nudum intelligit, sed cum omnibus suis connexis sive consequentiis) accommodat ad adventum cum demonstratione & assertione regni conjunctum, ut quando, abrogatis principibus sæculi prioris & destructâ politiâ, manifestavit omnibus, sibi soli regnum in Ecclesiam competere: neque se velle ampliùs Ecclesiam suam ulla ex parte subesse hominibus, populi præsidibus, legis cerimonialis observationem urgentibus. Itaque Judæis, ut ὑποστελλομένοις, exitium imminere, verbis Habaccuci indicat.

B. Consequentia adventum Christi, à vers. 4. ad finem Cap. II. Continet boc membrum articulos septem.

I. est Distinctio non rectorum & justorum, vers. 4. Illorum describitur ὑποστολὴ, sive receptio sui ad clivum; Horum conservatio. De illis dicit. *Cujus non est recta anima in ipso.* scilicet Teste sive Præcone. Rectitudo animæ est rectitudo amoris, desiderii & fidei, ut scilicet erigat animam suam, & rectâ ad ipsum dirigat. *Ecce* (est ea demonstratio & indigitatio exitûs infelicis & judicii. q. d. Videtis jam, ubi fuerit collocata fiducia ipsorum, quorum anima recta non erat?) *'clivatur*, ὑποστείληται, *ad clivum se recipit*, ut eo se muniat ad securitatem. Sionem montem vel Morijam apprehendit ceu munimentum, ac inprimis templum in eo ædificatum. Sed quid in eo erat, quod ipsos servare posset? Id apparet, quum templum & urbs tota facta sunt nudus clivus, specula & spelunca latronum.

Quod attinet reliquos, sic dicit: *Et justus in fide ipsius vivet.* Propter particulam comparativam initio vers. 5. quæ respicit ad colon primum vers. 4. posterius colon ita priori adjunge: *Ita ut justiu in fide ejus vivat.* Sunt hujus coli capita hæc tria.

1. Quod per fidem homo constituatur justus. אמונה, ex opposita phrasi, *anima ejus non est recta in ipso*, commodissimè explicatur, animæ rectitudo in teste vel in testem; quæ est Fides, quâ quis credit, id est, se alicui ut testi, vel etiam auctori salutis committit, secundùm verbum ipsius. Quod & cum etymo convenit. Est enim propriè אמונה sustentatio sive gestatio, ergo & fides, quâ quis in alio reclinat. *Justus* hic dicitur, non qui aliquid rectum facit, sed qui in judicio Dei absolutus est, quique jus habet filii Dei ad sperandam & petendam hæreditatem lege promissam. Quod attinet subjectum, nulla hic est distinctio. Omnis homo, sive gentilis sit, sive Judæus, per fidem justificatur. Sequitur ergo

Coroll. 1. Justitia non est ex Lege.

2. Paries intergerinus, lex ceremonialis, & discrimen populorum sublatum est.

2. Quòd ea fides sit in Christum, ceu testem illum promissum, qui non mentitur.

3. Quòd ei justitiæ sit annexa spes *vitæ*. Ea autem significat hic tum vivificatio-

nem

nem ex mortuis ultimo die: tum manifestationem vitæ Christi in sanctificatione, custodia, exhilaratione etiam tum, quando animam suam non vivificant; denique superstitationem Ecclesiæ, ut, quemadmodum singulis fidelibus non prævalent inferorum portæ ad defectionem, ita corpori toti non prævaleant ad oppressionem.

II. Romani imperii dissolutio. vers. 5.—8. In hac pericopa observanda sunt,

1. Subjectum, sive descriptio judicandi. vers. 5. Ea consistit in his. Vocatur

(a.) *Vinum*, id est, per metonymiam Luxuriosus, Ebriosus, Lascivus; quales vinum efficit.

(b.) *Perfidè agens*. Et quidem comparativè ad animam non rectam in Testem venturum. Evolutio comparationis hæc est. *Si illius*, & pro *tamen* videtur scribendum *tum, anima, quæ non est recta in Testem illum venturum, se subducit ad suum munimentum, ut in illo se tumidè efferat, quod est, in effectu, nudus clivus, quanto magis vinum perfidè agat?* Si quod minus est, scilicet *anima non recta*, agit, quod majus est, scilicet *contra Deum insurgit fiduciâ clivi*; Quid mirandum, si id, quod majus est, ut *Luxuria*, agat, quod minus est, quod *est perfidè agere* cum populo Judaïco & Ecclesia? Confer Obad. ℣. 7.

(c.) Superbus. *Vir superbus*. Qui nec Deum nec homines curat.

(d.) *Et qui non habitat*; id est, נוה terram viventibus, id est, populo Dei, Ecclesiæ Christianæ, aptam non suppeditat.

(e.) Insatiabilis in colligendis populis sub unum imperium cupiditas. Unde morti & inferno comparatur.

> Hæc omnia quidem conveniunt Babylonio Nebucadnezari, sed pleniùs Romanis, quorum magnitudo quantum excesserit amplitudinem regni Babyloniorum, Persarum, Græcorum, satis constat. Et filum prophetiæ, ut ad populum Romanum respiciamus, nos ducit.

2. Præjudicium populorum de Romano. vers. 6. 7. Distinguendi sunt in eodem Imperio & in omnibus ejus partibus ii, qui parabolam super eo ferent, & ceu axioma certæ veritatis semper & ubique in ore habebunt; & qui magnitudine Imperii excœcati, non credent huic parabolæ, quamvis clarissima esset מליצה, *interpretatio*. Et cui *ænigma* sit futurum, nempe *viro arroganti & superbo*. Deinde docet, quid sit illud axioma divulgandum inter populos. 1. *Væ* denunciatum propter injustitiam & insatiabilem avaritiam. 2. Admiratio diuturnitatis. *Quousque?* Non potest talis accumulatio alieni in perpetuum fieri.

> Hæc nota Babylonico Imperio non convenit, quod à Nebucadnezaris progressibus usque ad Cyrum paulo ampliùs 70 annis stetit: at Romanum à bello Punico I. quo cœpit se extra Italiam extendere, usque ad Constantinum numerat annos ampliùs 500. Et ulteriùs protractum est Imperium.

3. Animadversio debiti accumulati. Hæc in ℣. 6.

Colligit ergo in vers. 7. ex multitudine æris alieni, prope esse, ut fœneratores surgant. *Nonne subitò consurgent fœneratores tui?* Christiani per passiones suas & conversationem sanctam studentes lucrifacere infideles & suos persecutores quasi mutuum dabant. Exspectabant igitur fœnus, fructum pœnitentiæ ab ipsis. Sed quum id non redderent, non tamen æquum erat, ut debitum non exigeretur. Sic igitur Christiani à Deo adjuti sunt, ut fierent *excutientes*. Qui Romanos persequentes ipsos omnibus bonis exuerent.

3. Sententia. vers. 8. Ea complectitur duas partes. 1. Talionem. Hic per *residuum*

ſiduum populorum intellige vel *Salvator gentium*, vel extra Romanum imperium ſitas gentes. 2. Juſtificationem. ubi per *hominem* Chriſtus, per *terram* populus Iſraëliticus, Eccleſia & membra ejus intelliguntur.

III. Epiſcoporum elatio. verſ. 9. 10. 11. Hujus loci hæc eſt ſimpliciſſima paraphraſis. Poſtquam Imperium Romanum gentile ſpoliatum fuerit propter vim illatam Chriſto, populo Iſraëlitico & Eccleſiæ, ſicque perſecutio gentilis ceſſaverit; ſuccedet amor mundi in Eccleſia, multique hypocritæ in illam irrepent. Tum erunt quidam in Eccleſia, *domo* Dei, qui titulum habentes *οἰκοδόμοι* & *οἰκονόμοι* Dei, malè ſint eam gubernaturi, ſicque illam domum *ſuam* facturi, quæ eſt Dei.

Hoc eſt Epiſcopi ſe præponentis presbyteris conſervis in regenda domo Dei, & in ſuam poteſtatem ac nomen omnia reducentis. Quum olim ſecundùm morem Hebræorum & inſtituti Apoſtolorum regeretur Eccleſia per Compresbyteros, factum eſt, ut Hieronymus dicit, ut quiſque, quos baptiſaſſet, ſuos putaret. Hæc occaſio ſchiſmatis fuit. In remedium ſchiſmatis inventum eſt, ut unus omnibus presbyteris ſuperponeretur. Conferenda, quæ apud Hoſeam non uno loco, inprimis cap. 10.

Qui reſpecturi ſint ad lucrum hominum & opum, & quærant Eccleſiam refercire hominibus, ſicque eam Amplificare, quamvis *ἀδοκιμάστως*, & non vero judicio, eos reciperent. . Nec in hominum copia tantùm, ſed & in divitiis id lucrum eſt.

Res clamat, plurimos, poſt factam Eccleſiæ pacem, fuiſſe cooptatos in membra Eccleſiæ, qui nec doctrinam pietatis intelligerent, neque piè viverent, & cauſas recipiendi fuiſſe in factione, ſi ſcilicet cum Epiſcopo facerent, vel in ipſius cauſa defendenda contra rivales, vel in propugnando dogmate adverſus hæreticos.

Quod ad opes attinet, vide quæ not. ex Ammian. Marcell. lib. 27. Cl. Cocceius.

Qui fugâ crucis ſibi ſint quæſituri altè exſtructum imperium, ſicque *in alto nidum ſuum poſituri*.

Ita paulatim ſuperbia paſtorum Eccleſiæ progreſſa eſt. Ex compresbytero factus eſt Epiſcopus: hinc primæ ſedis Epiſcopus: mox Archiepiſcopus: mox Metropolita: mox Patriarcha: mox œcumenicus Epiſcopus: mox Caput Eccleſiæ, Vicarius Chriſti, Papa: ſummus Magiſtratus in mundo, cui Reges & Principes debeant ſubjici.

Qui Imperatores & Principes ſint territaturi ſuis ſententiis excommunicatoriis, & omnes peccantes in concupiſcentiam ipſorum, id eſt, id, quod ipſis propria concupiſcentia, & motus proprius ceu dictatus Spiritûs S. inſpiraverit, abſciſſuri.

Evidenter hic intelligitur *ἡ ἔπαρσις ἐπὶ τῶν σίδηρον*. Hoc exercuerunt Papæ in Imperatoribus, præſertim Græcis in cauſa imaginum, de quibus Propheta, verſ. 18. 19. & Germanis in cauſa inveſtituræ Epiſcoporum.

Sed id conſilium tandem erupturum eſt ad pudorem totius cœtûs ipſius. quia Deus excitaturus ſit ex medio quaſi ædificio ipſorum homines ſive Clericos ſive Laïcos, qui de illa vanitate, & doctrina concupiſcentiis accommodata, vi, tyrannide & oppreſſione peccantium contra animam & cupiditatem illius Archi-

tecti publicè sint conquesturi. Sic *lapis è pariete* istius domûs *clamabit*. Nec ea querela frustra erit, sed etiam protectores infirmiorum & ipsius dominantis in ea domo talibus clamoribus & accusationibus assensuri sunt, & similiter se oppositurí tum falsæ doctrinæ, tum tyrannidi. Ita *trabs de ligno* sive ligneo tabulato *respondebit ipsi*.

Historia in aperto est..

IV. Frustratio consilii Antichristi per Reformationem. ℣. 12. 13. 14. Hujus pericopæ hic simplex sensus est.

Erit inter eos, qui domum sibi constituebant quisque, & quærebant certatim in alto ponere nidum suum, aliquis principalis unus, qui conabitur facere urbem ex Ecclesia, id est, eam in civitatem & rempublicam sive regnum mundanum transformare, & quidem, ut ex vers. 13. intelligitur, ad congregandum populos & nationes. Medium verò huic studio adjungitur duplex: *Effusio sanguinis* sive Persecutio; & *Injustitia*, id est, tum doctrina perversa, tum etiam judicia perversa.

Si consideremus tempora, quibus sedes Romana cœpit effundere *sanguines*, id est, sanguinem in copia, incidemus in Fridericum Barbarossam; sub quo exorti Waldenses, aut potiùs manifestati pii sub nomine Waldensium circa annum 1160. quorum persecutio ingens fuit, ut testantur Scriptores. Paulò ante Calixtus II. Papa sub Henrico V. anno 1122. telam à Gregorio VII. anno 1080 inchoatam absolverat, impetrato, ut Imperator cederet investituris Clericorum. Hæc fuit fundatio Urbis Novæ in Germania (nam Germania ad præcipuum locum implementi hujus prophetiæ delecta est. ut constat vel ex Apoc. 17. ubi octavus mons est Germania; & ex Dan. 7. ubi cornu parvum est pars quarta bestiæ. quæ, fieri non potest, quin sit, sive minimùm comprehendat ultimam dynastiam in Imperio Romano, quæ est Germanorum, &, mediante Papâ, cæterorum regum.) sive Reipublicæ Clericalis distinctæ à Laïca, ei tamen permixtæ. quod ita esse agnoscit Bellarminus. Arnoldus quidam prædicaverat, Papam debere abstinere rebus politicis, & Clericos debere subesse magistratibus. Sed is exustus est.

Vers. 13. Indicatur, multos populos & nationes pro *urbe* noviter constituta laboraturos; sed in vanum; imò nihil consecuturos, nisi quod instar ignis eos combureret vel consumeret. De eo exitu convenit Propheta cujusque conscientiam, Annon cogantur fateri, hoc esse à Deo?

Sanè circa illa tempora spectatus fuit in Christianis Occidentis ingens labor ad extendenda pomœria Papæ, nimirum in expeditionibus pro sancta terra recuperanda (ut dicebant) susceptis. Qui labores omnes incassum ceciderunt, & consumserunt infinita millia hominum. Tandem etiam desiit ea res in jacturam totius Græciæ. Huic expeditioni apta sunt, quæ leguntur Hos. 13:7. Confer Hos. 5:13. 14. Hîc tamen, quia statim subjungitur causa frustrationis, scilicet multiplicatio cognitionis Domini, rectius est, ut intelligamus omnia molimina populorum contra Euangelium; scilicet post Waldenses in Hussitis: & deinceps prædicante Luthero & collegis ipsorum superiori sæculo. Cujus persecutionis exitus fuit, ut cogerentur Religionis reformationem profitentibus pacem dare.

Verſ. 14. Indicatur, conatum illum populorum pro urbe diſſipari per cognitionem gloriæ Domini in tota terra. Quod ad Gloriam Redemtionis & Gratiæ Juſtificationis & Regni Chriſti ſolius in Eccleſia referendum eſt. Abundantia hujus cognitionis comparatur cum abundantia aquæ in mari. Parallelus verſus eſt Eſ. 11 : 9. & phraſi & re, qui docet, Peſtilentes Beſtias, (quales ſunt Apocalypticæ) non nocituras, (datâ pace) quia terra plena ſit futura cognitione Domini, ut mare aquis. Et parallelum eſt Apoc. 14 : 6.

De manifeſtatione veritatis Euangelicæ res clariſſima eſt, tam ex prophetiis plurimis, inprimis Apocalypticis, quàm ex hiſtoria.

V. Perſecutio Reformatorum. verſ. 15. 16. 17. ſecutura ſcilicet ex ordine abundantiam cognitionis Domini in terra, ejuſque perſecutionis exitus.

Verſ. 15. Damnatur perſecutio per *væ*. Diritas ejus explicatur per metaphoram propinationis excandeſcentiæ uſque ad ebrietatem. Significatur, hoſtem coëgiſſe alios bibere excandeſcentiam ſuam eamque deglutire, & eâ compleri, atque identidem reſtauratam & quaſi denuò infuſam & propinatam indeſinenter abſorbere ad inebriationem uſque, donec mens ipſis non conſtaret, & vertigine quâdam abrepti abnegarent agnitionem gloriæ Domini, atque ita *nudi*, non induti Chriſto, ſed quaſi in profeſſione veritatis aliquid aliud eſſent ſecuti, coram hominibus oſtenderentur. Objectum perſecutionis eſt 1. *Socius*. conſortes poteſtatis & collegæ in regimine.

Revera Electores Imperatoris collegæ ſunt.

2. *Illi*. δημηκῶς præter illum Socium, nempe conſortes nominis Chriſtiani & profeſſionis fidei, & habentes pacem firmatam ſponſione & lege imperii.

Verſ. 16. Declaratur in Perſecutorem talio. Ætiologia judicii eſt in colo priore. *Satiatus es ignominiâ pro honore*, id eſt, ſatiatus es & oblectaſti te reſtitutione Ignominiæ præ Gloria, id eſt, reſtitutione pudendorum dogmatum Romani Antichriſti, & idololatriæ.

Id eſt carmen meretricis, quod Eſaias prævidit, Tyrum, emporium illud ſpirituale, cujus inſtitores ſunt honorati terræ, poſt oblivionem 70 annorum, cantaturam per civitatem. Eſ. 23.

Judicium intimatur colo 2. Jubet ipſum *bibere & præputium oſtendere*, id eſt, experiri talem plagam & tales anguſtias, in quibus pateſiat, perſecutorem habere cor incircumciſum, & pro præputiato haberi à Deo. *Diſtributio calicis Deo* tribuitur, *qui manu ſuâ dexterâ ipſi propinaturus ſit*, id eſt, per potentiam ſuam ipſi guſtum iræ ſuæ exhibiturus. Conſequens eſt, ut *Gloria ipſius vomitu ignominioſo cooperiatur*. 1. ut id, in quo ipſe gloriatus eſt, proprio judicio & confeſſione declaretur eſſe inefficax ad ſalutem, & contrario facto damnetur ſtudium prius impugnandi gloriam Dei, quod ſtudium antea poſuerat in laude. Quod factum & quæ declaratio quia invito extorquetur, & conjuncta eſt cum rejectione multorum bonorum occupatorum, optimè cum vomitu comparari poteſt.

Verſ. 17. Explicatur & confirmatur judicium jam poſitum. In primo colo dicitur. *Vis Libani operiet te*. q. d. Jam antea expoſuit Deus, verſ. 4. idque reipſâ comprobatum eſt, quis exitus ſit illorum, qui ſe efferunt in populo Dei contra Chriſtum. Ibi Libanus, id eſt, templum aperuit valvas ſuas, ut exſcinderentur per violentos & tyrannos cedri ejus, Zach. 11 : 1. Nonne reveritus es, ne in ſimile judicium incideres ? Scias igitur, judicium illud in rebelles Judæos habere ſuas appendices, & patere latiùs, quàm ad ſolos Judæos carnales : quandoquidem ex-

ſtructa

ſtructa eſt analoga priori Hieroſolymæ, ubi Dominus crucifixus eſt, urbs: & ea perſecuta eſt ſanctos: ſimile quoque judicium experietur. Judicio huic tu involveris & implicaberis. In colo altero preſſiùs loquitur. *Et cooperiet te vaſtitas Beſtiarum, quæ eas conſternabit.* Quemadmodum actum eſt cum Imperio Romano gentili, ut primò periret ipſis Imperium concedens in manum Eccleſiæ, (quanquam tum Beſtia prima unà exorta eſt) & deinceps ultimi populorum id vellicarent, ſuprà verſ. 8. ita hìc etiam fieri poteſt, (ubi ſimilis ætiologia eſt) ut primò cogantur Eccleſiam ferre, pace Eccleſiæ invitis extortâ; deinde etiam ſpolientur ab exteris.

Ætiologia ſimilis hìc adjungitur ei, quæ eſt verſ. 8. Una culpa utriuſque, Romani ferrei, & Romani partim ferrei, partim teſtacei, id eſt, duarum Beſtiarum. Vetera imputantur imitantibus. Chriſtus hìc quaſi iterum crucifixus. Et de hominum cædibus, & corruptione terræ, & Eccleſiæ etiam ex terra corrupta ereptæ oppugnatione criminatio non eſt in obſcuro.

VI. Vanitas imaginum. verſ. 18. 19. Intelligimus ex hac pericopa, Tempus inſtare, quo Eccleſia poſſit fidenter interrogare Errantes & Perſecutores, An ipſis profuerit cultus imaginum & tota ipſorum ſuperſtitio? *Quid profuerunt Sculptilia?* q. d. Obſecro, circumſpicite tandem vos ipſos, & repetite ultimam memoriam temporum, ex quo imagines invaluerunt & adoratæ ſunt: nunquid poteſtis oſtendere, eas quicquam profuiſſe?

Nonne Controverſiam illam de imaginibus ſecuta eſt Aſiæ & Græciæ amiſſio? Nonne irriti conatus recuperandi terram ſanctam, cum interitu tot myriadum? Nunquid non inde cædes Waldenſium conſecutæ ſunt? Nonne bellum Huſſiticum? Nonne motus in Germania & omnibus regnis? Nonne defectio tot regnorum à ſede Papali? Nonne horrenda perſecutio? Nonne fruſtratio omnium conatuum? Nonne concuſſio Britanniæ? Et ſi quid ulterius Deus hìc innuit, nobis nondum patens. Hæc omnia poterant cultores imaginum commonere, ſe fruſtra eas coluiſſe.

Deinde vanitatem imaginum deſcribit. Sub quibus etiam intelligi debent homines ii, qui analogiam habent cum multis imaginibus, quatenus iis majora hominibus adſcribuntur. De quibus Hoſ. 14: 4.

VII. Pax. verſ. 20. Hic verſus continet colophonem totius prophetiæ. Duas habet partes.

1. Indicationem *præſentiæ Dei apud Eccleſiam*; idque evidentiori modo, quàm antea factum ſit. Eam Deus teſtatam facit ejus defenſione, tranquillatione, illuminatione ad reformationem in doctrina, ritibus & regimine; (quando ipſe ſolus ſit rex in tota terra) itemque amplificatione ejus, quando facit ipſis oſtium ipſorum ore ac opere.

Hic character multum ſolari poteſt eos, qui Deum in Spiritu & veritate adorant, & maturè inquinamenta mundi expurgant.

2. Denunciationem ſilentii ad totam terram. Poteſt hoc accipi duobus modis: (*a.*) ut fideles ſignificent, ſe Deum ſibi præſentem agnoſcere ex Scripturis: ideoque jubeant improbos recedere à ſeſe: quippe ſibi decretum eſſe, quicquid dicant, diſputent, agant, in viis Dei ambulare. (*b.*) ut fideles adverſariis denuncient & quaſi divino juſſu imponant neceſſitatem ſilendi.

Hæc ſunt ſeptem tempora Eccleſiæ Novi Teſtamenti, quæ & alibi proponuntur. Vide & Ultima Moſis.

Secunda pars Prophetiæ Cap. III. post titulum, vers. 1. complectitur tria membra.

A. Indicationem effectûs annunciationis adventûs Domini apud Ecclesiam. ℣. 2. col. 1. Ea annunciatio superiùs vers. 3. cap. 2. facta erat. Possunt tamen etiam verba hæc de ipsa *præconiatione* Filii Dei intelligi. Sic confer Mich 6: 9. Et tunc duo dicit hæc prophetia. 1. Auditum iri prædicationem Domini, & famam adventûs ejus. 2. Rectos corde cum timore eum excepturos, id est, cum animi demissione humili, verentis indignè habere & negligere tantam salutem & ejus participatione excidere. Est in his apostrophe ad Filium.

B. Recognitionem veritatis Dei & gratiæ in resuscitatione Filii & ejus manifestatione, vers. 2. col. 2. ac 3. Est hic apostrophe ad Deum Patrem. Jehovah, molitio tua, quâ nostram resurrectionem tam spiritualem quàm corporalem in ultimo die præparas ac dedicas, est *vita*, resuscitatio ex mortuis, *ejus*, Jehovæ, de quo præced. colo, *in medio annorum*, in fine temporis, quod est præstitutum *visioni*, jam jam imminente *Anno acceptationis*. Id primum opus gratiæ est. Alterum, *Noscendum proponere illum* & illius viam in medio annorum. *Noscere Christum* est in ipsum credere. suprà 2: 4. *Nosci facere Christum* est curare prædicari illum ad fidem. Notitia resuscitationis Christi est fulcrum fidei in Christum ad ipsum recognoscendum Filium Dei ἐν δυνάμει. *Facere cognosci resurrectionem Filii Dei* est testimoniis & argumentis maximis fidem de illa facere, ut nominatim effusione Spiritûs Sancti in Apostolos & credentes, & virtutes prædicationem comitantes.

Hanc operationem & notificationem Filii & vitæ ejus ascribit *misericordiæ*, quam illustrat ab *ira*. Deus enim parabat finem imponere populo rebelli. Sed fœdus prolongabat sub ferula *clementiæ*, mox rumpendæ. Zach. 11: 9. 10.

C. Explicationem manifestationis regni Christi. vers. 3. & seqq. usque ad finem. Ea manifestatio habet septem partes. Quæ sunt istæ.

I. Coruscatio Euangelii. vers. 3. 4. Hæc periodus agit de Vocatione populi Judaïci per coruscationem Euangelii post ascensionem Christi in cœlum. Partes habet duas.

1. Confessionem sive Narrationem apparitionis Dei. *Deus & Sanctus*, id est, Filius Dei, *ex Theman*, id est, Idumæa, *& monte Paran*, id est, monte Seïr imminente planiciei dictæ Paran, quæ tribus diebus distabat à monte Sinaï. Num. 10: 33. Intellige per Themanem & montem Seïr Hierosolymam, quæ mysticè etiam Botsra vocatur, Es. 63: 1. ut & populus Israëliticus Edom, in Obadja. *venit* ad regnum in fidelibus inde manifestandum.

> Postquam Dominus venisset ad populum suum & templum suum visitasset: ibique judicatus & extra castra abductus esset, ut interficeretur: Tunc se manifestavit ubivis per Spiritum suum, quem effudit in Apostolos.

Claritatem hujus regni duobus modis indicat. 1. quòd *Majestas ejus operiat cœlum*, id est, quòd posuerit gloriam suam supra cœlos, & quòd altior cœlis sit demonstratus, sive demonstratus sit ascendisse supra cœlos, ut Deus, & omnia, ipsos cœlos & angelos Dei, sibi subjecisse & ab eis adorari. Vel, quòd omnes nuncupati Dii Veteris Testamenti gloriæ ipsius cedant, & imperium suum deponant coram ipso.

> Id in abrogatione exercitii cultûs ceremonialis in Ecclesia, & Baptizatione Cornelii in præputio primò factum est.

2. Cla-

2. Claritas adventûs ex Themane declaratur connexo, *celebratione virtutum Dei in tota terra*, id est, in populo Israëlitico & omnibus tribubus ejus, & loco omnis habitationis earum, antequam dissipentur.

Atqui incidit contentio & disceptatio de Christo atque ita de promissione Dei & ejus præstatione: itemque persecutio. Resp. hæc omnia fuerunt medium eò magis celebritatem nominis Dei proferendi & propagandi. Quò magis enim contradicitur veritati, eò studiosiùs defenditur, & pluribus innotescit: maximè si accedat persecutio.

Laus Dei significat verbum annunciationis exhibitionis rei promissæ in Christo. Alicubi nomini Dei opponitur, quatenus illud in promissione est. Psal. 48:11.

2. Instigationem per apostrophen ad Ecclesiam. vers. 4. Ejus descriptio & compellatio est hæc. Tu, *cui sunt cornua à manu ejus*, id est, cui Deus dedit potentiam ad debellandum hostes, nempe potentiam non carnalem, sed vim Spiritûs Sancti. Instigatio ad invadendam omnem vim adversariam virtute Spiritûs Sancti est duplex, à duplici promissione. 1. *Eris splendor ut jubaris.* Deus constituit te in lucem & splendorem, ut radies tanquam Sol. Significatur efficacia verbi. Tuo præconio discuties tenebras gentilitatis, vis Spiritûs, qui tibi adest, accendet corda hominum ubivis, ut in amorem Dei inardescant. Nec cursus tuus impediri poterit, nec ostium Euangelii claudi. 2. *Et ibi* est vel erit *latibulum roboris ejus*; id est, Noli metuere. Ego tecum ero & protegam te. Nemo tibi nocebit. Si patienda adversa, ego te roborabo. Si ædificanda Ecclesia, ego aperiam januam & præstabo opportunitates. *Ibi*, hoc est, in eo loco, quò mitteris, id est, in gentilitate, in Theman, &c.

Talis hominis, quem Propheta compellat, exemplum est Apostolus Paulus.

II. Judicium in incredulos. vers. 5. 6. 7. Confer Deut. 29: 22. Quod cap. 2: 4. col. 1. dixerat, idem hic adstruitur. Proponitur Deus, qui venerat in humilitate & forma servi, & rejectus ab illis fuerat, ut *veniens in regno*, Matth. 16: 28. ad supplicium sumendum ab incredulis. Accessus ejus describitur à præcursoribus & comitibus, *pestilentiâ & scintillâ*. Occultiora & manifestiora mala grassantia ad consumtionem hostium hic notantur.

Vers. 6. Proponitur abruptio tolerantiæ. Schema est hominis agrum suum sterilem contemplantis & oculis dimetientis. *Vidit*, id est, Deus testatus est, se jam satis exspectasse & cognovisse populi inobedientiam & impœnitentiam. Effectus, quibus Deus indicat se vidisse, sunt succedanei quatuor. 1. *Solutio gentium*, id est, solutio illius fœderis, quod Deus fecerat inter omnes gentes sub Imperio Romano, quodque fecerat prævalere propter multos. *Ita factum est bellum omnium populorum contra populum Judaïcum. 2. *Dissipatio montium antiquissimorum*, populi Israëlitici & Idumæi, *& collium sæculi*, duodecim tribuum. 3. *Abitio perpetua*, id est, discessio Dei à populo, ut nec Apostolos iis mittat ampliùs, nec velit apud ipsos habere symbola præsentiæ suæ.

Hanc abitionem suam à populo Deus incepit testari, quando templum incepit tradere occupandum latronibus & demoliendum ac cremandum primò in porticibus. Audita etiam est vox, Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν. *Migremus hinc.* Jos. ἁλώσ. lib. 7. cap. 31.

4. Destructio templi cum tremore omnium habitationum Israëliticarum in exsilio.

filio. Templum appellat *tentoria Cuschan*, quia eodem modo habeatur à Deo, ac tentoria Cuschan; sive alludat ad Cuschitas, sive ad Cuscham Rischatajim, Mesopotamiæ regem. Jud. 3: 8. Habitationes Israëlitarum in exilio suo, *Cortinas Midianitarum*. quia Midianitis hostibus populi Dei & regni ipsius erant assimilati.

Templum se declarat vidisse *sub vanitate*, id est, mole vanitatis ac idololatriæ pessundatum ac oppressum.

III. Destructio idololatriæ. ℣. 8. 9. 10.

Primo loco hic est Oratio Ecclesiæ pro fluminibus & mari, id est, pro imperiis & mundo. Est autem in hac oratione schema admirationis. *An ira tua exarsit?* Sciebat nempe Ecclesia, Christo promissam esse hæreditatem gentium. Ideò quotiescunque affligerentur gentes, dolebant; quemadmodum etiam multorum pertinaciâ dolebant. Dolebant quippe, sibi illam hæreditatem in regnum mundi nondum tradi. Imò cum plagis mundi suæ etiam afflictiones erant conjunctæ, inprimis quia Gentiles iram Dei Christianis imputabant.

2. Subjicitur confessio εὐχαριστική, quâ agnoscit Ecclesia, judicia Dei habere salutarem exitum. *Quando equitas in equis tuis*, id est, dirigis & excitas populos barbaros ceu instrumenta judiciorum, *currus tui Salus*, quia ut currus equos, ita judicia sequitur Salus, id est, redundant ad coërcitionem vitiorum in Ecclesia, ad vigorem disciplinæ intendendum, ad probandam ejus fidem, ad multorum conversionem & tandem ad pacificationem ejus.

3. Succedit tertio loco grata commemoratio potentiæ Dei exsertæ ad implendum juramentum de tribubus, dicto Dei definitis & designatis, quas dat Abrahamo & semini ejus in supplementum eorum, qui ab omnibus tribubus abscissi erant. *Arcum Dei* vocat potentiam Dei efficacem ad subigendum omnia, partim domando contraria, partim destruendo. Deum esse memorem juramenti sui facti Abrahamo de hæreditate tribuum gentium probat effecto. 1. quòd *terra fluvios findat*, id est, quòd tanquam insula supra fluvium, id est, vim contrariam, emineat, ne ab ea inundari possit. Parallelum est Apoc. 12: 15. Potest etiam significari, Ecclesiam *fluvios*, id est, Cæsarem & exercitum emisisse, ad redigendum opes imperii in suam potestatem.

Id sub Constantino factum est.

2. quòd Deus se videndum præbuerit *montibus*, id est, provinciis & populis in imperio contentis ostenderit, se esse cum Ecclesia, & vanas esse ipsorum iras contra illam. iique *territi* sint, & sic *imber aquosus* persecutionis *præterierit*.

Id factum est in bellis Constantini cum collegis.

3. quòd *Abyssus vocem extulerit*, & *manus*, id est, quòd totus mundus confessus sit, sibi necesse esse cedere Deo; & supplices manus extulerit ad Christum regem Ecclesiæ, sive in veritate, sive mentiendo ipsi. Adde cap. 2: 7.

Id post Julianum factum est, paulatim etiam coërcitis hæreticis, & populis quoque barbaris Ecclesiæ solum infestantibus religioni Christianæ paulatim accedentibus.

IV. Conservatio Ecclesiæ. ℣. 11. 12. 13. Tria in hac pericopa.

1. Illuminatio Ecclesiæ inter tenebras. vers. 11. *Sol & Luna stetit intra habitaculum*. Postquam Imber aquosus præteriisset, & jam Abyssus manus suas efferret ad Ecclesiam, tum cœpisse obscurari doctores & Rectores Ecclesiæ, & non similiter luxisse atque olim, & nubibus velut tugurio quodam obductos fuisse. Id

lucrum

lucrum malum. cap. 2: 9. Hæc *altitudo nidi*. ibid. *Ad lucem telorum tuorum ambulant*, id est, rectam viam & conscientiam bonam retinent. Per *tela* intellige sanctos affectus à Spiritu Sancto cordibus cœlitus injectos, & lumine verbi divini illustratos; *ad splendorem fulguris hastæ tuæ*. Solet verbum Dei comparari gladio. Hebr. 4: 12.

2. Coërcitio gentium. vers. 12. *In rigore ingrederis terram*. Facis existere Bestiam sive cœtum hominum carnalium sub nomine Ecclesiæ regnum habentium in mundo, multasque regiones ac terras obtinentium. Hos & *gentes* appellat. *In ira trituras gentes*. Confer cap. 2: 13.

Huc refer mutationes Imperii Romani & variorum regnorum in eo erectiones & eversiones, donec illam formam acciperet, in qua debebat judicari.

3. Auxilium & salus præstita Ecclesiæ à persecutoribus suis. vers. 13. *Exivisti* (Patrem compellat) *ad salutem populi tui, ad salutem, cum Uncto tuo*, id est, ad eripiendum populum suum, qui suam causam defendunt contra Antichristum, ex portis Inferni. Quum dicit, Christum exire, quemadmodum & Pater exit, ad salvandum populum suum, & verum esse Deum declarat, & distinctam à Patre personam, & in ea parte, contra quam exit, esse Antichristum, qui & *Improbus* hoc versu.

Tempus, quo exivit Christus ad oppugnandum Antichristum, & salvandum Ecclesiam ex manu ejus, hic innuit Habaccuc illud, quo cœpere ii, qui separati à gentibus persecutionem passi erant, terribiles esse hostibus suis, & ab illis opprimi non potuerunt. Quod in Hussitis primum fuit.

Pergit ulteriùs prophetia ad *deflictionem capitis è domo Improbi*.

Carolus V. est illud *Caput*, sive summus principum *in domo Improbi*, id est, in eo cœtu, qui Antichristo docenti falsam justitiam devotus est. Quomodo is deflictus sit, ut tandem cogeretur Ecclesiæ pacem dare, notum est ex historiis: & non ita vetusta memoria est.

Judicio in caput politicum addit judicium in caput Ecclesiasticum. *Nudando* nudasti caput *fundamentale usque ad collum*. q. d. Quum duo sint capita in domo Improbi, unum quidem deflixisti, ut se non erigeret ampliùs; alterum autem, quod & *fundamentum est, nudasti usque ad collum*, id est, abstulisti inhærentia fundamentali capiti usque ad collum, id est, pleramque molem populorum, cui tanquam corpori suo se imposuerat Antichristus velut caput, ei subtraxisti, ita ut non remanserit illi nisi cervix, id est, pars minima totius corporis Adde cap 2: 14.

Jam hic intueri licet imaginem detruncationis imperii Papæ factæ per Reformationem primitùs. Italia, Hispania, Gallia, Germania, Bohemia, Hungaria, Polonia, Suedia, Norvegia, Dania, Scotia, Anglia, Hibernia, magnum corpus fuit. In reformatione Papæ mansit Italia & Hispania, caput & cervix.

V. Initium restaurationis. vers. 14. *Designasti*, prima rudimenta novi regni, destructo Antichristo, posuisti, *in tribubus ejus*, in populo Dei & Christi, habente multas provincias, ut olim tribus Israëlis, *caput pagorum ejus*. ita ut initium habitationis, non ut in civitatibus, sed ut in villis & pagis esset. Adde ℣. 9.

VI. Ecclesiæ Reformatæ in persecutione erectio ad spem. ℣. 14. p. a. 15. 16. 17. Ostenduntur quatuor causæ tristitiæ & desperationis, nisi Deus sustentaret.

1. Debilitas: cujus causa est discordia fratrum & occulta conspiratio cum adversariis ad se mutuò deferendum & prodendum.

2. Hostium, ut valentiorum, asperitas ad dissipandam Ecclesiam, & lætitia ob inventum prætextum ad devorandum eam. Vide cap. 2: 15.

3. Annunciatio magnæ angustiæ ingruentis: cujus instrumentum, *Ascensus alicujus*, qui scilicet magnam angustiam efficere possit, nimirum ad vastandum Bestias & illas consternandum, & Libanum populandum. Vide cap. 2: 17. Hæc annunciatio debet fieri ex verbo Dei, imò ex hoc ipso loco Habaccuci.

4. Paucitas doctorum & robore Spiritûs præditorum, de quibus sperari possit, fortiter angustiam illam esse laturos, & per eam non esse absorbendos. Hoc indicatur sub imagine sterilis anni & *ἀφορίας* in agro, vite, ficu, olea, caulis & stabulis.

Vers. 16. *ὑποτύπωσις* maximam consternationem ex tali annunciatione, *ventris*, id est, totius corporis *contremiscentis*, *labiorum clarè tinnientium*, *ossium computrescentium*, *totius contremefacti*, quasi cum loco suo. His malis opponuntur tria solatia.

1. *Calcatio luti aquarum multarum in mari per equos Dei*, id est, quasi exsiccatio maris, id est, exhaustio virium & virorum populorum multorum in mundo per exercitus Dei, quos educit contra hostes. Confer 2: 16.

Habet in hac prophetia Ecclesia Christiana Reformata istis omnibus modis tentata & adjuta, quo se soletur, nimirum, quòd vocetur *populus Christi*.

2. Prænunciatio magnæ afflictionis, cum promissione quietis. *Audivi, quòd quiescam in die Angustiæ.*

3. Promissio conversionis ejus, qui ascensurus est. *Quem in populum turmatim ductabit.* subintellige, Christus tuus.

VII. Ecclesiæ salvatio & evectio. vers. 18. 19. Colophon certaminum Ecclesiæ est in gaudio & exultatione. Auctor lætitiæ Deus. Causa, fœdus Dei & 1. *Salus* ex fœdere præstita. unde appellat *Deum suum*, *Deum salutis*. 2. *Strenuitas* data ad confligendum cum mundo. 3. Corroboratio ad velocitatem. ut certos gressus faciat & in curriculo suo proficiat. quod indicatur comparatione cervarum. 4. Subjectio imperiorum. 5. Spes quietis usque ad manifestationem regni cœlorum per resurrectionem mortuorum & judicium ultimum, ut Ecclesia rapiatur ad Dominum, qui in altera vita fletum omnem Ecclesiæ abolebit, & cantiones ejus continuabit.

A N A L Y S I S &c.
Z O P H O N I Æ.



Ophonias cum Jeremia & Hulda prophetavit tempore Josiæ filii Amon, qui nepos Ezechiæ regis fuit. Gente, sine dubio, nobili fuit. Iccircò pater, avus, proavus, abavus memorantur. An verò is fuerit Ezechias rex, non liquet.

Ejus prophetia tres habet partes.

Primò intimationem Judicii, quo Deus impietatem omnem exstirpabit. Cap. I. 2. 3. Hæc in plena significatione exhibent ἀποτύπωσιν ultimi judicii, & consummationis sæculi. Est autem notanda distributio. Primò dicit *omnia*. Tum specificat *homines*, *pecora*, *volucres*, *pisces*. Rursus homines sub duplici genere proponit, *Improborum*, & universaliter omnium hominum, etiam *Justorum*.

Adde Num. 24: 17. *Surget sceptrum ex Israële, & diruet omnes filios Sethi.*

Secundò Hypotyposin judiciorum & beneficiorum antecedentium. cap. 1: 4. usque ad cap. 3: 9. Ea agit

A. De primo Judicio Judæorum, cap. 1. reliquo, & cap. 2: 1. 2. Hic

I. Denunciat excidium Judææ & Hierosolymæ ac scandalorum in ea. ℣. 4. 5. 6. Scandala, quæ se per deletionem urbis excisurum minatur, sunt

1. Idololatria. Hanc ponit in quadruplici differentia.

(a.) *Cultum Baal.* Credibile est, Israëlitas, ut eò minus offenderent gentes, primò venditasse, Deum verum coli posse *sub* nomine בעל *Domini*, vel בעל הארץ *Domini terræ*; cùm etiam ארון כל הארץ *Dominus totius terræ* à Scripturis dicatur. Deinde etiam dæmonas à gentilibus cultos tanquam genios quosdam bonos adorasse. Iis enim & hoc nomen aptum est, quatenus respondet Chaldæo בל. Vide Comment. Cl Coccejı.

Dicit: *Exscindam reliquias Baalis.* Nam per deportationem Israëlitarum magnam partem exsciderat.

(b.) *Adolescere vitulis* sive *sacrificare in celsis*. Id est כמרים sive *poparum*, quibus hoc attribuitur, 2 Reg. 23: 5. & Hos. 10: 5. *Eos exscindam cum sacerdotibus*, scilicet Templi. Quo notatur corruptio cultûs legitimi in templo, & templum mutatum esse in fanum Idoli.

(c.) *Cultum cœli & siderum.* Vide rursus historiam tempore Josiæ. 2 Reg. 23: 5. & Jer. 44: 17. Gentiles sidera adorarunt, quasi in iis esset intelligentia. Hæc igitur superstitio in ἀγγελολατρείαν resolvitur. Job. 31: 26. 27. 28. Judæi hunc prætextum afferre poterant suæ nequitiæ, quo nunc Pontificii utuntur, scilicet Paganos corpora adorare, se autem Angelos iis adjunctos, & divinam virtutem in iis colere. Et quod ad Angelos, se eos non colere cultu λατρείας cum gentibus, sed cultu δουλείας tantùm. Locus cultûs hic annotatur, *in tectis*. Vide 2 Reg. 23: 12. In cultu Baalis, Jer. 32: 29.

(d.) Est claudicatio, dum *jurant Domino, & jurant per Malcam, regem suum.* Dei vocabulum est *Rex.* Sed abusu Pagano contaminatum est, & datum falso numini. Ideo hic quasi proprium venit. Cultus soli Deo debitus est, ut per ipsum juretur. Totus cultus fidei in juramento includitur. Claudicatio igitur est, *jurare Deo* & ipsi fidem suam addicere, & nihilominus *jurare per alium.* Adde Amos. 8: 14.

2. Aversio à Deo. Eam his verbis indicat. *Et qui retrocedunt à post Dominum,* id est, à sectatione Domini. Indicantur ii, qui inconstantes sunt, & Deum non sequuntur usque ad finem, propter mollitiem & cupiditates. Est autem *sequi Deum* vel imitari Deum, vel ad ejus communionem contendere verâ viâ.

3. Negligentia circa fœdus & amicitiam Dei. *Et qui ipsum nec quærunt nec curant,* sive ipsi non attendunt. Duo hic: *Quærere* est cupere Deum habere in communione: *Curare* sive attendere Deo est ipsum audire, eum interrogare ac consulere & voluntatem ipsius bonam explorare.

II. Compescit omnem murmurationem adversus hoc judicium. Vide hic

1. Propositionem. ℣. 7. p. p. *Sile coram Domino Jehovah.*

2. Confirmationem

(a.) à propinquitate, contra opinionem dilationis. ℣. 7. p. a. *Nam propinquus est dies Jehovæ,* appropinquat tempus visitationis populi per gratiam, & φανερώσεως θεοῦ ἐν σαρκί, ejusque anteambulo, captivitas Babylonica. *quia Jehovah præparavit sacrificium* illud verum, quo expiari debeant peccata: de quo, participando in fide, epulentur ii, quos Deus ad hoc *vocat,* id est, vocando adducit. nimirum ii, quos *sanctificat* aspersione sanguinis illius victimæ & spiritu suo. Quales jam tum erant & ab omni ævo fuerunt, qui salutem Israëlis sperabant.

(b.) à subjectis, contra fiduciam auctoritatis, gratiæ apud exteros, præsumtæ sanctitatis. vers. 8 9. Et erit in die sacrificii Jehovæ, visitabo in Principes, Senatores & Judices Synedrii. Illorum autem vana opinio erat vel persuasio suæ prudentiæ, vel persuasio divinæ promissionis, qualis exstat Gen. 49: 10. de מחקקים non recessuris. Jer. 8: 8. 18: 18. quam male interpretabantur. Hæc 1ma prærogativa, in qua gloriabantur. 2. Genealogia & successio cum dignitate. *In filios Regis;* vel præsentis, Josiæ: ii Joachaz, Jojakim, Jojachin, Zedekias: vel latiùs, regiæ dignitatis hæredes. Sperabant enim Judæi, regnum penes familiam Davidis perpetuum fore, ex Gen. 49: 10. Qui si comparassent id, quod est 1 Reg. 9: 4. 5. 6. potuissent intelligere, non necessarium esse sensum istius prophetiæ, quem fingebant; & si Jeremiæ 22: 30. & Ezechieli 19: 14. 21: 31. credidissent. 3. Amicitia gentium. Ea significatur in *Assimilatione in vestitu.* 4. Dignitas sacerdotalis. De Sacerdotibus enim dicit: *Qui insiliunt in limen,* intellige *domûs Domini sui,* id est, templi. addito: *Qui implent domum Domini sui vi & fraude. Insilire limen,* ut *calcare atria,* Es. 1: 12. est eorum, qui adeunt domum Dei, qui per vocabulum *Domini sui* significatur. At quomodo adeunt? 1. *Implent illam vi.* qui ipsam adeunt, ipsi sunt violenti & tyranni, nimirum dominantes populo crudeliter, imponendo præcepta importabilia, & bona viduarum ac pupillorum sub προφάσει orationum, sacrificiorum, decimarum, rerum sacrarum exhauriendo. 2. *Implent illam fraude,* id est, sub obtentu verbi Dei falsitatem docent ad detractionem nominis & gloriæ divinæ.

(c.) à latitudine cladis. ℣. 10—13. In his versibus confutatur hominum securorum fiducia in metropoli & opibus suis. Securitatis explicatio est, *quòd isti homi-*

homines essent ut vinum quiescens super fæcibus suis; quod propter immobilitatem suam videtur esse quasi coagulatum & concretum: *quodque dicerent, Deum nec bene nec male facere*, id est, quòd nec sperarent divinæ gratiæ exhibitionem in regno Dei, nec etiam formidarent mala incredulis denunciata. Securos fodicat comminatione communis mali, nimirum auferendarum munitionum & opum. *Et erit in die illo vox clamoris à porta piscium, & ejulatus ab altera: & fractio magna à collibus*, Sione, Morija, Bezetha & Gareb. *Ejulate, qui habitatis Pilam*. vallem illam, quæ erat inter superiorem & inferiorem civitatem. *quia occidit omnis populus Canaan*, id est, populus Israëliticus habitans in terra Canaan, & ejus mores imitans. *Excisi sunt omnes onusti argenti*. &c.

(d.) à celeritate & diritate mali. vers. 14--18. In vers. 18. conclusio est, *fore judicium consummans, præcipitatum*; & quidem *merè*, sine longanimitatis exercendæ intervallis, *in omnes habitatores terræ*, id est, multitudinem populi Dei nomine insigniti, & terrenis rebus affixi.

Notandum, hactenus agi de captivitate Babylonica, quod quidem est judicium totale, quoad terram & statum reipublicæ, sed non finale. Romanæ captivitatis judicium & totale & finale est.

III. Hanc denunciationem applicat ad νουθεσίαν. Cap. II. 1. 2. Mandatum est *explorationis*, & quidem 1. sui, an scilicet habeant hoc sigillum Dei in anima sua, *desiderium* justitiæ, id est, non tantùm remissionis peccatorum sive impunitatis, (quis enim non vel impius eam desideret?) sed etiam glorificationis Dei per novitatem vitæ tanquam signaculum justitiæ, ut Deus per utrumque ceu bonus & sanctus justificator impii glorificetur. 2. est mandatum discretionis aliorum. Jubet *perscrutari*, id est, discernere verum granum à palea, quantum potest fieri per charitatem, quæ omnia sperat; & per timorem & solicitudinem, quæ hominibus diffidit, & verbis absque operibus non credit, atque eos, qui sincerè verbum Dei prædicant, ab iis, qui sub corticè verborum fœderis zizania seminant; & fraudem consuunt ad illaqueandas animas.

Argumentum ducit Propheta ab opportunitate. *Antequam statutum*, id est, jus illud Dei, secundùm quod ipsum decet contemtores suos ulcisci, *pariat tanquam paleam, quæ transit die*, id est, antequam ad demonstrandam justitiam Dei res regni & regis & omnia bona populi Judaïci fiant tanquam palea, quæ uno die difflatur. *Antequam veniat super vos fervor iræ Domini*, id est, voluntas destruendi peccatum, & potens illius voluntatis exsecutio. *Antequam veniat super vos dies iræ Domini*, id est, dies demonstrandæ justitiæ Dei determinatus: quales dies vel sunt particularium exemplorum, vel universalis retributionis. Hic intelligitur dies damnationis omnium, ut in externis factis, non sincerorum Dei cultorum, per captivitatem Babylonicam,

B. De Judiciis in Palæstinos, Moabitas, Ammonitas, Cuschitas & Ninevitas; cum bono populi Dei. cap. II. reliquo. Idque ad παράκλησιν piorum. Ea παράκλησις habet

I. Propositionem. ℣. 3. p. p. Habet hæc cohortatio vim consolationis. Poterat admodum dejici animus proborum, qui audirent, ruinam totius politiæ instare. Iccirco illos in proposito confirmat, iisque animum & calcar addit, insinuans, laborem illorum in Domino frustra non fore.

Compellatio, *Omnes mansueti terræ*, habet vim testimonii & approbationis Spiritûs Sancti, non tantùm ad aures, sed & ad conscientiam mansuetorum. Noverunt

verunt ergo pii suam mansuetudinem ac fidem. Cui enim aliàs dirigerentur tales compellationes Scripturarum?

Cohortatio animat ad agendum, quæ agebant. quæ sunt, *Quærere Dominum*, id est, desiderium, cogitationem, considerationemque omnem & diligentiam huc conferre, ut scias, quis & qualis & quàm sanctus Deus sit, & quæ ipsius viæ sive quod testamentum, ut ipsum glorificare, & ad ipsum confugiens eo frui ut tuo possis. *Quærere justitiam*, id est, cupere habere in possessione & communione statum illum, in quo est homo hæres regni cœlorum: in quo statu homo est justus, non propter opera sua, sed propter justitiam reputatam: quam habet in fide præconis illius. Hab. 2:4. *Quærere mansuetudinem*, id est, eum animi habitum, quo quis se abnegat & justitiam suam, Deoque se committit & humiliter paret, ac proximo propter Deum indolescit & condonat. Mich. 6:8.

II. Confirmationem παρακλήσεως; quæ ducitur

1. à spe

(a.) Conservationis. ℣. 3. p. a. *Fortasse* (jubet illos bonam spem concipere) *occultabimini*, id est, protegemini, *in die iræ Jehovæ*.

(b.) Vindicationis & compensationis jacturarum, vers. 4.—10. Declarat Deus, se reverâ demonstraturum, quòd Deus ipsorum sit, non tantùm ipsos exscindendo, & suffugium eis largiendo; sed etiàm exscindendo illas gentes, quæ spem eorum irriserant, & visitando populum suum, eumque ita amplificando, ut deserta Palæstinorum & Moabitarum & Ammonitarum occupent & in iis habitent cœtusque suos agant. Adde Deut. 30:5. Mich. 4:11—14.

Historia. Deus populum ex captivitate Babylonica in terram Canaan reduxit. Ibi templum, urbem, rempublicam duodecim tribuum ipsis reddididit, in libertatem eos asseruit. Gaza autem ab Alexandro Magno capta, & finitimi loci à Judæis occupati sunt; Moabitarum etiam oppida Græcis erepta possederunt Judæi. Vide Jos. Ant. 13:23. Nec tantùm, sed & Christus apud illas gentes regnum suum publicavit & eas sic despoliavit, quod tamen non factum est sine judicio ut in Judæos, ita in Judæis sociatos Moabitas & Idumæos.

(c.) Manifestandæ gloriæ divinæ super ipsis ad reverentiam gentium, vers. 11. Verba Zophoniæ hunc plenum sensum habent. Deus non tantùm visitabit populum suum in captivitate Babylonica per Spiritum pœnitentiæ & timoris sui, & Spiritûs potentiam in animo regum Persidis, & gratiam suam, ut eos restituat in terram & statum suum pristinum; sed & vindicabit sive amplificabit illum. Idque fiet hoc modo. Primò terræ vicinorum populorum inimicorum cedent populo Israëlitico. Tum manifestabitur apud illos, & sic manifestatus apud illos emittet sceptrum suum & Filii sui è Sione, & confliget cum omnibus *diis* tum fictis, tum maximè nuncupatis: quos omnes tandem emaciabit, abolitâ ipsorum potestate; adeo ut omnes insulæ ipsi tandem serviant. Deos intellige 1. Moabitarum, Palæstinorum, Syrorum, qui ante Christum aboliti. 2. Judæorum, id est, deos nuncupatos Veteris Testamenti, quorum per adventum Christi, destructo templo, est abolita potestas. 3. gentium, ut Ægyptiorum, Romanorum, Persarum, Germanorum &c. quorum jam vix nota nomina sunt, exceptis quibusdam idolis Indorum. 4. idola illa, quæ sub nomine Dei & Christi finxerunt hæretici, nimirum Deus non habens filium naturalem, Christus mera creatu-

creatura. 5. denique Antichristum & ipsius consortes, tum Ecclesiasticos, tum Politicos, qui non tantùm nomine illo delectantur, sed & potestatem in conscientias exercent; quod Dei est. *Emaciatio* significat talem consumtionem, quâ quidem non penitus deleantur, sed tamen tabidi, marcidi & languidi sint.

Adoratio ad *insulas* omnes refertur.

Convenit, quòd in insulis maris, in quibus Japheti posteritas sedem cepit, clarissima Euangelii propagatio primitus facta est per Apostolum Paulum.

Adorationis libertas notanda est. *Quisque è loco suo.* Sine necessitate offerendi victimam externam Hierosolymis.

2. à judicii extensione in

(a.) *Cuschæos.* vers. 12. Ii maris rubri & Persici sunt accolæ, vicini Ægypti ad ortum. De Cuschæis per Nebucadnezarem in servitutem redigendis prophetat Esaias cap. 20:3. Vide, annon noster hic de eodem implemento loquatur. Postea sub Persis fuere: deinde sub Macedonibus. Sed & Eunuchus Candaces reginæ fuit proselytus & per Philippum Christianus est factus. Act. 8.

(b.) Assyrios & urbem eorum Niniven. vers. 13. 14. 15. Comminatur ei excidium & solitudinem. Causam ponit in Luxu, Gaudio de victoriis suis, Securitate, Contemtu Dei & hominum. Illud carmen, *Ego sum & præter me quicquam est*, notandum, ut vox omnium eorum, qui sibi assumunt imperium in conscientias religionemque ex suo arbitrio instituunt, nihil solliciti de Deo: quasi ipsi soli aliquid essent, & cætera nihil.

Idem etiam Babylonio tribuitur. Es. 47:10. cùm sit vox solius Dei. Es. 45:5.6. & Deut. 32:39. Joh. 8:27. 28. 13:19. Vide de Nineve ad Nahum. cap. 3.

C. De judicio excidii ultimi Hierosolymorum, Cap. III. usque ad ℣. 9. Hic est

I. Accusatio. cujus vide

1. Complexionem. vers. 1. 2. Hic in colo primo est exprobratio maximorum beneficiorum. ut 1. *quòd visio ei concessa est*, *visio* scilicet Dei in carne manifestati, quam patres tanto cum angore & desiderio exspectaverant. 2. *quòd asserta est.* Habuit גואל Deum suum eundem & fratrem, qui eam suam dicat, ut & templum & totum populum, quia ab illo tot beneficia accepit, cujus fœdus nomine tenus præ se fert, extra quem nullam salutem habet: qui sic ad eam venit, ut juberet eam ad se *accedere* & sibi *confidere* ad salutem: imò etiam tulit peccata peculii sui, quod in illa civitate erat, atque id actu redemit.

In altero colo est Objectio peccati, nimirum Tyrannidis & oppressionis. Id quadrat cum הוי, *væ*. Deinde Inobedientiæ, quæ nec voci, nec factis paruerit. *Voci* scilicet tum anteambulonum prophetarum, tum ipsius Christi, Mich. 6:9. *Factis*, id est, exemplis judiciorum, quæ Deus edidit in Hierosolyma prisca & gentibus. Inobedientiam explicat negatione actuum ei imperatorum, quum *videret* & *audiret* Deum suum, & ab eo tanquam *populus suus* compellaretur. Nimirum *non confisa est Domino*, id est, non concredidit animas suas Jehovæ, id est, illi, qui ab initio fuerat, & jam ad ipsam venerat, ut re & facto omnes suas promissiones impleret: in eo per fidem non est gloriata. E contrario confisa est sibi & justitiæ suæ, imò scortationi suæ cum mundo ad fruitionem carnalium bonorum.

Nota hic, spem Israëlis non esse ALIUM, quàm Jehovam ipsum.

Pec-

Peccant igitur Judæi, quando Messiam volunt esse alium, id est, negant unum esse cum Patre Deum.

Ad Deum suum non accessit, id est, ei se docendam non permisit, doctrinam ejus cum fame ac siti justitiæ non recepit.

2. Probationem

(a.) secundùm personas,

(α.) Principes & Judices. vers. 3. *Principes* sunt præcipui Judices, summi Synedrii Senatores. Eorum elogium est, quòd fuerint immanes & sanguinarii, ut leo rugiens.

Tempore Christi patientis Judæa fuit sub principibus sive Synedrio; nisi quòd à præsidum & procuratorum Cæsaris auctoritate pendebant in suppliciis capitalibus & ordinatione reipublicæ.

Judices in genere sunt omnes non tantùm de privatorum causis civilibus jus dicentes, sed etiam censuram agentes in populum, quatenus ad sacra & cœtum admittendus quis esset, vel non. Ii & *Seniores*. Esr. 10:8. Elogium horum est, Insatiabilis avaritia, qualis est luporum famelicorum, qui toto die à mane ad vesperam nullum os roserint.

(β.) Prophetas & Sacerdotes. vers. 4. *Prophetas* Hierosolymæ appellat νομοδιδασκάλους, & legis ac Prophetarum interpretes, quos vulgo Sapientes & Rabboth Judæi appellant. Eorum elogium duplex. 1. *Futiles*, id est, temerarii, leves, mendaciloqui. 2. *Viri perfidi*, fallaces, fœdifragi. Populum pane salutari destituerunt, clavim cognitionis recondiderunt, cum Christo insidiosè & fallaciter egerunt.

Sacerdotum elogium est. 1. quòd *profanaverint Sanctum*. Id duplicem habet sensum. (a.) quòd templum suis vitiis profanum fecerint. (b.) quòd verum Dei templum, in quo plenitudo Deitatis habitat corporaliter, Filii Dei corpus scelestè & pro profano tractaverint, scilicet omnibus modis illud vexando, & tandem morte afficiendo. Confer Deut. 32:15. Mal. 2:11. 2. quòd *vim fecerint legi*. Legem malè interpretati sunt, & eripuerunt violentiâ suâ populo, quantum in ipsis erat, legem aut doctrinam Dei.

Notum enim est, quomodo Christi discipulos persecuti sint. De qua re etiam Jos. Ant. 20:8.

(b.) secundùm propositam ℣. 2. duritiem cordis,

(α.) à voce Dei inter ipsos manifestati, sine pudore populi. vers. 5. *Jehovah erat in medio illius*. non sanè per Arcam, & Cherubinos, quæ non fuerunt in templo secundo; vel templum, quia in eo non fuit שכינה post captivitatem Babylonicam; nec per prophetiam, quæ tum cessabat; nec per interpretes Scripturarum, qui vim faciebant legi; sed per antithesin ad hæc omnia, per incarnationem ipsius Dei, & assumtionem humanæ naturæ.

Deo manifestato in medio Hierosolymæ tribuit suos characteres.

1. quòd *justus*. Alludit ad Deut. 32:4. id est, quòd non mentiatur, dicens, se esse Filium Dei, unum cum Patre, ac postulans in se credi.

2. quòd *nullam injustitiam fecerit*. Hoc sapit apologiam contra accusationem & blasphemiam principum, ipsum rejicientium. Alluditur rursus ad Deut. 32:4. *sine injustitia*.

3. quòd quotidie, & quidem *singulis matutinis judicium suum protulerit in lucem sine defectu*. Per *judicium* intellige sermones Dei, quibus vel *redarguit* Pharisæo-

risæorum *hypocrisin*. Matth. 5 : 20. 23 : 23. Matth. 15. & *tyrannidem*. Matth. 23 : 4. & 14. & *superbiam* atque ostentationem. Matth. 6. & 23 : 5---10. 12. 14. & *ignorantiam* mysterii Dei & Christi, quæ est *clavis cognitionis*. Matth. 23 : 13. Luc. 11 : 52. & *falsam justitiam*. Matth. 5 : 20. Vel causam suam & Dei *defendit* contra ipsorum calumnias. *Edere judicium in lucem* est ei judicio fidem evidenter facere per testimonium Mosis & Prophetarum & opera divina tanquam opera proprii Patris.

Eventus hujus apparitionis Dei cum justitia & judicio est, quòd *Injustus nescierit erubescere*. *Injusti* sunt ii, quos Deus verbo suo judicasse intelligitur, & quos designavit vers. 1---4. & ex iis causis *injusti*. Noluerunt eum agnoscere pro Deo suo, nec judicio ipsius sunt pudefacti.

(β.) ab exemplis & visitatione, sine metu, imò cum majore conatu sua instituta corrumpendi. vers. 6. 7. Inculcatur hic exemplum judiciorum Dei de gentibus sumtorum. Superiore capite intelleximus de Assyriis, Cuschæis, Palæstinis, Moabitis.

Ex his etiam signum temporis adventûs Christi in carnem cognoscitur.

Vers. 7. Adventus Dei ad populum repræsentatur, ceu maximè idoneum medium ad timorem Dei efficiendum. *Dixi, Certè timebis me.* Alludit Christus Matth. 21 : 37. Sensus proprius est, Deum, ad ostendendam impotentiam carnis, gloriantis in sua vi & justitia, decrevisse etiam visitare populum, seque ei videndum, audiendum, manibusque contrectandum præbere, & verba Dei ac opera illis exhibere.

Fructus timoris Dei ostenditur *Conservatio habitationis suæ*, id est, Hierosolymæ & terræ Canaan, cum omnibus rebus, quas Deus apud ipsos deposuerat, & ipsis commendaverat. Qui erat Thesaurus sapientiæ in Scripturis reconditus, Ecclesia & Sancti Dei, in quibus regnum ejus manifestatur. Templum inter hæc non numero, quod abdicaturi fuerant.

In fine versûs declaratur Eventus minimè mediis istis respondens, nimirum *Maturata corruptio studiorum*.

II. Sententia. ℣. 8. Vide,

1. quibus intimetur, & in quam opportunitatem differatur? *Quapropter præstolamini me, ait Jehovah, ad diem, quo surgam in perpetuitatem.* Est alloquium Christi Filii Dei ad suos, quo jubet eos patienter exspectare resurrectionem suam è mortuis, in qua resurrectione accepturus sit vitam immortalem & incorruptibilem & nullâ vi destructibilem. Hanc vitam perpetuam comparatam esse dicit ad hunc finem, ut judicium exerceat in gloria & regno. Quia debebat morte suâ abolere potestatem mortis habentem, id est, Diabolum; & sic accusationem legis tollere; & porro chirographum, quod contra Israëlitarum conscientiam erat, abolere; denique principes exuere & excutere, ut solus sine ipsis regnet. Id Christus discipulis suis intimavit, imò ipsi Sacerdoti in os ingessit. Matth. 26 : 64. ubi Sessionem ad dexteram Dei cum Adventu ad judicandum vivos & mortuos conjungit, & prius homines illius ætatis experturos pronunciat.

2. per quos exercendum sit hoc judicium? *Gentes collectæ, regna sociata.*

Rursus notetur circumstantia regni Christi. Collectio plerorumque regnorum in uno Imperio, quod esse Romanum, omnibus notum & evidens est.

 3. Quis

3. Quis judicii effectus? *Ad effundendum in illos severitatem meam, omnem æstum iræ meæ. Nam igne zeli mei comedetur tota terra.*

Tertia pars Prophetiæ complectitur promissiones Ecclesiæ datas de regno Christi ℣. 9. cap. 3. usque ad finem. Eæ sunt

I. Conversionis gentium ad Deum. vers. 9. 10. In hac pericopa quatuor observanda.

1. Medium conversionis gentium.' *Vertam ad populos labium purum.* Jehovah surgens ad vitam æternam indigitat, se à populo Israëlitico aversum vice versâ gentes hactenus separatas à politia Israëlis dignaturum *labio puro*, id est, loquelâ sive *purâ*, sive potiùs *clarâ* aut selectâ, quâ ipse allocuturus sit populos, pro eo, quòd eos vel non dignatus fuerat alloquio antehac, vel de illis & ad illas, quatenus verbum Dei Israëlitis publicatum erat, locutus fuerat labio quasi velato, & sermone non tantùm tristi ac terribili, sed etiam obscuro. Is est sermo Euangelii, pandens omne mysterium regni cœlorum, idque in luce ponens, sine ambagibus, sine involucris, sine mistura terroris & accusationis.

2. Tempus sive opportunitas. *Tunc.* Id respicit ad utrumque præcedens. *Cùm surrexero ad vitam perpetuam. Cùm congregabo gentes* contra Hierosolymam.

Pœnam Judæorum & conversionem gentium etiam conjungunt Hoseas, cap. 9: 13. & Moses, Deut. 32: 21.

3. Effectus ipse. Hic in tribus rebus ponitur.

(a.) *ut nomen Domini nuncupent*, id est, ut verbum illud recipiant, in quo Deus nominatur, quis & qualis sit, id est, à suis perfectionibus & operibus perfectiones ejus manifestantibus describitur; & id nomen confiteantur; & ab ipso appellari velint; denique illud invocent. Adde Joël. 3: 5.

(b.) *ut Domino serviant.* vel, ut ipsum *colant*, id est, ut ad honorem Dei & ad complacendum ipsi tanquam Domino actiones suas instituant. Ipsorum actuum vel differentiæ vel circumstantiæ distinctè testantur, quale sit dominium, quod colitur. Verbi gratiâ, qui eum, quem non videt, alloquitur & ad eum suspirat, ab eoque petit omnia animæ & corpori necessaria, & quæ sunt divinæ potestatis, ille religiosè servit sive colit, sive Dominum animæ & corporis sui omniscium, omnipotentem fatetur.

(c.) *ut offerant Deo munus.* quod munus definitur *filia dispersorum.* Nimirum, qui promovent prædicationem verbi Dei quocunque modo, per quod filii Dei convertuntur & ad Deum adducuntur, illi offerunt Deo filios ipsius munus: sive id faciant animo sincero ex vera gratitudine, sive id faciant animo non integro, sed mentientes Deo. Sed quinam offerent? עתרי. *Copiæ meæ*, sive *Multitudines meæ*, id est, *multi*, tum boni, tum hypocritæ? Offerendi? *Filia dispersorum meorum*, id est, cœtus filiorum dispersorum, ad filiationem Dei destinatorum. Potest hic intelligi dispersio illa, quâ omnes à pastore animarum dispersi eramus; vel etiam ea, quâ gentes post diluvium dispersæ sunt, quam secuta est desertio gentium; vel dispersio decem tribuum, ita ut cogitetur de semine Israëlis disperso inter gentes, tanquam particulâ aliquâ gentium, quam Deus sit cum cæteris gentibus recollecturus per præconium Apostolorum. Denique hic etiam intelligi potest dispersio Ecclesiæ Christianæ; item Judæorum facta per Romanos, ut ostendatur, suo tempore illos reducendos esse ad unitatem fidei.

4. Amplitudo & modus. Hæc propheta tribus modis indicat.

(a.) Ut

(a.) Ut *omnes* nuncupent nomen Jehovæ: sublato scilicet discrimine. Respicit ad promissionem: *In te benedicentur omnes familiæ terræ.*

(b.) *Et serviant ipsi humero uno.* Significatur Spiritus unus, consensus, amor unus, fides una, verbum Dei & Euangelium unum & forma exercendi cultum Dei unum. Scilicet, ut non aliter colant Deum Judæi atque gentes, & gentes Judæi non abominentur ampliùs. Gentes autem sic serviant Deo ut Abraham in præputio justificatus & sanctificatus.

(c.) *Inde ultra flumina Cuschitidos offerent munus*, id est, ultra Nilum, qui ex fluviis conflatus in fluvios dirimitur. Hic fluvius interluit Cuschitim & Ægyptum. Ex Gen. 2:13. noscimus, *Gihon* esse alium fluvium Cuschitidos.

> Quemadmodum hic Cuschæorum & ulteriorum fit mentio in regno Christi; ita Ps. 72:10. *Regum Tarsis* Asiæ minoris ad Septentrionem, *insularum*, quæ sunt in mari Ægæo, & ad Græciam pertinent, ad Occasum; *regum Scheba & Seba* ad Notum & Orientem, fit mentio. Zophonias nos ad antè prophetata remittit. De exemplo loquitur, totum intelligens genus.

II. Repurgationis Ecclesiæ à superbis, & à mendacio. vers. 11. 12. 13. Innuitur, etiam post effusam iram in gentem Judaïcam, non statim desitura scandala, imò *defectionem*; quæ est introductio falsorum dogmatum in Ecclesiam, sub velo verbi Dei vel auctoritatis verbi Dei, quæ præter fundamentum recepta sunt à quibusdam; ab aliis, ignorantibus vel etiam oppugnantibus fundamentum, habita pro fundamento. Quod hic communi nomine *defectio* dicitur. Id enim est Deum non audire, alium Dominum recipere. Scandala illa enumerat. Primum est *Exultatio in fastu*. Quod est omnium, qui mundano fastigio exultant: qualium in genere politico inveniuntur plurimi. Tales facti sunt mœchi Meretricis magnæ, cui dederunt potestatem suam. Remedium hujus mali est, *auferre eos de medio Ecclesiæ.*

> Illustre exemplum est in Belgio, à quo Deus potestatem regum affligentium abstulit. Quid Deus præterea velit efficere, expectandum est.

Secundum scandalum est *Elatio in* Ecclesia tanquam *monte sancto Domini.* Vide Hab. 2:9. Contra hoc promittitur, Fore, ut Ecclesia non exaltetur ampliùs. Medium verò hujus rei, quòd Deus, excisis vel separatis à communione reliquorum altis illis vel se exaltantibus, *relinquet*, non patietur absorberi & proteri, *populum inopem*, non habentem vires ad inferendum malum, vel etiam ad resistendum malo, *& humilem* sive *depressum*, mensuram fratrum non transgredientem. Hisce autem reliquiis tribuit, contra vim hostilem, *Confugere ad nomen Domini*, id est, ad Dominum, quatenus Ecclesiæ nominatus est, sive ad veritatem verbi divini.

> Hæc prophetia habet complementum in Waldensibus, Fratribus Bohemis, & in illis, qui magno numero martyrium subierunt superiori sæculo.

Ad laudum cumulum accedit, *Non facere injustitiam*, ut hostes, qui blasphemando & persequendo veritatem, & benedicendo improbum injustitiam faciunt. *Non loqui mendacium*, ut hostes, docentes ea, quæ Deus in verbo non docuit; *& fraudem*, torquendo verbum Dei & malè interpretando. Igitur hîc significatur

1. Disciplinæ recta administratio.
2. Abdicatio omnis doctrinæ non fundatæ in verbo Dei.

3. Sana interpretatio Scripturæ, saltem quoad fundamentum. Confer hic Hab. 2: 14.

III. Pacificationis Ecclesiæ. vers. 13. p. a. Actus Ecclesiæ Euangelicæ in illa prima pacificatione erit, *habere pastum & recubare*. Quæ de vita quieta, conjuncta cum institutione ad omnem pietatem & honestatem, intelligenda sunt. Hostis interim *coërcebitur*, *ne faciat trepidationem*. Sic oblivioni erit ut meretrix obsoleta. Es. 27: 5.

Id ad LXX annos extendit Esaias.

IV. Auferendi metùs judiciorum. vers. 14. 15. Hic est consolatio sive potiùs valida adhortatio ad gaudium & spem in posterum. Ea opponitur judiciis sive castigationibus Dei antecedentibus; de quibus affirmat, quòd Deus eas abstulerit: & timori hostis, (Antichristus is est) quem congratulatur *evacuatum*, id est, foras extra ditionem Ecclesiæ eliminatum: denique exspectationi calamitatis in posterum, quam negat: additâ ratione: *quia Dominus verus rex Israël fit in medio ejus.*

Hæc igitur consolatio propria est eorum, qui soli Deo regnum in conscientiam ad fidem & religionem attribuunt.

V. Auxilii Ecclesiæ & reconciliationis partium ejus. vers. 16. 17. 18. *Illo die dicetur*, erunt, qui dicant ex verbo: *Noli metuere: Sion, ne remittantur manus tuæ.* Argumentum ducitur rursus à præsentia Dei, ejusque tum potentia, ut *Herois salvantis*, id est, ab experimento auxilii Dei ad salvandum: tum beneplacito & amore. Beneplacito attribuitur alacritas cum lætitia & gaudio & cantu: Amori *silentium*: id, quòd Deus sileat & virtutem suam non ita ostendat, ostendit esse ab amore, quo vult Deus omnes salvari & ad cognitionem veritatis venire.

Vers 18. Indicatur Sanatio alicujus rupturæ & secessionis Hic duæ partes considerantur. Una, ad quam fit aggregatio; altera quæ aggregatur. Hæc ita describitur; *Contristati. q. d. qui se contristant.* Causa contristationis est locus, tempus, modus conveniendi. vel intelligit fore, ut quidam contristati secedant à conventu & congregatione. *Ex te facti sunt*, vel extiterunt. vel notat, quòd ex parte altera, ad quam aggregandi, orti & nati sint, ut redeant ad matrem suam, vel, quòd futuri sint ei pro filiis & filiabus.

Alteram partem sic describit. *Cui onus est probrum.* quo nempe hæc pars ab altera affici videtur. Certè probrum fratrum scandalisatorum Ecclesiæ est grave, quia dolet fratrum offensione. Potest etiam Ecclesia pro *dono* & *munere* habere illam exprobrationem, quia per illam sibi gratulatur dari occasionem scandali & causæ fratrum tristitiæ removendæ de medio.

VI. Coërcitionis opprimentium. vers. 19. p. p. Ostendit Deus, sibi decretum ex illo tempore, quo recolliget contristatos, sine dilatione ulteriori, agere cum opprimentibus Ecclesiam, ut iis convenit, & consummare in ipsis judicia sua.


VII. Salvationis & glorificationis reliquiarum. vers. 19. p. a. & 20. Hæc pericopa respondet omnium prophetiarum colophoni. Ipsis verbis propemodum conspirant Zophonias & Michæas cap. 4: 6. 7. Uterque primo loco ponit *Claudicantem.* Secundo loco *propulsam.* pro quo etiam Michæas substituit *Longiùs* sive *ultra summotam.* Tertio verò loco Zophonias per apostrophen dicit, *Vos*: Michæas, *quam malo affeci.*

Quid si sint Papistæ claudicantes, Mahumetani longiùs semoti, Judæi, quos Deus malo affecit? Cæterùm de illis, quæ nondum evenerunt, parciùs loquendum est.

ANA-

ANALYSIS &c.

HAGGÆI.



Æc prophetia prima est illarum, quæ post captivitatem Babylonicam editæ sunt in terra sancta. Est in hac excitatio ad resumendum ædificationem templi intermissam, cum populi redargutione & luculentis promissis, inprimis de manifestando regno Christi. Partiemur hanc prophetiam secundùm sermones sive visiones.

Primus sermo dictatus fuit die primo mensis sexti. Cap. I. Circa illum spectanda

I. Rubrica. vers. 1. 3. *Anno secundo Darii regis.* Is Nothus dictus est, & tertius est eorum, qui memorantur in Sacris Literis. Is annus secundùm computationem vulgarem erit 138vus post annum primum Cyri, quo 70 anni captivitatis Jechoniæ expleti sunt. Cyri enim Monarchiæ tribuuntur ab historicis anni

cis anni	30
Cambysi	7
Magis	1
Dario Hystaspis	36
Xerxi	21
Artaxerxi	41
Adde Darii Nothi	2
	fient 138

Mense sexto. Is est mensis Elul, respondens nostro Augusto sive Sextili, ex parte. Observanda hic prorogatio præstationis promissorum. Edictum quidem de reædificando templo Deus in certum tempus contulerat, sed sibi reservavit modum promovendæ ædificationis. Quin etiam per Danielem significavit, *in angustia fore tempora quædam*, quorum temporum numerum non descripsit. Istæ autem angustiæ partim erant tentationes Ecclesiæ, partim castigationes peccati. *Die primo mensis factum est verbum Jehovæ in manu Haggai Prophetæ.* Deus per ministerium prophetarum voluit templi ædificationem procedere, ut intelligeretur, esse hoc opus Dei, non hominum. Ideo subjicit vers. 2. *Sic ait Jehovah Deus exercituum.* Deus exercituum dicitur, tum quia est Deus ordinis, tum quia omnia ipsi subjacent & militant ad bonum Ecclesiæ. Nomen Prophetæ notat *festa mea.* Id nomen à piis parentibus filio impositum circa tempus reversionis in terram ex Nah. 2: 1. Celebra, ô Juda, festa tua, חגי.

Ad Zorobabelem filium Schealthielis, nepotem Jechoniæ. Vide 1 Chron. 3: 17. 18. 19. Qui & Sesbazar, nomine à Babyloniis ipsi imposito, appellatur. Esr. 2: 63. Non enim est credibile, uno tempore duos fuisse populi præsides, alteri mandatam exstructionem templi, alteri vasa domûs Dei esse commissa. Tum ex col-

latione c. 3 : 8. 9. 10. & cap. 5 : 16. Esr. patet, eidem homini, quanquam binomini, attribui fundationem templi. *Præsidem Judæ*, ἰσθιάρχης, sub potestate regia. Hujus fuit, ordinem totius reipublicæ constituere, quemadmodum cap. 2. Esræ apparet, eum præfuisse inquirendis genealogiis ad assignandas hæreditates: item quosdam ἀγενεαλογήτους à sacerdotio removisse. Hujus curæ fuerunt demandata vasa templi. Illius jussu & nomine Altare extructum, templum fundatum (Esr. 3 : 8. 10. Zach. 3 : 9.) & consummatum: quemadmodum antea à rege Solomone. Astiterunt autem ei Seniores, οἱ γερουσία. Esr. 5 : 9. Qui à Tathnæo conventi sunt, jussi simul indicare nomina illorum, qui ipsis præessent. Nominatus autem est Schefchbazzar, id est, Sorobabel. vers. 14. Ex quo patet, Sorobabelem præsidem Senatûs fuisse. Pontifex quidem ordinarius præses Senatûs erat, si princeps aut à populo lectus, aut à Deo regibusque imperantibus constitutus non esset. Unde apparet, Sorobabeli ipsum Sacerdotem subfuisse: Sacerdotem verò ut ordinarium præsidem Senatûs quodammodo collegam ipsius fuisse; sed & præfuisse templo, & legis interpretationem ex officio demandatam habuisse. Non ita tamen, ut nemo doceret, nisi Sacerdotes & Levitæ. Nam & Senioribus licebat docere; & aliis quoque, qui necdum erant in Synedrio cum suffragio. Qui νομικοί, & תלמידי חכמים vocantur.

Hic notandum, stirpi Davidicæ non esse restitutum regnum post captivitatem Babylonicam, quod per eam fuerat ablatum: sed *castigationes virgarum humanarum* deinceps processisse ad familiæ ipsius dejectionem à ducatu, paullo ante adventum Christi in carnem. Interim impletum verbum, Non recessurum saltem legislatorem, id est, Senatum cum præsidibus, Sacerdotes, Levitas, Doctores, sedentes in cathedra Mosis, donec veniret Siloh.

Alter, ad quem dirigitur prophetia, est *Jehoschua*, sive *Jesus, filius Jehozadaci*. Primum nomen notat Salutem. quod & Servatori inditum est. Alterum videtur sumtum ex Jer. 23 : 5. 6. & 33 : 15. 16. ubi Christus dicitur, *Dominus justitia nostra*. Et quilibet fidelium sic potest appellari, ut, cujus justitia sit Dominus. Est igitur in eo nomine abnegatio propriæ justitiæ & justitiæ divinitus dandæ confessio. Ad sacerdotem dirigitur prophetia, de Templo & Altari agens, quia non tantum populi rector erat, sed & cura templi & altaris ipsi commissa erat.

II. Dictamen excitans. vers. 2--11. Vers. 2. Emphasis notanda est in verbis, *Tempus non est, ut veniat tempus domûs Jehovæ*. Populus opportunitatem ædificandæ domûs æstimabat ex suo commodo, ex suo metu aut fiducia. Deus enim dixerat, *in angustia fore tempora quædam*. Ea experiebantur, cùm impediretur templi ædificatio, & essent sanna ac opprobrium inimicis. Existimabant igitur, quamdiu illa angustia duraret, non esse tempestivum, ut cogitatio de templi ædificatione, tanquam feliciter processurâ, susciperetur: quasi exspectandum esset tempus mollius, quum nemo se hostium Dei ipsius cultui esset oppositurus. Interim contenti jejunium instituisse dilabebantur quisque domum suam & res suas curabant. Atqui poterant verba Dei apud Danielem sic interpretari; si fideliter adniterentur, etiam in angustia processurum feliciter opus Dei.

Vers. 8. Monet, ut consideratio viarum apud ipsos non sit absque effectu & studio. Finis castigationum Dei est excitatio studii. *Ascendite montem*, Libanum intelligit, & *afferte* ex eo *ligna*, cedros ad domum ædificandam. Promittit autem 1. εὐδοκίαν in domo ædificanda, scilicet ut in symbolo futuræ visitationis, populi in Christo sive σκηνώσεως Dei in carne. Hoc symbolo neglecto ipsa gratia negligi

gligi videbatur. 2. demonstrationem gloriæ suæ. *Glorificabor.* Significatur Manifestatio Dei in carne, Damnatio peccati per verum Pontificem & dignum Deo sacrificium, Effusio Spiritûs Sancti in omnem carnem, Abrogatio hominum à principatu, ut Deus solus sit Rex, Nominis Dei notificatio & verificatio promissionum in Christo, Hæreditas gentium. Alia intelligi non possunt, cùm ipsi Judæi fateantur, quinque res in templo secundo, quibus prius erat glorificatum, desideratas fuisse, & eas hoc in loco per defectum literæ ה in voce אכבר indigitari, scilicet Arcam & Cherubinos, Σχίναιν, Spiritum Sanctum sive Prophetiam, Ignem ἐξ οὐρανοῦ, Urim & Thummim.

III. Obedientia timoris. ℣. 12.

IV. Dictamen confirmans. ℣. 13. *In ligatione.* Haggæus primus est is, qui denunciet, tempora illa angustiæ, per Danielem prædicta, jam esse finita, quoad vastitatem templi: prosperiora jam exspectanda esse, & templum perfectum iri. Id aliquid singulare erat. *Ego sum vobiscum*, id est, Ego Spiritu & potentiâ meâ adjuvabo vos & omnia impedimenta averruncabo.

V. Obedientia operis. ℣. 14. 15.

Secundus Sermo dictatus die vicesimo primo mensis septimi. Cap. II. vers. 1. usque ad vers. 10. Is mensis est Tisri, paucis diebus post inceptum opus, vicesimo octavo propemodum die, si mensi dies triginta attribuamus. Fuit autem is dies ultimus festi σκηνοπηγίας; quem *magnum* vocat Johannes, cap. 7: 37.

Vers. 3. *Quis in vobis* &c. Hinc quidam definiunt, sub Dario Hystaspe hæc esse gesta. Et credibile est, multos in populo potuisse memores esse templi prioris sub Hystaspe. ut Esr. 3: 12. At sensus verborum Haggæi liquidus hic satis est, si censeatur commemorare lachrymas seniorum olim effusas, & consolari adversus speciem externam vilitatis templi; de qua acceperant minores à majoribus. q. d. Olim, cùm fundaretur templum, flebant multi seniores, inspicientes ejus exiguitatem. Fluxerunt interim tot anni. Si igitur jam est aliquis inter vos ejus ætatis, ut possit adhuc meminisse prioris ædificii; nonne vobis templum hoc pro nihilo videtur? Certè si viverent, qui viderint illud, hoc pro nihilo ducerent.

Vers. 4. Est πρoτροπή sive Adhortatio ad Sorobabelem & Jesum & totum populum, ut fortes essent in Domino ad persistendum in opere inchoato. Videbatur hæc domus non esse digna nomine Dei, ut habitaculum omnipotentis Dei ad gloriam populi diceretur. Igitur proponit argumentum primum huic adhortationi firmandæ, à præsentia sua. *Nam ego vobiscum sum, ait Jehovah.* Eam illustrat vers. 5. confirmat. vers. 6—9.

Vers. 5. Illustrat per revelationem sive commemorationem mysterii Trinitatis. Dicit enim Deus, se præsentem esse *cum Verbo & Spiritu suo.* Ex quo intelligitur, esse hæc verba Dei Patris. Hic locus Testimonium de Trinitate magnum nobis præbet. Spiritum Domini esse personam à Patre & Filio distinctam, satis probat unus locus, Es. 48: 16. *Verbum* autem personaliter capi posse, ostendit usus Novi Testamenti, & astipulatur locus 2 Sam. 7: 20. coll. cum 1 Chron. 17: 19. In uno est, *propter verbum tuum*: in altero, *propter servum tuum.* Vis autem hujus vocabuli est, quòd significet eam personam, de qua in volumine libri scriptum est, ideoque objectum & argumentum omnis verbi Dei; sine qua ut Sapientiâ suâ nihil locutus est Deus, sed per quam & sæcula condidit; quâque interloquente fœdus cum Israële pepigit; & quæ nobis voluntatem Patris denunciat, & per Spiritum suum nos obsignat, ut in ipso habeamus παῤῥησίαν apud ipsum, ipso

quasi

quasi loquente in nobis. Hoc idem est, quod παράκλητος, μεσίτης, ἔγγυος, & ὁ μάρτυς ὁ πιστός. Inde & מלאך Mal. 3: 3. Es. 63: 9. & multis aliis in locis. Ut verò esse intelligatur *Angelus fœderis*, id est, sponsor, interpres, & applicator Testamenti, ideo dicit, *Quod* vel *de quo promisi vobis, quum exiretis ex Ægypto.* Promissio ea est Exod. 23: 20. 21. *Mitto Angelum ante te* &c. *Nam nomen meum est in medio illius.* Ea autem promissio deducitur ex antiquissima promissione de dando Filio redemtore. Est ergo confirmatio asseveratæ præsentiæ,

1. in commemoratione fœderis. quod fecit Deus cum Israëlitis, cùm exirent ex Ægypto. Nam, quotiescunque se affirmavit *Deum ipsorum*, toties affirmatum est, Filium Dei esse redemtorem ipsorum. Semper ergo Deus de Filio suo locutus est, & extra eum nullum verbum factum est.

2. in effectis Spiritûs Sancti. *Spiritus meus stat in medio vestri.* qui scilicet secundùm verbum Dei in ipsis operabatur obedientiam, & Prophetas excitabat, minimè fallaces, & porro conservaturus erat legislatores & doctores sedentes in cathedra Mosis, donec secundùm promissionem in filios vestros effundatur.

Vers. 6---9 Confirmatio & amplificatio superioris promissionis hìc est. Nempe præsentia Dei apud ipsos cum Verbo, ut non sit recessurus ab ipsis, nec illud symbolum Habitationis Templum ablaturus, & Permansio Spiritûs Dei in medio ipsorum confirmatur à temporis istius ratione, quòd instaret Hæreditas gentium & Pax. Quod applicatur ad consolationem contra apparentem vilitatem, per comparationem gloriæ hujus templi cum gloria prioris. Observanda hìc

1. Operatio Dei in cœlo & in terra, ejusque propinquitas. vers. 6. *Commovebo cœlum & terram, mare & aridam.* Intelligitur *primò* Abolitio regni hominum in Ecclesia, ut Regnum solius Dei erigatur. Hæc Veteris Cœli & Terræ abolitio, & Novi Cœli ac Terræ paratio est. *Secundò*, Hujus regni profectus in pessundatione Hostium se Ecclesiæ opponentium. *Tertiò*, Hujus regni consummatio, intercedente descensu Christi in nubes, resurrectione mortuorum, quum animæ sanctorum redibunt in sua corpora, ut in perpetuum sint cum Christo in cœlo; & πυρώσει omnium inferiorum.

Hæc omnia hìc intelliguntur. *Commotio* una est, illis partibus constans.

Vicem alteram dicit hujus Commotionis. *Adhuc semel.* Non, quasi antea talis facta fuisset commotio. Stillaverat cœlum tantùm coram Deo. Explicat Paulus Heb. 12: 26. *Cujus vox terram commovit tunc: nunc autem promisit, dicens: Adhuc semel ego concutio non tantùm terram, sed & cœlum.*

Propinquitatem notat quasi in parenthesi: *Parum hoc est.* Tempus parvum est. Daniel cap. 9. ædificationi murorum & urbis usque ad Christi passionem assignat annos 434, sive septimanas 62. Tot, plus minus, anni numerantur ab Artaxerxe Mnemone, cujus anno septimo adscendit Esra. cap. 7: 7. vigesimo Nehemias. cap. 2: 1. Id tempus parvum est in comparatione *temporum secularium*, quibus spes filiorum Dei protracta est. Et commotio illa desinens in novitatem cœli & terræ incepit in eversione regnorum tendente ad complanationem totius habitabilis, id est, ad redactionem ejus sub unum Imperium Romanum. De qua Hagg. 2: 22. Ad id autem inceptandum parum temporis restabat.

Sub Artaxerxe Longimano, anno ipsius 24, post finem belli Xerxis 37. cùm Eubœam Athenienses duce Pericle sibi subjecissent, pax inter Athenienses & Lacedæmonios & utrorumque socios facta est in 30 annos. Thucyd. lib. 1. p. 75. edit. Steph. Ea inviolata mansit 6 annos. Se-

Sequentibus annis turbatum eſt nonnihil & cauſæ novi belli ſeminatæ; donec anno 37. Artax. 50. poſt bellum Xerxis Lacedæmone bellum in Athenienſes decerneretur, quod bellum Peloponneſiacum dici ſolet; & 26. annos duravit, continuatum uſque ad demolitionem murorum & concremationem triremium Athenienſium. Anno hujus belli ſeptimo Artaxerxes mortuus eſt. Anno Darii ſecundo, nono belli, induciæ fuerunt inter partes unius anni, in ſpem pacis. Hoc tempus videtur obiter deſignare Zach. cap. 1: 11. *Ecce tota terra quieſcit.* Sed Spiritus Sanctus per Prophetas Haggæum & Zachariam oſtendit, Tumultus fore inde inter gentes. Sic factum. Græcia enervata eſt bello Peloponneſiaco. Cyrus II. poſt bellum fecit Artaxerxi Mnemoni. Ageſilaus agitavit expeditionem in Aſiam. Operâ Antalcidæ Artaxerxis opibus pax in Græcia facta eſt. Hinc Thebani motus & in Thebanos Laconum injuriæ in Leuctricam cladem Lacedæmoniorum exeuntes. Paulò poſt Græci Philippo Macedonum regi dicto audientes eſſe cœpêre, ut eò facilior eſſet Alexandri Magni in Aſiam trajectus. Ita throni deinde ſummâ vi concuti & everti cœperunt, donec Romani prodirent in theatrum. Primus thronus everſus eſt Perſarum, anno ab hac prophetia 92. Quod ſanè parvum tempus eſt. Sed ipſi motus huc tendentes proximi anni ſunt, nunquam compoſiti. Græcia enim tanquam mare aliquod continuò exagitata eſt, donec in Aſiam exæſtuaret, & eam inundaret.

2. Operatio Dei in gentibus, cum effectu gloriæ domûs Dei in genere. *Et commovebo omnes gentes.* verſ. 7. Hæc commotio alius generis eſt, quàm ea, de qua verſ. 6. dixerat. Hoc ex effectis patet, inter quæ eſt *venire illas ad deſiderium omnium gentium,* Chriſtum, quem ament omnes gentes. Sive venire *deſiderium gentium,* id eſt, *deſideratos,* electos, amatos *ex omnibus gentibus,* Hieroſolymam, ad Iſraëlitas & ad montem ſanctum, quod fit in fide ad communionem ejuſdem corporis cum Patriarchis & ſanctis Veteris Teſtamenti. Vide Mich. cap. 4.

In effectu hoc ineſt alterum & tertium. Nimirum 1. *Et implebo domum hanc gloriâ.* Quippe gentes inde accipient ſermonem ſapientiæ & prudentiæ. Deut. 4: 6. Ita domus Dei fiet domus orationis omnibus gentibus. Eſ. 56: 7. & offerent oblationem mundam, in omnibus gentibus ab ortu in occaſum. Mal. 1: 11. & adorabunt quiſque Dominum ex ſuo loco. Zoph. 2: 11. Accipimus autem hoc colon, ſuâ naturâ latiùs patens, ſtrictiùs de Copia gentium. Et non pedibus, ſed mente adeunt templum Dei, credendo iis verbis, quæ inde prodierunt, & in communione Chriſti & ſanctorum, qui ibi ambularunt in carne.

Verſ. 8. Dicit Deus, ſe non indigere auro vel argento, quo templum Solomonis erat obtectum, ſe eſſe eorum Dominum, & poſſe ea, ſi velit, unum in locum congerere, & velle pro tali inter gentes cognoſci, & talem Urbem ac Templum tale exſtructurum, in quod gentes omnes ſuas divitias inferant. Id factum, quando omnes gentes Chriſtianiſmum amplexæ opes ſuas Eccleſiæ inſervire fecerunt.

Verſ. 9. Aliud quoddam bonum indicatur & promittitur, quod ex re ipſa intelligitur occaſio & cauſa futura acceſſus gentium ad Hieroſolymam. Primum eſt. *Major erit gloria domûs hujus poſterioris ſupra priorem.* Hæc gloria templi in eo conſiſtebat, quòd Deus ipſe manifeſtatus in carne ad illud venturus eſſet, Joh. 1: 14.

cum Spiritûs Sancti effusione, Joël. 3 : 1. & datione filiationis, Hos. 2 : 1. Quibus rebus mons domûs Domini supra omnes montes elevandus esset, quod ibi dicitur futurum *in fine dierum*, scilicet politiæ & visionis.

Cùm jam politia & umbræ ac figuræ prophetantes de rebus futuris cessent, oportet ergo finem dierum jam pridem præteriisse.

Secundum est PAX. nimirum, 1. in amoliendo reatu & ira. 2. in amovenda inimicitia populorum & separatione eorum à populo Dei, ut detur Christo hæreditas gentium, ut ei obediant, tanquam principi Pacis, & serviant Domino humero uno, Zoph. 3 : 9. sublato intergerino pariete dogmatum. *In loco hoc.* Stante hàc facie terræ, urbis & templi, quæ nunc est. Locus enim nihil facit ad rem sine Judæorum politia & statu religionis.

Vel falsum est, quod Judæi huc afferunt ad adstruendam majorem gloriam templi secundi, quàm prioris; ut cùm dicunt, prius tantùm annos 410, secundum annos 420. stetisse; Nizzachon, Manasse ben-Israël. p. 152. de termino vitæ. atque ita decem annis diutiùs cultum Dei exercitum fuisse; cùm ex Chronologia compertum sit, templum Solomonis stetisse à schismate annis 390. Adde Solomonis 30, post consummatam structuram, erunt 420. Vel minutum est, ut honor & veneratio gentium; cùm non possit supplere defectum tot rerum nobilissimarum, inprimis σκηνώσεως, quæ fuit in templo Solomonis, & alius generis σκήνωσις esset promissa; & denique omnis illa amplificatio populi supra patres tantùm antecedens signum circumcisionis cordium esse posset, quæ fit per veræ gloriæ dationem. Deut. 30 : 5. 6.

Tertius sermo dictatus die vicesimo quarto mensis noni, qui כסלו dictus erat, & nostro Novembri ex parte respondet, & ad populum directus. cap. 2 : 10—19.

Scopus hujus sermonis est, Erigere populum in spem benedictionis in testificationem gratæ acceptationis ædificatæ sibi domûs, & præsentiæ suæ, quam addixerat ipsis in præsens; ut & in confirmationem promissionis ibi propositæ de amplificanda Gloria hujusce domûs & danda pace ac regno novo. Simul ut revocet ipsos ad prophetiam Mosis, qui illam benedictionem in temporalibus ponit inter signa antecedentia circumcisionem cordis. Deut. 30 : 5.

Ad eam verò rem jubet animadverti superiora tempora, & cum secuturis comparari. Id vide vers. 18. 19. Superiorum verò temporum plagas commemorat & earum causam ostendit, nimirum, quòd populus fuerit impurus, cum suis sacrificiis; & quòd ipsorum sacrificia ipsorum mortuis operibus fuerint contaminata.

Vers. 11. Principium judicandi de controversiis indicatur, Lex: cùmque hic de puro vel impuro instituatur quæstio, intelligitur Lex ceremonialis; & qui consulendi, Sacerdotes, quibus Deus judicium de puris vel impuris commendaverat præcipuè.

Vers. 12. & 13. Repetitur Lex, Sacerdotibus eam pandentibus. Caro sacra non sanctificat ea, quæ attingit, ex cibis profanis fiant cibi Deo dedicati; multò minùs ut fiant puri ex impuris. Contrà homo pollutus pollutione legali, v. g. attactu cadaveris, impurat, quodcunque tangit. Ea impuritas legalis tantùm est, & symbolum est impuritatis operum, quæ dicuntur mortua, tum propriorum, quæ facimus, quamdiu mortales sumus; quæ mortalitas arguitur, quotiescunque aliquid nostrum, quod est veluti caro nostra, moritur: tum alienorum, cum quibus communicamus. Regula: Impuris omnia sunt impura; & tantùm abest, ut per sacrificia purificentur, ut contrà & ipsa per eos contaminentur.

Vers.

Verſ. 14. Judæi appellantur *Populus* à politia; *Gens*, quia necdum appetiverat tempus, quo pro abdicatione ſua acciperent nomen melius, Filiorum. Hoſ. 2:1. Confer Zoph. 2: 9.

Sermo quartus dictatus eodem die, directus ad Sorobabelem. verſ. 20—23. In hac pericopa prophetiam, quæ eſt ſuprà verſ. 6. de commotione cœli & terræ, illuſtrat, & ſpeciales quaſdam commemorationes, ſub ea generalitate comprehenſas, ſubnectit, idque ut erectionem ejus, quod inconcuſſum eſt, cui reliqua, quæ concutiuntur, cedere debeant, doceat.

Verſ. 21. Senſum hunc clariſſimum habet. Dixi antea, *me commoturum cœlum & terram.* Id duplicem ſenſum habet. 1. proprium, de abolitione aſpectabilis formæ hujus mundi, in qua homines nunc agunt, vanitati ſervientes, miſeri, mortales, & creaturæ propter ipſos vanitati ſerviunt. 2. improprium, de concuſſione & abolitione regnorum humanorum & formæ externæ in Eccleſia; quatenus in ea eſt aliquis thronus, qui, cùm non ſit cœlum ipſum, tamen cœleſtem auctoritatem exercet.

Verſ. 22. Poſteriorem ſenſum refert. Occurrunt hic quatuor cola, quæ diſtinctè imperia mundi repræſentant, quæ imperio Chriſti ceſſura ſint.

Sub titulo, *Throni regnorum*, Imperium, quod tunc erat, Perſicum, meritò intelligitur. Erat enim rex Perſarum rex regum, qui ſub imperio ſuo habebat centum viginti ſeptem provincias. quem etiam Græci eo tempore comiter reverebantur: apud quos belli paciſque libratorem agebat.

Vis regnorum gentium eſt imperium Græcorum in plura regna diviſum, è quibus quatuor deſignat Scriptura, Dan. 8. & duo deſcribit Daniel, cap. 11. nimirum Seleucidarum & Lagidarum; magnâ violentiâ omnia adminiſtrans.

Quadrigæ & Vectores Romanos optimè ſignificant; per quos profligata eſt vis regnorum gentium. Eſt enim ſyſtema unius imperii gubernati à multis, videlicet Senatu Romano, aurigis Conſulibus, vel etiam Principe; triumphalis currûs inſtar tracti & provecti multis legionibus & populis tanquam equis in Aſia, Africa, Græcia, Europa, Italia, annexiſque partibus.

Sequuntur *equi & ſeſſores cadentes gladiis fraternis.* Hic intelliguntur regna illa, quæ ex diviſione Imperii Romani, quaſi à curru illo triumphali abjuncti equi, extiterunt. quæ decem commemorantur, certo tempore cum Beſtia habitura poteſtatem, ab Apocalypſi. quorum exitus eſt, ſe mutuò atterere & humiliare.

Commovendis opponit ℣. 23. conſervationem & conſtabilitionem ejus, quod manet. Vide

1. Objectum operationis Dei. *Sorobabel filius Salathiel*, id eſt, Chriſtus, filius Sorobabelis, qui verè *Servus Domini*, & verè dixit Domino, Dominus meus es tu; & cujus typus Sorobabel in reductione ex captivitate, & ædificatione templi.

2. Operationem Dei. *Accipiam te*, id eſt, Aſſumam te in cœlum ad me, *& ponam te ut ſigillum*, id eſt, *Inſigniam*, vel oſtendam, te eſſe inſignitum charactere divinitatis, & tandem, quum abolebo cœlum & terram, glorificabor in te & Eccleſia, quemadmodum quis annulo aureo includente ſigillum, quod habeat alicujus imaginem, decoratur.

3. Tempus. *Illo die.* Interim, dum evertam thronos, illud incipiam, & tandem in conſummatione ſæculi abſolvam.

4. Rationem operationis; per divinam electionem & beneplacitum.

5. Signaculum; Verbum Dei, quod cùm Patres ſemel crediderunt, Deus revocare non poteſt.

ANALYSIS &c.
ZACHARIÆ.



Zacharias filius Berechjah non est confundendus cum eo, de quo Servator Matth. 23 : 25. prophetavit, de quo Jos. Bell. Jud. 5 : 1. qui in medio templo interfectus est: neque is est Zacharjah filius Jojada, 2 Chron. 24 : 20. 21. 22.

Darius, sub quo prophetavit, est successor Artaxerxis Longimani, qui filius Xerxis, qui Estheram uxorem habuit, nepos Darii primi, qui Hystaspis filius fuit, & post Cambysen Cyri filium Monarcha Persarum constitutus est. Sub hoc Dario & Haggæus prophetavit eodem hoc anno, mense sexto & septimo. Noster autem mense octavo, & mense undecimo, cap. 1 : 7. & anno quarto Darii, mense nono. cap. 7. Vicesimo quarto die mensis sexti cœperunt moliri ædificationem templi intermissam post edictum Artaxerxis Longimani, de quo Esr. 4. Factum id cohortantibus Zacharia cum Haggæo. Esr. 5 : 1. In eo spectatur efficacia verbi divini per Spiritum Sanctum. Hagg. 1 : 14. Templi ædificatio opus Dei fuit.

Generalis scopus prophetiæ est reducere populum ad pœnitentiam; roborare eum adversus tentationes & afflictiones impendentes, confirmare in fide & exspectatione mediatoris, & populum ad eum excipiendum præparare, nos autem maximis argumentis instruere, quibus ipsum agnoscamus, ut veritatem fidei de justitia, quæ est in ipso, conservemus, patientes simus in certaminibus Ecclesiæ, & mundum furentem contra Christum fide vincamus.

Partes libri hujus sunt Sermones quinque claris initiis distincti.

Primus Sermo est παρακλητικὸς, à vers. 1. Cap. I. usque ad vers. 7.

Auctor prophetiæ Deus, Zacharias minister fuit; qui *Propheta* appellatur, non quòd aliquid novi diceret, quod à Mose non esset prædictum, sed quòd θεοπνεύστως revelaret arcana distributionis temporum sequentium, quæ in ænigmatibus erant posita, & sic pro virili mysterium Dei illustraret & confirmaret

Vers. 2. & 3. est κεφάλαιον verbi Dei ad Prophetam. Ea est declaratio Dei de officio Israëlitarum & de suo proposito. Propositum Dei est *reverti ad ipsos*, id est, quamvis nec arcam, nec Cherubinos, nec nubem esset ipsis restituturus, (Jer. 3 : 16.) tamen potentiam & benevolentiam suam multis modis in ipsis explicare, denique etiam ipsos visitare & inter eos habitare gloriosiori modo, quàm unquam antea habitasset in toto mundo, & plura opera divina demonstrare, quàm unquam antea ostendisset. Id illustrat à fervore in patres. *Efferbuerat Jehovah.* Id ad voluntatem tranquillissimam & sedatissimam peccatum puniendi, vel per castigationes exstirpandi pertinet. *in patres vestros.* Intelligit non tantùm majores istius ætatis, in qua Zacharias hæc loquitur; sed nominatim etiam eos, sub quorum regimine populus istius ætatis erat, quos Zacharias jubetur compellare, ℣. 3. *Sic dices ad illos.* Hi enim *patres* nuncupari solent. Quum

Quum Zacharias iſta loqueretur, ferula fuerat Rex Perſiæ. Artaſaſta enim ſtiterat templi ſtructuram. Et quod ad majores eorum attinet, ab eis Deus abiverat, & eos ex ſua terra in terram impuram expulerat.

In verbis Prophetæ verſ. 3. ter habetur, *Dixit Jehovah Deus exercituum.* Id ſemel eſt Prophetæ proponentis verbum Dei: bis Dei, id eſt, Spiritûs & Filii in nomine Dei Patris loquentis.

Verſ. 4. Proponit *patribus*, id eſt, præſtitibus populi ætatis illius, exemplum *patrum ipſorum*, id eſt, illorum, quibus illi olim ſubjecti fuerant, cum dehortatione, ne eos imitarentur. *Viæ malæ* hic ſignificant conſilia hominis irregeniti de ratione & via impetrandi gratiam & favorem Dei. מעללים ſunt *ἐπιτηδεύματα*, opera, occupationes, mores, ſtudia conſiliis malis reſpondentia.

Verſ. 5. Diſſuadet obedientiam, ducto argumento à patrum interitu. *Patres veſtri*, ô patres, *ubinam ſunt?* Nonne videtis, quomodo cum eis actum ſit? Nonne illos Babylon ſepelivit? Nonne poteſtas regalis occidit & ſceptrum ablatum eſt à Juda? Nonne etiam illi, qui redierunt in terram, priùs mortui ſunt, quàm bonum Iſraëlis & templi atque urbis ſtructuram viderent?

In colo ſecundo eſt præoccupatio. *Et*, dicetis, *prophetæ an in ſæculum vivunt?* q.d. Nonne omnes ſimiliter moriuntur? In reſponſione ſchemate præteritionis utitur, quam innuit voce אך, *certè quidem*. q.d. Omitto hoc: Concedo, pariter mori malos & bonos. Atqui hoc certè negari non poteſt, *quòd verba & ſtatuta Dei, quæ præcepit ſervis ſuis Prophetis, ſint aſſecuta patres veſtros*, id eſt, quòd lex in iis ſit operata exſecrationem, eo quòd *verbum* fidei & *ſtatuta*, quibus nihil addere vel detrahere licebat, quibus viam juſtitiæ ſolidè docuerat, non recepiſſent; & quidem cum eo eventu, ut cogerentur confiteri & juſtificare Deum. *Et converſi ſunt & dixerunt.* &c. Coacti ſunt agnoſcere veritatem verbi comminatorii, & juſtitiam judicii.

Secundus Sermo habitus; ante paucos menſes redintegrato opere ædificationis templi. Nam menſe ſexto die, vigeſimo quarto, orſi ſunt moliri ſtructuram. Menſe ſeptimo, die vigeſimo primo, concionatus eſt Haggæus de templi magnificatione. Menſe octavo Zacharias de *μετανοίᾳ*. Menſe nono, die vigeſimo quarto, Haggæus de impuritate omnia polluente: & viſionem vidit de thronorum everſione & Zorobabelis poſitione in ſigillum. Menſe undecimo, quem & שבט nominat, (Januario ex parte reſpondet) die vigeſimo quarto, Zacharias per viſionem accepit prophetiam hanc ſecundam. Sermo hic conſtat expoſitione viſorum in ſpiritu emblematum ſive ſignorum, & narratione verborum, quibus partim ipſe, partim angeli emblemata proſecuti fuere. Sermo hic ſecundùm emblemata diſtingui poteſt, Quæ ſunt Sex.

I. Angelus equitans inter myrtos, ponè quem ſunt exercitus equorum. Cap. I. In hac pericopa nota

1. Viſa de nocte. quæ ſunt Equus unus & multi, verſ. 8. Vidit 1. virum in equo rufo, ſtantem. Is verſ. 11. dicitur Angelus Jehovæ. Intelligimus, notari eum, qui מלאך הפנים dicitur Eſ. 63: 9. 2. inter quaſdam myrtos in quodam loco profundo. Myrtus eſt inter arbores odoratas, ſemper virentes, utiles. Non diligit montes, neque frigidos locos: in hortis, viridariis, campis, ripis lacuum, & maritimis Italiæ feliciter creſcit. Matthiol. ad Dioſcor. Myrti ſunt electi Iſraëlis. 3. poſt illum equos rufos, puniceos ſive ſpadices, albos.

(a.) Quoad Emblema equorum, ab Angelo loquente ad prophetam. ℣. 9. id est, à Spiritu Sancto, quem vocat *Dominum suum*; qui dixit, *se ei demonstraturum, quid sint hi?* id est, se ei talia monstraturum, ex quibus facilè intelligat, quid illi sint, sive quam rem illi significent. Deinde & ab Angelo consistente inter myrtos. vers. 10. qui Prophetæ aperit, quid sint Equi illi. Cujus verba indicant, notari, per equites, illos, *qui missi sunt à Deo ad perambulandum terram.* Notatur eâ phrasi traditio dominii in terram. *Terra* intelligitur Judæa inclusa reliquo mundo sive partibus mundi circumjacentibus. Denique & ab equitibus Angelo respondentibus. vers. 11. Ea habent 1. concessionem de præterito. *Perambulavimus terram.* 2. stomachationem & querimoniam de præsenti. *Sed ecce tota terra sedet & quiescit.* Non finis nos grassari.

Explicatio emblematis. Filius Dei, princeps ille magnus, Michaël, Archangelus, id est, non tantùm primus Angelus, sed omnium Angelorum Dominus & creator, stans ac intercedens pro filiis populi Israël, eosque vivificans, sanctificans, justificans & conservans. Is, inquam, tum temporis equum gentium quendam rufum & multo cruore maculatum, regem Persiæ Darium Nothum insedit ac coëgit stare quietum, itáque frenavit, ut conatibus populi ædificantis templum minimè obsisteret. Post illum sunt *Equi rubri*, *spadices*, *albi*, id est, illius nutibus alligati sunt mali angeli, quibus traditus est mundus à Deo, unà cum terra sancta, ut gentes varias excitent, per quas eam terram conculcent, quarum gentium aliæ sunt crudeles & sanguinariæ; aliæ puniceæ, medii generis; aliæ etiam pacificæ populo & æquæ. ut Alexandri Macedonis imperium.

(b.) Quoad bona populi, quæ sunt

(α.) Angeli intercessio pro Hierosolyma & oppidis Judæ, opposita murmurationi Angelorum malorum. vers. 12. Ex vers. 13. intelligitur, Spiritûs Sancti, loquentis in Propheta, eam esse intercessionem. Rursus relatè ad murmurationem equorum grassatorum, vers. 11. intelligitur esse & Angeli consistentis in myrteto, id est, Filii Dei. Uterque scilicet intercedit, quia uterque noster est; hic datus in Caput & Redemtorem, ille datus in Arrhabonem, qui intercedit in nobis & per nostras non tantùm orationes, sed & suspiria ineloquacia, tanquam testimonia & voces claras testantes ipsius φρόνημα. In verbis intercessionis notanda I. Petitio, Miserandi Hierosolymam & urbes Judæ; scilicet ut ædificentur, ut populus in eis tutò habitare, politiam agere & religionem exercere, & reliquiæ populi eò confluere possent. II. Motivum petitionis 1. opportunitas miserationis. Formula humana est. *Quousque non?* q. d. Jam tempus est: aut quando fiet? Consilium Dei Patris & Filii significatur, quo miseratio Hierosolymæ in opportunissimum tempus dilata fit. Sub Artaxerxe bella fuerunt atrocia. Sub iis templi ac urbis ædificatio non poterat promoveri. Igitur intercessione Angeli pax gentium ad reædificationem eorum paratur. 2. motivum est diuturnitas dilationis & iræ. *Cum quibus rigidè egistis his septuaginta annis.* Proximi anni sunt intelligendi, scilicet usque ad annum secundum Darii. Ante eum Artaxerxes regnavit annis 40. Xerxes 21. Darius Hystaspis 36. Sub quo etiam interturbata fuit templi ædificatio. Esr. 4: 5. 6. Ea tempora angustiæ sunt, de quibus Daniel cap. 9: 25. Anni captivitatis 70 jamdudum præterierant. Dan. 9: 1. 2.

(β.) Divina responsio benigna *primò* generaliter alloquio Dei gratioso ad Angelum

Angelum Collocutorem. Nempe Spiritus Sanctus intercedens pro sanctis accipit à Deo verba bona, quæ sanctis notificet. *Secundò* specialiter, mandato per Angelum Zachariæ dato deprædicatione gemina.

Prima est de præsenti affectu Dei circa Sionem & Hierosolymam. Is per קנאה *zelum* exprimitur. Est ille tum in bonum Hierosolymæ hactenus afflictæ, tum in pœnam hostium affligentium. Quæ distinctè exsequitur. nimirum Zelus est in fervore, adversum gentes, magno.

Ejus Causa est vers. 15. Quòd quum efferbuisset Deus parum in populum suum, dum per gentes grassantes in terra, ceu flabella & virgas, filii Dei corriperentur, illæ gentes ad *malum* omne studium suum contulissent, id est, ad probrum Dei & sanctorum, & ad excidium Ecclesiæ & ad faciendum voluntatem Diaboli.

Vers. 16. Ad zelum Dei præterea refertur misericors voluntas concedendi ædificationem urbis & templi, ut, qui judiciis populi Dei non fuerant moti, moveantur beneficiis, & ita fiat Hierosolyma pelvis vertiginis, Zach. 12 : 2.

Secunda prædicatio est de futuris bonis, vers. 17. nempe abundantiâ omnium rerum bonarum: iteratâ consolatione Sionis & electione Hierosolymorum continuanda. In primo significatur multiplicatio populi & benedictio in temporalibus bonis. Adde Deut. 30 : 5. In secundo consolatio Sionis à malis denuò inferendis, nimirum profanatione templi per Antiochum faciendâ & afflictionibus ejus temporis.

> Hæc consolatio facta est in excussione jugi gentium & occupatione totius terræ & vicinarum regionum, quod factum est sub Johanne Hyrcano. Supererat tamen consolatio verior & melior exspectanda & tum imminens.

Per tertiam consolationem, *electionem Hierosolymæ*, intelligimus ejus electionem sive selectionem ad habitandum, nempe ut visitet illam in Christo, per quem jugum à cervicibus populi auferatur, justitia verò & salus & libertas afferatur, & regnum in gentibus erigatur.

II. Quatuor cornua, & quatuor fabri, subsequente Angelo cum funiculo mensorio. Cap. II. Habet hæc pars duo membra.

Primum membrum, Emblema cornuum & fabrorum. ℣. 1---5. respondet coërcitioni hostium dissipantium Israëlem; quod est à *fervore*, de quo cap. 1 : 15. Hujus membri notanda sunt

1. Visa duo. vers. 1. & 3. 1. *Quatuor cornua.* Ea sunt secundùm stilum Scripturæ quatuor δυνάμεις & ἐξουσίαι, δυναστεῖαι, potestates, familiæ, Reges sive Monarchæ. 2. *Quatuor fabri.*

2. Audita duo. 1. de cornubus. vers. 2. quorum effectus describitur, *dispersio*, id est, tum causatio disjunctionis partim per oppugnationes & deportationes, partim per terrores occasionem dantes discessui in παροικίας inter gentes, ut Ægyptios, Græcos &c. tum impeditio congregationis & Judæ & reliquarum tribuum, quo minùs coire possent in terra, in unum populum: & Hierosolymæ, quo minùs habitaretur, & metropolis politiæ esset. Ille effectus expressiùs indicatur vers. 4. *Adeo ut non sustulerit quisquam caput.* Efferre caput non sunt ausi Judæi, ut scilicet cum alacritate & fiducia templi ædificationem continuarent: vel etiam ad altare Dei accederent: vel etiam ad fratres suos in patriam ex Babylonia reverterentur. Indicatur denique disertiùs significatio cornuum vers. 4. dum ea attribuit *gentibus elevantibus cornu contra terram Jehudæ ad illam dispergendam*,

dam, utpote cùm imperent illis gentibus, quæ Israëlem impetunt. 2. De Fabris: quorum itidem effectus indicatur vers. 4. *Et venerunt hi* (a.) *ad tremefaciendum illa*, (b.) *ad dejiciendum cornua*. Duplex effectus, *tremefacere*, & mox *destruere*. *Tremefacere*, ne scilicet audeant obsistere Israëli. *Destruere*, ne possint se elevare.

Cornua sunt. 1. Salmanassar. 2. Nebucadnezar. 3. Xerxes, & quidem duplici nomine, primò, quia ille obstitit ædificationi templi; secundò, quia ille jussit gentem exscindi, Hamanis instinctu. 4. Artasasta, sive Artaxerxes primus, qui est Longimanus.

Fabri. 1. Nebucadnezar, qui Assyrios, 2. Cyrus, qui Babylonios contudit. 3. Græci sub Themistocle, qui Xerxem expavefecerunt. Esther Hamano præparata fuit. 4. Græci sub Cimone. Sed & illi per Macedonem erant Persicam potentiam destructuri.

Secundum membrum, Emblema Angeli cum funiculo. à vers. 5. ad finem. Id spectat amplificationem populi, quod est à רחמים *misericordia*. cap. 1; 16. 17. Et hic sunt

Visa duo, & *Audita* illis respondentia.

Vers. 5. 6. *Visum* primum est Vir cum funiculo mensorio in manu. Qui ad interrogationem Prophetæ respondet, se ire ad metiendum Hierosolymam. Sensus est: Deo curæ esse, ut definitus numerus populi sui, & mensura civitatis suæ, cœlestis Hierosolymæ, Ecclesiæ electorum, primogenitorum in cœlo descriptorum, ut dignum est Deo inhabitante, compleatur.

Visum secundum est Angelus Collocutor (Spiritus Sanctus) exiens, & Angelus alius (Filius Dei) jam præparans omnia ad πληρωσιν, & sic velut exiens ex habiculo sancto suo, in occursum Angeli collocutoris, eique dictans revelanda Prophetæ (qui hic appellatur *puer*, instar omnium prophetarum, qui, antequam à Deo doceantur, sunt νήπιοι) in nomine suo tanquam auctoris, & *Jehovæ:* ita tamen, ut significet se à Domino missum. vers. 12. 13. 15. Unde cognoscitur, esse Filium Dei, qui hic Angelum collocutorem ad Prophetam ablegat: & in verbis sequentibus esse prosopopœïæ formulam continentem partim verba collocutoris, quibus nomen Dei exprimitur, cujus is sermo principaliter est; partim verba Dei de semetipso loquentis.

Ipsum κήρυγμα mandatum est tum simplex & narrativum. (α.) de multiplicatione hominum & pecudum in urbe Hierosolymitana, tanta, ut intra urbem habitare non possint, sed necesse habeant in villis & suburbiis, urbi accensendis, habitare. (β.) de custodia. *Et ego ero illi, inquit Dominus, in murum igneum circumquaque*. Tutò habitabitis, Domino id præstante, quamvis nec opibus nec arcibus sitis vallati. Deus enim vel avertit hominum consilia, vel terret & humiliat, vel occasiones nocendi non dat, vel affectus inclinat, vel alibi occupat. (γ.) de Hierosolymæ exaltatione. *Et in gloriam ero in medio ejus*. id est. 1. Ego glorificabor in illa. 2. ero ipsius gloria & sublimitas. 3. faciam eam gloriosam.

Post nudam & simplicem præconiationem succedit figurata, habens apostrophen duplicem. *Primò* ad Sionem. ℣. 10—16.

Vers. 10. Compellatur Sion habitans in Babylone. quæ evocatur ex terra Aquilonis. Ista evocatio duplex est. 1. *Invitatio*, ut quàm celerrimè, & quasi fugâ se domum proripiat. In terra enim ipsos esse multiplicandos, & ex illa diffundendos innumerabilibus coloniis in omnem plagam mundi. Tantùm scilicet

abesse,

abesse, ut, quod timebant, in terra essent consumendi. 2. *Admonitio*, vers. 11. ut celeri fugâ malum Babyloniæ imminens evitet. Se enim esse missum, ad comparandam gloriam & laudem justitiæ ac ultionis, ad gentes. Deum enim lædi in populo, dum propter Deum, & quòd Deum nominent & in Christo spem ponant, occiduntur toto die. Se itaque agitaturum manum suam super illis, & effecturum, ut servis suis, iis etiam, quibus antea imperitaverant, qui tributa eis dederant, sint prædæ;

Persæ Græcis. Herod. Erat. cap. 44. Et in Polymnia cap. 51. Vide Comment. Cl. COCCEJI.

Sic denique ipsos cognituros, se esse missum à Deo, ut qui fecerit, quæ dixerit. ℣. 12. 13.

Vers. 14. Compellatur Sion posita in loco suo. Refer hæc ad cap. 1 : 17. p. 2. Excitatio ea ad lætitiam est. Promittit enim ordine ista.

1. Τὴν ἐπιφάνειαν ἐν σαρκὶ, τὴν ἔνσαρκον ἐπιδημίαν, ut Veteres doctè loquuntur; nempe ad vindicandum populum à legis, ut maledictione, ita accusatione, ac consequenter servitute elementorum mundi sive rerum terrenarum in libertatem regni Dei, in quo Deus solus est Rex.

Significat Propheta, post amplificationem Hierosolymæ hanc ἐπιφάνειαν non diu dilatum iri. Nam dicit: *Ecce ego venio*. ℣. 14.

2. Vocationem gentium per Euangelium, & in eis demonstrationem regni Dei. Et quidem *illo ipso die*, nempe continuò post visitationem populi in carne. *Et fient mihi in populum*. Sed & hoc jam antea promissum erat semini Israëlis. Significat igitur, gentes Israëli complantatum & adcorporatum iri. *Mihi*, dicit, erunt in populum; emphaticè; id est, mihi soli, abolitis diis nuncupatis in Veteri lege, deletis templo ac politiâ Judæorum. Nam ex Jer. 31 : 33. liquet, id ex fœdere novo esse. Ergò id alio modo nunc, quàm olim impletur. Cæterùm quando dicit, Erunt mihi *in populum*, notatur congregatio fidelium, & cœtuum eorum defensio.

Id factum, quando reges coacti sunt fugere, quando idololatria in mundo eversa est, & pax Ecclesiæ Christianæ concessa sub Constantino Magno.

3. Perpetuam habitationem cum illuminatione. *Et habitabo in medio tui*, perpetim, sine successore in regno aut sacerdotio meo, atque ita sine vicario: non tamen ita ut thronum habeam in terra, infrà cap. 6. sed ut una sit Hierosolyma cœlestis communi justitiâ & libertate πολιτευμάτων. Nec tantùm habitabo in medio tui, sed *& cognosces, quòd Dominus me miserit ad te*; nempe, ut te redimerem & sanctificarem, utpote mihi donatam ab æterno. *Miserit*, scilicet ex cœlo, quod Christo in emphasi proprium est. *Miserit*. ita, ut in ipsius missione obsignata sit prophetia, & omnis promissio sit facta Næ & Amen. *Me* miserit, non alium, qui non in Dei nomine, (quamvis obtentu nominis Dei & Christi) sed suo venit, Antichristum.

4. Judæ hæreditationem in terra sancta. vers. 16. p. p. Hæc de gentium assumtarum in communionem Israëlis repurgatione accipi possunt, & de Ecclesiæ liberatione & segregatione in terram sanctam, id est, in sacros cœtus, quos obtinebit in terra sancta, sive loco peculiari in mundo, qui locus erit reverâ *terra Domini*. Es. 14 : 2. & sic *terra sancta*, & *terra decoris*. Dan. 11 : 41. Cùm Judam dicit, alludit ad vetus χάσμα.

5. Continuatam Hierosolymæ electionem. vers. 16. Refer hoc ad cap. 1 : 17. p. 3.

Id significat 1. quòd non desinet Hierosolymam cœlestem propagare in mundo. 2. quòd cœtus suos asseret & vindicabit è manu tribulantium pro suis, eosque colliget & consolabitur.

Altera apostrophe vers. 17. dirigitur ad omnem carnem, quâ ea compescitur, ut sileat coram Domino. Id dictum ex ordine prophetiæ in consideratione ultimi temporis.

Confer Hab. 2: 20. Zoph. 1: 7. ubi illa coërcitio pertinet ad obstreperos Judæos.

III. Josua coram tribunali stans. Cap. III. Hic est Emblema judicii. Historica indigitatio est continuatæ visionis in verbis, *Et fecit me videre*, scilicet Angelus collocutor, Spiritus Christi. Judicii descriptio fit per designationem personarum judicium constituentium. Suntque

1. Judex. *Angelus Domini*, isque *sedens*, ut ex comparatione vers. 5. liquet. Christo datum est, judicare vivos & mortuos. Is jam tum judicavit & Josuam.

2. Judicandus. *Josua sacerdos magnus*. Nempe sacerdotium Leviticum ab istis sacerdotibus miris modis fuit maculatum, adeo ut propter illos nomen Dei blasphemaretur apud gentes. Quod verò ipsum sordidari potuit, id nec purificare potest, &, dato sacerdotio conscientias purgante, deserendum est.

3. Accusator, ex more judicii, ad dextram Dei stans. Is hactenus impetraverat, ut Aharonidæ à conspectu Dei amoverentur, destructo templo, & adhuc impeditâ ejus reædificatione.

Pronunciatio sententiæ est vers. 2. Ejus *prima pars* spectat Satanam, sive τῷ ἀντιδίκῳ. Judex *Jehovah ad Satanam* dicit. Nempe Angelus Domini, יהוה, in nomine Jehovæ loquitur, sive Jehovæ judicium commendat. *Increpet te Dominus, Adversarie.* Nihil sustinet Filius dicere vel facere, quod non viderit & audiverit Patrem facientem & dicentem. Ratio est non minoritas, sed unitas. Ratio talis definitionis sententiæ est *electio gratuita Hierosolymæ*, quam scilicet propter sponsionem Filii tolerabat, & cujus peccata tandem per mortem Filii erat ablaturus. Est & altera ratio à decentia misericordiæ post demonstrationem divinæ indignationis. *Nonne hic est torris ereptus ex igne?*

Secunda pars sententiæ spectat Josuam. Ibi est 1. descriptio status rei; is significatur sordido vestitu. 2. mandatum ad stantes coram ipso Angelos ministros de auferendo vestitu sordido, id est, ut gaudeant super salute Ecclesiæ, cum absolutione, non quidem assertoriâ justitiæ ipsius, sed condonatoriâ, quæ ostenditur instar habere vestitûs superinduti. Id notat imputationem justitiæ sive donationem δικαιώματος, quod est in Christi obedientia, in communione ipsius.

Effectus judicii, continuatio sacerdotii, vers. 5. narratur. Hic interponitur oratio Prophetæ, repræsentantis omnes sanctos. *Ponant cidarim*, insigne potestatis judicandi & ministrandi, *puram*, ita ut non imputentur delicta ad abominationem munerum, *in caput ejus*. Ea oratio exauditur, & nova quasi initiatio sacerdotis χρηματίζεται.

In colo ultimo est παραινετικὴ ad sequentia. *Et surrexit Angelus.* Nempe contestanti, imò adventum suum in nomine Patris promittenti convenit stare, ut judicanti, sedere. *Contestatio* est non tantùm διαμαρτυρμὸς & μαρτυρία, sed intimatio veritatis & justitiæ ad conscientiam testem & judicem.

Concio Angeli Judicis in nomine Patris loquentis ad Josuam est partim promissio προτυπωμάτων, typici Sacerdotis, partim commendatio veri Sacerdotis, cum promissione justitiæ & finiendi sacerdotii carnalis.

Pro-

Promiſſioni præmittitur conditio. *Si ambulaveris in viis meis* &c. *Obſervatio Dei*, ut ex verſ. 8. & 9. patet, eſt Fides in Chriſtum. Promiſſio eſt 1. de judicio dando. Sacerdos ſummus erat caput Senatûs. Deut. 17 : 12. 2. committendâ cuſtodiâ atriorum Dei. 3. dando ambulantes inter illos ſtantes, id eſt, inter Angelos. Sacerdotes enim inter Angelos inſpectores cultûs ſacri, & vindices tranſgreſſionum ambulabant.

De vero Sacerdote agit verſ. 8. 9. 10. Hic Filius verba Patris de ſe recitat. Eſt in iis *primò* προσοχὴ ad Joſuam & *ſocios ejus ſedentes coram ipſo*, id eſt, diſcipulos & auditores ipſius. Ratio, cur eos compellet. *Nam viri portenti* ſive *ſigni* ſunt. Cujuſnam rei ſignum ſunt? *Quòd ego adduco ſervum meum* GERMEN. Rationem, cur *germen* appelletur, vide infrà cap. 6 : 12. *Servus*. Gal. 4: 4. Vide, quanta res promittatur. Intelligitur, Joſuam & diſcipulos ejus eſſe magis viros ſigni, quàm Aharonem & filios ejus ante captivitatem Babylonicam. Nam in ipſis eſt certum argumentum, quòd jamjam adducturus eſſet Deus Meſſiam. Adde Gen. 49 : 10.

Teneatur hic indubitatum principium demonſtrationis regni Dei.

Verſ. 9. Docet, Chriſtum eſſe manifeſtandum mundo. Hic indigitatur nomine *Lapidis*. Eum memorat propoſitum Joſuæ & Sacerdotibus. *Quem poſui coram Joſua*. ut architecti eum fundamentum fidei ponerent, lapidem angularem agnoſcerent, ſe ei inædificarent. Promittit porro fore, ut in eum lapidem ſe convertant *ſeptem oculi*, id eſt, fides Eccleſiæ univerſalis in ſeptem periodis, quas Apocalypſis ex Prophetis Veteris Teſtamenti artificiosè diſtinguit. Explicatur hic cap. 2 : 15. Sed qualis manifeſtandus? ſcilicet ut unicum fundamentum. Super *UNUM* lapidem ſeptem oculi. Non ſuper unum & alterum, Chriſtum & Papam. Quo modo manifeſtandus? *Cælabo cælaturas ejus*, id eſt; demonſtrabo, eum eſſe Filium meum; omnibus ſignis eum manifeſtabo. Hagg. 2 : 23. *Et*, quum cælavero cælaturas ejus, ita ut omnia ſigna Meſſiæ in eo ſint, atque adeo ὅταν πληρωθῇ διὰ παθημάτων, *abſtergam peccatum terræ Illius*, ſcilicet mundi, quem δεικτικῶς ſignificat, id eſt, ſecundùm uſitatam Sacræ Scripturæ ſynedochen, electorum ex mundo. *uno die*. uno ſacrificio, ἅπαξ.

Verſ. 10. Alter tertiuſque fructus ἐπιφανείας χριστοῦ cum ſuis ſignaturis eſt 1. Libertas. Deinde & Pax. *Illo die*. Totum tempus ultimum à principio & fine deſcribit. Principio convenit: *Vocare* ad ſedendum ſub vite & ficu, non in templo aliquo, non ad cathedram aliquam. Id libertatis eſt. Inprimis cùm dicat, רעהו *proximum ſuum*, homo hominem, non tantùm Judæi Judæos vocabitis ad fructum amicitiæ; ſed ubivis ſine ſervitute quemvis ad communionem fraternitatis & communem cultum Dei vocabitis, ſub umbraculo veræ vitis Chriſti, & veræ ficûs, ejuſdem, qui & protegit & cibat. Colophoni convenit, unà in pace conſidere, conculcatis omnibus hoſtibus ſub pedes Eccleſiæ.

IV. Candelabrum cum duabus oleis. Cap. IV. In his diſtinguenda

1. Præparatio ad viſionem. verſ. 1. 2. colo primo. Ea fit per excitationem Prophetæ. Nempe viſione præcedente ita extra ſe raptus, ut dormientis inſtar eſſet, & hinc tanquam ex ſomno excitari neceſſe haberet.

2. Viſi deſcriptio generalis. verſ. 2. 3. Emblema eſt Candelabrum, & ejus materia, *Aurum*, & partes, præter baſin & ſcapum, notabiles, 1. *Lecythus* ſive ſphæra ſuperpoſita candelabro, ex qua oleum ad lucernas derivetur. 2. Septem lucernæ ambientes caput candelabri. 3. Septem tubi, quibus lucernæ candelabro

adhærerent, commeatum oleo à Calice præbentes ad lucernas. Denique Assita, duæ oleæ: positæ ad dextram & ad lævam Lenticulæ. vers. 3.

3. Visi explicatio. inde ad finem capitis. Vers. 4. est interrogatio Prophetæ generalis de significatione istius Emblematis. Vers. 5. Interrogationem Prophetæ excipit clemens exprobratio stuporis sive tarditatis ad illud intelligendum, cum confessione Prophetæ.

Vers. 6. & 7. Est summaria scopi Emblematis indigitatio, insinuanda Zerubbabeli: scilicet significari Spiritum Dei tanquam opificem & perfectorem omnium, quæ ad constitutionem templi typici & mystici pertinent, ita ut removeatur vis ac industria humana, cum applicatione ad effectum in Babylone, ut monte magno: nimirum ut is fiat in æquabilem campum coram Zerubbabele, id est, ut ipsi non sit impedimento, ut summum lapidem imponere structuræ templi possit, cum claris de Gratia congratulationibus. Notandum, Angelum collocutorem renunciare verba Dei Patris & Filii, quum de se ipso loquitur. In Emblemate est *Oleum*, quod solet Spiritum Sanctum adumbrare, propter effectum lucis, caloris, vitæ, vigoris ac fragrantiæ. Hæc enim sunt ab oleo in lucerna, homine, arbore. Ex hoc fonte non est difficile reperire, quid candelabrum denotet.

Vers. 8. & seqq. est ulterior illustratio Emblematis, & primò quidem quoad septem lucernas. In hoc versu indigitatur vel Filius vel Spiritus Sanctus loquens, cùm dicitur, *verbum Domini*. Utrumque est scopo conveniens.

Vers. 9. Habet verbum 1. de absolutione templi per Zerubbabelem. Ab anno solutæ captivitatis ad annum sextum Darii Nothi sunt anni 142, si calculum exotericorum hic sequamur. Oportet ergo Zerubbabelem admodum senem fuisse templo perfecto. 2. de usu istius eventùs & signi. *Et cognosces, quòd Dominus exercituum miserit me.* q. d. Hæc res erit in signum & argumentum, me missum esse, & mox quidem venturum, deinde & venisse ad vos. Quippe missio Filii & Spiritùs Sancti est annexa templo secundo. Non improbabile est, etiam hac in parte debuisse Josuam filium Jozadaci & Zorobabelem fieri viros portenti, nempe ipsâ longævitate.

Vers. 10. Est hæc sententia. Pro eo, quòd gentes despicatui habuerunt diem templi ac urbis surgentium è suis ruderibus, ut rerum parvarum, vide Neh. 4: 1. 2. 3. 4. vicissim gentes per Euangelium vocatæ ad fidem Domini Jesu, constituentes septem illos oculos, cum maxima semper lætitia videbunt perpendiculum in manu Sorobabelis. Quod perpendiculum nec ars nec vis Sorobabelis est, sed divina delineatio & ædificatio, sive consilium Dei per manum Sorobabelis executioni mandatum, nempe Templi erectio ad præparandum locum & statum populi convenientem Adventui Filii Dei.

> Si templum Zerubbabelis non debuit adiri & visitari à Christo in carne, quam causam habent Gentes lætandi magis de exædificatione templi secundi, quàm primi?

Vers. 11. Deinceps explicat prelliùs Emblema duarum olearum, & duorum culmorum sive termitum aut spicarum oleaginearum insertarum duobus prelis aureis, effundentium aurum, id est, oleum auri instar limpidum & purum. ℣. 14. Rem ostendit per definitionem. *Hi sunt duo filii olei, qui stant juxta Dominum totius terræ*, id est, duo genera filiorum olei, id est, eorum, qui habent Spiritum Christi ad testificandum de ipso. Ii sunt Prophetæ & Apostoli, qui loquuntur in Scripturis. Ab iis fluit Spiritus in Ecclesiam, quia nihil Spiritus Sanctus Ecclesiæ

clesiæ dictat, nisi per verbum eorum. *Prela aurea*, quibus extorquetur illud oleum, sive gratia Spiritûs Sancti conjuncta verbo, sunt gratia Dei, quâ datur ἄνοιξις χειρῶν. Quum *oleæ* dicuntur *stare juxta Dominum terræ*, quod est ministerii, subintelligi datur, Candelabrum, quoad scapum & partes ipsas aureas, esse Emblema Christi: qui in Apocalypsi dicitur ambulare inter candelabra, & habere septem sidera in manu.

V. Volumen & modius. Cap. V. Hæc pars est succenturiata præcedenti. Ut enim cap. IV. agitur de Spiritûs Sancti efficacia in vera Ecclesia, ita de affectu & forma falsæ Ecclesiæ agitur cap. V. Duo hujus capitis membra sunt.

A. Pœna Israëlitarum secundùm literam per destructionem templi secundi, usque ad vers. 5. sub Emblemate Voluminis volantis.

Vers. 1. Est Emblema, Volumen volans, liber scilicet apertus ad judicandum ex eo, & celeriter provectus.

Vers. 2. Additur quantitas respondens quantitati atrii ante templum Solomonis. 1 Reg. 6: 3.

Vers. 3. & 4. Est Emblematis explicatio. 1. *Voluminis. Hæc est Exsecratio.* Vide Deut. 29: 19. 30: 19. 2. *Voluminis volantis. Exiens*, scilicet in effectum. 3. Quantitatis. *Qua exit in faciem totius terræ.* Significatur, exsecrationem in libris legis contentam convenire toti populo, & populum illius modum ac mensuram implevisse.

Hanc explicationem illustrat indigitando 1. culpas. *Furtum.* ut qui possiderent terram Canaan, quæ data erat in symbolum cœlestis patriæ, quamvis justitiâ regni cœlorum carerent. Addi potest furtum gloriæ Christi & furatrina commissa in occultanda clave scientiæ. Et *falsum juramentum.* Hanc culpam contrahit, qui falsò fœdus Dei sumit in os. Ps. 50. qui non invocat Deum in veritate, ut qui Christum & justitiam ejus ignoret. 2. judicii tempus. מזה. *posthac*, ἀπ' ἄρτι. Id etiam significat *volatus* voluminis. Indicatur appropinquatio hujus judicii. 3. judicium, tum indefinitum, ℣. 3. nimirum *ustum*, utpote secundùm scripta in volumine, & *severum*, quippe ad summum, cùm importet κατάργησιν, evacuationem; tum definitum *in domo* furis & perjuri. vers. 4. Domus Dei intelligitur, sed deserta à Deo. Matth. 23: 38.

B. Pœna hypocritarum post templum destructum inter Christianos, sub Emblemate Ephæ. à ℣. 5. ad finem.

Vers. 6. Peccatum hominum proponitur, Concupiscentia rerum terrenarum. Idque occasione *Ephæ*, mensuræ, *exeuntis.* Sensus: Deus dabit Ecclesiæ solatium & refrigerium & pacem post multa certamina; & in pace abundantiam agrorum, adeoque & populorum & cœtuum. Eaque erit occasio hypocritis, *convertendi oculum ad mensuram*, non ad lapidem Josuæ propositum. cap. 3: 9.

Vers. 7. Est Emblema paratæ Coërcitionis, & simul Inchoati regni Injustitiæ. *Et ecce massa plumbi tollebatur.* Imperium aliquod extra fines ditionis Ecclesiæ, ubi ea habet bona sua, erigebatur, quod imperium suo tempore grave onus erat futurum improbis & bona in populo Ecclesiæ possidentibus; & *Ista mulier una sedebat in medio Ephæ.* Simul elevatur illa massa, & apparet *mulier una* considens in Modium, id est, regnum & potestas alicujus *Monarchæ*, bonis Ecclesiæ sive directè sive indirectè se superponentis. Ea mulier appellatur *Injustitia*, ἡ ἀνομία, ἀδικία. vers. 8. quia legem ἀνομίας & ἀδικίας, contrariam legi justitiæ ac Euangelio regni Dei, fert.

Historia. Postquam Ecclesiæ pax reddita, & totius Imperii Romani opes cum multitudine hominum in Ecclesiam confluxissent, & jam antea in Ecclesiam invectus esset Episcopatus supra presbyterium: ea opportunissima occasio fuit Episcopis amplificandi suam potentiam. Ibi de sedibus & sedium obedientia disputatum. Et tandem inspectio Episcoporum fuit urbibus ac earum prærogativæ accommodata. Deus non voluit hæc esse stabilia. Per Episcopos hæreses seminari permisit. Ea occasio fuit agendis Conciliis. In Conciliis data opera est, ut auctoritas humana inprimis Romani Episcopi magis magisque confirmaretur: per quam lex injustitiæ paulatim est propalata. Interim Deus extra Ecclesiam excitavit gentes barbaras, quæ primò terribiles fuerunt, tandem etiam incubuerunt in partes ejus.

Vers. 8. Est Emblema coërcitionis. 2. *Et conjecit illam in modium.* Posuit Deus regno impietatis modum, nec passus est id egredi mensuram illam, in qua primùm se manifestavit. Tùm etiam non passus est statim illam mulierem *sedere* ut reginam. 2. *Conjecit lapidem plumbi in os ejus*, id est, Deus potestatem illam gentium barbararum, inprimis Sarracenorum & Turcarum, injecit in partem Imperii Romani, ad coërcendam Antichristi tyrannidem, ne tam latè grassaretur.

Vers. 9. Est Emblema propagationis, in pœnam scilicet non amatæ veritatis. Vide ante omnia Instrumentum provectionis. *Ecce, duæ mulieres exibant*: duo regna; Regnum Ecclesiasticum Episcoporum, & Regnum novum politicum ex veteri Romano emergens in Italia, Hispania, Germania, Gallia, Polonia, Suedia, Dania, Scotia, Anglia &c. *Et ventus erat in alis earum, & habebant alas, ut ciconiæ;* amplam & latè patentem potentiam. Hæc duo regna provehebant Papalem auctoritatem, imaginem Bestiæ, meretricem magnam, legislatricem injustitiæ, Ecclesiæ bonis subnixam. *Elevaverunt modium inter cælum & terram.* Papæ, quantumvis onere Sarracenico comprimeretur, cum suis fortunis, dederunt locum summum in Ecclesia, ut inter Deum & homines intercederet, & pro Deo in templo Dei sederet.

Vers. 10. & 11. Post interrogationem Prophetæ explicatur terminus processionis regni injustitiæ. 1. per verbum Angeli. *Ad ædificandam ei domum in terra Sinear*, id est, ad parandam ei successionem & regimen in regno aliquo simili Babylonico, in quo sit consensus populi in unum nomen, in quo regnet idololatria, & vigeat persecutio, & ubi Ecclesia captivetur propter suas pravitates. 2. per narrationem Prophetæ. *Et parata fuit*, illa domus. Omnis ordo regundæ familiæ & successionis constitutus fuit. *Et deposita est ibi in basi sua.* Fundamentum throni illius est mendacium & falsa doctrina. Non in Christo lapide fundata est illa domus, resedit mulier in suo modio.

Comparentur hæc cum cap. 10. Hoseæ. Cumprimis etiam notandum est, Babylonem veterem tempore editæ hujus prophetiæ præteriisse. Ergo de Babylone mystica hic sermo est.

VI. Quadrigæ inter montes æneos, & Coronæ. Cap. VI. Hæc pars explicat statum Ecclesiæ & mundi usque ad Christum Regem & fundatorem veri templi, quod est Ecclesia: & nominatim statum terræ, id est, Palæstinæ & Judæorum, Christo templum ædificante. Duas habet sectiones.

A. Habet Emblema quatuor quadrigarum. Ejus summa est Hagg. 2: 21. 22. 23. Vide

1. Emble-

1. Emblema. verſ. 1. 2. 3. Duo montes ænei hinc inde. In medio ſpacio prodeunt quatuor quadrigæ, quæ partim ſanguinem effundunt in terra Iſraël, partim ei graves ſunt & triſtitiæ cauſa; partim mites & clementes, partim variæ, id eſt, nonnunquam clementes, nonnunquam ſanguinariæ.

2. Emblematis expoſitionem. verſ. 4. 5. Senſus Emblematis ſummatim iſte eſt. Duos montes, id eſt, duo regna valida & inconcuſſa eſſe conſtituta à Deo, ſive potiùs duas eſſe manifeſtationes regni Dei ſubjicientis ſibi mundum, tanquam in duplici regno. Unum eſt regnum domûs Davidis, quod quidem quoad externam formam eſt abolitum, ſed manet tamen in radice, donec in altero monte appareat. Alterum eſt regnum Chriſti, quod quidem eſt ſpirituale, ordinatum tamen eſt ad ſubjectionem omnium gentium, qui effectus terreſtris eſt. Medio tempore quatuor Regna cum ſuis exercitibus incubitura Terræ promiſſæ, ita ut quartum ſit illud, ſub quo regnum Chriſti orietur.

3. Ordinem operationum. verſ. 6. 7. *Atri equi prodeunt in terram Aquilonis:* ſcilicet à facie Domini, id eſt, mittuntur in terram Aquilonis. Medi & Perſæ, qui populo Dei non quidem ſanguinarii exſtiterunt, attamen graves & moleſti, in Babylonem & Aſſyriam terræ Iſraëlis Aquilonares vergentes ad Orientem, miſſi ſunt. 2. *Albi exierunt ad poſt ipſos*, id eſt, miſſi ſunt in eandem partem, ſcilicet ut priores eam ſedem tenentes ſubjugarent, Græci ſub Alexandro, qui commodi fuerunt Iſraëli. 3. *Grandinati exiverunt in terram Auſtri.* Poſt deſtructum regnum Perſicum excitabitur nova commotio tendens in Ægyptum, expeditio ſuſcipienda à Septentrionalibus, Dan. 11. ℣. 5.

Animadvertendum, inter duces Alexandri emerſiſſe maximè Ptolemæum Lagi filium, de quo Dan. 11: 5. Contra illius magnitudinem comparata ſunt Seleucidarum conſilia & conatus. Tum etiam Euergetes in Aſiam venit, & arces regni obtinuit: ſed concitatâ ſeditione in regnum ſuum reverti cogitur. Dan. 11: 8. 9. Etiam Philopatoris ſucceſſus contra Antiochum Magnum notantur in verſ. 11. Sed, ob faſtum ejus, convertitur curſus rerum ejus. verſ. 12—17. Rurſus Antiochus Epiphanes contra Philometora movit feliciter. verſ. 25. 26. Secunda autem ipſius expeditio inhibetur à Romanis. ℣. 29. 30.

4. *Rufi & ſanguinolenti exiverunt.* verſ. 7. *Et quæſiverunt ire & perambulare terram. Et dixit*, Angelus Collocutor, *Ite, ambulate in terra.* Evocantur Mich. 4: 14.

Romani Judæam de induſtria voluerunt habere in poteſtate; & datum eſt illis, ut eam in poteſtate haberent. Hi illis *rufi* fuerunt. Res nota. Pompejus Hieroſolymam cepit, regnum Hyrcano abſtulit. Gabinius, Craſſus, Bibulus, &c. tenuerunt. Edictus cenſus. Judæi ut ſubditi Romani Imperii cenſi. Perpetui præſides fuerunt. Archelaus relegatus. Judæa in formulam provinciæ redacta. Sub Nerone urbs & politia deleta.

Verſ. 8. Obſignatio eſt ordinis in effectu jam exſtante: *Qui exeunt in terram Aquilonis, fecerunt ſpiritum meum acquieſcere*, id eſt, ſatisfecerunt voluntati meæ, *in terra Aquilonis.* Perſæ in Babyloniis.

B. Emblema Coronarum. verſ. 9--15. Hic conſideranda iſta.

1. Juſſus Dei.

(a.) De capiendo auro argentoque in certo loco, ab exulibus, id eſt, à Judæis.

dæis Babylone hærentibus & iis, qui venerant Babylone, nomine cæterorum, ut videtur, aurum argentumque oblaturi vers. 9. 10. 11. p. p. Notanda hic permutatio nominis חלדי, vers. 10. & חלם, vers. 14. item יאשיה, vers. 10. & חן, ℣. 14. Fuerunt hi binomines.

(b.) De faciendis coronis.

(c.) De usu coronarum primo, nempe ut imponat capiti Josuæ summi Sacerdotis, vers. 11. additis certis verbis Dei nomine. vers. 12. p. p. Ea verba continent promissionem adventûs Messiæ, qui proximus notatur per vocabulum *Ecce*. Nomen ejus, *Vir Germen*, id est, homo, qui fit Stirps nova novi generis sive filiorum Dei secundùm promissionem. Qualitas adventûs ejus quoad causam. *Qui de subtus se germinabit*, nullo satu, nullâ plantatione, non â radice alia, sed ex virgine per virtutem propriam divinitatis, & proprio jure, eorum causâ, qui ipsi dati sunt in filios. *Et ædificabit templum Domini*. Domus hæc, quam vos ædificatis, non est reverâ domus Dei. Ille ædificabit templum verum Dei, in quo Deus habitet in sæculum, id est, sanctificabit animas & corpora suorum filiorum, ad inhabitationem Dei, per victimam sanguinis & effusionem Spiritûs Sancti. *Ædificabit templum Jehovæ, & accipiet majestatem*. Constructio ea domûs Dei, quæ per destructionem templi corporis Christi fit, erit ipsi causa exaltationis, ut & gloriam domûs constructæ habeat, qui construxit. Accipiet ergo nomen supra omne nomen, nempe, ut, quod Deus sibi proprium reservaverat, omne genu ipsi flectatur, & omnis lingua confiteatur, quòd Christus sit Dominus, ad gloriam Patris. Philip. 2: 9. 10. 11. Prima post mortem demonstratio gloriæ Filii hic intelligitur. *Et considebit & dominabitur in throno ejus*, Jehovæ, ad exercendum officium regium; *& erit Sacerdos in throno ejus*; & sacerdotale, scilicet intercedendo. De eodem dicit, fore Sacerdotem & Regem. Et merito & potestate Servator erit. Cæterùm qui regnat in throno Dei, ipse Deus est. Tandem etiam fructum intercessionis explicat. *Et*, sic, *consilium pacis erit inter illos duos*, id est, ipsius intercessio erit causa consilii pacis, hoc est, quasi voluntatis tollendi inimicitiam, quæ erat inter gentes per parietem intergerinum, sacerdotium Aharonicum, sapientissimâ ratione fundatæ.

Ex dictis liquet, quid significent coronæ, & coronatio Josuæ: nempe regnum aliquod exspectandum esse veri Sacerdotis, qui templum verum Dei ædificet. Id dicitur in oppositione domûs furis, cap. V. & domûs Improbitatis ædificandæ in terra Sinear. Ea corona mons ille secundus est, nimirum Regnum Christi, de quo in prima parte hujus capitis. Liquet etiam, Regnum illud Christi oriturum, quum quartus exercitus terram Dei conculcabit: nec igitur esse de hoc mundo.

(d.) De usu coronarum secundo, vers. 14. 15. ut sint quatuor viris suprà nominatis in memoriale in domo Domini. Nempe, posteros ipsorum hâc pace per sacerdotem partâ fruituros, & per eum in templo Domini, ut vivos lapides, conservatum iri, *si modo auscultent voci Domini*, id est, Filio Dei verba Dei loquenti. Signum verò, unde convincantur de regno Christi, fore, quòd *Longinqui* non tam loco, quàm jure & affectu, *venient & ædificabunt in templo*, sive coædificabunt templum, id est, accedent ad Deum Israëlis, & per eum sanctificabuntur.

Corollaria, quòd Regnum Dei jam venerit, & quòd vox Dei sit audita, vide in Comment. Cl. Cocc. 31.

Ter-

Tertius Sermo continetur Cap. VII. & VIII. Summa est, Deum benedicturum populo eximiis modis, ut lætari in ipso possint; nisi velint ingrati esse. Vide

I. Occasionem prophetiæ, quæ est Consultatio, & tempus ejus. Cap. VII. 1. 2. 3.

Tempus & Consultationis & Prophetiæ est Annus quartus Darii: mensis nonus, (is respondet ex parte nostro Octobri, ex parte Novembri) biennio ante absolutionem templi. Ex qua circumstantia liquet, causam interrogandi Pontifices & Prophetas de jejunio fuisse bonam spem de exstructione templi conceptam vel ex decreto Regis jam per rescriptum declarato, vel saltem ex verbis Prophetarum.

Occasio prophetiæ est Legatio missa ad Templum supplicandi, & ad Sacerdotes & Prophetas consulendi causâ. Verisimile est, eos, qui nominantur, totius populi nomine esse missos; adeoque eos vel præsides Synedrii vel præcipuos inter Patriarchas & principes tribuum fuisse. ℣. 2.

Quæstio proponitur de certo jejunio, mensis quinti, qui אב appellatur, & nostro Julio respondet. In eum incidebat jejunium desolationis Hierusalem à Chaldæis factæ. Quemadmodum decimus mensis, qui טבת, December noster, habuit jejunium obsidionis: sed posteri etiam jejunium translationis Legis in Græcum sermonem die octavo egerunt; Quartus, תמוז, jejunium fractionis tabularum; Septimus תשרי, September, jejunium Godoljæ, die tertio. Sed Kimchius Godoljam quidem interfectum esse Kalendis dicit: At, quia tum festum, jejunium constitutum esse die sequenti.

II. Oraculum ipsum. in reliquis. Id habet istas partes:

A. De jejunii causis falsis & veris itemque effectis. à vers. 5. ad cap. 8.

Vers. 5. Tollit jejunii causam falsam, scilicet quòd non jejunaverint Deo. Id meliùs intelligitur ex causa addita vers. 6. Quòd quum comedant, ipsi sint comedentes & bibentes. q. d. Quando jejunatis, nihil nisi jejunatis, quando editis & bibitis, nihil in nomine meo & ad meum ministerium facitis.

Vers. 7. Ponit causam jejunii veram, iram Dei in ipsorum impœnitentiam, quum à Deo præmoniti essent. Hîc est contestatio de veritate eorum, quæ Deus per Prophetas suos, rebus Judææ quietis & prosperè fluentibus, præmonuerat. Mentionem hic facit Propheta duarum partium Judææ, nimirum τῆς μεσημβρινῆς & τῆς πεδινῆς. Hierosolyma autem pertinet ad τὴν ὀρεινήν. Significat Propheta, Deum ipsorum ploratum & jejunium non aspexisse, saltem diu ait neglexisse. vers. 13. Hîc demonstratur æquitas, quòd par pari relatum sit.

Vide hîc 1. Repetitionem Concionis propheticæ. In qua officia mandata & vitia vetita distinguit. vers. 9. 10. 2. Exprobrationem inobedientiæ. vers. 11. 12. 3. Judicium talionem includens. vers. 12. col. ult. 13. *Clamabant & non audiebam.* Nempe 1. quia preces non erant sanctæ & seriæ, ut destitutæ verâ pœnitentiâ. 2. quia castigationes corporales non amovebat. Tandem vers. 14. Ubi in fine dicitur, *ipsos* Israëlitas fecisse terram vastam.

B. De bonis decretis. Hic

1. Summaria propositio. Cap. VIII. vers. 2. 3. p. p. *Zelus* hic notat benevolam voluntatem, quatenus fertur ad bonum populo pro malis rependendum: *ardor* eandem voluntatem notat, quatenus fertur ad retaliationem afflictionum populo per hostes inflictarum.

2. Exergasia per partes. Bona sunt hæc.

(a.) Inhabitatio Hierosolymæ cum gloriæ Dei demonstratione. vers. 3. *Sic*

dixit Jehova, *reversus sum ad Sionem*, *& habitabo in medio Hierosolymæ*, cum demonstratione virtutis Spiritûs Sancti & manifestatione παρουσίας τ̃ Κυρίυ, quæ vera σκήνωσις exspectanda fuit, amotâ illâ per nubem super propitiatorio. *Et vocabitur urbs Hierosolyma*, *Urbs veritatis*. Ea veritas opponitur servituti umbrarum, & mendacio eorum, qui in templo videbantur accedere ad Deum. *Et mons Jehovæ Dei exercituum Mons ille sanctitatis*, propter inhabitationem illius Sancti, & effusionem Spiritûs Sancti ad ungendum Sanctum Sanctorum, stante illo templo secundo in monte.

(b.) Datio vitæ corporalis & spiritualis. ℣. 4—8.

De vita corporali disertè agit ℣. 4. 5.

De vita spirituali, vers. 6. 8. Ad eam sibi parat aditum vers. 6. innuendo, id fore supra spem & exspectationem populi.

Sic factum. Scandalisati sunt in Christo, & fornicati cum Imperio Romano.

Deinde & tempus & qualitatem indicando. *In diebus illis*, cùm ita multiplicabimini & fructificabitis, sub domo secunda.

Beneficium vivificationis spiritualis explicatur vers. 7. 8. Indigitat beneficium per Salvationem, per Adductionem ad Hierosolymam, ut habitent in ea, per fœdus, & fœderis conditionem & proprietates.

Salvatio populi dispersi est ἀπολύτρωσις. Confer cap. 3 : 9.

Adductio ad Hierosolymam, *ut inhabitent eam*, non est carnalis. Nam 1. Hierosolyma terrestris non est capax illius inhabitationis. 2. quia destructa est, & destrui debuit. cap. 5.

Fœdus, ut inter Deum & populum. Id duobus verbis indicatur. *Erunt mihi pro populo*, id est, Ego dicam, Hic est populus meus, decorando eos decoribus sanctitatis, & efficiendo, ut nemini, præterquam mihi, serviant. *Et ego ero ipsis in Deum*, id est, illi dicent, Hic est Deus meus. Sensus: Credent in me. Modus fœderis. *in veritate*. non falsò, & per assentationem, aut per ostentationem propriæ justitiæ, ut blasphement me; aut in servitute umbrarum. *& in justitia*, ornati, ut justificati, gratiosis donis Spiritûs Sancti. Subjectum est *populus Dei*. Hæreditas & peculium, quod Deus habet in toto mundo inter gentes. Adde Joël. 3 : 5. Totum mundum dividit in Orientem & Occidentem. Sic Matth. 8 : 11.

(c.) Ditatio in corporalibus. ℣. 9—17.

Quod hîc de possessione bonorum velut hæreditatis dicitur vers. 12. id in symbolum hæreditatis potioris post hanc vitam & in regno Christi subaudiendum est. Nam subjecti adhuc erant servituti symbolorum ad tempus.

Quod de salute & benedictione vers. 13. dicitur, de temporali quidem beneficio secundùm præcedentia, at inprimis de cœlesti intelligendum est, id est, de Salvatione per Christum.

Veritas vers. 16. est doctrina promissionis vitæ in Christo.

Judicium pacis consistit in eo, ut justi ab injustis, fratres ab exteris non secundùm carnem, sed secundùm spiritum distinguantur. *Pax* in Christo facta intelligitur.

Perjurium vers. 7. est falsa professio nominis Dei, & defectio ab Imperio Romano. Vide cap. 5 : 34.

Cùm Judæi sint puniti, oportet propter hæc officia neglecta esse punitos, & Christum jam venisse.

(d.) Di-

(d.) Ditatio in spiritualibus. ℣. 18---23. Est hic

1. Promissio commutationis jejuniorum in lætitiam & festa. vers. 18. 19. Luctus ille oriebatur à metu mortis obligante ad servitutem. Hoc sublato futura erat lætitia perpetua. Regnum cœlorum est justitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto. Cum jejunio septimi mensis etiam intellige illud, quod die decimo agebatur. Lev. 16 : 23.

2. Admonitio insinuans conditionem, sine qua non poterant esse participes hujus gaudii. ℣. 19. Confer 6 : 15.

3. Promissio specificans bonum; quod est accessus gentium ad Deum. Hagg. 2. Mich. 4. Zach. 2 : 15. 3 : 10. 6 : 15. Amos. 9 : 27. Joel. 3 : 5. Distingue hic

(a.) Consensum gentium ad quærendum Deum; quovis alterum, non tantùm rationibus, sed & exemplo, incitante; eumque consensum non tantùm privatorum, sed & integrarum urbium.

Datur in Ecclesia Christiana particularium Ecclesiarum communicatio per Synodos. Sed hæc communicatio est sine imperio. Zach. 3 : 10.

(b.) Accessum. vers. 22. Gentium conversio est, quærere Deum Hierosolymis, id est, in communione sanctorum, qui crediderint in ipsum Hierosolymis: quæ communio obtinet per fidem verbi, quod exit Hierosolymâ. Item *supplicare Jehovæ*, ad accipiendam remissionem peccatorum, justitiam, Spiritum Sanctum, hæreditatem mundi & vitam æternam.

(c.) Associationem ad Israëlitas. vers. 23. Ex gentibus erunt decem pro uno. Interim hi decem erunt hæreditas, & quasi opima præda & quæstus unius Judæi. *Audivimus*. scilicet ab iis, qui missi sunt, ut hoc nobis prædicarent.

Quando Apostolum Paulum vel Petrum audimus, Judæum unum atque alterum arripimus.

Sermo quartus per tria capita, IX. X. & XI^mum continuatur. Priora duo capita complectuntur totum tempus fluens à citimis proximisque ædificationi templi rebus usque ad tempus ultimum. Cap. XI. recentiora initia habet. Vide

I. Titulum ac Summam sermonis. Cap. IX. vers. 1. 2. Notandum hîc inprimis subjectum recipiens effectum hujus sermonis. Id indistinctè dicitur *terra circumsita Judææ* sive Palæstinæ. Distinctè Syria & Phœnice. 1. *Et Damascus* erit *requies ejus*, scilicet verbi. Verbum hoc requiescet in Damasco. Ea metropolis Syriæ. Cum Damasco debet intelligi totum regnum Syriæ, quod tunc tenebant Persæ: postea Alexander: post eum Seleucidæ. Ratio additur. *Quia Domini est oculus hominis & omnium tribuum Israëlis*, (cap. 3 : 9.) id est, Dominus sibi vendicat amorem, fidem, reverentiam tum gentium (quæ nil nisi *homines*) tum omnium tribuum Israëlis, quæ scilicet in illis partibus dispersæ sunt. 2. *Atque etiam Chamatha terminum habebit in ea*, scilicet requiete Domini. Altera ea urbs primaria Syriæ est. 2 Chron. 8 : 3. 4. Chamatha accensebitur terræ sanctæ & loco requietis Domini. Ea Epiphania à successoribus Alexandri dicta fuit, ut vult Hieronymus. Aliorum Idem refert sententiam, qui Antiochiam hoc nomine olim nuncupatam fuisse volunt, quam alii priùs Riblatham fuisse volunt. Ut ut sit, in iis partibus Antiochia sita est. Ea verò prima sedes Christianorum, (sic enim ibi nominati sunt) & inde Apostolus Paulus profectus est, & eò aliquoties rediit. 3. *Tyrus & Tsidon*. Hæ quasi metropoles Carthaginensium & Græcorum. Hos. 9 : 13. *Quia valde sapiens evasit*. Ex Tyriis non obscuri Philosophi provenerunt. Eorum tamen sapientiam Deus eludere vult.

Præparatio quædam ad implementum hujus prophetiæ fuit in subjectione earum gentium & urbium sub Judæis, saltem, ut implerentur Synagogis Judæorum. Alexandra uxor Alexandri Jannæi Damascum cepit. Joseph. Bell. Jud. 1: 4. Constat, eam urbem fuisse plenam Synagogis tempore primæ prædicationis Evangelii, & cum ea libertate, ut vinciri, quos vellent, jubere possent Sacerdotes: ibidemque Ecclesiam fuisse, ex Act. 9: 2. 19. 24. 25. 2 Cor. 11: 32. ubi ἐθνάρχου mentio, qui Judæus videtur fuisse. Gal. 2: 17. Apud Tyrios potentia Judæorum non fuit ἀκαταφρόνητος. Act. 12: 20.

II. Exergasiam, in reliquis. Ea agit

A. De modo propagandi pomœria populi Dei ante adventum Christi inter Palæstinos. Huc pertinet

1. Abolitio rerum obstantium ἀσπαλάδοι eorum. quæ sunt fiducia in Tyriis & Sidoniis. ỳ. 3. 4. 5.

Sidon concremata est sub Ocho. Diod. lib. 15. p. 534. Reliqua ad Tyrum Sidoniorum coloniam pertinent. Quæ proximè post hæc tempora exsecutus est Alexander Macedo, post primum conflictum cum Dario ad Issum. qui eam septem mensibus obsedit, ac tandem expugnavit. Antea Nebucadnezar expugnaverat. Vide Ezech. 29: 18. & antè cap. 26: 7. & 14. Ut autem appareat, hanc prophetiam ab ista, quæ dicit, Tyrum non ampliùs ædificandam esse, non dissidere, notandum, Tyrum abusam suâ sapientiâ, quod hic Propheta noster innuit, ut quod verbo Dei prænunciatum fuerat, evaderet, sibi munimentum in alio loco, scilicet in medio mari in insula, condidisse, distante quatuor stadiis à Continente. Et in ipsa quidem Continente Alexander παλαιὰν Τύρον, ut Diod. Sic. lib. 17. p. 583. memorat, destruxit: deinde verò ad invadendam Tyrum novum ex Continente aggerem fecit.

Regnum Gazæ. ỳ. 5.

Hanc urbem expugnavit Alexander post Tyrum in via ad Ægyptum, postquam duos menses obsedisset.

Superbia Palæstinorum, auferenda per inhabitationem spuriorum, & colluviei omnium hominum. vers. 6. Ea superbia in eo fuit, quòd fuerit gens vetusta, tenax superstitionis & libertatis suæ, ut quæ non fuerit subacta priscis temporibus ab Israëlitis, & aliquoties etiam jugum illis imposuerit.

2. Adductio ad unitatem, ut fiant proselyti. Ea vers. 7. significatur 1. per verbum *Eripiam.* Vis enim divina ad hoc requiritur. 2. per possessionem Dei. *Superstitabitur & ille Deo nostro*, id est, Reliquiæ eorum superstites erunt tum ex cladibus, tum ex Satanæ dominatione, quæ sint Dei nostri. Cùm *Deo nostro* dicit, apparet, personam à Patre missam hæc verba loqui. Conversionis effectus in eo est. *Erit ut dux in Juda*, *& Accaron ut Jebusæus*, id est, familiam constituet inter Israëlitas, habebitque congregationem suorum in medio populi Dei, in qua sit dux sive præceptor & auditor.

Historiam, quoad ἀσπάλδων, vide apud Joseph. 13. Ant. 23.

3. Protectio templi. vers. 8. col. 1. *Et metabor domui meæ* ut *præsidium.* Sermo hic est Angeli Dei, intercessoris & salvatoris Ecclesiæ, ut vers. 7. clarè est visum. Templum autem Dei vocat domum suam. *A transeunte & redeunte*, id est, accedente & recedente, ne scilicet quis ei noceat. Ex collatione autem

hujus

hujus loci cum cap. 6:13. apparet, custodiam Ecclesiæ ceu templi spiritualis hic innui præcipuè.

B. De Regno Christi, per quod affertur libertas & aboletur Exactio. De eo habentur ista.

1. Christi παρουσία in humilitate. *Primò* ad videndam oculis suis Exactionem, vers. 8. p. a. Cui adjungitur, non ampliùs esse transiturum Exactorem. *Et non transibit super illos ampliùs Exactor.* Indicat prophetia, se velle hunc statum Ecclesiæ finire, in quo vel fratribus suis vel hostibus ad servitutem subjicerentur; & regnum id adducere, in quo libertas est, ita ut nec elementis mundi serviant, nec hæreditati terrestri, ut fraudatio bonorum videri possit Exactio & interversio hæreditarii boni; cujus amissio possit torquere animum. *Quia jam vidi oculis meis.* Vidi, quod videndum fuit, nempe 1. in populo jam satis esse convictam humanam impotentiam, quòd se legi Dei subjicere non possit. 2. ex altera parte, propter fidem & salutem Patrum, convenire, redemtionem accelerari. Τὸ NUNC notat illum articulum temporis, quo videbatur actum esse de hæreditate populi; ut eo ipso tempore detur Princeps libertatis, quo libertas terrena periclitabatur.

Quum Romani in Judæos imperii fieret ostentatio per indictionem ἀπογραφῆς, eodem temporis articulo natus est Christus.

Vidi autem passiones populi mei, & omnes molestias, quas affert dominatus externus in bonis dominicæ hæreditatis, ipse, inquam, eas vidi *oculis meis*, ipse eas expertus sum.

Deinde ad se sistendum populo pro servatore. vers. 9. Persona loquens est hic Deus Pater, ut testimonium dans Filio. Scilicet Deus, adveniente Christo, non tantum notificaturus erat Ecclesiæ officium suum, quod est gaudere, &c. sed etiam effecturus, ut cum gaudio & jubilo recipiatur.

Ita factum, & quidem cum tali circumstantia, qualem hic Propheta describit. Matth. 21:8. 9. 11. 15.

Per *Filiam*, id est, quotquot filios Sionis & Hierosolymæ, hic intellige electos, quos Christus voluit colligere & collegit, invitis præsulibus, qui sunt filii sanctorum & justorum & prophetarum, quibus Deus in Sijone & Hierosolyma per verbum suum locutus est. *Rex tuus*, cujus tu populus es & peculium, *venit*, incipit in terris esse, & sic ad Hierosolymam venire, ut Deus manifestatus in carne, *tibi*, ut manifestetur tibi, ut tuus sit communione naturæ, & bonum tuum procuret. *Justus*, habens δικαίωμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων, *& Salvatus*, ereptus ex passionibus suis & morte, quo ipso & Salvator ostenditur. *Inops*, sive impotens. Significatur voluntaria exinanitio ad subeundum passiones & mortem. Ad divinam potentiam indicandam, quâ sibi omnia potest subjicere, additur, quòd *vehatur pullo asinæ*. Nam in eo apparuit, 1. quòd absens effecerit, ut sibi permitterentur animalia. 2. quòd effecerit, ut tota Hierosolyma sibi acclamaret. Ipse delectus *asini* pro *equo* notat, eum non triumphaturum instar regis mundani, qui armis devicerit hostes, attamen id ipsum haud quoque inglorium fuit. Judic. 10:4.

2. Regni modus. ℣. 10. Ille consistit

(a.) in destructione modi regnandi, qui non convenit regno ejus. Regnum ejus non erit de hoc mundo. Itaque dicit: *Exscindam currum ab Ephrajim, & equum ab Hierosolyma.* Innuit ablationem potestatis belligerandi à populo Judaïco. Illum considerat in omnibus tribubus, quarum principes olim tribus Ephrajimum & Ju-

& Judam appellat. Indigitatur igitur antecedanea ante Christi adventum plena liberatio populi à jugo gentium, & duodecim tribuum sub uno Senatu gubernatio: atque etiam decus bellicum magnis triumphis assertum. Sed Christo veniente auferenda erat potestas belligerandi.

Id factum primò per Pompejum, Augustum, constituto inter gentes fœdere; deinde per Vespasianum & Adrianum; rupto illo fœdere.

Et exscindetur arcus belli. Imperium Ecclesiam propagans, instrumenta pastoris stulti. Ea quoque exscindentur, cùm Ecclesiam, quam propagare videri volunt, oppugnent.

(b.) in usurpatione veri medii. Id est *Verbum*, *Sermo*. Prædicatio Apostolorum missorum ex Hierosolyma ad gentes, erit sceptrum regni ipsius. Objectum verbi, *Pax*. Cui? *Gentes*, id est, totus mundus.

(c.) in latitudine regni. *Et dominari ejus erit à mari ad mare & à fluvio ad terminos terræ.* Sic solent designari limites terræ sanctæ. Possidebit Israëlitas pleno numero, non aliter quàm si in terra promissionis ab Euphrate ad mare habitantibus imperaret.

3. Regni Christi progressus. Occurrit

a.) Invitatio Sionis, à ℣. 11. cap. 9. ad cap. 10. ℣. 3. Ea constat

(α.) Annunciatione libertatis. ℣. 11. Beneficium libertatis hâc phrasi indicatur. *Dimisi vinctos è fovea, in qua non est aqua.* In servitute elementorum mundi continebantur fideles præ timore mortis. Accedebat jam timor perdendæ libertatis tot sudoribus & laboribus comparatæ, & adhuc recentis: imò perdendæ terræ & reipublicæ. Hîc reverâ *lacus*, *in quo non esset aqua* refrigerii & consolationis. Hisce talibus libertas annunciatur, vinculis demtis: quòd nec legis, nec hæreditatis & populi externi vinculis ampliùs teneantur: atque adeo in lætitia sine metu in quovis loco, sub ficu quisque & vite sua Deum colere possint. Medium hujus libertatis est *sanguis*, qui consideratur ut precium datum: ut solent captivi precio dato liberari, ideo dicit *pro* sanguine. Is *sanguis Testamenti* vocatur, ut notetur 1. à divina promissione, Patribus facta, hoc beneficium pendere. 2. Regem Sioni promissum esse sanguinem fusurum, & moriturum, ita tamen, ut sit ex ea morte salvandus. 3. Filium, qui sanguinem illum fudit, ipso hoc facto testatorem & sponsorem, adeoque Deum Israëlis esse declaratum. Testamentum *tuum* vocando, appropriat Sioni; quia Deus Sionem testamento hæredem justitiæ & libertatis & mundi scripsit, id est, destinavit sibi semen & populum ex Sione. Ita vinctos *tuos* appellando, eos Sioni appropriat, ut innuat, eos esse à Deo, cum Isaaco, vocatos semen, & scriptos filios Sionis.

(β.) Adhortatione vinctorum ad conversionem. Hæc habet argumenta suasoria: 1. ab ingeminatione Doctoris, vers. 12. *Redite* à fiducia templi, principum hujus sæculi, carnalis brachii & sapientiæ, justitiæ propriæ, in quibus nulla soliditas est, *ad arcem* salutis, Christum, *vincti exspectationis*, qui habetis exspectationem libertatis, & non cum reliquo populo spem regni Dei abjecistis.

Argumentum, quo id persuadeat, primum ducit à datione Spiritûs Sancti. *Etiam hoc die alterum Indicem reddo tibi.* Loco scilicet & vice Filii, primi Indicis, profecti ad Patrem, reddo tibi secundum Indicem, qui est Spiritus Sanctus. *Hodie*, id est, postquam Rex Sionis sanguine fœderis vinctos Sionis in libertatem vendicavit, & ex morte salvatus est. Spiritus Sanctus ex officio facilè noscitur, quod est indicare occulta.

Se-

Secunda ratio ſuadens converſionem Judæorum deſumitur à Dei gubernatione circa fideles, quæ ſpectatur in miniſterio illorum circa Græcos. ℣. 13. In hoc verſu, qui fiunt organa Dei ad amplificationem regni & demolitionem arcium, comparantur cum *arcu* ſagittis inſtructo. Intelliguntur inprimis Apoſtoli, omnes tribus, id eſt, Judam & Ephrajimum, repræſentantes: tum etiam credentes ex omnibus tribubus: tum etiam præcipuè ille Iſraël ex Iſraële carnali & ſupplemento gentium collectus, per quem propaget regnum ſuum. Diſtinctiùs in ſecundo colo, inter quos ſit regnum ſuum erecturus, indicat. *Filii Sionis excitabuntur contra filios Javan*, id eſt, mittentur præcones Euangelii ex Sione in Græciam maximè; ut illorum ſapientiam, eloquentiam & potentiam maximè confundant. Gen. 9:28. Num. 24:24. Efficacia comitans hoc miniſterium exprimitur comparatione virtutis, quæ eſt in heroë fortiter vibrante gladium. Hæc eſt δύναμις πολεμαρχική. Act. 1:8. Nam ille eſt *heros* omnia ſibi ſubjiciens. *Sioni* hæc virtus tribuitur, id eſt, Eccleſiæ Iſraëliticæ civitatis jus habenti in Sione, & per Chriſtum regem ei adcorporatæ ex gentibus.

Tertia ratio ad converſionem & ſuſcipiendum ſpirituale bellum contra Græcos, & alios, qui in Occidente, populos, eſt promiſſio manifeſtationis majeſtatis Dei ſuper illos, ad terrorem hoſtium. Senſus: Eſt, cur Hebræi, ſervientes adhuc ſub exſpectatione, accedant ad Rupem veram Chriſtum, & ſpirituali militiæ nomen dent: quia Deus erit apud ipſos, non in nube ac columna ignis, ſed per dona tum ordinaria fidei, charitatis, & omnium virtutum, inprimis conſtantiæ in martyriis: tum extraordinaria linguarum, ſapientiæ, miraculoſarum ſanationum; vindictam hoſtium, ut Ananiæ & Sapphiræ, Elymæ magi; & immediatas operationes Dei; &, ſi non obediant, jactis undiquaque telis judiciorum, & ſigno præmonente edito in templo, inſtar buccinæ (Joſ. Ant. 7:12.) tandem cum procella abibit ab illo populo, quem adhuc paſcit. Zach. 11:7.

Quarta ratio deſumitur à protectione illorum, qui militant Chriſto; eorum exſaturatione ad robur & ad alacritatem. verſ. 15. *Edunt*, id eſt, accipiunt Spiritûs Sancti inſtitutionem, quâ ſolidantur in fundamento, & vires acquirunt in Domino; ita ut *lapides fundæ* in ſe conjectos, id eſt, inſultus Satanæ & ejus omnes furores contra ſe excitatos, poſſint retundere & eorum vim ſubigere. *Bibunt*, id eſt, hauriunt ex fontibus Salutis conſolationem, quâ alacres reddantur, & tanquam à vino geſtientes clamoſo præconio virtutes Dei annuncient ad confuſionem hoſtium.

Quinta ratio ſuaſoria eſt ducta à ſalute in ſuum tempus ipſis parata, quò eripiantur ex certaminis labore. Cap. X. verſ. 1. 2. *Salvatio* hic promittitur à perſecutione gentilium Romanorum, eſtque in quietiorem locum & ſtatum traductio. Salvator ipſorum dicitur *Dominus Deus ipſorum*. Intelligitur, ereptum iri eam Eccleſiam, quæ Chriſtum pro יהוה *Deo ſuo* verè recognoſcit, hæreſes autem abolitum iri. Ea ſalvatio peracta eſt armis non carnalibus, ſed ſpiritualibus. Deus enim pro ipſis, ut paſtor pro ovibus, pugnabit. *Quia lapides coronæ*, id eſt, homines fideles, quorum fides, charitas, patientia lucet coram hominibus, *eminent in terra populi*, ſive *Dei*, id eſt, in terra Eccleſiæ, hoc eſt, ferè in toto mundo. Quod additur verſ. 2. ad commendandam præſtantiam & pulchritudinem populi facit. Sunt *juvenes & virgines*, *vigentes*, *florentes*. Illud ratione roboris fidei, hoc ratione caſtitatis in judicio, quo ſe abſtinent à malo. Cauſa hujus præſtantiæ adſcribitur benedictioni *frumenti*, id eſt, doctrinæ ſalutaris, & *muſti*, id eſt, conſolationis Spiritûs Sancti. (b.) Ad-

(b.) Admonitio adversus idola & imagines. vers. 3. 4. Scopus admonitionis est, 1. solo verbo Dei debere institui Ecclesiam. 2. conversionem hominum non à sæculari fastigio, sed à potentia Spiritûs Sancti exspectandam esse. Ratio est,

1. *quia Jehova facit fulgetra.* Sensus est: Deus Scripturæ dator est; quæ voluntate hominum non est lata. Non est ergo cur ejus sensus hominibus subjiciatur. Sed demonstrationi veritatis, tanquam claro fulguri è Scripturis erumpenti, animus est submittendus.

2da ratio est ab exemplo primitivæ Ecclesiæ. *quia Illis* (δυναμικῶς) *Deus dederit & imbrem & gramen.* Illi sine verbo humano & cathedræ auctoritate ex sola demonstratione verbi divini messem fecerunt. Idem fiat & nunc.

3tia ratio ab exemplo contrario Israëlitarum. In iis animadvertit *imagines & divinos.* Sanè loquitur de iis, quæ Deus ipse instituerat; sed propter abusum sic appellat. Sic figuræ, quibus divinam operationem, & operationem justitiæ alligabant, ipsis erant pro *Imaginibus*; & sedentes in cathedra Mosis, ipsis *Conjectores* facti sunt, quia infallibilitatem quasi ex contractu quodam & incantatione iis alligabant. Confer Amos. 5: 25. 26.

4ta ratio ab exemplo judicii. quòd populus Judaïcus paletur & erret, ut oves, & interim balent, destituti Pastore, quia Pastorem & Episcopum animarum non agnoscunt, & suis rectoribus sunt orbati, & Messiæ, qualem exspectant, adventum crebro balatu petunt. Vos ergo videte, ne in simile judicium incidatis.

(c.) Declaratio iræ adversus pastores; & efficaciæ demonstrandæ in Ecclesia. vers. 5. ad finem cap. 10. Manifesta hic est sententia in Episcopos, & Arietes majores ex grege, qui sunt Principes politici.

Argumentum sive signum probans instantis iræ revelationem est: *Nam visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Judæ. Judam* vocat partem puriorem Ecclesiæ ab Antichristo primitus liberandæ. Hanc visitare & ad illam venire dicitur, tum quia in cœlum ascendit, tum quia quandoque inter candelabra occultatur ipsius ambulatio, ne tam evidenter cernatur. Significat autem visitatio hæc illuminationem & suppeditationem animi ad contradicendum superstitioni & superbiæ Pastorum. Effectum hujus visitationis, eam demonstrans, est: *Et posuit illos, ut equum majestatis suæ in bello.* Animavit illos ad fortitudinem insignem certandi contra Antichristum.

Non aliis hoc elogium convenit, quàm Waldensibus sive Albigensibus. De quibus vide Comment. Cl. Cocceji.

Vers. 6. Incipit declarare favorem erga Ecclesiam in posterum demonstrandum. *Ab ipso Angulus*, falsus lapis angularis, qui se constituit in Ecclesia pro eo, qui eam in unitate contineat auctoritate & potestate suâ, *ab ipso Clavus*, omnia capita blasphemiæ, à quibus homines dependent, Patriarchæ, Cardinales, Episcopi, *ab ipso Arcus belli*, princeps sæculari potestate regens Ecclesiam tanquam regnum mundanum.

Hæc liberatio primò contigit fratribus Bohemis post Constantiense & Basileense Concilium.

Ab ipso exibit omnis Exactor pariter, id est, se separabit suâ sponte & coactus ab Ecclesia omnis obedientiæ legum humanarum exactor, & conscientiæ carnificinam faciens, ut exigens justitiam propriam aut satisfactiones pro peccatis ad justitiam.

Vers. 7.

Verſ. 7. *Et pugnabunt*, ſcilicet armis ſpiritualibus; verbo, ἀναφορᾷ & patientiâ. Etiam corporalibus, ut ſe ab injuſta vi defendant.

Exemplum in Albigenſibus Toloſanis, & Bohemis. qui magnâ vi oppugnati, ſed non expugnati ſunt.

Et pudefacient ſeſſores equorum. Paſtores munitos potentiâ humanâ, & per eam continentes populum ſuum.

Verſ. 8. Procedit pugna ad victoriam. *Et faciam vincere domum Judæ*, ut ſaltem iis cogantur pacem dare.

Jam tranſit ad *Joſephum & Ephrajimum*, id eſt, eos, qui non ſtatim à cœtu Antichriſti diſcedunt, ſed per tempus errores tenent, & eos fundamento ſuperædificant. *Et domum Joſeph ſalvabo.* Poſtquam domum Judæ viſitavero & victores effecero, tum etiam *Ephrajim*, id eſt, electos fideles reliquos in communione Antichriſti ſalvabo per illuminationem illorum. Inſuper promittit collocationem in ſedibus, *ut ſedeant ſeorſim* quiſque *domi* ſuæ *ſecurè*, nimirum poſt multiplicem agitationem & jactationem; ut ex ſequentibus cognoſcere eſt. *Rejecti* ad tempus fuerant propter peccata ſua, tum in communione Antichriſti, tum in perſecutione ejus & diſſipatione.

Verſ. 9. Illuſtratur promiſſio de ſalvatione & tranquillatione Ephrajim. *Corroborabuntur*, non ampliùs claudicabunt. *Et videbunt filii illorum & lætabuntur & geſtiet cor eorum in Jehova.* ut datore fidei, juſtitiæ & ſalutis.

Hoc de nova Euangelii manifeſtatione ſive Reformatione poſt Albigenſes & Waldenſes & Wiclefi ac Huſſi diſcipulos facillimè accipitur.

Verſ. 10. Ad illuſtrationem promiſſionis etiam pertinet collectio. *Sibilabo illis & colligam illos*, in cœtus: quia virtute mortis meæ & potentiâ divinâ *redemi ipſos.*

Tale quid factum eſt tempore Caroli V. in Germania, & ſic porro in aliis partibus.

Verſ. 11. Redemtionem ſequitur diſperſio, ſed & vivificatio inter populos. Tale eſt, quod ſignificat. Poſtquam plantavero & colligere incepero Eccleſiæ partes, quæ poſt primam oppoſitionem Waldenſium, Wiclefi & Huſſi diſcipulorum manſerunt in communione illius cœtûs, in quo dominantur Paſtores &c. poſt illud, inquam, tempus, & poſt Eccleſiæ multiplicationem in pace, tum adducam validas gentes in medium ejus, ut pauci illi cœtus particulares, familiæ, homines, in medio illorum populorum, regnorum & imperiorum ſint, unà cum reliquiis aliis, ut Græcis, qui ad ipſos pertinent, tanquam diſperſi inter populos. Sed promittitur, quòd hæc diſperſio ipſis non ſit obfutura, quia *recordabuntur in longinquis Dei, & vivent & filios habebunt & revertentur.*

Verſ. 12. Specificat populos, unde fiet recollectio. *Et reverti eos faciam ex terra Ægypti, & ex Aſſyria eos colligam. Ægyptus* hic ſpiritualis intelligitur, Regnum Papale, ditio Antichriſti. *Aſſyrius* neceſſariò intelligitur Turca. *Reducam ex Ægypto*, notat plenam ereptionem ex ditione Antichriſti. *Colligam ex Aſſyria.* Videtur dicere Chriſtianorum, qui ſunt in Turcæ ditione, conciliationem cum Eccleſia Reformata, libertate conceſſâ ab Aſſyrio. Confer Mich. 4:6. Specificat & terminum, ad quem, recollectionis, ad habitandum. *Et in terram Gilead & Libani adducam illos: & non ſufficiet illis.* Habitabunt Chriſtiani captivati in Oriente, ut olim, florentibus Eccleſiis. Quo facto, eodem modo cum

ipsis agetur, atque si Galeaditæ, sive Israëlitæ, qui primò fuerunt abducti ex Gileade, 2 Reg. 15 : 28. redirent in patriam. Mich. 7 : 14.

Verſ. 13. Eſt medium procurandæ & promovendæ libertatis. *Et tranſibit per mare*, id eſt, per totum mundum, *afflictio*, *& percutiet*, componet Deus, *in mari fluctus*, & motus mundi; inprimis divitias & copias Papæ & fulcrorum ejus exhauriet. Sic *exareſcent profunda Nili*. Fortaſſis etiam belli alicujus in mari gerendi acerbitas notatur.

Hoc futurum eſſe credibile eſt ex iis, quæ facta ſunt.

Et dejicietur faſtus Aſſyrii, & ſceptrum Ægypti abibit.

Hæc nondum per hiſtoriam ſunt illuſtrata. Poſſunt tamen ex Eſ. 19 : 23. ceu parallelo ita exponi. Quum undæ Nili exſiccatæ erunt, tunc *Aſſyrius* utetur *faſtu*, ſcilicet ut veniat in Ægyptum. *Retundetur faſtus Aſſyrii*, venientibus Ægyptiis *in Aſſyriam*. Sed *ſceptrum Ægypti abibit*, *& ſervient Ægyptii Aſſyrio*. ſaltem tributo. Adde Hab. 3 : 16.

Verſ. 14. Victoria pugnam & afflictionem ſequitur. *Et faciam, ut vincant, in Domino.* Hæc erit victoria Ephrajimi, ut regna mundi ipſi ſerviant. Victoriæ finis & fructus eſt converſatio Deo digna. Hoſ. 6 : 11. *Et in nomine Domini ambulabunt: dicit Dominus.* Confer Mich. 4 : 5.

C A P. XI.

De judiciis agit, ſive de deſtructione eorum, qui regnum Chriſti ſpirituale non admittentes regnum mundanum partim retentaturi erant in populo Iſraëlitico, partim erecturi in Eccleſia Chriſtiana. Ita explicat cap. 9 : 8. & 10 : 4. 5. Eſt hic

I. Propoſitio. verſ. 1. 2. 3. Sub Hieroglyphico Libani & cedrorum ejus oſtenditur deſtructio Politiæ Judaïcæ, non obſtantibus munimentis ejus, quale Libanus ad Septentrionem terræ Canaan erat. Et templum ex lignis Libani contabulatum fuit. Et rectores populi erant ut *cedri*, uncti quaſi Domini, & *magnates*. Et populus Iſraëliticus quaſi mons cedrorum, & *ſylva vindemiæ*, id eſt, vinea ſilveſcens, fuit. Et tamen eorum *Paſtorum*, qui à Deo ad regendum gregem inſtituti erant, *magnitudo vaſtata eſt*. Humiliati ſunt. Id judicium Paſtoribus & Principibus dominaturis in Eccleſia collecta ex Gentibus proponitur ſpectandum, ne in illud incidant, qui tantùm *abietes* ſunt, quoad externam ſpeciem cedros quidem imitantes, & ſe pro iis venditantes, ſed minimè nec materie, nec oleo, nec fragrantiâ, nec utilitate cum iis comparandi, & *quercus Baſan*, in quibus quidem magnum robur, ſed nullus fructus, niſi glandes pro ſuibus; & *Leones*, qui ſe ipſos conſtituerunt Dominos gregis, gregi non parcentes. *Qui rugiunt*, ullam compaſſionem meriturі, rugiunt, ut Leones, omnium venationi expoſiti, & tamen omnibus terribiles. *quia vaſtata eſt celſitudo Jordanis.* Spoliati ſunt ſuffugio ſuo, ex quo prædentur, qualis Leonibus erat *ſaltus Jordanis*, id eſt, ut videtur, ſaltus Jordani aſſitus.

Hunc rugitum jam ſenſit Eccleſia.

II. Exergaſia in reliquo capite. Ea habet

1. Mandatum Dei ad Chriſtum de paſcendo grege. verſ. 4. 5. 6. *Sic dixit Jehova Deus meus.* Verba ſunt Chriſti de Patre; quem vocat *Deum ſuum*, à pacto, quod

quod cum ipso habet de salute Ecclesiæ per obedientiam suam, ut hominis, procuranda. *Pasce oves*, vi meriti tui, per verbum & exemplum tuum & Spiritum Sanctum in libertate. Oves, inquam, *occisionis*. Sub Veteri Testamento enim erat occisio non vivificatio. cap. 9: 11. *Quas qui emunt*, quovis beneficio redigunt in potestatem, *occidunt*, multis modis corporaliter, &, quantum in ipsis est, spiritualiter. Hos. 2.: 7. Intelliguntur tyranni, qui ante adventum Christi dominati sunt in populum, & eorum similes. *Et non fiunt rei*, non puniuntur. Fideles persequi & occidere laus habetur in mundo. Hæc magna causa est manifestandi regni Christi in mundo. Nam eo regnante facilius est in afflictionibus gloriari.

Vers. 6. *Ego faciam incidere hominem quemvis in manum proximi sui.*

Judæi intestinis cladibus consumti sunt: etiam in ipsa obsidione Hierosolymorum.

& in manum regis sui.

Quemadmodum per Hassamonæos reges cœptum, & Herodem & ejus posteros, deinde per Romanos (Joh. 19: 12. 15.) perpetratum.

& contundent terram gentes, *& non eripiam è manu illorum.* scilicet donec tempora gentium impleantur, & Judæi ad Christum revertantur.

2. Narrationem pastionis Christi. in seqq. Ea habet

(a.) Initium & finem facti, vers. 7. colo 1. Narrat Christus, quòd ovibus occisionis pascendis operam dederit, sive inceperit ipse regere & pascere oves. Inter actus pastorales est traditio animæ suæ. Joh. 10: 14. Finis, cui, sunt *recti & parati inter inopes ovium*; qui scilicet verbo promissionis adhærescebant. Non enim omnes viles & miseri in populo erant oves Christi: maxima enim pars traditionibus patrum dediti erant.

(b.) Explicationem modi pastionis in tribus temporibus.

Primi temporis gubernatio est vers. 7. in medio, usque ad vers. 14. Distinguit initio instrumenta à causa principali. Christus in Novo Testamento pascit suos Spiritu suo, & verbo palam annunciato per eos, quos ipse donis ad id aptos reddidit, quos hic, Emblemate pulcherrimo, *Nautas* appellat, qui sunt multi & habent distincta munia, & fraternum ordinem inter se servant & ad salutem navis æquali potestate incumbunt. Id πρεσβυτέριον est.

Alteram virgam, ceu pastionis instrumentum, respectu gentis Judaïcæ, appellat *Clementiam*. Quâ incisâ, rumpitur fœdus populorum, id est, pax gentis Judaïcæ & Romanorum. Ergo *virga* hæc significat eos, sub quibus gens Judaïca fuit ante ruptam pacem. Fuerunt autem sub Cæsaribus & eorum Præsidibus. Ii clementes & tolerabiles ipsis fuere. Quod adeo verum est, ut inde consecutus sit amor Romanorum & fornicatio. Hos. 2: 7.

Vers. 8. Est connexum pastionis Christi sive effectus. *Et abolevi tres illos pastores*, id est, tres ordines rectorum populi, qui erant Sacerdotes, Doctores sive Prophetæ, Judices. Vide Mal. 2: 12. Hi מחקקים Gen. 49: 10. *mense uno.* Triginta annis in eo fui, ut ipsos abolerem, in conturbatione & tandem prostratione reipublicæ per bellum Judaïcum, scilicet post Christi ascensionem, & Spiritum Dei datum incircumcisis, & sic bis antiquatam legem ceremonialem.

Bellum Judaïcum conflatum est, secundùm Calvisium, A.C. 66. Deme triginta annos, incides in annum trigesimum sextum. Jam Christus anno æræ Christianæ vulgaris trigesimo tertio passus putatur à Calvisio &

Helvico. Supereſt pars ſeptimanæ primæ quædam, nimirum tres anni & aliquot menſes. Circa quod tempus vocatio Cornelii poni poteſt, ut inde initium numerandi capere poſſimus. Ex Actis & Epiſtola ad Galatas hoc de tempore baptiſmatis Cornelii dicere poſſumus. Eum baptiſatum, poſtquam Paulus Damaſco veniſſet ad Apoſtolos, cognoſcimus ex Act. 9: 27. Nam verſ. 32. ſubjicitur viſitatio Petri, & iter Lyddam & Joppen, ubi vidit viſionem, quæ exponitur cap. 10. Jam verò Paulus Damaſco venit Hieroſolymam poſt tertium annum à converſione ſua. Gal. 1: 17. 18. Hæ ſunt ἡμέραι ἱκαναί. Act. 9: 23. Converſio Pauli ponitur in annum, qui ſecutus eſt paſſionem. Calviſius & Helvicus à Chriſti morte ad Florum triginta annos computant.

Brevitas animæ iram ſignificat & indignationem, quæ patientiæ & longanimitati opponitur.

Verſ. 9. Excidium præcedit præmonitio in denunciatione & traditione ad mutuam conflictationem. Ea denunciatio per Apoſtolos ſæpe facta eſt. Act. 13: 46. 18: 6. 28: 28. Traditio illorum eſt *in mortem*, id eſt, odium Chriſti & indurationem in opinionibus ſuis: & *conſumtionem* ſive ἀφανισμὸν, ut contabeſcant in ſuis ærumnis, anxietate & vano Chriſti ſui deſiderio. Reliquæ non curantes religionem ſe ipſas conſumant.

Verſ. 10. 11. Subtexit ſublationem lenioris gubernationis, & ejus effectum in populo, & in rectis inopum populi. Senſus ſimplex jam patet. Tollam clemens illud regimen Romanorum. Hoſ. 1: 8. 9. Mutabo animum illorum ad feritatem exercendam, ut in Geſſio Floro & Domino ipſius Nerone factum eſt. Vide de clementia Romanorum Notas Cl. Cocceji.

> Pax illa rupta bello Judaïco, quum ſcilicet gens contra gentem, Judæi in Græcos (ſic Apoſtoli diſtinguunt) ſurgerent. In initiis iſtis res non ſubſiſtit, ſed progreſſa eſt, uſque ad Romani Imperii, quoad formam ſuam, immutationem, Cæſarum poteſtate peſſundatâ, erecto faſtigio Papæ, & regum earum gentium, quæ in Imperium Romanum influxerant; maximæque partis abreptionem per Sarracenos & Turcas.

Verſ. 12. Juſtificat ſuam ἀποτομίαν *ſeveritatem* per narrationem antecedentis injuriæ, quum triginta ſiclis eum æſtimaverunt, ut auferretur ab eis. Alibi aliæ partes paſſionum Chriſti exprimuntur: hic προδοσία & emtio ejus è manu Judæ προδότου. Chriſto id attribuitur, quod Judas fecit, quia Chriſtus volens permiſit eam proditionem à Juda fieri. Reliquorum ſimplex enarratio hæc eſt. Deus Pater voluit & ordinavit, ut ego providentiâ meâ ſic cor Judæ gubernarem, ut is argenteos à ſacerdotibus acceptos in templum conjiceret, idque ut vilitas pretii, quo ſum ab illis æſtimatus, (verba hæc Dei Patris ſunt) quò auferretur ab ipſis, toti mundo innoteſceret. Quippe quem debebant magno mercari, ut retinerent, pro eo precium dederunt, ut auferretur. Porro voluit Deus, ut in perpetuam rei memoriam, & ad renudationem conſcientiæ illorum malæ pecunia in templum conjecta daretur figulo pro agro. In vocibus אדר היקר eſt ironia.

Secundi temporis gubernatio eſt verſ. 14. In eo eſt 1. Continuatio paſtionis per virgam alteram, & ejus paſtionis connexum, *fraternitas inter Judam & Iſraëlem*. 2. Sublatio inſtrumenti paſtionis, & connexum conſequens.

Hic locus evidenter probat mutationem factam in regimine Eccleſiaſtico, & qui-

quidem talem, ut non amplius communi consilio & auctoritate ἡγεμόνων, plebi non imperantium sed præeuntium, sed Canonibus & legibus Episcoporum, eorumque jurisdictione Ecclesia regeretur. Sicque pro eo, quòd olim Ecclesia Christiana ex vocatis duodecim tribuum & Gentium collecta unum corpus constitueret, jam duæ quasi partes ejus sint factæ, quarum una Occidens *Judam* referret; altera Oriens *Israëlem* sive regnum duodecim tribuum.

Ruptura fraternitatis insigniter fieri cœpit in Concilio Chalcedonensi, ubi Leo I. Papa, quum doctrinam approbaret, non approbabat Canonem de secundo loco Constantinopolitani: quo Canone Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus suo loco moti sunt. A. C. 451. Alia dissensionum exempla vide in Comment. Cl. Coccîji.

Tertii temporis gubernatio est vers. 15. 16. 17. Incisâ jam virgâ Nautarum, id est, ruptâ fraternitate inter Judam & Israëlem, Occidentem & Orientem, Deus voluit in Ecclesia *capere*, id est, admittere instrumentum & modum gubernandi, quo utitur Pastor stultus. *Pastor*, unus, qui, quamdiu præest, socium non habet. *Stultus*, qui non agit secundùm præscriptum verbi Dei. *Instrumentum* ejus est potestas leges ferendi & exsequendi potentiâ mundanâ tum illius Pastoris, tum ministrorum ejus, tum regum cum illo fornicantium.

Longum est enarrare, quomodo Papæ post controversiam imaginariam in Italia & Occidente creverint. 1. dum per aspernationem Imperatorum Græcorum se constituunt ἀνυπευθύνους, & Dominos urbis Romæ. 2. dum per reges Longobardorum & Francorum ditantur. 3. dum Episcopos αὐτοκεφάλους cogunt sibi subjici. 4. dum legem de cœlibatu Clericorum perurgent. 5. dum investituram Episcoporum & imperium in Clericos regibus extorquent. 6. dum reges deponunt & constituunt, suosque vasallos & tributarios faciunt. 7. dum jus proprium condunt, & judicium Ecclesiasticum in modum politici instituunt & ad suum tribunal omnia revocant. De quibus plura ad Hos. 10.

Vers. 16. *Nam ecce ego faciam surgere Pastorem*, qui nomine & officio sit Pastor, sive Presbyter, Doctor, & Rector Ecclesiæ, *in terra*, in Imperio uno Christiano, quod ab alia parte divulsum Juda suprà appellabatur. Sed hæc pars *terra* erit, id est, respublica reliquis partibus collapsis & proculcatis. *Contabescentes*, languentes in fidei parvitate ac multiplici dubitatione, *non visitabit*, ad instillationem veræ fidei & pietatis, per demonstrationem veritatis è Scripturis. *Excussum* sive separatum per seductionem, *non quæret* ad retrahendum ab errore. *Fractam*, adeoque & claudicantem vi scandali ac tyrannidis, per quæ animus minuitur ad procedendum in via Dei, *non sanabit*, ad alacritatem in Domino. *Consistentem* in fundamento *non sustentabit*, suppeditatâ alimoniâ spirituali ad perseverandum & crescendum non adjuvabit. *Et carnem opimæ comedet*. Principes sæculi, Episcopos, Prælatos, omnes divites exhauriet & sibi subjugabit; *& ungulas earum divellet*; tum legibus tum tyrannide efficiet, ut, cujuscunque generis sint, liberè sine metu, sine claudicatione & offensione, sine mala conscientia incedere non possint.

Comminatio judicii, vers. 17. *Væ Pastori Nihili*, id est, nullam aptitudinem habenti ad pascendum oves, *relinquenti Oves*, id est, non pascenti, non docenti

ac regenti, quemadmodum oportet. *Gladius* corporalis *in brachium ejus. Brachium ejus exarescendo exarescet.* Protectores ejus, Imperatores & Reges, gladio corporali fient aridi & impotentes.

Exempla sunt in mundo. De Carolo V. loquitur Ef. cap. 23.

Et gladius spiritualis, lux verbi divini, *in oculum dextrum ejus*, id est, in Consiliarios ejus, Episcopos, Doctores, qui sunt oculus ejus dexter. *Et oculus ejus dexter hebescendo hebescet.* Verbi divini luce ita confodientur, ut dum consulto torquent Scripturam, ut regnum stulti illius pastoris defendant, in Cimmerias tenebras incidant, & mendacia pro articulis fidei cum anathematis cogantur stabilire.

Ut in Concilio Tridentino factum est.

Sermo quintus & ultimus Prophetiæ inchoat à temporibus citimis prophetiæ, & definit in temporibus ultimis, antecedentibus judicium novissimum. Occurrunt

I. Præfatio sive titulus. vers. 1. Cap. XII. *Prolatio verbi Jehovæ*, id est, declaratio divini decreti, *super Israële*, ad quem etiam Ecclesia Christiana ex Judæis & gentibus collecta pertinet. *Dixit Jehova, qui extendit cælum*, adeoque & curam gerit astrorum & aëris, ad producenda & maturanda opportunis temporibus germina terræ, conservandæ vitæ hominum & animalium utilia; &c. *& fundat terram*, elevando eam supra aquas, aptum hominibus domicilium futuram, ex ea producendo stirpes & plantas, & imprimis eam distribuendo inter homines ad habitandum, *& format spiritum hominis in eo*, non tantum eum inspirando, sed etiam distribuendo dona animi, præcipuè donum amoris & timoris Dei, cui vult. Scopus hujus descriptionis est, ut fundetur fides unius veri Dei, sicque indicetur, Deum velle & posse exstirpare omne nomen falsorum Deorum in terra, denique ut humilietur Israël, & de sua electione ne nimium præsumat.

II. Oracula ipsa. Ea secundum tempora distinguere possumus. Nimirum

A. ea, quæ agunt de antecedentibus Salvationem, ad vers. 7. Ea sunt triplicia.

1. de concitatione cupiditatis hostium contra Hierosolymam, & punitione omnium attingentium illos per vertiginem. ℣. 2. Quatuor hic.

(a.) Incrementa politiæ Judaicæ sub Synedrio Hierosolymitano. Vide Neh. 11; 1.

(b.) Invidia populorum & cupiditas iis incrementis excitata.

(c.) Pœna omnium regum delibantium ex illa pelvi, *vertigo*.

(d.) Incitatio furoris hostilis per principem populi Judaici.

Intelligitur vertigo illa, quâ gentes agitatæ sunt, Seleucidæ & Lagidæ, quòd de bonis Hierosolymæ gustassent, & in illa placitum suum fecissent, inter quos præcipuè Antiochus illustris eminet, qui A. Sel. 143. sanctuarium ingressus est, & A. Sel. 145. profanavit altare, ut primus Maccabæorum memorat; & ita bibit ex hac pelvi. Tum verò Sacerdotes principes Judææ adjuverunt regis conatus, & Hierosolymam obsederunt & oppugnarunt. Vide Comment. Cl. Coccæi.

2. de frustratione oppugnationis. vers. 3. 4. 5. In vers. 3. significatur studium regum contra Hierosolymam, scilicet movere eam de loco suo, aut gerendam imponere suis humeris. Sed *lapis* erit *bajulationis*, non erit lapis, qui fundâ rotari, vel manu tolli & projici possit, sed viri humeros requirit, ut bajuletur. Respicitur ad

ad morem veterem inter juvenes in Judæa usitatum, ad rotundos lapides gravissimi ponderis se exercere, & eos pro varietate virium sublevare, dum alii ad genua, alii ad umbilicum, alii ad humeros & caput, nonnulli super verticem rectis junctisque manibus pondus extollebant. Vide quæ ex Hieron. not. Cl. Cocceius.

Vers. 5. Fructus frustrationis hostium, agnitio efficaciæ fidei Ecclesiæ & gratiæ Dei erga eam, propter fœdus suum, ut discant homines non sibi confidere; sed Deo.

Historia horum versiculorum est in Maccabæis; scilicet ex quo Mattathias populo Dux fuit ad pugnandum pro religione & templo ac libertate; nempe ab anno 145, usque ad annum 177. Seleucidarum.

3. de prolatione imperii Hierosolymæ & pace ejus. vers. 6. Duæ partes hujus versûs.

(a.) Dilatatio imperii. *Illo die*, tempore afflictionis, sed cum mirabili Dei auxilio, *ponam duces Judæ*, Sacerdotes & Seniores constituentes Synedrium, consequenter omnes præfectos populi, *ut foculum ignis in lignis, & flammam ignis in manipulo*. Facilitas subactionis hostium per gradus indicatur. *Et comedent ad dextram*, id est, meridiem, *& sinistram*, id est, septentrionem.

Notatur hic præter ea, quæ dicta Zach. 9: 7. Idumæorum, qui ad meridiem, adjunctio ad fœdus.

omnes gentes circumquaque. Ita nec Palæstini nec Arabes eximuntur. De illis cap. 9: 7.

(b.) Pax. *Et Hierosolyma*, corpus civium Hierosolymitanorum, *habitabit subter se in Hierosolyma*. Id opponitur conatui bajulationis & translationis, cujus intentio erat, efficere, ut auferretur Hierosolyma à facie Dei, id est, ut Deus memoriale nominis sui in ea non haberet, ut Antiochus tentavit, Jovis templum vocans, quod erat Dei.

B. ea, quæ agunt de salvatione & rebus ei connexis. Ea pertinent.

1. ad tempus *ἐπιφανείας* ejus in terra. vers. 7. 8. *Et*, postquam ultimam illam afflictionem Antiochi sustinuerint & pervicerint, & quum jam in terra imperitabunt, nemine impediente, imò etiam in civitatibus Palæstinorum, Idumæorum ac Arabum, & extra terram plurimas colonias habebunt, (confer Zach. 8: 5. 6. 23. Deut. 30: 5. 6.) eo tempore, quo Hierosolymæ cultus Dei & exercitium legis cerimonialis vigebit, ibi partem populi *salvabit* Deus per illuminationem ad cognitionem salutaris Dei, id est, Christi & justitiæ ejus, *tentoria Judæ initiò*, id est, eos passim, qui habitant in terra ad colendum agros; unde illud: *Ad tentoria tua, Israël. Eò ut non magnificetur decus domûs Davidis*, id est, ne majestas terrena, quam domus Davidica olim habuerat supra Judam, & tunc post captivitatem jacuerat, ullà ratione supra Judam extollatur iterum, id est, ut filius Davidis non in majestate terrena veniret, sed עני inops; Zach. 9: 9. *& decus habitatoris Hierosolymæ super Judam*, id est, eorum, quorum ordinaria & propter statum reipublicæ necessaria Hierosolymis & apud templum habitatio erat, potestas magnificetur super Judam. Quia omnino Christus non debebat venire ἐν δόξῃ τιμῆς, & in ἀξιώματι πολιτικῷ, nec ministri ejus debebant habere tale regimen, quale sedentes in cathedra Mosis. Deut. 32: 5.

Docet hic locus, initium prædicationis Euangelii fieri debuisse extra Hierosolymam: ut Baptista ad Jordanem in deserto prædicavit, & Christus in Galilæa.

Vers. 8.

Verſ. 8. Propheta ab agris & tentoriis Hieroſolymam reducit regnum Dei & ſalvationem. Habebit etiam Deus, quos ſalvabit Hieroſolymæ, idque per miniſterium & legationem ſalvatorum è tentoriis, ut ex Galilæa, Apoſtolorum & diſcipulorum ſuorum, quos mittet ad omnes tribus, & qui crediderint, pro civibus & *habitatoribus Hieroſolymæ* habebit. Eos Deus *defendet* ab inſidiis principum iſtius ſæculi, & violentiâ eorum, *illo die*, toto illo tempore, quo ſalvabit tentoria Judæ per prædicationem Filii. *Et erit languidus inter ipſos*, Apoſtoli & diſcipuli Chriſti, qui ipſum ſecuti ſunt, *ut David*, qui ſimiliter à Saule perſecutionem paſſus eſt: ut relinquerent omnia & Chriſtum ſequerentur; ut cum eo latitarent & prodirent in publicum, ut, quocunque miſſi eſſent, dicerent facerentque, quæcunque juſſi erant. *Et domus Davidis*, id eſt, aliquis ex domo Davidis, nempe Chriſtus, *ut Deus* erit coram ipſis, non tamen planè in majeſtate & gloria divina, ſed *ut Angelus Dei*, id eſt, mediator.

Faciet opera Dei, & diſcipuli in nomine ejus facient. Adeoque ſe talem exhibebit, ut quivis tutò ſe ei committere, ac in eum credere, & eum Deum ſuum nominare poſſit.

2. Ad tempus conſequens exaltationem Chriſti. De eo habetur

(a.) Generalis propoſitio. verſ. 9. *Eo die*, quum manifeſtatus fuerit Filius David, *quæram exſcindere omnes gentes*. Sunt verba Dei Patris. Indicatur, multas gentes repugnaturas regno Dei, idque in variis regnis & imperiis. Et, omnia imperia vel ſubjectum iri Chriſto, vel exciſum, *quæ veniunt contra Hieroſolymam*, id eſt, Eccleſiam, eamque oppugnant.

(b.) Specialior explicatio deinceps. Quatuor hic ſunt partes.

Prima agit de Donatione Spiritûs Sancti & conſequenti effectu ac judicio. verſ. 10.--14. Continet ergo duo, beneficium & judicium.

Beneficium eſt effuſio Spiritûs Sancti. confer cap. 9: 11. 12. Ea eſt munitio Eccleſiæ adverſus ingruentes tentationes. Eum vocat *Spiritum gratiæ*. Intelligitur gradus fidei dignus gratiâ, quæ iræ, quam operabatur Lex, opponitur. *Spiritus* autem vocatur id, quod Spiritus operatur, & quo ſuam inhabitationem teſtatur. *Et ſupplicationis*, implorationis gratiæ, quæ imploratio fit per *υἱοθεσίαν* filiorum. Signum donationis Spiritûs gratiæ & precum eſt effuſio extraordinaria Spiritûs Sancti in Apoſtolos. *in domum Davidis & habitantem Hieroſolymis*, id eſt, poſteros aliquos Davidis & partem civium Hieroſolymitanorum, & inter eos ipſorum principum. *Et intuebuntur me cum eo, quem transfoderunt*, id eſt, credent in me & Filium meum, cujus hic pars paſſionis exhibetur in transfixione. *Et plangent ſuper illo*. Planctus denotat deplorationem peccati confodientis Chriſtum. Omnes rei ſumus confoſſi Chriſti, quia propter peccata noſtra confoſſus eſt; *ut planctum ſuper unigenito* Dei Filio; nam ratione humanitatis non eſſet unigenitus; *& amarè flebunt ſuper illo*, *ut amarè flent ſuper primogenito* multorum fratrum, id eſt, qui ante omnes filios Dei eſt, & ſine quo nemo fit filius Dei, ac proinde in quo ſanctificantur omnes filii Dei. Implementum vide Act. 2: 36. 37.

Judicium eſt in non plangentes ſuper confoſſo, ut plangant ſuper alia cauſa. Singuli privam cauſam plangendi habebunt. Domus David planget ereptâ ſibi ſpe regni, quum videbunt interire rempublicam. Domus Nathan Prophetæ, illiuſque ſucceſſores degeneres plangent ob interitum ſuæ magnitudinis. Ita ſacerdotes ob interitum ſacerdotii: Simeitæ, Levitarum familia (1 Chron. 6: 14.) referentes illum

illum Simein Benjaminitam, qui Davidi maledixit, plangent ob sui ministerii abolitionem. Sic cæteræ familiæ, quæ supererunt, quævis ob suum commodum per destructionem Reipublicæ ereptum lamentabitur. Fœminæ verò deplorabunt filios suos & fructum ventris sui. Confer Hos. 9 : 11—14. Æstimatur autem hujus planctûs magnitudo per comparationem planctûs, qui fuit, occiso Josiâ in bello, circa Hadadrimmon, locum postea Maximinianopolin dictum, secundùm Hieronymum. Vide ad Hos. 1 : 5.

Secunda pars agit de liberatione fidelium à jugo cum fructu justificationis sive consummationis conscientiæ. Cap. XIII. vers. 1. *Eo die*, quo familiæ Judæorum plangent, domus David &c. habebit fontem apertum. Quod carnalibus erit tristitiæ, id spiritualibus erit ad consolationem & lætitiam. Beneficium est *fons apertus*. Is opponitur clauso & velato. Aditus ad illum fontem erit omnibus liber. *Fons* notat sanguinem fœderis. Zach. 9 : 11. qui effusus est per confossionem. cap. 12 : 10. cujus aspersione fit ablutio *à peccato & menstruatione*, id est, tum ab exsecratione legis, quæ imminet peccato omnium hominum, sive Judæorum sive gentium; quæ ἁμαρτωλοὶ appellantur. Rom. 3 : 7. Gal. 2 : 15. tum ab accusatione legis, quæ genus humanum impurum declarat, donec fiat expiatio: quæ accusatio est causa servitutis. Est impuritas cerimonialis & moralis. Illa testatur, hanc nondum esse expiatam.

> Per destructionem templi & trium pastorum abolitionem aditus ille ad fontem, qui expurgat peccata & immunditiem, à velo & occlusione est liberatus.

Tertia de exstirpatione idolorum & falsorum prophetarum ex terra. ℣. 2—9.

Exstirpatio idolorum gentilium *ex terra*, id est, Imperio quodam magno, Romano, Ecclesiæ ad inhabitandum præparato, postquam Hierosolyma diruta & populus dissipatus fuerit, quod sub Vespasiano & Adriano factum, prædicitur ℣. 2. p. 1.

Repurgatio Ecclesiæ à falsis prophetis est in vers. 2. p. 2. & vers. 3. *Prophetæ* hîc vocantur, qui quid non auditum in nomine Dei annunciant credendum. Hi jugulati & confossi ℣. 3.

> Exemplum prophetarum confossorum præbent hæretici, qui sua somnia in Ecclesiam invexerunt, minimè convenientia cum Scripturis, & eo, quod Ecclesia Christiana ab initio crediderat. Ita factum in Photinianis, Samosatenianis, Arrianis, Eunomianis, Nestorianis, Eutychianis, aliisque pluribus. Quidam etiam ad mortem damnati sunt, quum contumaciter prophetarunt. quod cum verbis hujus prophetiæ convenit. Id tamen in Priscillianistis non probavit Martinus Episcopus & Sulpitius Severus.

Vers. 4. & 5. Prophetia novum quoddam genus pseudoprophetarum ostendit introiturum in Ecclesiam. Hi deponent pallium pilosum abnegandi causâ susceptum, repudiabunt nomen prophetarum, & officium interpretandi Scripturas ad Papam relegabunt; dicent se cultores terræ. Scopus ipsorum erit, agriculturam, & alias artes victui commodas promovere, & divitias sibi & populo coacervare. Hoc se jus habere, quia *Homo*, id est, Imperator vel Papa, vel uterque eos investiverit, non sine precio. Tales Episcopos etiam in pueritia constitutum iri significat, dum addit: *à pueritia mea*. Eos irridet in vers. 6. propter affectata religionis signa, plagas in pectore. Pectus enim contundunt. Imò & flagellant se ipsos. Si interrogetur, quid illa verbera sibi velint? unde illæ plagæ sint? Respon-

fpondebunt: Quòd iis plagis affecti fint in domo amantium ipfos. Scriptura *amafios* ipforum appellat, quos ipfi *Sanctos & Patronos* fuos nominant, intelligendo Dæmonas, quibus credunt ad fiduciam fuam collocandam in Sanctis Angelis & Beatis hominibus, & ad invocandum illos. His adde Imagines Dei, Chrifti, Angelorum Sanctorum, idola aurea, argentea, ænea, lapidea, lignea. Iis tribuit *domum*, quia ipfis templa, & confequenter altaria dedicarunt.

Verf. 7. Ad confutationem falforum prophetarum, & confirmationem piorum interjungit decretum Dei de paffione Chrifti, & difperfione Apoftolorum, itemque recollectione eorum, idque in typum gubernationis Ecclefiæ. q. d. Quum paftor unus fit, isque tam longè abfuerit ab affectatione regni temporalis, ut à principibus gladio vel haftâ fe confodiendum præbuerit. Quid igitur hi nunc faciunt, qui, cùm velint haberi prophetæ, tamen non prophetant, explicando Scripturas, fed fidem fuam fubjiciunt homini, qui ipfis agros vendit, & regnum temporale affectant? Rurfus, cùm in Apoftolis demonftrârim, hanc effe fortem Ecclefiæ, ut propter Chriftum in odio mundi fit, & fæpè cogantur difpergi: quid igitur illi triumphant, fibi agros datos & mundum totum regendum datum ab homine? Denique nonne in Apoftolis demonftravi, *Me* effe illum, qui colligit Ecclefiam, quum humiliata eft & imminuta in oculis fuis? quos ego dejectos ab opinione mundani regni indui virtute ex alto, & illis mundum fubjeci; unde confecutum eft, ut gentes opes fuas in Ecclefiam intulerint, quibus jam Epifcopi utuntur ad lafciviam. Paftorem autem à fe datum vocat *Virum proximum fuum.* q. d. Virum, qui par eft mihi, qui unam habet mecum naturam, cujus gloriam quæro, & propterea dedi omnia in manum ejus, ut fuos fanctificet, & omnia fubjiciat Deo & fibi. Denominat eum à natura humana, fecundùm quam & gladius eum percutit, & à divina.

Verf. 8. Exponitur decretum de Ecclefiæ reformatione per feparationem τ̃ δοκίμων. *Et erit in tota terra*, id eft, in tota Ecclefia externa vocatorum, *dictum Domini*, *duæ partes ejus exfcindentur*, id eft, feparabuntur à δοκίμοις.

> Schifma, quod factum eft, five per anathemata Papæ, five per fecesfionem eorum, qui veritatem agnoverunt, eft Excidium eorum, qui in errore verfantur.

Exfpirabunt, id eft, ipfum fundamentum abnegabunt. Quod de omnibus credere non licet. *Et tertia pars fuperftes erit in illa.* Non exfcindetur ab Ecclefia. Pauci erunt præ illis, qui abfcindentur.

> Non eft nova religio, quam amplectitur Ecclefia Reformata, fed vetuftæ religionis reformatio facta per feparationem errorum & abufuum, eorumque receffionem, qui in errore verfantur.

Verf. 9. Eft Ecclefiæ feparatæ ab errantibus probatio, & probatæ illuftratio. *Et introducam tertiam illam in ignem, & conflabo illos, prout conflatur argentum; & probabo illos, ut probatur aurum.* Exploratio fidei per multas tribulationes fignificatur.

> Gloria Ecclefiæ Reformatæ eft perfecutio, quam paffa eft in Waldenfibus, Huffitis, aliifque membris fuis.

Effectus explorationis eft manifeftatio fidei non fictæ, & gratiæ Dei erga illos, cum ipforum gratiarum actione. *Ille* in tentationibus *nuncupabit* conftanter *nomen meum*, tanquam auctoris fidei fuæ, vel *invocabit me*, *& ego refpondebo illi*, id eft, faciam illis, quod petunt. Liberabo illos à perfecutionibus, & dabo eis pacem.

Quo-

Quomodo? *Dixi: Hic est populus meus.* Tanquam ἀπὸ μηχανῆς prodibo in scenam & increpabo hostes, quòd illos audeant vexare, quum tamen populus meus sint. *Et ille dicet*, constanti confessione, *Hic est Deus meus*, cum exclusione Deorum imaginariorum & nuncupativorum, me vocabit Deum suum, qui se scilicet cumulaverit omnibus bonis, & à servitute in libertatem asseruerit.

Quarta, de Reformatæ Ecclesiæ vindicatione & consolatione. Cap. XIV. Est hic

1. Denunciatio afflictionis. vers. 1. 2. Apostrophe in his verbis est, quæ ex abrupto ad *Hierosolymam*, id est, Ecclesiam à jugo & tyrannide falsorum prophetarum liberatam, & sic speciem urbis benè munitæ habentem, dirigitur. *Ecce, dies venit Jehovæ*, instat dies, quam Jehova designavit, *& spolia tua*, quibus Antichristum spoliastis, ista, inquam, bona cum bonis vestris tanquam spolia *dividentur*, & homines, qui ad cœtum tuum confluxerunt, cùm civitatem benè ordinatam constitueretis, redibunt ad eos, à quibus discesserant. Hab. 3: 14.

Vers. 2. *Et congregabo omnes gentes contra Hierosolymam*, id est, coïbunt tum in observantiam Gogi & legis ejus, tum in fœdus & communem expeditionem contra Ecclesiam Euangelicam, & quidem ejus certam partem, quæ ordinationem sub regimine præpositorum constitutionem habet, quæ per Hierosolymam distinctè à Juda, de quo infrà vers. 14. intelligitur. Afflictionis partes sunt quatuor. 1. *Urbs capietur*, id est, gentes sive hostes Ecclesiæ intrabunt in ditionem & locum ejus, & eum calcabunt ex parte, & Ecclesiam munimentis suis privabunt, ut, quoad hominem, nihil sit, quod illis resistat, quò minus totam occupent.

> Huc pertinet occupatio Bohemiæ, Germaniæ, inprimis Palatinatûs, magnæ partis Daniæ, ingressus in Belgii non unam partem, expugnatis etiam arcibus ejus; & coërcitio Britanniæ per dolum & terrorem. quanquam & in Hibernia & ipsa Anglia artibus & vi Papistarum magnum incendium excitatum est.

2. *Domus diruentur*, id est, Ecclesiæ particulares multæ diruentur. 3. *Mulieres violabuntur*, id est, molliores homines redibunt ad fornicationem cum Antichristo. 4. *Dimidium civitatis ibit in exilium.* Indicatur doctrinæ corruptela in multis, per quam separantur à communione Civitatis sanctæ, & admittunt dogmata quædam Antichristi, ut de liberi arbitrii indifferentia, & de justitia hominis coram Deo, per quæ tanquam vincula, cum ipsis tamen in cæteris non conjuncti, velut in exilio apud ipsos agunt.

2. Moderandæ afflictionis promissio. vers. 2. in fine. & vers. 3. 4. 5. p. p. Tria hic sunt:

(a.) Quòd Deus conservabit reliquias, scilicet quæ non fornicentur cum Bestia, & in exilium illud spirituale agantur; & quæ non tollantur per tyrannidem. *Populum* quum dicit, intelligit multitudinem fœderatorum Deo, qui judicio charitatis pro vero populo habentur; in quo cognoscitur Ecclesia fidelium.

(b.) Quòd Deus præliabitur contra hostes, scilicet objecto ipsis gladio & converso gladio unius contra alterum. *Et exibit*, scilicet quando capta fuerit urbs, & abierit manus. Deut. 32: 36.

(c.) Quòd Deus contrahet certamen illud ad certum locum, extra quem sit civitas, & in eo loco dabit suis suffugium. *Et stabunt pedes ejus, illo die, in monte Oliveti, qui est contra Hierosolymam ab Oriente.* Sic Germania sita est ad Belgium & Britanniam. Imperium magnum per *Montem* intelligitur, & *Olivæ* sunt fideles.

Ibi Deus vexillum ſuum eriget, & provocabit hoſtes ad pugnam. Ibi excitabit Patronos & Aſſertores Eccleſiæ in eo loco. *Et findetur mons Oliveti ex dimidio ſui, verſus Orientem & Occidentem.* Dividetur Imperium illud, fortè ad pacatam diverſorum poſſeſſionem, certè quidem ut altrinſecus ſtent exercitus, Dei & hoſtium, inter ſe pugnantes, & medius locus per vices conteratur & conculcetur, & vaſtitate quaſi dehiſcat. *Et recedet dimidium montis ad Boream*, id eſt, Aquilonares populi eam partem tenebunt: *& dimidium ejus ad Meridiem*, id eſt, ii, qui à Meridie venient, eam tenebunt. Ergo dividetur ac diſſipabitur potentia Imperii illius magni, quæ antea imminebat Eccleſiæ.

(d.) Quòd in illo loco pugnæ copiam & aſylum Eccleſiæ dabit. *Et fugietis.* Habebitis, ſi volueritis, fugiendi copiam. Imò hoſtes vos fugabunt. Duplex explicatio commoditatis fugæ. *Quia attinget vallis* deſtructionis *ad locum*, quem *ſepoſuit* Deus ad ortum & occaſum. Eſ. 4: 5. Poteritis autem ad locum proximum fugere, quem vallis attinget. *Fuga* deſcribitur à ſimilitudine fugæ in terræ motu Ulliæ, de quo Amoſ. 1: 1. Joſeph. Ant. 9: 11. Fiet enim tanquam terræ motus. In terræ motu autem fuga eſt talis, ut omnia relinquamus, & animam noſtram pro præda habeamus.

3. Promiſſio adventûs Domini ad reddendam lucem. verſ. 5. col. ult. 6. 7.

Quum in ſequentibus hiſtoria nos deſtituere incipiat, contenti erimus in verbis quædam animadvertiſſe, quæ contemplator operum Dei procedente tempore poterit annotare: cæteroquin futura divinæ providentiæ relinquentes.

Compellat eam, *cum qua ſunt omnes Sancti.* Non perſonam ſed multitudinem compellat, & quidem Eccleſiam fidelium exſpectantium & deſiderantium adventum Domini, ut ſe liberet à jugo & det ei regnum, quæ fuerunt quoque vota omnium ſanctorum.

Bonum denunciatum eſt *adventus Domini*, ſcilicet ut lucem faciat Eccleſiæ, & regnum occupet. *Et veniet.* ſcilicet quum Deus ſteterit in monte Olearum, tum veniet *Jehova*, id eſt, is, qui eſt & eſt quod eſt, & fit quod eſt; quia præſtabit omnes promiſſiones ſuas, *Deus meus*, (ſunt verba Chriſti.) qui mihi promiſit regnum; quæ promiſſio neutiquam poteſt in caſſum recidere; quin Satanam conculcet ſub pedibus meis & Eccleſiæ, hanc liberet, illuminet, amplificet, & tandem omnia ſubjiciat ipſi.

Effectus adventûs Chriſti præparatorius ad beneficium, unde ſcilicet adventus Domini cognoſci poteſt, eſt

Primò dies tenebroſus. *Erit illo die.* Scilicet hoc ſignum primum adventûs ejus erit, & hoc opus. *Non erit lux, claritatum & coagulationis*, id eſt, nebuloſa. Brevis adumbratio hujus prophetiæ hæc eſt. Quando jam conſtiterit Deus contra hoſtes Eccleſiæ, tum talis futura eſt conditio Eccleſiæ, ut nulla ſit lux. Eo ipſo debent erigi fideles, ut credant, diem Domini eſſe prope.

> Ipſa prophetia videtur nos manu ducere ad ea, quæ in Scotia, Hibernia & Anglia vidimus incepiſſe fieri. Quæ regna certè tenebris denſiſſimis fuerunt opacata. Ibi ſidera de cœlo ceciderunt. Ibi Sol & Luna obtenebrata ſunt, id eſt, tum miniſterium Epiſcoporum, tum poteſtas regia. Eccleſia verò & ſtatus regni ita conturbata ſunt, ut nihil adhuc ſit certi. Quanta verò anguſtia Hibernos tenuerit, nullâ linguâ exprimi poteſt. Quem finem illa habitura ſint, niſi in genere, non poſſumus dicere. Dies illa explicabit, & verbum Domini verabit. Hæc in fine anni 1647. ſcripta ſunt.

Se-

Secundò tempus incertum. quòd dicit *Diem unum, qui nec dies nec nox fit.* Credibile est, notari talem statum Ecclesiæ, ut nec possit sibi de rebus melioribus gratulari, & versentur in magno metu: rursus sint absque notabili malo, hostibus ad impotentiam redactis. *Unum diem* dicit, fortè tempus non longum, aut deinceps non repetendum. Semel id fiet, non sæpius. *Ille noscetur Domino.* Fortè, diei illius initium erit insperatum; fortè, tempus illud singulari & insigni Dei providentiâ gubernabitur.

Tertiò est catastrophe. *Erit lux*; & quidem *tempore vesperæ.* Quum omnia ad novam calamitatem & noctem rerum invehendam erunt comparata, ibi repentè fiet lux. Explicat Esaias cap. 24. vers. 23. Adde Hos. cap. 10. vers. 15. Deut. 32. vers. 36.

4. Promissio exuberantis doctrinæ in Ecclesia ad sanationem errorum. vers. 8. ut & corrigendi regiminis Ecclesiæ ad sublationem schismatis. ℣. 9. 10. 11.

Vers. 8. Promittitur 1. continuatio & amplificatio gratiæ interpretationis verbi Dei & demonstrationis veritatis ex eo, ut ita perpetim exeat Lex ex Sione, & verbum Domini ex Hierosolyma. 2. gratia cooperationis Spiritûs, sive apertionis ostii verbi in alienis ab Ecclesia, ut veritatem ex verbo Dei demonstratam recipiant. Sint *Hierusalem* illi, cum quibus sunt omnes sancti, quorum civitas est Hierosolyma cœlestis: *mare anterius*, id est, *mortuum*, ii, qui à terra viventium resecti, & in barathrum indurationis conjecti sunt, ut Judæi: *mare posterius*, id est, mare magnum, gentes reliquæ, Papistæ, Turcæ, Indi. Judæos non improbabile est secundæ resurrectionis gentium primitias fore, æquè ac primæ fuerunt. Beneficii hujus continuatio indicatur comparatione *aquæ perennis*, *quæ nec æstate nec hyeme deficit.*

Vers. 9. Consequens demonstrationis veritatis Unitas regni & nominis divini. Unitas regni divini indicatur his verbis. *Erit Dominus in regem in tota terra.* Intelligere universalitatem regni in Ecclesia Euangelica Reformata hîc sufficit. id est, 1. abolitionem ejus potestatis, auctoritatis & jurisdictionis, quæ regnum Dei in Ecclesia obscurat. 2. consensum Ecclesiarum particularium in regimen à Deo institutum, ut ita Deus solus sit rex sine socio.

> Dejectio Episcoporum suprà vers. 8. in tenebris illis continetur: sed hic versus intelligendus est de re jam confecta: Sole scilicet compuncto & Lunâ erubescente, id est, confusâ in conatibus suis, & in exspectatione sua.

Unitas *nominis* Dei significat sublationem schismatis in Ecclesia, quoad nuncupationem nominis Dei, id est, doctrinam fidei. Hoc autem tum ratione principii fidei, quod est Scriptura, tum ratione articulorum fidei intelligi potest.

Vers. 10. Videtur notari literaliter restauratio Hierosolymæ; ut ita ut colo primo describatur status Judæ præcedens restitutionem, scilicet quòd tota Judæa habitura sit instar deserti. In eo certè statu nunc est Judæa. Reædificationem autem ejus futuram sub Novo Testamento videtur promittere Jeremias cap. 31: (ubi de gente Israëlitica loquitur vers. 36. 37.) vers. 38. 39. 40. Qui versus docet, eam terram totam sanctam fore Domino; ut & Zacharias vers. 21. Huic etiam sententiæ favet Salvator, Luc. 21: 24. *Hierosolyma erit calcata à gentibus, donec finiantur tempora gentium.* Ei calcationi in nostro loco opponi videtur *Elatio*, וראמה q.d. Ex pulvere se efferet. imò, quod facilè concedimus, super omnia se efferet, ut sit, quemadmodum antea fuerat, in societate omnium Ecclesiarum.

Et extolletur & habitabitur Hierosolyma à porta Benjaminis sive Ephrajim per Septentrionale latus ad Orientem, *ad portam veterem &* piscium, sive *angulorum, &* porro *turrim Chananeëlis* sitam in latere Orientali, & porro *ad lacus torcularium regiorum*, quæ fuisse prope hortos regios ad meridiem credibile est. Et habitabunt in illa, *& anathema non erit ampliùs.* Quid si & cæteris præibit abjiciendo omni anathemate Ecclesia Judaïca? Sive quòd omnem abominationem, propter quam olim Hierosolyma vastata est, eliminabunt; ut & Christiani abominationes cæteras à se abdicabunt. Ea spiritualis sententia erit horum verborum. Similiter, si Hierosolyma literalis intelligatur, intelligitur, ibi non fore ampliùs abominationes Turcarum & Pontificiorum, quæ ibi nunc sunt. Quod sine magna rerum mutatione fieri non potest.

Quid si status totius Ecclesiæ Reformatæ hic proponatur sub nomine Terræ tribûs Judæ & Urbis Hierosolymæ; & terra quidem tota devastanda, urbs autem superefferenda & securè habitanda demonstretur; eo quòd ibi non sit anathema: quum contrà Juda etiam pugnet aliquando contra Hierosolymam?

5. Denunciatio plagæ gentibus belligerantibus contra Ecclesiam infligendæ. ℣. 12--15.

Gentes dicuntur, quia reverâ ad Deum non accedunt, licet Christum nominent, & retinent doctrinas dæmoniorum, & in illis non tantùm errant, sed etiam eas pro fundamento habent, & propter eas fundamentum impugnant. *Militare contra Hierosolymam* dicuntur, partim quia aversantur Ecclesiam & eam damnant, & omnes artes contra illam comminiscuntur; partim quia apertâ vi illam fuerant aggressi, & adhuc eundem animum habent, & demonstrant persecutione membrorum Ecclesiæ in terris suis. Inter eas censetur & *Juda*, id est, pars quædam Ecclesiæ Euangelicæ Reformatæ, quæ unà cum ea parte Ecclesiæ, quæ Hierosolyma nuncupatur, in fide fundamenti societatem habet, & effugit eos, qui in errore versantur. Oppugnat Juda Hierosolymam in damnatione fratrum injusta, & in persecutione eorum, si non in terra ipsorum, saltem in terra sua, vel denique in consociatione armorum cum hostibus professis.

Plaga duplex est. 1. tabes hominum & jumentorum in castris illis; Hierosolymâ securè habitante. 2. tumultus inter illas gentes, cum devastatione, ipsius quoque Judææ, & collectione auri & argenti & vestium in maxima copia. *Tabes* ea significat invidiam cum ardore interno cordis & conscientiæ ad odium veritatis, & sensu Dei irati. Quum ei pœnæ subjicit & jumenta, significat, *in castris adversarii*, id est, in cœtu Antichristi distingui duos ordines, jumenta varii generis & sessores eorum, Meretricem & bestiam: Gog & Magog. *Collectio* prædæ fortè fiet per eum, qui partibus litigantibus tertius superveniet.

6. Promissio conversionis gentium, oppugnantium Ecclesiam, ad cultum Dei. ℣. 16. cum pœna negligentium cultum Dei. ℣. 17. 18. 19.

Vers. 16. *Et erit, omnis reliquus ex omnibus gentibus venientibus contra Hierosolymam*, id est, omnes à Deo inter hostes conservati, ne unà cum cæteris perirent in peccatis suis, *ascendent quotannis ad adorandum Regem*; antonomasticè; est enim Rex unus. Rex autem dicitur, quòd in eo articulo temporis omnia regna habebit subjecta. *Jehovam Deum exercituum*, id est, Regem Christum, qui est Jehova. *& ad celebrandum festum Tabernaculorum.* Christiani Hierosolymam adeunt non corporaliter, sed spiritualiter, in communione Hierosolymæ cœlestis. Nam,

Nam, quomodo possibile est, homines ex toto orbe quotannis venire Hierosolymam? In spiritu & veritate hoc festum à Christianis, ut & Sabbata & novilunia, peragitur. Ejus spiritualem significationem vide in Comment. Cl. COCCEJI.

Pœna, quam comminatur gentibus hunc cultum Dei negligentibus, & in specie Ægyptiis, est negatio pluviarum, ἀομβρία. Alludit ad pœnam idolomaniæ Achabi, quum ad verbum Eliæ non descendit pluvia nisi tertio anno. *Imber* spiritualis est intelligentia verbi divini, consolatio Spiritûs Sancti, sanctificatio & dona, per quæ Ecclesia ædificatur. Ægyptus, quæ propriè non irrigatur pluviâ, sed Nilo exundante fœcundatur, hîc spiritualis intelligitur. Adde suprà cap. 10: 12. 13.

Asseveratur comminatio pœnæ. vers. 18. in fine, adversus omnem dubitationem. Justificatio pœnæ est vers. 19. *Hoc erit peccatum*, id est, per hoc reatus ipsorum & defectio ipsorum & damnatio ipsorum manifestabitur.

Instar hujus plagæ, scilicet ἀομβρίας spiritualis, jam sustinent Papistæ, & illi, qui inter Reformatos habitantes non audent cœtus colligere. Sed & pœna hæc jamdudum totum regnum Papale & Turcicum premit, in quibus verbum Dei & veritas ex eo non docetur, quique adeo carent spe vitæ æternæ & consolatione Spiritûs Sancti ex Scripturis.

7. Promissio sanctificationis Ecclesiæ ad ministerium ejus cum exclusione Cananæorum. ℣. 20. 21.

Vers. 20. Comparantur 1. tintinnabula aut bracteæ tinnientes equorum cum lamina aurea, quæ erat in fronte summi Sacerdotis; cui inscriptum erat, *Sanctum Domino.* Exod. 28: 36. Significatur, omnes, etiam eos, qui fuerant *equi*, id est, quibus prælati insederant, quosque redegerant in servitutem, in Novo Testamento habituros liberum accessum ad Deum in Christo, quod olim typicè soli Sacerdoti summo erat permissum. Intelligitur clarè, cultum Novi Testamenti futurum fuisse sine servitute legis ceremoniarum.

2. Comparantur ollæ domûs Domini cum pelvibus aspersionis ante Altare. Erant ollæ, in quibus coquebant *Peccatum*, *Reatum* & *Munus*. Ezech. 46: 20. Erant lebetes, quibus sanguis excipiebatur ad aspersionem faciendam. Non erat legitima comestio carnis coctæ in olla, nisi factâ priùs aspersione. Cùm igitur ollæ aspersoriis æquantur, significatur, sanguinem semel esse fusum; & eos, qui operam dant, ut populus communionem corporis Christi habeat in fide, æquiparari iis, qui in Veteri Testamento operam dabant, ut peccata populi ritu legis carnaliter expiarentur.

Vers. 21. Dum omnes ollas Hierosolymæ & Judæ sanctas Domino fore ostendit, docet, quodvis membrorum Ecclesiæ habiturum esse suum χάρισμα ad sanctificandum Deum & concinnationem corporis sanctorum; eoque charismate usurum privatim, donec ad publicum ministerium assumatur. *Sacrificantes* verò, de quibus Apostolus, Rom. 15: 16. ex illis quoque assumturos fratres & collegas, qui eos regendo, judicando, admonendo, curando adjuvent: ad hoc ut sacrificium Ecclesiæ sit sanctum.

Denique negat *in domo Dei ampliùs fore Cananæum*. Confer Joël. 3: 17. vel 4: 9. id est, nundinatio (adde Hos. 12: 9.) in Ecclesia Dei non erit ampliùs. Quod saltem hactenus verificari necesse est, ut nemo sit, qui doceat justitiam operum aut sibi arroget potestatem aliquam res spirituales & officia dandi pro pre-

cio: ut fit in Papatu. Confer Zach. 13 : 5. Sed latiùs denotatur, omnem Judaïſmum excluſum iri. qualis eſt gloriatio de patria ſua; quæ eſt Judæorum, qui certo ſanguine & jure hæreditatis terræ Canaan, ut in illa habitent, gloriantur. Secundùm hos, Cananæi ſunt, qui Sedem, & terreſtre Imperium, ut Papa, vendicant & venditant. Judaïſmus eſt alligare oblationibus conſcientias, ut ſine eis nulla ſit ſpes veniæ. Idem faciunt Pontificii, & faſces complures ſimiles colligant. Traditiones compingebant Cananæi Phariſæi; idem faciunt Canoniſtæ. Et quantum intereſt inter *Cananæum* & *Canoniſtam*? Papa ſedem ſibi fecit *in domo Dei*, id eſt, Eccleſia, & ex ea exturbabitur, cum omnibus doctrinis ſuis. Nec Judæi ut terræ Canaan poſſeſſores, & ut templum ejus terræ habentes verſabuntur in ea.



ANA-

MALACHIÆ.



Hujus Prophetæ historia nobis est incognita. Liquet, eum vixisse non sub templo primo, sed secundo, quia de rebus templi secundi, id est, adventu Messiæ, & destructione politiæ, prophetat, nec ullam rerum templi secundi exstructionem præcedentium mentionem facit. Quin etiam apparet satis, eum fuisse tempore proximo post ædificationem templi; nimirum, quo Israël adhuc fuit sub *ducibus*, qualis fuit Sorobabel & Nehemias, atque ita sub potestate vel Persarum vel Græcorum, quod liquet ex cap. 1: 8. ubi mentionem facit *Ducis*. Certè ante Johannem Hyrcanum, & coadunationem Idumæorum cum Israëlitis sub eo factam, prophetavit, quia cap. 1: 3. 4. de Idumæis, ut necdum coadunatis, agit.

Scopus prophetiæ est, Populum Israëliticum excitare ad agnitionem Testamenti Dei & fidem ejus cum pœnitentia, sive ad quæstionem veræ justitiæ in fide Christi mox venturi; atque ita prophetiæ omni imponere colophonem.

Partes prophetiæ.

A. Demonstratio amoris Dei erga Israëlem. Cap. I. ℣. 2---5.

Hic *primò* est repetitio Testamenti Dei per promissionem declarati. Testamentum Dei est *amor* Israëlis. Amor ille significat beneplacitum dandæ benedictionis. Benedictio hæc est 1. datio seminis, in quo est reconciliatio & justitia, id est, Christi. 2. regeneratio sive circumcisio cordis, tum per Spiritum servitutis, tum per Spiritum filiationis, ad communionem cum semine. 3. justificatio. 4. sanctificatio & conservatio. 5. vita æterna, & resurrectio carnis ad eam. 6. possessio terræ Canaan, ut symboli & pignoris patriæ & civitatis æternæ, unà cum symbolis, quibus mysterium reconciliationis adumbrabatur & obsignabatur. 7. hæreditas gentium. Hujus amoris objectum hic nominantur Israël. *Vos.* intelligit eos, qui pertinent ad semen Abrahami in Isaaco & Jacobo vocandum in filios. Hæc enim est promissio: *Ero Deus tuus & seminis tui post te.*

Secundò retegitur Israëlitarum ignorantia bonorum Testamenti, & consequens expostulatio cum Deo. *Et dixistis*, in cordibus vestris mihi respondistis, *In quo diligis nos?* magis quàm alios homines? Occasio sic obloquendi Israëlitis erat hæc, quòd, quum ignorarent nec curarent bona regni cœlorum & justitiam Dei, & promissionem in terrenis rebus ponerent, non videbant, quomodo Jehova ipsorum Deus esset magis, quàm aliorum.

Tertiò probat amorem suum in idea & exemplari amoris, nimirum eo, quem exercuit in patre Israëlitarum Jacobo. Ad demonstrandum autem amorem Jacobi affert exemplum odii, Esavum. Argumentum tale est. Deus reverà amat Israëlitas, quia ipsos, id est, ipsorum multos sic tractat, ut Jacobum patrem ipsorum, qui timuit Deum, & speravit in eo, magnificiens promissiones patrum & primogenita sibi decreta, & accepit benedictionem, & in fide cum Deo luctatus

tus est, & ejus colloquio aliquoties fruitus est, & patiens fuit, & gratus Deo. Quòd autem hæc ex amore Dei erga Jacobum & non ex Jacobi merito provenerint, inde apparet, quia in Esavo, ut quem *oderat*, hæc omnia non apparuerint. Dictum enim erat, antequam nascerentur: *Major serviet minori.* Deinde *& fratres erant*, & quidem *ex uno patre & matre*, ut annotat Apostolus Rom. 9. nihil ergo in alterutro Deus prævidit. *Odium* hic significat in oppositione amoris judicium super reatu, antecedens mala opera consequentis temporis & ætatis adultioris.

Vers. 3. & 4. Probat dilectionem Dei in posteritate Jacobi ex comparatione odii posteritatis Esavi. Tale argumentum. Si in posteritate Jacobi, dum separata est à posteritate Esavi & ejus profanitate, non est demonstratio iræ & odii, qualis in posteritate Esavi fratris, sequitur, posteritatem Jacobi dilectam fuisse. Hoc ex ipsius iræ descriptione patebit. Constat illa severitas 1. definitione desolationis: quæ illustratur assertione destructionis restauratorum. 2. manifestatione defectûs justitiæ, & iræ Dei in perpetuum super illos, ad omnes. Quod ad primum attinet, testatur se jam *posuisse montes ejus desolationem*, non tantùm montem Seïr, sed & montem Morijah & montes Israël, quos tenuerunt Idumæi, propter regnum Herodiadarum & communionem politiæ. Non dicit, desolationem jam peractam esse, sed incepisse fieri.

Vers. 4. Ostendit, quo tempore hæc desolatio sit ad colophonem deducenda, idque ut occurratur dubitationi ex apparentia restaurationis. *Quum dicet Edom, Depauperati sumus, sed denuò ædificabimus vastitates.* Id intellige non tam de propriis vastitatibus, quàm alienis.

Id factum est post subactam Idumæam à Johanne Hyrcano, qui gentem devictam circumcidi coëgit. Pauci dehinc fuerunt principes Judæorum ἰθαγενεῖς. videlicet Aristobulus, Alexander Jannæus, ejus filii Hyrcanus & Aristobulus, annis 55. donec Antipater Idumæus procurator Judææ constitutus est à Cæsare, cujus filius Herodes regnum Judææ & Palæstinæ totius invasit, quæ fuit regni non tantùm Idumæi constitutio, quàm regni extensio ad Israëlitas. quasi vastata Israëlis, id est, regnum Israëlis, sibi suisque ac nomini suo reædificaret. Antipatri & Herodis stirps ampla est, multosque principes & reges etiam extra Idumæam & terram Israëlis illustres tulit: sed etiam, auctore Josepho, intra 100 annos exstirpata est, & sic spem reædificandi destructa destituit. De ædificiis Herodis in Idumæa & in terra Israëlis nihil attinet dicere. Templum certè magnificè exstruxit. Idumæorum etiam in conservando templo, tanquam arce suâ, ultimo tempore studium Josephus exponit.

Sic dixit Jehova Deus exercituum. Illi ædificabunt, & ego destruam.

Regnum Herodiadarum destructum est, quando Judæi Syriæ contributi sunt, ut fieret fides prophetiæ, Es. 7: 8. Urbs & templum sub Nerone & Vespasiano, totusque ita populus, cùm Idumæus, tum Judæus ei permixtus & reverâ serviens, destructus est.

Consequens hujus severitatis est judicium omnium filiorum mundi, eorum nempe, qui ad recognitionem verborum Dei fuerint illuminati, de terra illorum & populo, ut 1. *terra*, id est, Idumæa ac Judæa, quidem vocetur *terminus improbitatis*, exsors justitiæ Dei, utpote cùm quærant justitiam ex lege per opera sua, id est, *populus, quem severè tractat*, exsecratur & damnat *Jehova in sæculum*,

donec

donec scilicet appareat, quis sit finis ipsorum. Deut. 32:20. Notanda autem connexio, *Cùm dicet Edom*, *Tum Deus destruet*. Character hic est temporis insignis, quo futura erat destructio Edomi cum amplificatione regni Dei ultra terminum Israëlis. Congruit character paululum antecedens, cùm Israël possederit hæreditatem Edomi. Num. 24:18. 19.

Et oculi vestri videbunt. Intelligitur conservatio electorum ex Israële à communione & plagis eorum, qui percutiuntur anathemate, tum etiam illuminatio ad cognoscendum judicium Dei, & sic justitiam ac injustitiam dignoscendam. *Et vos dicetis*, indefinitè loquitur, ut suprà. Diversis ejusdem populi obmurmuratio & promissio applicari potest. *Magnificabitur Jehovah ultra terminum Israëlis*. Advenit regnum Dei in gentibus. Prædicabuntur virtutes Jehovæ ad obedientiam fidei. Aperietur janua ad prædicandum virtutes Dei extra terminum Israëlis. In magnificatione ea Dei summa Euangelii continetur. Consistit *magnitudo Dei* in regno suo in eo, quòd solus agnoscatur rex Ecclesiæ. Deut. 32:3.

B. Elenchus defectûs honoris Dei apud Israëlitas. Hic

I. Propositio. cap. 1:6. p. p. In generali thesi Malachias agit interpretem præcepti quinti Decalogi, dum *patri dominum* jungit, & *honorem* determinat ad speciem quandam honoris *timorem*, qui consistit in eo, quòd servus voluntatem suam conformet voluntati Domini, quantum sanctè fieri potest, idque propter conscientiam, quia id rectum est apud Deum. In subsumtione bifariam agit Deus. 1. ex jure & titulo *Patris*. 2. ex jure & titulo *Domini*. *Pater* dicitur eò, quòd volens nos gignit, per Spiritum suum, ut simus ad imaginem ejus in rectitudine ac virtute, & beati simus cum ipso & bona ipsius sint nostra *Dominus* dicitur partim ut δυνάστης; unde Κύριος appellatur in Novo Testamento; partim ut civitatem & familiam habens, in qua non tantùm filios, sed & servos mercenarios alit ad gloriam suam. Hoc igitur est, de quo Deus Sacerdotes per Prophetam obtestatur, primò quòd ipsum non honorent ut filii, ut Deum glorificent & sanctificent animo & corpore suo; neque verò, secundò, gratias agant, ut Redemtori: imò ne quidem, tertiò, illa, quæ mercenarii &, qui non semper manent in domo, agere possunt & solent, agant, quæ in litera & in externo ritu posita sunt. Vocat *Sacerdotes Spretores nominis Dei*, quia, quum Sacerdotum sit Dei nomen manifestare & sanctificare, parvi faciant sanctificationem nominis Dei, quæ in agnitione virtutum Dei, & debito erga Deum affectu consistit.

II. Demonstratio ejus defectûs

1. in sacrificiis, cap. 1:6. p. alt. usque ad vers. 14. *Et dicitis*, (loquitur de omni tempore) *Quâ re spernimus nomen tuum?* Animus Sacerdotum talis semper est, ut non cedant nec credant verbo Dei damnanti eorum vilipendium; sibique arrogent cultum Dei perfectum & justitiam ac sanctificationem nominis Dei. Et adhuc Judæi de se omni tempore, ut Sacerdotes hoc tempore, loquuntur.

Vers. 7. *Offerentes in altari meo panem*, id est, sacrificium *impurum*, 1. cerimonialiter, offerendo talia, qualia offerri non debebant. 2. moraliter, non offerendo, etiam cerimonialiter pura, in bona conscientia. *Et dixistis*: *Quâ re polluimus te? Dum dicitis*, *Mensa Jehovæ contemtibilis est*. Connexio talis est. Qui mensam Dei dicit, id est, cogitat, judicat, docet, opere demonstrat esse spretam, is contaminatum panem offert, & Deum ipsum inquinat. Nam qui indignè comedit symbola, ille indignè habet eum, qui ea instituit.

Vers. 8. 9. 10. Probatur, Sacerdotes mensam Domini habere pro contemtibili,

bili, & consequenter offerre panem contaminatum, quòd illi ipsi tales sint, ut Deo non sit voluptas in ipsis, & ex ipsorum manibus non velit accipere munus, aut orationem ipsorum exaudire. Ex quo concludit, perinde esse, ac si cœcum, claudum, ægrotum offerant, quod Lex Dei vetat. Ex quo apparet, impuritatem Sacerdotum esse causam, cur panis Deo oblatus dicatur impurus. Impuritatem verò Sacerdotum consistere in cœcitate, claudicatione & omni vitio.

Vers. 9. Est mimesis popularium sacrificia adolenda repræsentantium Sacerdotibus, simulque rogantium, ut Deum orare velint pro ipsis, ut gratiosus ipsis sit. Ad hoc enim Sacerdotes constituti erant. Revocat autem Sacerdotes ad considerationem suimetipsorum. *Ex manu vestra factum est hoc.* Quicquid id est, quod offertur, per vos offertur Deo sine fide in Christum verum Sacerdotem. Putatis, per vos peccata expiari.

Vers. 10. Etiam provocat audaciam eorum, qui Deo non serviebant ex corde, ut potiùs clauderent templum. Hoc enim sibi minùs abominabile esse, quàm si hostili animo ad Deum & mensam ejus accederent.

Vers. 11. Rationem reddit, tum quare oblatio Sacerdotum Deo grata non sit, tum quare per eos non velit ampliùs coli. Ratio autem hæc est, quia gentes Deum colant, non Sacerdotes. *Nam ab ortu Solis ad occasum ejus magnum est nomen meum in gentibus*; nomen Dei, id est, omnes virtutes ejus tum verbo indicatæ, tum experimentis cognitæ, à quibus solis cum honore & gloria denominari potest & vult, prædicantur in mundo; *& in omni loco*, non in certo quodam, quem Deus elegerit, (excluditur apertè cerimonialis cultus) *hostia offertur & munus*, corpora & bona, Eucharisticum sacrificium, non hilasticum, *purum*, in conscientia purificata per aspersionem aquæ mundæ, id est, sanguinis Christi, & & in corde purificato per regenerationem Spiritûs Sancti; *nomini meo*, id est, mihi cognito per verbum meum & experimentum gratiæ meæ ad laudem virtutum mearum, in fide. Notandum inprimis est tempus hujus cultûs in omni loco offerendi. Indicat, id futurum esse simul eo tempore, quo adhuc Sacerdotes profanabant nomen Dei, scilicet in templo secundo.

Vers. 12. Est contraria commendationi cultûs puri per gentes offerendi accusatio, & damnatio cultûs Sacerdotum. *At vos profanatis nomen meum*, id est, non sanctificatis; de me non cogitatis, sentitis, dicitis & vos credere ostenditis, quæ mihi laudabilia sunt, & à quibus denominari volo: sed alia omnia. *Dum dicitis, Mensa Dei est inquinata.* Non creditis aliud altare, quàm quæ est hominum etiam impurorum mensa, & in qua abominabilia offerri, etiam falsis diis, possunt, & quæ ipsa Deo potest esse abominabilis, dum nullum aliud sacrificium expiatorium creditis, quàm pecudes mutas, nullum aliud medium communionis cum Deo, quàm templum & altare manu factum. *Et germen ejus* Jehovæ, id est, Filium Dei, Christum, quod attinet, *contemtus est cibus ejus*, putatis ipsum esse merum hominem, qui nullo alio cibo delectetur, quàm illo, quo merus homo vivit. Atqui longè alium cibum habet Christus, spiritum scilicet sive divinitatem in ipso habitantem. Rursus, putatis ipsum delectari peccatoribus, & eorum consortio; cùm tamen cibus ejus esset, facere voluntatem ejus, qui miserat ipsum, & odoraretur timorem Domini; & contemnitis eos, quibus ipse delectatur, tanquam filiis & fratribus. Deut. 32: 5.

Vers. 13. *Et dixistis*, contradixistis Christo incitanti laborantes sive defessos, & oneribus sive servitute & accusatione legis ac conscientiâ peccati nondum expiati

gra-

gravatos ad se, hunc in modum. *Quid est delassatio*, de qua tu loqueris? Non debent Israëlitæ à cultu legali tanquam lassante ad aliam requiem vocari. In hoc dogmate perstant Judæi usque hodie. *Et exspirare eum fecistis*, in mortem ipsum tradidistis. Deut. 32:5. *Et*, Christo spreto, *obtulistis raptum*, quæ extorquebantur ab hominibus, Matth. 23:14. *& claudum & ægrotum*, bruta sacrificia, quæ, si æstimes sacrificium Deo debitum, & per quod Deus sanctificatur, sunt cœca, clauda, ægrota.

Conclusio est in fine vers. 13. & initio vers. 14. *An acceptabo illud ex manu vestra? dixit Jehova. Maledictus igitur* &c. Exsecratio intimatur doloso, qui cùm habeat masculum in grege, Christum filium masculum, Apoc. 12. nihilominùs sacrificat corruptum, ac id, quod deterius est. Exsecrationis ratio additur. 1. Quia Deus est *rex magnus*. Magnus scilicet sanctitate & majestate, qui non potest sanctificari sanguine brutæ pecudis: magnus etiam regno, quod habet in gentibus, quibus de sacrificiis nihil dictum est. 2. *quia nomen ejus verendum est in gentibus*, timore nominis sui coli vult, quod in gentibus facit manifestum. Adde ℣. 6.

2. In doctrina. Hic est

(a.) generalis accusatio desertæ legis & fœderis Dei. Cap. II. ℣. 1—9.

Vers. 1. Præceptum sancitum exsecratione, positum vers. 14. cap. 1. dirigit in Sacerdotes. Nempe contra illos, qui non honorant Deum in Christo, est Lex.

Vers. 2. Applicationem explicat duobus modis, hypotheticè, & per assertionem. Ab exemplo autem debiti officii, quod est, Offerre ex voto masculum & integrum, de quo vers. 14. cap. 1. progreditur ad genus debiti officii, quod est, Dare gloriam nomini Dei. Imò in hoc consistit significatum istius figuræ, ut appareat, nihil aliud esse, Vota solvere, quàm dare gloriam nomini Dei, quod fit credendo (Rom. 4:20.) & confitendo. (Heb. 13:15.) adde Hos. 14:3. Unde constat, quid sit Offerre ex voto masculum & integrum, hoc est, vitam & omnia beneficia accepta ferre unico sacrificio integro & immaculato. 1 Pet. 1:19. Neque igitur aliud voveri posse, quàm confessionem oris & operis, quibus Deus redemtor celebretur. Comminatio hypothetica est: *Mittam in vos maledictionem*. Confer Zach. 5:3. Eam extendit ad benedictiones ipsorum, de quibus Num. 6:23. 24. 25. Manifesta ratio, quia malè malis benedicebant & bonos exsecrabantur. Sed non contentus Exsecratione addit Damnationem. *Imò*, inquit, *exsecror illud*, id est, benedictiones. additâ ratione: *Quia non revocatis ad animum dare divino nomini gloriam*.

Vers. 3. Maledictionem specificat in duobus. 1. Increpatione sementis. 2. Conjectione stercoris in faciem ipsorum. Stercus nimirum festorum ipsorum; cum effecto; ut stercus illud ipsos secum auferat.

Id manifestum est, peractum esse belli Judaïci conflatione, & destructione politiæ, urbis ac templi.

Prior verò pars hujus sententiæ notabilem aliquam sterilitatem significat, quæ fuit sub Claudio, etiam prædicta ab Agabo. Act. 11:28. cujus occasione subsidia ab Ecclesiis ad Hierosolymitanos fratres missa sunt. vers. 29. 30. Hanc memorat etiam Josephus lib. 20. Antiq. cap. 2.

Ratio istius applicationis ab officio deserto est in vers. 4—8. Officium exponitur vers. 4—7. Nempe ideo ipsis applicat hoc præceptum per Exsecrationem, *quia miserat id ad ipsos*, id est, quia hoc legis depositum ipsis commendaverat. Cujus suæ commendationis cùm vellet Deus esse testis, rationem villicationis reposcendo, *primò* ostendit, quomodo & quare commiserit illis hujus præcepti exsecutio-

cutionem, nempe *quia esset Testamentum suum cum Levi. Testamentum nimirum vitæ & pacis*, id est, Testamento quasi legaverat ipsis *vitam*, hoc est, salutem: & *pacem*, id est, interfectionem inimicitiæ in carne Christi, ut quemadmodum antea erant Sacerdotes ministri literæ interficientis & servitutis; ita nunc fierent hæredes mundi & ministri spiritûs & gratiæ. Alludit autem ad Num. 25: 12. *Ecce do illis fœdus meum pacis. Testamentum* vocat divinam quasi legem, quâ Aaroni se obligavit, & ex qua voluit in bona conscientia à fidelibus interrogari: quæ quia instar habet ultimæ voluntatis, & quidem sanguine confirmandæ, & includit hæreditatis destinationem, Testamentum meritò in Scripturis appellatur. *Et dedi ea ipsi in timorem.* Sensus: Sic dedi ipsi testamentum hoc, ut non tantùm haberet *occasionem timendi* inde, sive ut esset causa timendi me: quippe quò major est gratia divina, quæ nobis offertur, eò majorem affert amorem, & propter impotentiam carnis nostræ, *timorem*, *ne fortasse præterfluamur*, Heb. 2: 1. sed etiam, ut facerem in ipso Levi, id est, Levitis ministris meis, Aharone & filiis ejus, causam efficacem & *δύναμιν θεῖ* ad timendum, non ad superbiendum aut obtorpescendum; *atque* adeo *timuit me. Et propter nomen meum consternatus est.* Timor in ipso tantus erat, ut consternaretur, id est, ut paveret & contremisceret totus, idque *propter nomen meum*, id est, quia nomen meum posueram in tabernaculo, in quo ipsum volui versari die & nocte, ut cogitaret, se jussum esse prope accedere ad Deum illum magnum, qui sub pœna capitis omnem alienum arcebat; & in ipsius conspectu versari, ut illud nomen nullo peccato contaminaret.

Vers. 6. Timor Dei, qui fuerat in primis Levitis sacerdotibus, ampliùs declaratur ab effectis; quæ sunt duplicia, dicta & facta. *Doctrina veritatis fuit in ore ipsius, & injustitia non inventa fuit in labiis ipsius.* Talia dicta. Facta: *in pace & plano sive recto ambulavit mecum*, id est, non rebellavit mihi, neque quæsivit anfractus, aut institit altioribus se. Fructus: *Multos reduxit à pravitate*, qui in rebellione & viis curvis ambulabant, id est, doctrinam veritatis corrumpebant.

Vers. 7. Est explicatio fœderis, cujus mentionem fecerat vers. 4. *Labia Sacerdotis servant scientiam, ut legem requirant ex ore ejus.* Non quòd Deus ipsis dedisset non errandi privilegium, quanquam hæc fuerit multorum præsumtio. Hoc tantùm habuit divina promissio. 1. inter Sacerdotes usque ad Christum semper servare semen aliquod fidele. 2. per Seniores & Sacerdotes conservare legem & ejus exercitium externum, eò usque. 3. conservare cathedram Mosis in fundamentalibus. *Nam Angelus Jehovæ Dei exercituum est.* Sic eos populo præfecit tanquam *angelos Dei*; &, ut loquitur Ps. 82. tanquam *Deos*, hoc est, ut vice Dei loquerentur ad populum aliquid, quod omnibus non esset statim æquè clarè patefactum, sed per ipsos deberet patefieri.

Vers. 8. Officii neglectum describit, quæ causa sit applicati præcepti Dei per exsecrationem. *Sed vos recessistis à via.* Id de iis intelligendum, qui Christum, germen Dei, exspirare fecerunt. *Viam* justitiæ sine dubio significat. Viam vitæ & pacis, vers. 6. Addit consequentiam quoad alios. *Fecistis impingere multos in lege.* Sublatâ scilicet clave cognitionis, quum mysterium Christi & justificationis non rectè docerent, fecerunt, ut multi ipsorum doctrinâ illaquearentur, & Christo non obedirent, nec justitiæ Dei. Fructum apponit: *Corrupistis fœdus Levi*, id est, fecistis vos ipsi exsortes & exhæredes Testamenti illius, quod de tribu Levitica indefinitè erat pronunciatum, ut in vobis non verificaretur.

Vers. 9. Ostenditur judicium Dei justum applicationem illam confirmans. *Etiam*

Etiam ego vos feci contemtos & humiles toti populo. Zach. 11 : 8.

Historia legenda apud Josephum Antiq. 20 : 6. 8.

Talio judicium Dei manifestat. *Pro eo quòd non observatis vias meas.* Repetit crimen jam exprobratum ℣. 8. desertionem viarum Dei. *Via Dei* dicitur, quia non tantùm Deus auctor est, & novit eam, & ambulare in ea est ambulare cum Deo: sed etiam, quia Deus ipse, nempe Filius Dei in ea, ut servus, ambulavit, atque ita Lex fuit vera in ipso, imò ipse & via ejus factæ sunt Lex viva. Desciverunt igitur à lege per Christi obedientiam manifestata.

(b.) Specialis confirmatio ex perfidia contra fœdus Dei

(α.) Exercenda in Christo. cap. 2 : 10. 11. 12. Hæc pericopa ostendit, profanato Christo, qui est Sanctum Domini, profanari fœdus patrum, & consortium ac communionem veri Israëlis, tanquam fratrum, prodi. Cumque eo esse declinationem ad Deos alienos, & fornicationem cum idololatris tum apertam tum occultam saltem.

In Romanis scortationem apertam commisit Juda, secundùm definitionem Dei apud Hoseam cap. 2 : 4---7. Vide Joh. 19 : 12. 15.

Vers. 12. Pœna proponitur. Subjectum pœnæ vocat *Virum*, id est, vel quemvis, vel saltem Israëlitarum principes, omnesque in comitium venientes, qui præ cæteris *Viri* à Scriptura dici solent. Pœna est 1. excidium à tentoriis Israëlis. Confer Deut. 29 : 21. 2. Excidium Judicum, Prophetarum sive Doctorum, & Sacerdotum à tentoriis Israëlis in malum ipsius. Excisio enim hic in triplicem illum ordinem dirigitur. Confer Zach. 11 : 8. 9. 10. Suprà cap. 1 : 10. 2 : 3.

(β.) Exercitâ in conjugibus per polygamiam. ℣. 13. 14. 15. & repudium, c. 3 : 1.

Vers. 13. Ad profanationem fœderis ostendendam adducit lachrymas conjugis perfidiâ læsæ ad altare Dei. Nempe fœdus Dei violat, qui lædit proximum, ita ut illa læsio ipsius lachrymas & suspiria provocet. Neque potest munus ex corde & bona conscientia offerri ab eo, qui fœdus in proximo violat.

Vers. 14. Post murmurationem Sacerdotum specificat perfidiæ genus, nominato objecto, *fœminâ juventutis*, id est, uxore primâ. Et illud peccatum damnat 1. à divina contestatione inter conjuges. Gen. 2 : 23. 24. 2. à societate per fœdus mutuum secundùm contestationem divinam inita. *Quum ea sit socia sive consors tua & uxor fœderis tui.* Hæc lex generalis est, & tam polygamiam, adulterium cordis, & repudia, atque ipsum adulterium carnis prohibet. Polygamiam verò etiam significari, vel hinc est evidens, quòd plurium uxorum deductio domum est causa inimicitiarum inter uxores, & inter maritum, & facit, ut prima conjux lachrymis operiat altare.

Vers. 15. Expressiùs refutat licentiam polygamiæ ex institutione prima conjugii, & ejus fine. *Nonne unum fecit*, subintellige, unum par, unum unius cum una conjugium, *duos carnem unam*, nimirum Adamum & Evam. Quid *unum illud?* Quare non dedit Adamo mille conjuges? Indicat finem conjugii. *Quærebat semen Dei*, id est, imagine Dei præditum. Non decuit Deum ex polygamia genus humanum sanctum propagare, quia polygamia pugnat cum amore conjugali, & sic rectitudine conjugum. Concludit, debitum esse mariti cavere in spiritu, id est, judicio & affectu suo, ne *spiritus* perfidè agat cum conjuge. Hic innuit adulterium cordis, quod Servator lege vetitum docet Matth. 5 : 28.

Cap. III. 1. De divortio agit, ceu novo genere perfidiæ. Cùm objicerent homines, dixisse Deum, quum oderit, dimittat; fatetur, id sanè dictum esse à Deo,

sed

ſed non per modum imperii vel approbationis, ſed per modum judicii & ſeveræ ſententiæ, quâ traditur in peccatum & ignominiam. q. d. *dimittat & induat injuriam*, id eſt, publicet injuriam & perfidiam ſuam, quòd ſcilicet contra fœdus ſuum & conteſtationem Dei oderit carnem ſuam. Convenit Matth. 19 : 8.

3. In falſo præjudicio de judicio Dei. cap. 3 : 2—8. Hæc pericopa, occaſione murmurationis Judæorum ſuper judicio Dei, promittit adventum Chriſti, ad purificationem, cum judicio ſubſequente. Habetur hic

(a) Murmuratio. verſ. 2. *Laſſaſtis Jehovam verbis veſtris.* Tam injurioſè de me dudum loquimini, ut me non deceat ampliùs id diſſimulare. *Et dixiſtis: Quâ re laſſavimus? Dum dicitis: Omnis faciens malum bonus eſt in oculis Jehovæ, & eis delectatur; aut ubi eſt Deus judicii?* Eſt in his mimeſis ſarcaſtica. Nemo tam impudens eſt, ut ſic loquatur. Sed Scriptura ſolet tales ſermones improbis tribuere, quales iis conveniunt. Senſus eſt: Vos illud dicitis, unde tam blaſphema verba neceſſariò ſequuntur. Putabant autem primores populi, ſi reverâ à religione deſciviſſent, fieri non potuiſſe, quin Chriſtus eſſet revelatus. Nam ſciebant ex Moſe, legiſlatores uſque ad Chriſtum manſuros.

(b.) Denunciatio adventûs Chriſti. verſ. 3. *Ecce ego mitto.* Significatur aliquid proximum & imminens. Ergo poſt Malachiam exſpectanda fuit miſſio Angeli Dei præparantis viam Domino. *Angelum meum*, id eſt, præconem, cujus vox audienda in deſerto. Eſ. 40 : 3. *Eliam* infrà vocat. Finis miſſionis, *ut faciat vacuam viam ante me*, id eſt, quemadmodum infrà explicat, ut reducat cor filiorum ad patres. & mox verſ. 6. Dulcis erit oblatio, ut diebus antiquis. & ℣. 9. Convertimini. Hæc præconiatio ergo Mandatum eſt pœnitentiæ, argumento imminentis adventûs regni Dei & Chriſti.

Id præconium Baptiſtæ fuit. Matth. 3 : 2. Marc. 1 : 15.

Is, ante cujus faciem ille prodromus erat mittendus, primò deſcribitur, quòd ſit Jehova, *ante me*, Jehovam, Deum judicii. Secundò dicit. *Et veniet Dominus ille, quem vos quæritis*, nempe cùm dicitis, *Ubi eſt Deus judicii? & Angelus ille fœderis*, de quo & per quem eſt fœdus, quod Deus unquam fecit cum ſuis, in quem juſſit credere omnes, ad habendum fœdus cum Deo. Heb. 3 : 1. ei ex parte reſpondet ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας, *legatus aſtipulationis*, id eſt, qui mittitur à Deo, ut nobis proponat Teſtamentum Dei de hæreditate ipſi tradenda, & Eccleſia in ipſo juſtificanda per fidem, & per verbum & Spiritum ſuum à nobis fidem ſtipuletur; ut ei rectè aſtipulari, & omnia bona ab ipſo exſpectare poſſimus. *quo vos delectamini.* Iterum ironicè loquitur. Circa adventum notat 1. velocitatem poſt prodromum. *Derepente veniet*; opinione citiùs excipiet prodromum. *Venire* eſt hic non *naſci*, ſed φανερῶσαι τῷ Ἰσραήλ. 2. propinquitatem. *Ecce venit.* 3. terminum adventûs. *Ad templum ſuum*, ſcilicet ut inibi exerceat judicium, quemadmodum mox explicat. Ergo in ea qualitate temporis, ut hoc templum, ſub quo Malachias prophetavit, ſtaret adhuc integrum, ſicque integro exercitio cultûs, & integrâ republicâ. Si veniet poſt exſtructum tertium templum, & ſic reparatum cultum, quid ipſe ampliùs facturus eſt, quum ab alio reſtituta fuerint omnia? inquit Hieronymus.

Verſ. 4. Formam & effectum apparitionis ipſius deſcribit. Erit *tanquam ignis conflantis, & ſmegma fullonum.* Effectus. *Et quis eſt, qui ſuſtineat diem adventûs ejus? & quis eſt, qui ſtet, quum is apparebit?* Talia loquetur & faciet & patietur, ut neceſſe ſit, qui alia omnia ſentiunt, in ipſo ſcandaliſari: ut qui exſpectant

ſpectant Meſſiam bellatorem & imperatorem, qui quærunt poſſeſſionem terræ, qui per opera legis volunt juſtificari. Ita ſcoriæ & ſordes efficaciter per ipſum ſeparabuntur. Qui autem ut aurum & argentum perſtabunt, pauciſſimi erunt. Confer Deut. 32 : 5. Mich. 7 : 1.

Verſ. 5. & 6. Explicatur gratia illuminationis & purificationis per doctrinam. *Et ſedebit*, tanquam doctor, *conflans & purificans* ſive *conflando purificans*, incendendo cor ad amorem ac timorem Dei, ut ita ab opinionibus ſuis & ignorantiis magis magiſque purificentur, & tanquam aurum & argentum ſint. *Fundet eos ut aurum*, ut ſeparentur à ſcoriis. Huic rei inſerviebat ſcandalum reliquorum, qui ipſos cum Chriſto eliminarunt è Synagogis. Convenit Zach. 14 : 20. *Filios Levi*, Apoſtolos, quos è toto populo elegit, ad ſerviendum ipſi in Euangelio, quò oblatio, ut gentium, ita Iſraëlis eſſet grata ſanctificata in Spiritu Sancto. Rom. 15 : 16. quanquam etiam inter diſcipulos Chriſti credibile ſit fuiſſe & Sacerdotes, qui induendi erant ſalute. Pſ. 132. Fructus proprius, ut *ſint Jehovæ offerentes munus in juſtitia*, id eſt, ut reputentur à Jehova, ipſo Filio Dei, offerentes munus in juſtitia; in juſtitia ſcilicet imputata, Gen. 15 : 6. & fide. Fructus communis, ut *munus Judæ & Hieroſolymæ* (ex vi promiſſionis, *vocata*) *ſuave ſit Domino*, *ut diebus ſæculi & annis prioribus*, ut à Moſe, Aharone, imò Abrahamo, Noacho, Abele oblatum fuit ſacrificium. Priores ſancti in comparatione Iſraëlis *liberi* dicuntur, & nos eorum filii in libertate Novi Teſtamenti.

Verſ. 3. Conſequens apparitionem Chriſti judicium denunciat. *Et accedam ad vos ad judicium*. Significatur Conflictus Euangelii cum Judæis Hieroſolymis & in tota Palæſtina, & in Synagogis extra terram, etiam coram tribunalibus gentium. Ita Deus ſibi ſumit perſonam *teſtis velocis*, id eſt, teſtis, qui 1. apertis argumentis reos peragat: qui non trepidet, non cæſpitet, non ſubducat ſe, non quærat ambages. 2. cujus etiam manus ſit prompta in convictos.

Crimina adverſariorum ſunt 1. *Magia*, quando ſignis, operi operato, & aliis omnibus, quæ ſunt virium humanarum, attribuuntur ea, quæ ſunt Dei. Hab. 1 : 11. Sed & Talmud profitetur, Rabbinos magiam & calluiſſe & exercuiſſe. 2. Adulterium, ut in polygamia, divortio & connubiis repudiatarum liquet. 3. Perjurium, quia non verè jurabant in nomine Domini, & verbum ejus corrumpebant. 4. Fraudatio mercedis. Vulgo id factum fuiſſe, nemo dubitaverit. Sed quid Chriſto rependerint, vide Zach. 11 : 12. 13. 5. Fraudatio viduarum & pupillorum. 6. Declinatio advenarum. Perſequebantur gentiles, qui ad fidem Dei in Chriſto accedebant. Additur defectus ejus, ſine quo nemo Deo placet. *Et non timent me*. Deut. 32 : 20.

Verſ. 8. Ratio mittendi Angeli cum iſto effectu judicii deſumitur à Dei immutabilitate. Dixi, & non facerem? Atqui ſic mutarer. At Deus non mentitur, non afficitur pœnitudine, non patitur mutationem. Atque hoc importat nomen ejus *Jehovah* inter alias perfectiones. Addit argumentum veritatis & conſtantiæ Dei: quod etiam fidem ſuſtinere poterat; ne homines præcipitarent. *Et vos, domus Jacobi, non defeciſtis*, ſive conſumti eſtis, exemplo multarum gentium, quarum nomen periit. Idque, ut veraret promiſſio Gen. 49 : 10.

4. In impœnitentia, quæ

(a.) accuſatur verſ. 9. *Inde à diebus patrum veſtrorum receſſiſtis à ſtatutis meis*. Deut. 32 : 15. Id tum ad facta, tum ad depravationem doctrinæ pertinet. *Statuta Dei* ſunt principaliter ea, quæ Deus declaravit de Teſtamento ſuo, ſive

de ratione salutis in Christo; secundariò dogmata sive præcepta carnalia, quæ ei aut partim figuræ, partim chirographum contra ipsos. Qui dogmatis & figuris utitur ut causâ justitiæ, à statutis Dei recedit. *Convertimini ad me.* Hæc est prædicatio μετανοίας, & summa εὐαγγελίας. *Et convertar ad vos.* restituam vobis communionem mei. Id post peccatum sine intercedente pretio fieri non potest.

(b.) demonstratur in perseveratione spoliandi Deum. vers. 10—14.

Vers. 10. *Vos spoliatis me.* Id in genere significat, ea, quæ Dei sunt, ipsi non dare. Sed id speciatim probat *in decimis & oblatione*: dum, ut ex vers. 12. patet, non integras decimas ad thesaurum afferunt. Nempe declaraverat Deus, se esse hæreditatem Levitarum, ac de suo eos victuros. Ergo, Levitis spoliatis, Deus spoliabatur.

Vers. 11. In eo genere ostendit impœnitentiam: quòd nec maledictione Dei percussi resipiscant.

Vers. 12. Pœnitentiam in isto genere præcipit, cum specificatione modi, ut in thesauros referrentur decimæ, quò fieret distributio sine fraude. Et suadet provocatione ad sumendum experimentum divinæ benedictionis temporalis. *Cancellos cæli aperiam*, id est, ex cœlo dabo pluviam, rorem, Solis splendorem, auras temperatas, salubrem aërem.

Vers. 14. Consequens maximum divinæ benedictionis ostendit, Gloriam inter gentes; ut intelligantur amari à Deo, & esse reverâ *terra beneplaciti*, vel *desiderii*, ut est Zach. 7: 9. Et ita gentes convertantur & plantentur in Israële.

5. In murmuratione contra judicium Dei. vers. 15—20. & cap. 4: 1—3.

(a.) Vers. 15. Proponuntur dicta hostium professorum, sive dogmata, quæ hic *sermones* dicuntur.

Vers. 16. Sententia hostilis in Deum refertur, non quòd hoc apertè dixerint, sed quòd talia dogmata tenuerint, ex quibus hoc possit demonstrari. *Vanum est servire Deo.* Tale est Sadducæorum dogma: qui tollebant spem præmii & vitæ beatæ post mortem. Ex quo consequitur, eos, qui colunt Deum, esse miserrimos omnium hominum. 1 Cor. 15: 19. 32. *Ambulare in atrore coram Domino* est in humilitate, abstinentia, vexatione corporis ambulare. Nam lætitiæ est, uti albis vestibus, lavari, ungi, nitere. Hoc convenit hypocritis religionem interpretantibus ταπεινοφροσύνην quandam, contrariam fiduciæ filiorum, & ἀφειδίαν σώματος. Col. 2: 23. Zach. 13: 6.

Vers. 17. Est Antithesis κακοήθων protervorum, qui contra mandata Dei ex proposito faciunt. Argumentum, quia 1. *ædificati sint*, id est, domos, agros, familiam, posteritatem habeant. 2. *quia tentaverint Deum & evaserint*, id est, in nullam pœnam inciderint ante mortem, adeoque in nullam omnino, ex mente Sadducæorum.

(b.) Vers. 18. est Antithesis colloquii piorum. *Tunc collocuti sunt timentes Jehovam quisque cum proximo suo.* Nimirum occasione hæreseôn, ut Sadducæismi, & hypocriseôs, quæ erat in Pharisæis, de qua vers. 2. futurum erat, ut timentes Deum in veritatem accuratiùs inquirerent, & cum sui similibus ad mutuam ædificationem colloquerentur.

Circa utrosque notat divinam animadversionem, inprimis circa pios, quos indigitat *Timentes Jehovam & reputantes nomen ejus. Pro iis dicit scriptum esse librum memorialem coram Deo*, id est, qui perpetuò sit ante oculos Dei, ne videlicet obli-

oblivifcatur, in quo paſſiones, & ſtudia & nomina piorum ſcripta ſint, ne fructus eorum pereat.

Verſ. 19. Denunciat, certum diem à Deo eſſe conſtitutum, in quo judicium ſuum manifeſtet. *Et erunt mihi, in diem*, id eſt, uſque ad illum diem, *quem ego facio*, quem quaſi ex omni dierum numero ſeligo, ut gloriæ meæ inſerviat, *peculium*. Cuſtodiam illos, ut cimelium, imò ut oculos meos. *Et clemens ero ſuper ipſis, ut clemens eſt vir ſuper filio ſuo, qui ſervit ipſi.* Ergo 1. conſervabo eos. 2. clementer cum illis agam per id tempus. Zach. 11:7. nimirum uſque ad diem illum, quo Deus everteret gentem. *Et*, qui nunc ſedetis in tenebris, & in tentatione, *mutatâ vice videbitis differentiam juſti & improbi.* Solus juſtitiam Dei habens, id eſt, habens Filium, colit Deum: Eâ deſtitutus, id eſt, improbus, Deum non colit omni ſuo opere.

Cap IV. 1. oſtendit, quis eventus ſit futurus Judæorum infidelium. Incendium, ut paleæ. Huc referenda omnis conſumtio eorum. *uſque adeò, ut non relinquat ipſis radicem & ramum.* Utramque partem politiæ oſtendit perituram; *populum*, ſcilicet quia in diſſipatione erit, *& imperium*, quia nullos habebit magiſtratus. Hoſ. 3:4. Mal. 2:12. Præſides radicis inſtar habent, ſubjecti ramorum. Sic vitem vel vineam conſtituunt, cum qua ſæpe comparantur.

Verſ. 2. & 3. Comparativè explicat ſtatum utrorumque. De piis, timentibus nomen Dei. I. *Orietur vobis Sol juſtitiæ, in cujus alis*, id eſt, radiis, *eſt ſanitas.* Sol juſtitiæ eſt Chriſtus, lucens teſtimonio majeſtatis ſuæ, & in apertum proferens juſtitiam veram, & radiis ſuis ſanans ægritudines noſtras, id eſt, verbo & Spiritu ſuo nos regenerans, & ſanctificans & conſolans. *Orietur*, id eſt, manifeſtabitur 1. per nativitatem, doctrinam, opera, paſſiones, reſurrectionem, aſcenſionem in cœlum & effuſionem Spiritûs Sancti. 2. per ablationem veli, id eſt, templi, urbis, principum, & ſic ſublationem ſervitutis. II. *Exibitis*, ex Hieroſolyma & gente in mundum. III. *Et augeſcetis, ut vituli ſaginarii.* Auctiores fide & lætitiâ & fortitudine & copiâ fietis.

De improbis ſive infidelibus verſ. 3. agit in oppoſitione fidelium. *Et conculcabitis. Nam fient cinis ſub plantis pedum veſtrorum, in illo die, quem ego facio.* Chriſtiani toto illo tempore militiæ uſque ad ultimum judicium proterent omnes improbos, Judæos, Romanos perſecutores, hæreticos, Antichriſtum.

C. Admonitio de ſervanda lege Moſis. verſ. 4. & animadvertenda prænunciatione Chriſti adventantis. ℣. 5. 6.

In hac pericopa Malachias velut obſignans prophetiam, verbis Dei

Primò commendat Iſraëli perpetuam regulam fidei, legem Moſis, ut *ſervi Dei fidelis in tota domo ipſius.* Num. 12:7. quippe cujus ſermo ſit teſtimonium eorum omnium, quæ deinde erant dicenda per Chriſtum. Heb. 3:5. ad cujus teſtimonium etiam Chriſtus debebat provocare. Joh. 5:39. 45. 46. 47. Non verò traditiones humanas principum ſedentium in cathedra ejus.

Secundò promittit Adventum Chriſti, qui eſt adventus Diei Domini. quippe adventui Chriſti annexus eſt dies judicii ſignificatus cap. 3:21. vel 4:1. Ante Adventum autem diei Domini promittit miſſionem *Eliæ*, qui idem eſt Angelus promiſſus cap. 3:3. nimirum homo in ſpiritu & virtute Eliæ.

Tertiò docet finem miſſionis Eliæ, ut ſuâ doctrinâ vocet Iſraëlitas ad pœnitentiam

tentiam & fidem Euangelii, quippe Christo jam dato, & mox revelando: quod dicit *Reducere cor patrum ad filios*, ne scilicet Abrahamum & cæteros puderet suorum filiorum. *Et cor filiorum ad patres*, id est, filios ad sensum justorum, sive ad fidem ipsorum.

Quartò docet causam προηγουμένην illius missionis & fructum. nimirum, quòd Deus *veniens* noluit *terram*, id est, populum, *percutere anathemate*, sed aliquos omnino voluit servare. *Anathemate*, id est, πανωλεθρία.



ORDO

ORDO RERUM EX APOCALYPSI.



Visorum ordo & distinctio, quæ in toto libro est, septem partes habet. Quas qui non nimis indiligenter inter se contulerit, clarè videbit, in iis agi de iisdem rebus alio atque alio modo, & easdem quasi toties factas narrari. Distinctæ itaque pericopæ prima & ultima complectuntur: suntque Septem.

Prima cap. 2. & 3. continetur, & repræsentat statum Ecclesiæ totius Novi Testamenti, sub figura Septme Ecclesiarum, & Angelorum earum. Hi habentur articuli.

1. Opera, labor, patientia &c. Christianorum primi temporis, qui fuerunt discipuli Apostolorum, iisve proximi. Nominatim in odio Nicolaïtarum (nominis humani sectatorum) hic cernitur amor veritatis. C. 2: 2. 3. & 6.

2. Certamina Ecclesiæ, ut Apostoli Pauli, cum Pseudoapostolis. In his fortè Ecclesia Ephesina, in qua Apostolus diutiùs docuerat, cæteris præluxerit. v. 2.

3. Remissio quorundam in primitiva Ecclesia ab opere charitatis in obitione ministerii. Vide exemplum in Diotrephe φιλοπρωτεύων. Joh. Ep. 3. & adde Act. 20: 28. 29. 30. v. 4.

4. Sublatio benedictionis divinæ à convertendis Judæis, sive sublatio Ecclesiæ ex loco, in quo antea fuerat. v. 5.

5. Passiones & martyria fidelium sub Imperatoribus Gentilibus. v. 8. 9. 10.
Nota, hic designari decem afflictiones, vel ultimam sub Diocletiano decem annorum. v. 10.

6. Calumniæ Judæorum, quibus oppressos Christianos gentilibus tradebant. v. 9.

7. Constitutio Ecclesiæ in eo loco, in quo erat thronus Satanæ. Id factum est tunc, cùm per Constantinum Magnum omnia Christiano nomini fuerunt subdita. Et ipse Ecclesiam in Oriente circumvallavit splendore urbis dominantis, Constantinopolis sive novæ Romæ, cujus populus originem à Pergamenis, id est, Trojanis, ducebat. v. 12, 13.

8. Hæretici Arriani, nomen humanum sectantes, negantes τὸ ὁμοούσιον τοῦ Πατρὸς καὶ υἱοῦ. v. 13.

9. Eorum damnatio in Concilio Nicæno, per professores veritatis, qui *Antipas* dicuntur. ibid.

10. Horum vexatio ac interfectio ab Arrianis, quibus Constantius & alii Imperatores Orientis favebant. Adde & à Juliano Apostata, in quo thronus Satanæ reviviscebat. ibid.

v. 14. 15. 11. Papæ Romani elevatio, occaſione Arrianarum controverſiarum, apud Catholicos, ac deinceps, donec Imperatores Orientis ipſius juſſa pro legibus voluerunt haberi.

v. 18. 19. 12. Dilectio unanimis, bonorum erogatio in cultum Dei & ſuſtentationem pauperum, & fides quorundam in maximis tentationibus, & totius ferè mundi ſeductione. Eorundemque patientia.

v. 11. Hic impletur, quod ſuprà prædictum.

v. 20. 22. 13. Syſtema ex falſis prophetis, & capite eorum Antichriſto, cum quo mœchentur Reges & principes terræ, conflatum.

v. 20. Nota hic confuſionem fidelium cum adorantibus Beſtiam; & ſeſſionem Antichriſti in templo Dei. Quamvis 1. multi in illo cœtu vivant, qui

v. 24. non credant falſis illis doctoribus. 2. qui profunditates, quas vocant, Scholaſticas ignorant.

v. 21. Et tempus, quod Deus indulſit Papæ, diuturnum futurum fuiſſe.

v. 24. Nullumque aliud onus præter hoc Antichriſtianum Eccleſiæ imponendum fuiſſe.

v. 16. 24. 25 14. Excitatio quorundam ad certamen cum Antichriſto per verbum Dei.

v. 22. 15. Conjectio meretricis in lectum, ut langueat. cùm ſcilicet Tyrus illa cœpit oblivioni tradi.

v. 22. 16. Conjectio meretricis & mœchorum ejus in anguſtiam magnam. Vide hic omnes anguſtias, in quas perſecutores & Clerus Romanus conjecti ſunt inde ab initio Reformationis. Et quid adhuc futurum ſit, Deus novit.

v. 23. 17. Occiſio filiorum ipſius in morte, & conſequens celebratio Chriſti, tanquam ſcrutatoris cordium.

v. 24. ſ. 18. Commendatio ſtudii conſervandæ puritatis Euangelii, ne ea tentetur per Anabaptiſtas, Samoſatenianos, Interimiſtas, Adiaphoriſtas, & præcipuè controverſias Sacramentarias.

Cap. 3:1. ſ. 19. Reſurrectio multorum à Papiſtis, non amore veritatis, ſed convictæ falſitatis; & ſuperadditio novorum dogmatum ad fundamentum. Ii nomen habent quòd vivant & Reformati ſint, cùm mortui ſint, fide & charitate careant.

v. 4. 20. Conceſſio pacis Eccleſiæ in Germania, deinde & aliis in partibus, idque ad juſtificationem cauſæ ipſorum, qui inter Reformatos veri fideles & pii erant.

v. 8. 9. 21. Redactio Eccleſiæ, ipſorumque adeo proborum, ad eum ſtatum, ut parvas habeant vires: proborumque conſervatio in veritate, dum alii vel ab agnita veritate recedunt; vel etiam per doctrinas ſcandaloſas veram Eccleſiam partim tradunt, partim infeſtant.

Verſ. 8. Innuitur, occiſione Euangelicæ doctrinæ, utque oſtium prædicationis Euangelii clauderetur, quandam Eccleſiæ partem undique infeſtatum iri.

v. 9. 22. Hoſtium humiliatio ad pedes Eccleſiæ, & confeſſio, quòd Deus illam adjuverit, cum abdicatione omnis juris ſui, quod antè in illam habuerat, & pacificatione.

v. 10. add. 23. Anguſtia ac tentatio ventura in totum orbem.
& c. 2:22.

24. Con-

24. Conservatio proborum ex tentatione illa, si sermonem patientiæ observent. v. 10.

Nota, abhinc celerem adventum Christi futurum significari. v. 11.

25. Sermo Dei directus ad Ecclesiæ quandam partem, cujus doctores v. 14.
docent, hominem habere vires sufficientes ad bonum, se non habere v. 17.
opus gratiâ potente ad sanctificationem, se jam pervenisse ad perfectio-
nem &c. De qua testatur, quòd neque calidi sint, ut qui profiteantur, se v. 15.
omnes velle ferre, præter eos, qui malos nolunt ferre: neque frigidi,
ut qui non accedant apertè ad cœtum adversariorum. Tales Remon-
strantes, & Religionum Conciliatores in Anglia & aliis locis.

Tempus id hîc notatur, quo Deus judicium aget inter populos. v. 14.

Sermo ille Dei partim in comminatione, partim in consilio de pœniten- v.16.18.19
tia consistit.

26. Prædicatio verbi publica & universalis, quâ vim majorem, quàm v. 20.
antea, ad corda facturus est Christus, ut cum justitia sua intromittatur.

27. Regnum Christi & populi ipsius, cùm omnia ipsi & Ecclesiæ ipsius v. 21.
servient.

PEricopa Secunda cap. 4. 5. 6. 7. & 8: 1. continetur, easdemque res per apertionem Septem sigillorum repræsentat.

Nota autem, caput 4tum universaliter statum totius Novi Testamenti, & finem omnium, nempe pacem mundi ut subjecti Ecclesiæ repræsentare. In cap. 5to esse præparationem ad specialiorem omnium explicationem, quæ traditur cap. 6. & 8: 1. Cap. denique 7mo ad exegesin & declarationem superiorum introduci statum Ecclesiæ, dum eluctatur ex Regno Bestiæ. Ordo hic est. Cap. 5.

1. Vox Apostolorum testantium mortem, resurrectionem ac ascen- v. 5. 6.
sionem Christi in cœlum εἰς τὸ ἐμφανίζεσθαι τῷ Θεῷ, & accipiendam pote-
statem aperiendi librum decretorum Dei de Novo Testamento, & omnia
implendi.

3. Euangelii βεβαίωσις inter Judæos vel ut conversos, vel ut convictos, Cap. 6.
in pace mundi. Ejusdemque Euangelii propagatio ab Hierosolyma ver- v. 2. conf.
sus occasum ad gentes. cap. 7: 2. c. 4: 5.

2. Animositas Ecclesiæ primitivæ, spectata partim in indefesso labore v. 1.
prædicationis Euangelii, partim in certaminibus cum hostibus Euange-
lii, & pseudoapostolis. Unde *Leoni* comparatur. conf. c. 4: 7.

4. Afflictio Christianorum in terra. Unde *Equo rufo*, & *Vitulo* com- v. 3. 4.
parantur. conf. c. 4: 7.

5. Sublatio pacis à populo Judaïco, & quidem ad verbum & pre- v. 4.
ces Christianorum. Instrumentum *gladius magnus* nempe Romanorum
vocatur.

Cap. 7: 1. 2. 3. consideratur Ecclesia ut jam sede aliquâ & regione potita, sed undique inimicis potestatibus, ceu instrumentis judicii divini cincta, quæ tamen terram & arbores Ecclesiæ non sint abolituræ, donec ex illis partibus electi signaculum Dei, verbum ejus, acceperint, & tanquam servi Dei notati fuerint. Ex aliis prophetiis constat, populos Barbaros; deinde Sarracenos; denique Turcas orbi Christiano imminuisse.

6. Cul-

v. 5. conf. 4:7. 6. Cultus Philosophiæ ac Eloquentiæ in Ecclesia. Unde *Homini* comparatur.

v. 5. 7. *Trutina*, id est, potestas judicandi, ac instrumentum vendendi, erecta in Ecclesia.

v. 6. 8. Erogatio maximorum beneficiorum, veluti Episcopatuum, Archiepiscopatuum &c. in Episcopos illos mercenarios.

v. 6. 9. Vox audita in Ecclesia, postulans pro istis beneficiis fructum laboris Episcoporum, mensuram certam fratrum, qui assumi in Ecclesiæ corpus possint, & puerorum in Christo: Et ne eos, in quibus esset sermo veritatis ad exhilarandum, & donum Spiritûs Sancti ad vegetandum & sanandum, damnarent aut persequerentur.

v. 7. conf. 4:7. 10. Ecclesiæ status talis, ut *Aquilæ* comparari possit. Confer Peric. 1. §. 12. Noster locus de appetitu cœlestium, & Christi cadaveris quidem facti, attamen cibi ad vitam æternam, agit.

v. 8. 11. *Mors*, id est, seductior post agnitam veritatem, comitem habens *Infernum*, id est, potestatem politicam populos constringentem ad audiendum seductores, & in morte manendum. Unde Ecclesia *Equo pallido*, id est, plus mortis, quàm vitæ exhibenti, comparatur.

v. 8. Instrumenta mortis vocantur *gladius*, quo Sancti mactati sunt, *fames*, id est, carentia cibi spiritualis & consolationis, *lues*, & *bestiæ terræ*.

v. 9. 12. Mactatio eorum, qui adhærescebant verbo Dei, & ex eo fundamentum demonstrabant. Ea *afflictio magna*, de qua cap. 7:14.

v. 10. 11. Diuturnitas temporis, quo illi occisi, notatur in prophetia.

v. 11. c. 7:9.13. 13. Justificatio causæ eorum in mundo per repressionem persecutorum, ut cogerentur Ecclesiæ pacem concedere.

Promissiones de ubertate ac perpetuitate prædicationis verbi, & consolationis ex eo, & impediendâ majori persecutione hic vide ex cap. 7: 15. 16. 17.

v. 12. 14. *Terræ motus* sive concussio regnorum ac populorum, qualis post pacificationem Ecclesiæ exstitit in bello Cæsaris contra principes Germaniæ, Regem Bohemiæ, Daniæ, Sueciæ, Galliæ, Regis Hispaniæ contra Belgas & Gallos, ipsius regis Galliæ contra Reformatos. &c.

v. 12. 15. *Solis* obscuratio, ut doctor falsitatis meræ & osor lucis appareret. In Concilio Tridentino. Et *Lunæ*, id est, principum, ut nihil nisi sanguinem fundere studerent.

v. 13. 16. Usurpatæ in Ecclesia potestatis abolitio.

v. 14. Paulatim eam futuram, tum in Ecclesia Reformata, tum extra illam, dicit prophetia.

v. 14. v. 15. 17. Amotio montium & insularum ex loco suo, id est, mutatio regiminis in quibusdam regnis & populis, & ejectio Regum ac Ducum, ac horribilia judicia in magnates, ut non habeant ubi consistere possint.

v. 15. 16. 18. Perfugium horum ad alios reges, populos, respublicas, ut ab illis defendantur vel restituantur; donec & illi moveantur, & tandem

c. 4: 6. 19. Mundus fiat unum mare vitreum coram Deo, ut pacatus Ecclesiæ subjiciatur.

c. 8: 1. 20. Ecclesiæ exspectatio inter eos tumultus, quibus cœlum convolvitur, & montes atque insulæ moventur, & in magna illa afflictione, ex qua

qua egressi Deum glorificant. ἡμιώριον hic intelligimus, antequam res evenit, parvum tempus. Nam omnes prophetiæ dicunt, illa citò fore.

PEricopa Tertia cap. 8 : 2. & seqq. 9. 10. 11. ℣. 15. per septem tubas, septem sigillis superioribus subordinatas, eundem rerum ordinem proponit. Clavim interpretationis vide cap. 10 : 1. Unde clarum est, apertionem septem sigillorum sive librum apertum esse denunciationem non jam tubæ primæ aut alterius, sed ipsius septimæ. Unde id saltem colligitur, septimam tubam septimo sigillo subordinari. Quod & facilè de reliquis tubis & sigillis intelligi potest. Ordo talis est.

1. Effusio Spiritûs Sancti & distributio variorum charismatum in Apostolos. C. 8 : 5.

2. Excitatio vocum antehac inauditarum, de resurrectione & ascensione Christi in cœlum &c. fulgetrorum in illuminatione mundi, tonitruorum in efficacia verbi in convertendis hominibus, & terræ motus in contradictionibus multorum. Confer Pericop. II. §. 1. 2. & 3. *ibid.*

3. Procellæ, quibus agitata est respublica Judaica, nondum sublatâ pace, quam habent cum Romanis. Earum effectus hîc specificatur, abolitio unius ex triplici ordine Pastorum, nempe Judicum. *v.* 7.

4. Politiæ Judaicæ destructio, & reliquorum dispersio per gentes. *v.* 8.

5. Bella cruenta, inprimis intestina in Imperio Romano, & crudeles persecutiones Christianorum. Unde plerique gentilium, qui jam vivere inceperant, relapsi sunt, & multæ Ecclesiæ particulares destructæ sunt. *v.* 8. *f.* *v.* 9.

6. Quorundam insignium doctorum damnatio propter doctrinam hæreticam. Qualis Arrii erat. *v.* 10.

Describitur ea hæresis ab effectu in prophetia. *v.* 11.

7. Receptio ejus doctrinæ hæreticæ à multis populis & principibus populorum. *v.* 10.

8. Corruptio doctrinæ, per quam mors secunda fuit introducta in Ecclesiam, & Sol atque Luna & Stellæ tertiâ parte obtenebrata sunt. *v.* 12.

9. Ablatio auctoritatis ab insigni quodam Doctore Ecclesiæ, Episcopo Romano, in Ecclesia Reformata: ut cùm Lutherus bullas Papæ & Corpus Juris Canonici publicè cremaret. C. 9 : 1.

10. Simul confirmatio ejusdem auctoritatis apud partem diversam: ut cùm Leo X. Lutherum damnaret, quòd à Papa ad Concilium provocasset. *ibid.*

11. Falsorum dogmatum eructatio atque concinnatio, ut saltem specie veri, atque ob multitudinem assentientium ipsis quamplurimis placerent. *v.* 2.

12. Cruciatus illorum, qui signum Dei, id est, verbum ejus, in frontibus non habent, non profitentur, per illos, qui ex fumo illo mendaciorum, & multitudine assentientium ipsis prodibant, Doctores falsos Ecclesiæ, non jam ampliùs Christianæ, sed Papanæ. *v.* 3. 4.

v. 5. 6. Effectus hujus cruciatûs declaratur ab opposito, *ut non moriantur*, sed se mori sentiant spiritualiter, & se mortuos esse ipsis non liceat ignorare.

v. 5. & 10. Tempus hujus cruciatûs quoque determinatur in prophetia, *quinque menses*, id est, fortè 150 anni, si mensis pro 30 annis sumatur. Ii fortè incipiunt ab eo tempore, quo declaravit Papa, à suo judicio non posse provocari: quod factum est in Concilio Laterano, A. C. 1513. quod absolutum est A. C. 1517. 16. Martii.

v. 7---11. Doctores illi cum rege suo ænigmaticè describuntur.

v. 14. 15. 18. 13. Solutio quatuor Angelorum ligatorum ad Euphratem, & expeditio exercitûs equestris, qui quamplurimos interficerent partim gladio carnali, partim spirituali, impellendo ad apostasiam, in quadam Ecclesiæ Euangelicæ parte.

v. 16. 17. 19. Numerus innumerabilis copiarum equestrium, audiendus Ecclesiæ, ad ejus terrorem, non etiam videndus: itemque distributio & descriptio exercitûs equestris proponitur in prophetia.

v. 20. 14. Reliquorum, qui non abnegârunt veritatem, impœnitentia, & pervicacia in retinendis imaginibus cum scandalo: & in bellis non necessariis crudeliter gerendis, ac blasphematione & persecutione fratrum, aut traditione eorum in manum persequentium ipsos: & in incantationibus suis; & in fornicationibus suis; & in furtis suis.

c. 10: 8. 9. 10. 17. Excitatio spiritûs multorum in Ecclesia, ut cupiant cognoscere ea, quæ scripta sunt in libro, & petant sibi cognitionem dari: Itemque multiplicatio cognitionis mysterii Dei, eo usque palam facti, ut & homines intelligere possint, jam instare tubam septimam, & sub illa omnia esse complenda. Hæc est iterata apud gentes & populos prophetia.
v. 2.
v. 5---7.
v. 11.

v. 2. 15. Compositio maris, ne terram inundaret, & pacificatio Ecclesiæ Euangelicæ.

v. 3. 4. 16. Voces septem tonitruorum, quæ quid significent, Spiritus Sanctus non distinctè à nobis voluit cognosci, sive quòd aliæ prophetiæ id satis plenè doceant, sive quòd fides nostra in generali indigitatione satis habeat firmamenti.

c. 11: 15---18. 18. Voces multorum auditæ, *facta esse regna Dei & Christi*, ut is regnet in sæcula sæculorum: *& venisse tempus*, *quo judicentur mortui*, morte secundâ, per verbum, & conjectionem eorum in stagnum ignis: *& merces reddatur* Prophetis, amplificatio regni Dei, propter quod laborarunt & passi sunt: & *destruantur perdentes terram*, id est, Ecclesiam & politiam.

v. 19. 19. Apertio templi Dei in cœlo, sive agnitio veræ Ecclesiæ, dissipato scilicet fumo sive potestate mundanâ ab ea: Christique, Arcæ Testamenti, agnitio tanquam præsentis Ecclesiæ suæ. Et voces de veritate & falsitate: ac illuminatio mundi, bella & calamitates, quæ passim accidêre.

PEricopa Quarta seu ἐπεισόδιον Tertiæ mensuram quandam temporis, quo civitas sancta erat calcanda: itemque distinctionem triplicis temporis, in quo prophetia diversimodè peragetur, proponit. Nam est tempus, quo duo testes consummabunt suam testificationem. vers. 7. Est tempus, quo

quo testes prophetabunt in saccis, vel etiam jacebunt in foro civitatis magnæ, ut cadavera. Est tempus, quo reviviscent, & ascendent in cœlum. Cui duorum testium collocationi in cœlo respondet casus stellæ magnæ de cœlo in terram, cap. 9:1. Et post peracta, quæ in cap. 9. descripta sunt, apertio libri, & iterata apud gentes & populos prophetia. Hi sunt articuli.

2. Gentes ingressæ in urbem sanctam, & accedentes in ipsum atrium, ut propter magnam similitudinem opus sit canone & calamo ad illas à sanctis distinguendum. C. XI. v. 1. 2.

Ea bestia est ascendens ex abysso, nempe in terram: & civitas magna, quæ Sodoma & Ægyptus in spiritu. v. 7. v. 8.

1. Consummatio testificationis duorum testium in toto mundo, ita ut Christus ignorari non possit. v. 7.

Illi testes describuntur. v. 4. 5. 6.

Ad §. 2. Nota, tempus, quo gentes calcaturæ sint civitatem sanctam, & vero populo Dei permiscendæ, notari in prophetia, *menses* 42, id est, annos 1260.

3. Obnubilatio revelationis per multa commenta stolida, ita ut verum jubar gloriæ in ea conspici non posset: quo facto testes duo prophetabant in saccis, & quidem, ut suprà, per dies, id est, annos 1260. v. 3.

Nota, istis falsis commentis & explicationibus factum esse, ut vis Scripturæ omnis periret, essetque odor mortis ad mortem: quo facto *occisi sunt testes*. v. 7. 8.

4. Oppugnatio veritatis verbi & auctoritatis Scripturæ, ita ut major fiat auctoritas Bestiæ, quàm Scripturæ. v. 7.

6. Contestatio quorundam de auctoritate verbi Dei contra contemtores ejus, tribus temporibus, interrumpendis, & initio quarti temporis, non interrumpendi, futura evidentior & vehementior. v. 9.

5. Gaudium hominum carnalium super morte illorum testium, & occultatione veritatis eorum, quæ ipsis erat contraria: Et mutuæ distributiones terrarum, oblationes & benedictiones. v. 10.

7. Scripturarum, & auctoritatis earum resuscitatio, & collocatio in throno, futura quarti temporis parte aliquâ elapsâ; videntibus hostibus earum, id est, de auctoritate & veritate earum convictis. v. 11. 12.

8. *Terræ motus magnus*, id est, tumultus inter gentes futurus. Huc refer bellum Germanicum superiori sæculo actum, & bella, in Gallia & Belgio, pro religione & contra eam suscepta. v. 13.

9. Casus decimæ partis civitatis, id est, regni unius ex decem, quæ Antichristo serviebant, Galliæ: quæ, cùm temporibus Henrici II. Francisci II. Caroli IX. Henrici III. afflictissima fuisset, ægrè tandem sub Henrico IV. in unum regni corpus est redacta. v. 13.

10. Septem nominum sive titulorum ἀνθρώπων χιλιάδες abolitio. In Belgio à septem Provinciis confœderatis, veluti Ducis Gelriæ, Comitis Hollandiæ & Zelandiæ, Domini Frisiæ &c. v. 13.

11. Septem familiarum, ἡγεμονιῶν, Episcopatuum, exactio, ibidem facta: veluti Episcopatûs Harlemiensis, Middelburgensis, Trajectensis, Leovardiensis, Groningensis, Daventriensis, Roermondensis. v. 13.

v. 13. f. 12. Pax Proteſtantibus data in Germania, Gallia, denique & Belgio, cùm ſentirent hoſtes, ſe Deo reſiſtere non poſſe.

PEricopa Quinta Bellum Draconis & Agni: itemque Beſtias duas, & victoriam Agni de illis, cap. 12. 13. 14. Denique & cap. 15. 16. per ἐκχεῖσθαι phialarum, & cap. 17. 18. 19. per aliud ἐκχεῖσθαι plagas & judicium Beſtiarum & Meretricis proponit. Hic eſt ordo.

Cap. 12.

v. 1. 2. 1. Exſpectatio Eccleſiæ Veteris Teſtamenti in ſpe Chriſti venturi, imò naſcituri ex ipſa.

v. 3. 2. Imperium quoddam magnum, inſtante nativitate Chriſti habens in poteſtate ſeptem regiones, quarum ſingulæ magna Imperia quondam conſtituerant, tanquam Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, Syriam, Aſiam, Græciam.

v. 4. 3. Judicum poteſtas ſublata à populo Judaïco per Romanos, (Is eſt tertius ordo rectorum populi.) & redacta Judæa in ditionem Romanorum, ut per Judicem Romanum Chriſtus crucifigeretur.

Nota, ad imperium Draconis tempore Chriſti etiam pertinuiſſe Principes populi, ac Sacerdotes, qui Chriſtum tradiderunt gentibus.

v. 5. 4. Nativitas Chriſti, ejuſque ereptio ex ore Draconis, ex inferno ſive ſepulchro per reſuſcitationem, aſcenſionem in cœlos, & ſeſſionem ad dextram Dei. Cap. 15:5. apertum fuiſſe templum tabernaculi teſtimonii in cœlo dicitur: quod eſt conſequens beneficium.

v. 9. 6. Sacrificii & muneris abolitio in Eccleſia: quo facto Draco non habuit

v. 11. amplius locum in cœlo, ſed conjectus eſt in terram, & victus eſt.

v. 6. 5. Prædicatio Euangelii in gentibus, Eccleſiæque diſperſio per mundum gentilem, ubi locum habitationis quærebat.

7. Mala Judæis & gentibus inflicta poſt conjectionem Draconis in terram: nec tantùm corporalia, ſed & ſpiritualia; qualia ſunt, excœcatio Judæorum in odium Chriſtianorum, & in temeritatem, quâ ſe auſi ſunt Romanis opponere: & ex his conſecuta perſecutio Chriſtianorum, bellum Judaïcum, bella inteſtina inter Romanos poſt cædem Neronis, deſtructio Hieroſolymorum & templi, & cætera quæ ſecuta ſunt, donec Draco ſuam poteſtatem concederet Beſtiæ.

v. 11. 8. Effuſio ſanguinis pro Euangelio, inter Judæos primùm, deinde etiam inter gentiles.

v. 3. Speciatim hic *decem cornua Draconis*, id eſt, decem Imperatores Gentiles, qui perſecuti ſunt Eccleſiam, nominantur.

c. 15:8. Gloria Dei iſtis paſſionibus Chriſtianorum demonſtrata.

v. 14. 9. *Duæ alæ*, id eſt, duæ magnæ provinciæ in regno Draconis, Hiſpania & Gallia, cujus appendix erat Britanniæ quædam pars, à Conſtantio Chloro allecto Cæſare à Diocletiano & Maximiano, Chriſtianis datæ in locum ſuffugii, quarum opibus deinde adjuta obtineret locum, in quo debebat nutriri.

v. 15. 10. Excitatio belli contra Eccleſiam habentem duas alas iſtas. Licinius hujus belli Dux fuit.

11. Coërcitio Licinii per Constantinum Magnum, filium & successorem Constantii Chlori, Imperiique Romani translatio in Constantinum & Christianos: quo tempore Imperium cœpit esse locus nutriendæ Ecclesiæ. A. C. 292. v. 16.

Nota, Tempus hujus nutritionis definiri dies, id est, annos 1260. (ii *menses* 42. cap. 13 : 5.) Id autem distribui in tempus, tempora & dimidium temporis, quia in toto illo spatio quatuor tempora notabilia futura erant, in quibus Ecclesia se evidentiùs erat ostensura coram mundo. Vide Peric. IV. §. 6. v. 6. v. 14.

Ea Draconis deceſſio est, in qua Traditio potestatis in manum Bestiæ continetur: Quibus rebus significatur mutatio Imperii Romani à cultu Deorum, & persecutione nominis Christiani, ad illius nominis professionem. v. 17. *item* c. 13 : 2.

Inde septem capita, id est, regiones septem, quas suprà §. 2. ostendimus Romanos gentiles obtinuisse, sedes Ecclesiæ Christianæ facta expressè dicitur. c. 17: 3. 9. 10.

12. Consecuta quidem ergo est prædicationem Euangelii, ac demonstrationem gloriæ Dei per passiones Christianorum, conversio hominum ad Deum in maxima copia: Attamen quia cum corporibus & opibus suis etiam opiniones suas & mores gentiles attulerunt; quin *& os ei dederunt*, id est, putarunt homines, Bestiam infallibiliter loqui; suspicientes splendorem, divitias, felicitatem, potentiam ac terribilitatem externam Ecclesiæ, animalitatem suam ostenderunt, & Bestia magis, quàm vera Dei Ecclesia futura dicitur in spiritu: omnisque ille splendor fumo comparatur, quo templum Dei, id est, Ecclesia replenda dicitur. c. 15 : 8. c. 13 : 4. 17 : 8. c. 13 : 1. c. 15 : 8.

Ea Bestia *ascendere* dicitur *ex mari*, id est, ex mundo in Ecclesiam transferri. Item *ex abysso*. c. 13 : 1. c. 17 : 8.

Ad hanc Bestiam pertinent Arriani, Musulmanni, Christiani servientes Episcopis &c. Unde *Pardo* varii coloris assimilatur, & pedes Ursi, atque os Leonis habere dicitur. c. 13 : 2.

Eadem est hæc Bestia, cui se Meretrix imposuit, cujus locus ibidem *eremus* dicitur, id est, ea pars mundi, in qua tempore Johannis adhuc dominabatur idololatria & persecutio. c. 17 : 3. c. 17 : 2.

Quæ & propter professionem nominis Christi videbatur tincta sanguine ipsius, unde *coccinea* vocatur, & *esse* videbatur Ecclesia Dei, & regnum illud promissum: quamvis reverà non esset. c. 17 : 3. c. 17 : 8.

Nota, in prophetia eam Bestiam assimilari civitati sive reipublicæ, quæ quondam fuerit instituta à Deo: qualis fuit Israëlitica, quæ hominibus quoque maximam partem carnalibus constabat; quamvis Deus inter eos diceretur habitare, & nomen ejus atque verbum audiretur: atque etiam sancti essent admisti. Victi ab hoc tempore sunt sancti à Bestia, ita ut non nisi cum tristitia in hoc cœtu ipsis vivere liceret, quibus & vi & dolo ac seductione bellum fecit *mensibus* 42. c. 17 : 8. c. 13 : 7. 5.

13. Blasphemia Arrii, quæ prima in Imperio Romano post susceptum nomen Christi audita est. Sicque Bestia aperuit os suum ad blasphemandum. c. 13 : 6.

14. Damnatio erroris Arrii in Concilio Nicæno, eâque occasione con- c. 13 : 11.

stitutio Hierarchiæ in Ecclesia, hactenus, ut Episcopi subessent Metropolitanis, hisque distribuerentur suæ ἐξουσίαι. Qui ascensus quidam Bestiæ secundæ ex terra: quia est corpus hominum ad nominatam Ecclesiam pertinentium, paulatim sese efferens supra alios tanquam inferiores. In-
c. 13: 16. de *servi & liberi* dicuntur in illo regno.
c. 13: 11. Ea meretrix est cap. 17. Describitur, quòd habeat *cornua duo*, potestatem solvendi & ligandi, *& loquatur ut Draco*, sibi esse datam omnem
v. 12. potestatem. Luc. 4: 6. *Et potestatem omnem prioris Bestiæ faciat coram ipsa.* ut nempe per ἐνέργειαν τῆς πλάνης imperium habere in Ecclesiam, & ut Reges terræ ipsi traderent omnem suam potestatem, facit *terram & habitantes in ea, ut adorent Bestiam priorem*, ut putent, hanc
v. 13. esse Ecclesiam Dei. *Et facit signa magna*, miracula, sive ea verè facta sint, sive fieri visa & credita, *ut*, adeo ut etiam *ignem faciat de cœlo descendere*, id est, vindictam divinam in hæreticos, quorum pars maxima ab ipsa excommunicati perierunt.
c. 13: 17. *Signaturam habet recipiendam in manu aut in fronte*, id est, legem diversam à lege Dei, cui homines obediant, vel saltem quam profiteantur.
v. 18. tur. *Numerat* libenter, tanquam reditus talenta 666. 2 Chron. 9: 13. maximam hominum multitudinem, quam etiam notam facit Ecclesiæ.
c. 17: 4. c. Nomen Christi, qui sanguinem pro Ecclesia sua fudit; nomen Spiritûs
18: 16. Sancti, cujus assistentiam sibi vendicat; Sanctorum, Prophetarum, Apostolorum, Patrum, ac inprimis Petri tanquam lapidis pretiosi jactat: cortice verborum Dei, ceu poculo aureo, sua propinat. Palam profitetur,
c. 17: 5. Euangelium adhuc esse mysterium; Sacramenta septeno numero commendat. Ea Græcis μυστήρια. Ἄγραφα quædam sibi soli dicta. *Babylon* est, quia consilium retinendi Ecclesiam in unitate ei dedit originem; *mater scortorum*, quia concubinarios facit & fovet; & *abominationum*, homicidiorum, injustorum bellorum & .ſ. *impuritatum*, id est, impuræ doctrinæ, tanquam de peccato veniali, & quòd concupiscentia non sit peccatum, & simil.
c. 17: 1. Per unionem autem facit quasi unum corpus civitatis, unde & *sedere* dicitur, id est, sita esse & habitari, *in aquis multis*, allusione factâ ad Tyrum. Ad quæstum se convertit hæc civitas, *ut cujus principes facti sint*
c. 13: 17. *mercatores*. Cap. 18: 23. & ℣. 11--15. & ℣. 3. 19. Emporium ergo est.
c. 16: 2. Quamvis autem per signaturam bestiæ videantur externam servare u-
11. nionem, nihilominus tamen intus omnia fatiscunt per dissidia æterna de imaginibus, de nuptiis clericorum, de investituris Episcoporum, de primatu, de capite Ecclesiæ auferibili &c. Huc refer omnes disputationes scholasticas. Quæ dissidia etiam aliquando ad externam rupturam processerunt, ad tempus quidem in schismate ἀντικεφάλων, nempe Aquilejensis, Mediolanensis, Ravennatis, & cæterorum negantium Papæ obedientiam; item in Paparum & Antipaparum dissidio; in perpetuum verò in schimate inter Ecclesiam Græcam & Latinam.
c. 13: 14. Eò usque processit arrogantia jurisdictionis & legislationis, & insania Episcoporum, ut in unum hominem omnem vim & auctoritatem suam conferrent, qui ipsis quidem dicitur *Ecclesia repræsentativa*, & *vicarius* sive *imago Christi*; attamen reverâ est *imago Bestiæ*: cujus interpretationes, le

leges, traditiones, judicia, acta, dicuntur esse acta Ecclesiæ. Hunc ut crederent homines *habere Spiritum Sanctum*, effecerunt Episcopi, *& ut loqueretur*, id est, doceret tanquam auctoritatem habens, & ut excommunicarentur, quicunque ei non obedirent; & ut signaturam bestiæ omnibus imponat vel in manu vel in fronte. v. 15. v. 16.

15. Unius ex capitibus prioris bestiæ mactatio ad mortem. Græcia vulnus lethale accepit, quando Julianus Apostata rerum ibidem potitus est. c. 13: 3.

16. Sanatio plagæ istius mortiferæ, sublato Juliano de medio, & Joviano Catholico succedente.

17. Quinque provinciarum sive regionum Imperii Romani occupatio à Gothis, Vandalis, aliisque sociis populis: ac denique Sarracenis, relictâ unâ, nempe Græciâ, & septimâ nempe regno Italico nondum repræsentato. c. 17: 10.

18. Populorum barbarorum, veluti Longobardorum, Ungarorum, Polonorum, Bohemorum, Vandalorum, Gothorum, Danorum, Saxonum, Francorum, adductio ad communionem Ecclesiæ; ita tamen, ut vitâ & Spiritu Christi carerent. c. 16: 3.

24. Decem non minùs reges unà cum Bestia, sive Imperatore, cujus sedes est potissimum Germania, quæ Bestia, & mons octavus dicta fuit, potestatem habentes: ita ut in istis regibus una sit sententia, oportere, ut pacatè regnent, omnes unâ auctoritate & legibus unis in unam religionem adigi, & concessio hujus potestatis Bestiæ. c. 17: 12, 17.

Nota, post effracta tria cornua, maximè cùm Austriani ad Imperium promoti essent, Reges destitisse Papæ auctoritatem & regnum retundere, eique fasces suos submisisse.

Hic videmus mixturam duplicis Imperii, Politici & Ecclesiastici. Nam in omnibus illis regnis subditi Papæ fuerunt, imò ipsi reges se ipsius subditos profitebantur. Rursus reges habuerunt potestatem ut reges, & mediante Imperatore tanquam maximo natu fratre in familia, unum politicum regnum constituerunt. Talis consensio spectata est in Conciliis Oecumenicis.

Hæc *scortatio fuit regum terræ cum meretrice*. Ita *magna hæc civitas* dicitur *regnum habere in reges terræ*. c. 17: 18. Et Meretrix illa dicitur insidere *aquis*, c. 17: 1. id est, *populis multis*. c. 17: 15. Hæc *potestas ejus est in omnem tribum, linguam & gentem*. c. 13: 7. coll. ỿ. 12. c. 17: 15. Hoc *gladio* regum utitur imago bestiæ adversus eos, qui sibi non obediverint. c. 17: 2. & 18: 3.

Recenseri possunt illi reges hoc pacto: in Germania, Gallia, Hispania, Anglia, Scotia, Dania & Norwegia, Suecia, Polonia, Hungaria, Bohemia, *qui regnum nondum acceperant*, nempe in tempore prophetiæ. c. 17: 12.

21. Excitatio regni Italici à Papis, contra Caroli filios. Id Berengariorum fuit. c. 17: 10.

22. Ejusdem regni post paucos annos destructio. Vide Sigon. de regno Italiæ. c. 17: 10.

19. Christi cum exercitu sanctorum suo manifestatio prima, ac pugna cum Bestia, *per vocem* tanquam *aquarum multarum*, id est, murmur popu- c. 14: 1, 2.

le-

lorum multorum, à fine octavi usque ad declinationem noni sæculi. Conticuit hæc post Hadrianum II. qui in Concilio Oecumenico octavo Constantinopolitano restituit imagines, & primatum suum stabilivit.

c. 17: 11. 20. Imperii Romani, una cum throno Bestiæ & regno ejus, confirmatio per Francos. Id Spiritus *Bestiam* vocat, *quæ erat & non est*.

c. 17: 11. 23. *Montis octavi excitatio*, sive collocatio sedis Imperii in Germania: ita ut vocentur Romani Imperatores, qui ex Romana urbe non sunt, sed tantùm regnum ex traditione veterum Romanorum habent, sicque *ex illis septem sunt*, quia bestia & rex ipsius in Italia censetur, & ab ea & Roma denominatur.

Nota, in hac parte bestiæ judicium bestiæ absolvendum esse, ex f. ℣. 11. cap. 17.

c. 14: 2. 25. Oppositio secunda adversus doctrinam Bestiæ, eò evidentior ac clarior, quàm prima, quò tenebræ spissiores fuerunt, ex Apoc. 8: 12. Ideo *voci tonitrus magni* comparatur. In declinatione decimi atque à me-
c. 12: 14. dio undecimi usque ad medium duodecimi sæculi. Id *secundum tempus* est.

c. 14: 2. 3. 26. Oppositio tertia, quæ fuit Waldensium ac Tholosanorum, qui circa medium duodecimi sæculi cogniti fuerunt. Ea comparatur *voci citharœdorum*, qui dicuntur canticum novum cecinisse, in comparatione scilicet erroris veteris: quod tamen nulli fuit intellectum. Ita absurdum videbatur.
v. 4. 12: 14. Describuntur per elogia sua. Id *tertium tempus* est.

27. Cædes Waldensium. cap. 16: 6. 8: 24. 17: 6.

c. 16: 4: 6. 28. Bella inter populos ac reges Christianos, maximè etiam cum Saracenis gesta, effectus phialæ tertiæ: idque in pœnam effusionis sangui-
v. 5. 7. nis sanctorum: quod judicium justificatur.

c. 14: 6. 7. 29. Excitatio Præconum Euangelii in posterum non cohibendi ampliùs. cap. 18: 1. 19: 11. 14 17. Id jam *quartum tempus* est, quo qui-
c. 12: 14. dem Ecclesia jurgatur, & certat cum Antichristo, attamen nutritur adhuc in medio cœtus ejus, necdum ab eo excluditur.

Hæc Euangelii coruscatio quartæ phialæ est, habetque hunc effectum, ut homines licet convicti errorum, tamen eos rebus terrenis nimis affixi relinquere nolint, sicque perpetuo æstu urantur, & contradicendo in po-
c. 16: 8. 9. sterum *blasphemare* dicantur.

c. 17: 14. 30. Oppugnatio directa Agni sive eorum, qui negabant, ullius, præterquam Christi, in Ecclesia verbum audiendum esse, postquam ipso facto Eugenius IV. demonstravit, se esse Regem absolutum, etiam supra Concilium, post Concilium Constantiense: & Reges cum Imperatore Papæ fasces submisissent.

c. 19: 12. 31. Regum & principum multorum studium pro Ecclesia Reformata. Ita Christus in diadematis multis apparuit. Et Reges cœperunt illam me-
c. 17: 16. retricem odisse: & desolatam facere, subductis scilicet ei aquis sive populis suis; & carnes ejus comederé; quale quid est Episcoporum bona occupare, & diœceses eorum in terrenos dominatus convertere.

32. Separatio Ecclesiæ Reformatæ à cœtu Antichristi, per anathemata Concilii Tridentini, in quo meretrix illa legem scortationis suæ publi-

publicavit, firmata etiam per pacem datam iis lege Imperii, qui secesserant. cap. 14:8. 16:10. 11. 18:2. 19:11. Ea res sectatoribus Bestiæ magno fuit dolori, unde præ invidia *linguas suas mandisse* dicuntur. cap. 16:11. Et de βασανισμῷ eorum est cap. 14:10. 11.

Nota. Hic desinunt anni nutritionis Ecclesiæ in gentibus, de quibus suprà §. 11. nempe anni illi 1260. qui incipiunt A. C. 292. desinunt in A. C. 1552. quando facta est transactio Passaviensis, cui successit pax religionis confirmata Augustæ, anno 1555.

33. Invitatio volucrium, id est, gentium rapacium, incursionibus in aliena regna vagari solitarum, multarum, congregatarum sub uno Monarcha, ut agminatim venire possint ad epulum Dei magni, id est, ad occidendum reges, principes, tribunos &c. Quantis cladibus Solimannus Selimi filius rem Christianam affecerit, ex Historiis cognosci potest. Deus novit, an ulterior earum avium sit futura adductio. c.19:17.18

34. Vox multorum se cohortantium ad abjiciendas fermenti Romani reliquias, & cruciandam Babylonem demonstratione veri, & sanctâ conversatione & fugâ omnis erroris, ut omnem spem reconciliationis deponat. c. 18:4.5. 6.7.

Innuitur hic studium quorundam inutiliter collocandum in reconciliatione Reformatorum cum Papistis.

Alibi denunciatur judicium iis, qui etsi Papam irriderent & regnum ejus, tamen non deserebant errores quosdam, quos apud Bestiam didicerant, neque desinebant fidelium persecutione, irrisione, & aliis malis Ecclesiam turbare. Tanquam Lutheranis, Remonstrantibus, & aliis sectis, quæ plus minus de Papatu retinuerunt. c. 14:9. 10. 11.12.

Notantur hic disputationes, scrutationes, commonefactiones, quæ auditæ sunt in Ecclesia post decessionem à communione Papistarum.

35. Congregatio populorum & regum terræ sub unum caput per unum fœdus, ad bellum faciendum Ecclesiæ: Et secuta *messis* ejus partis Ecclesiæ, quæ non habet [illegible], potestate jurisdictionis præditos. c.16:13.14. & 19:19. c.14:15.16.

In prophetia ὅμοιον ad messem per Ecclesiam ipsam dandum innuitur. c.14:14.15

36. Effectus hujus belli, ut multi ab agnita veritate deficiant. c. 16:15.

37. Patronus dandus Ecclesiæ. Cui fortè respondet *comprehensio Bestiæ*, id est, populi octavi montis, sive constrictio ejus talis, ut se movere non posset. c. 16:16. c. 19:20.

Patronus ille occidendus, & amarissimo luctu prosequendus innuitur. c. 16:16.

38. *Conjectio Bestiæ*, & cum illa Episcoporum & totius gregis illorum *in stagnum ignis*, id est, 1. pax invitis extorta, ex Es. 19:21. 2. quòd incipient illa audire & videre, quæ ipsis sint dolori & invidiæ, ex Zach. 14:12. & seqq. c. 19:20.

39. Strages & clades multorum ante & post comprehensam Bestiam: atque imminutio potentiæ civitatis Romanæ; ne obstet regibus venturis ab Oriente. cap. 19:21. 18:8. 16:12.

c.14:17—20. 40. *Vindemia vitis terræ*, id est, castigatio ejus partis Ecclesiæ Euangelicæ, in qua est Hierarchia, postquam Episcopi eò processissent cupiditatis, ut ferri ampliùs non possent, sed rejectione opus haberent.

Nota, *Extra civitatem* fore hanc vindemiam, expressè dici cap. 14:20.

In prophetia sanguis attigisse ipsos rectores populorum dicitur. In Anglia cum Episcopis multi Nobiles, Barones, Comites, Duces, ipse Rex securi percussi.

c.16: 18. Ea trium regnorum concussio rectè *terræ motus* appellatur.

Nota, Tempus, quamdiu sit continuanda illa emanatio sanguinis in posterum, designari in prophetia, verbis, *a stadiis* 1600. Si stadia annos significent, licet computum incipere à bello Judaïco A. C. 66. & conferre menses locustarum Peric. III. §. 12.

Nota, Eodem tempore in alia Ecclesiæ parte audiri *voces* id cum ma-
c.14: 18. ximo zelo agentium, ut solus Christus regnet in Ecclesia. Is zelus *igni* rectè comparatur: & quatenus illæ voces valent ad illuminationem & com-
c.16: 18. motionem cordium, rectè *tonitruis* & *fulminibus* comparantur. Ec-
c.16: 17. clesiæ verò ea pars, ubi hæ voces audiuntur, dicitur ναὸς τ̃ οὐρ. Ali-
c.14: 17. bi verò Angelus, qui est in eo templo, quod est in cœlo, ipsemet cum
c.14: 18. falce acuta dicitur exire, & alius Angelus ex altari, habens potestatem in illum ignem, de quo suprà, exire, & acclamare priori Angelo, ut mittat falcem &c. Per Angelos id dicitur fieri, quod fieri videtur in Ecclesia. Consolationem habeant ex his locis ii, quibus ea, quæ hic dicuntur, maximè competunt. Per *altare* fortè intelligitur id, quod futurum Domino in medio terræ Ægypti, id est, in medio regni Antichristi, vel regis illi servientis prædixit Esaias 19: 19.

c.16: 21. 41. Tempestates bellicæ incumbentes cum bombardis & pilis illis grandibus ignivomis ad prostrationem non tantùm domorum & hominum, sed & navium. Refer huc bellum navale nostratium cum Anglis.

Hominum impœnitentia hîc notatur in prophetia.

c.16: 19. 42. Civitatis alicujus magnæ, (veluti Ecclesiæ Anglicanæ constitutæ sub Episcopis) divisio in partes tres, Episcopales, Presbyterianos & Independentes.

c.16: 19. 43. Aliorum post alia regnorum ac rerumpublicarum debilitatio, & casus. Primum exemplum esto Polonia.

c.16: 19. 44. Iræ divinæ effusio in Babylonem. Qualitas pœnæ etiam determina-
c.17: 16. tur in prophetia, *urbis* illius, quæ cathedram habet, *combustio per ignem*.
& 18: 8. Id optimum medium videtur esse delendo regno meretricis.
c.17: 16. Instrumentum plagæ Spiritus facit *decem illos reges*, qui uno tempore cum Bestia habuerant potestatem, & illam jam antè cœperant o-
c.16: 12. disse, & carnes ejus vorare. Alibi *Regum ab Oriente venturorum* fit men-
c.19: 21. tio. Ii fortè *volucres*, de quibus jam suprà §. 33. visum est. Conjectura est, Occidentis reges cum regibus Orientis aliquando ad jussum unius Monarchæ, qui Assyrius in Spiritu vocatur, id est, Turcæ, conspiraturos in hoc, ut civitatem illam cathedralem igne comburant.

Cele-

Celeritas adventûs iſtius plagæ notetur ex prophetia: cap. 18: 8. 16. 19. 21. & conſummatio in perpetuum. cap. 18: 21. 22. 23. & 19: 3.

45. Abſorptio omnium montium & inſularum à mari. Ita ut fiat unum mare vitreum, id eſt, pax in mundo univerſalis. c. 16: 20. c. 15: 2.

46. Timor, luctus & planctus potentium in hoc mundo: itemque mercatorum ſuas merces venditantium: itemque Rectorum diœceſium, Epiſcoporum; ut & Canonicorum, Regularium, Monachorum &c. qui non habent juriſdictionem ob everſam Babylonem. c. 18. 9 10. &c. uſque ad v. 20.

Dicuntur *procul ſtatuti*; fortè, quia inviti ad Eccleſiam Reformatam accedent. Verba certè lamentationis affectum erga Babylonem jam dejectam teſtantur. v. 10. 15. & 18.

De Naucleris & Nautis in ſpecie verba hæc notantur: *Quæ eſt ſimilis civitati illi magnæ?* Quæ ſunt verba circumſpicientium civitatem aliquam magnam in mundo, cui ſe dare poſſint, aut contendentium pro auctoritate illius civitatis, & reſtitutionem ejus flagitantium. c. 18: 18.

47. Primus fructus judicii Babylonis converſio multorum ad Deum; quod indicatur ἀλληλούϊα multarum turbarum in cœlo. c. 19: 1—4. c. 15. 2. 3. 4.

Convenit, quòd alibi *mare* illud *vitreum* ſive mundus pacatus, dicatur *miſcendum igne*, id eſt, luce Euangelii, & zelo multorum. c. 15: 2.

48. Conſequens fidelium ejus temporis conſolatio ex Scripturis, quòd ſecurè in poſterum, ac ſine metu adverſationis regni oppoſiti Deum laudare poſſint. c. 19: 5.

Euangelii de regno Dei & inſtante reſurrectione mortuorum, major ac major indies pervulgatio ac celebratio per totum mundum. c. 19: 6.

Lætitia, & ἀγαλλίασις, & datio gloriæ Deo, Id feſtum tabernaculorum hoc ultimo tempore celebrandum, à Zacharia viſum. c. 19: 7.

Spes Eccleſiæ deſiderantis occurrere ſuo Sponſo in reſurrectione mortuorum. Argumentum inſtantis reſurrectionis mortuorum deſumitur ab ornatu Sponſæ. c. 19: 7. 8. 9

PEricopa Sexta Diaboli ligationem, ejuſque ſolutionem quandam & conjectionem in abyſſum, cum ſequente judicio mortuorum & viventium, & multorum reſuſcitatione continet. cap. 20. Hi ſunt articuli.

1. Chriſti victoria de morte & æterna maledictione. c. 20: 1.

2. Perſecutiones Chriſtianorum ſub Romanis gentilibus. v. 4.

3. Draconis, ſive Imperii Romani gentilis coërcitio, ne ampliùs adverſus Eccleſiam inſurgeret: quin deſertâ idololatriâ ad Chriſtiani nominis profeſſionem accederet. Ea *ligatio Satanæ*. v. 2. 3.

Nota, Tempus hujus ligationis Satanæ deſignari in prophetia, *mille annos*. Ii à Conſtantino Magno ad Ludovicum Bavarum, ultimum Imperatorum, qui ſe Papæ, ad culmen nitenti, ut fieret Gog, id eſt, tectum, ſive caput Eccleſiæ, oppoſuerunt, vel ad Bonifacium VIII. cir-

ca annum Christi 1300. fluunt. Eo toto tempore, persecutione sublatâ, crevit & floruit Ecclesia, & coërcitio illa Satanæ manifestos effectus habuit.

Judicium datum Ecclesiæ, sive Sanctis, in oppressione hostium, & potestate errores improbandi, atque etiam hierarchiâ constituendâ, & legibus ferendis. Ita constituti atque occupati *throni*, in quibus multi consederunt, vers. 4. Quod autem Episcopis eo tempore contigit, hoc, quia nondum invaluerat corruptio, Sanctis applicari potest.

v. 4. 4. Exortus Bestiæ & Imaginis Bestiæ, Legisque ejus receptio in manum, v. 6. 13. & in frontem. Et *mortis secundæ* & *Inferni*.

v. 4. 5. Multorum, sese Bestiæ, ejusque doctrinæ opponentium certamen cum ea: quamvis regnum Christi mille istis annis, reverâ ad eos pertineret.

v. 3. f. 7. 8. 6. Solutio Satanæ post mille istos annos, non quidem, ut gentes ad priorem idololatriam reducat, verùm ut eas congreget sub unum caput, ad bellum faciendum Ecclesiæ, interim separandæ.

v. 3. f. *Tempus* hujus solutionis *parvum* fore prædicit Spiritus.

v. 9. 7. Ecclesiæ separatæ constitutio in partes tres, *terram*, *castra sanctorum*, & *urbem*.

v. 9. 8. Bellum contra terram, castra & urbem Ecclesiæ conflatum.

v. 9. 9. Consumtio Gogi & Magogi hostium Ecclesiæ, per ignem à Deo cœlitus demissum.

v. 10. 10. Conjectio Diaboli in lacum ignis & sulphuris, post conjectos eodem Bestiam & Pseudoprophetam: ut ibi in æternum crucientur.

v. 11. 11. Manifestatio regni Christi & Ecclesiæ, quod est regnum justitiæ & gloriæ.

v. 11. 12. Hierarchiæ falsæ sublatio à cervicibus Ecclesiæ.

v. 12. 13. Apertio librorum, (Sacrarum Literarum) cum eo effectu, ut quinam v. 13. mortui sint spiritualiter, ex iis judicetur, nec mare aut mors aut infernus impediant, quo minus mortui judicari possint, aut, si qui scripti sunt in libro vitæ, vivificari.

v. 14. 15. 14. Conjectio Mortis & Inferni, (Regni seductionis & tyrannidis) eorumque, qui non scripti sunt in libro vitæ, in stagnum ignis, quæ est mors secunda, id est, induratio & morsus malæ conscientiæ.

PEricopa Septima habet descriptionem Sponsæ, novæ Hierosolymæ. cap. 21. & 22.

c. 21: 1. 1. Reliquiæ hierarchiæ abolitæ in Ecclesia, postquam liberata esset à jugo eorum, qui tanquam in cœlo sedentes ipsis leges dictaverant, sicque cœlum novum & terra nova cœpissent fieri, & regnum adversarium destructum. Involvitur & prædicatio regni per totum orbem, destructâ contrariâ potestate.

2. Ser-

2. Servitus omnium gentium Ecclesiæ, cùm mare non est ampliùs, cùm in omnibus gentibus fiat sementis verbi. v. 1.

3. Ablatio omnium signorum scortationis ab Ecclesia, ejúsque præparatio tanquam sponsæ, quæ scilicet jamjam sit deducenda domum. quæ est exspectatio resurrectionis mortuorum. v. 2.

4. Cessante Antichristo cessant *lacbrymæ*, quibus deploratur terræ corruptio, & *mors*, seductio vel defectio, & *luctus* ob vastitatem Ecclesiarum, & *clamor* alios accusantium vel sese defendentium, & *labor* in tollendis offendiculis: imò Christus in Ecclesia habitat. v. 3. 4.

5. Impletio omnium quæ debuerint fieri. v. 6.

6. Denunciatio stagni, quod ardet igne, meticulosis &c. v. 7.

7. Describitur nova Hierosolyma. Maximè notabiles sunt versus 24. 25. 26. à v. 9. ad v. 6. c. 22.

FINIS.



ERRATA.

Pag. 3. lin. 3. pro *amplificatio* ſcribe *amplificationem*. 13. 28. *Virum*. 19. 10. à f. צרח. 56. 14. numeri in margine ita ſunt ponendi, ut *ad* §. 2. reſpiciat *qui tegat ſuos*. & 3. 4. reſpiciat *qui in rupem*. & 5. *qui nunc efferat*. p. 68 13. à f. 1. repone A: 141. 9. à f. *Pſalmus*. 180. 24. poſt *carne* dele comma. Ibid l. ult. *Confirmatio*. 196. 2. *illa*, *tunt*. 282. 2. in marg. pro 4. ſcribe 24. p. 283. 25. *fidem*. 369. 6. *mixturam gentium cum fidelibus*. 408. 2. à f. *pangat*. 443. 8. *juſtos*. 541. 17. 1543. ſcribe 1453. p. 557. 19. *Doctorem*. 709. 12. *Septem*. 719. l. ult. *aquarum*.



